# VETERUM ALIQUOT SCRIPTORUM, QUI IN GALLIAE BIBLIOTHECIS, MAXIMÈ...

Luc : d' Achery

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
31
9 F
2
FONDO TROKENSE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# VETERVM ALIQVOT SCRIPTORVM

*Qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum, latuerant,*

# SPICILEGIVM.

*Tomus Secundus Continet*

1 RATRAMNI *Corbeïenſis Monachi* Libros IV. contra Græcos.
2 RATHERII *Veronenſis Epiſcopi* Opuſcula.
3 ARNVLFI *Lexonienſis Epiſcopi* Tractatum de Schiſmate *orto poſt Honorij II. deceſſum, contra* Girardum *Engoliſm. Epiſcopum.*
4 MISCELLANEA Epiſtolarum *numero* LXXXVII.
5 VARIA *Galliæ* Concilia.
6 Vitam S. ROMANÆ *Virg. & Mart. necnon Fundationem Abbatiæ S.* Quintini Beluacenſis.
7 Vitam HILDEBVRGIS *Dominæ Gallardonis.*
8 Vitam S. PETRI DE CHAVANON *Canonici Reg. Ord. S. Auguſt. Fundatoris Abbatiæ* de Piperaco.
9 CHRONICON Vetus S. PETRI VIVI *Senonen. Auctore* Clario *Monacho.*
10 CHRONICON S. Medardi *Sueſſion.*
11 CHRONICON S. Dionyſij *in Frãcia.*
12 FRAGMENTVM Chronici *Eccleſiæ Rotomag.*
13 ADDENDA, ſc. Epiſtolas prolixas, *alteram* Hincmari *Remenſ. Archiep.* Fulberti *Carnot. alteram.*

Prodeunt nunc primùm in lucem

*Operâ & ſtudio* DOMNI LVCÆ DACHERII *è Congregatione S. Mauri Monachi Benedictini.*



PARISIIS,

Apud Carolum Savreux, inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Capituli Bibliopolam, in Atrio Templi Beatæ Mariæ, ſub inſigne trium Virtutum.

CIↃ. IↃC. LVII.

*Cum Priuilegio Regis, & Superiorum permiſſu.*

# LECTORI.

IN ipſo Spicilegij huiuſce tomi ſecundi limine occurrunt Ratramni Corbeïenſis Monachi Libri quatuor contra Græcorum oppoſita, nobis iampridem ex Catalogo MSS. codicum Thuaneæ Bibliothecæ notiſſimi: quorum apographum eleganter Auctoris ætate, ſiue vt alij volunt etiam manu exaratum, ſuppeditauit eadem Bibliotheca. I.

I. RATRAMNI Corbeienſ. li. 4. contra Græcos.

Eos autem Libros Epiſcoporum hortatu, iuſsúue elucubraſſe Ratramnum perſuadere videntur iſthæc libri quarti verba poſtrema: *Egimus velut potuimus reſpondentes ad ea quæ nobis ſcripta miſiſtis. Quæ ſi placuerint, Deo gratias agimus; ſin verò diſplicuerint, veſtræ correctionis cenſuram præſtolamur.* Etenim Summus Eccleſiæ Hierarcha Nicolaus I. Galliæ Epiſcopos litteris commonuerat, vt Græcorum Romanæ Sedis aduerſariorum obiectis occurrerent; vti auctor eſt Frodoardus in Hiſt. Eccleſ. Remenſ. lib. 3. cap. 17. *Nicolaus Papa epiſtolam eidem* (Hincmaro) *& ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis in regno Caroli conſtitutis transmiſit, innoteſcens præfatos Græ-*

*corum Imperatores, ſed & Orientales Epiſcopos calumniari ſanctam Romanam Eccleſiam, immò omnem Eccleſiam quæ Latina vtitur lingua; quòd ieiunamus in Sabbatis: quòd Spiritum ſanctum ex Patre, Filióque procedere dicimus: quia Preſbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes inhibemus: dicentes ipſi Græci, quòd chriſma ex aqua fluminis Latini conficiamus; reprehendentes nos Latinos quòd octo hebdomadibus à caſei & ouorum eſu more ſuo non ceſſamus; dicentes etiam, quòd in Paſcha more Iudæorum ſuper altare pariter cum Dominico corpore agnum benedicamus & offeramus; ſuccenſentes etiam nobis, quia Clerici apud nos barbas ſuas radunt; & dicentes, quia Diaconus non ſuſcepto Presbyteratus officio apud nos Epiſcopus ordinatur, &c.* Deinde Nicolai epiſtolæ verba ſubtexit: *Tua, Hincmare, caritas cùm hanc epiſtolam legerit, mox vt etiam ad alios Archiepiſcopos, qui in regno filij noſtri Caroli glorioſi Regis conſiſtunt, deferatur, ſummopere agere ſtudeat, vt & de his ſinguli in ſuis Diœceſibus proprijs vnà cum ſuffraganeis ſuis, in cuiuſcumque regno ſint conſtituti, conuenienter tractare, & nobis quæ repererint ſuggerere curent, eos incitare non negligat, &c.* En ſumma Schiſmatis in Oriente à Photio Pſeudopatriarcha Conſtantinopol. & gregarijs excitati, fotíque à Græcorum Imperatoribus Michaële & Baſilio.

Itaque Ratramnus noſter id muneris ſibi impoſitum accuratè, eleganter, & prorſus eruditè quatuor peregit Libris. In prioribus totus eſt cùm in ſacris Scripturis, tum in Græcorum, Latinorúmque placitis, quò Nouatorum propellat blaſphe-

mias, & ſtabiliat de Spiritu-ſancto Catholicam veritatem. Quarto verò in libro de varia Quadrageſimæ obſeruatione, déque vario ciborum vſu; De ieiunio Sabbati apud Latinos: De Clericorum barbæ & capitis tonſura, ac cœlibatu; De Confirmationis Sacramento à ſolo Epiſcopo conferendo; De Romani Pontificis in Patriarcham Conſtantinopolitanum, atque adeò in vniuerſos orbis Chriſtiani Præſules ſummo iure; Déque alijs Eccleſiæ ritibus agit omninò feliciter. Quàm porrò in Sacræ Scripturæ, & in antiquorum Patrum ac Conciliorum lectione verſatus fuerit Ratramnus, facilè qui Libros hoſce quatuor euoluerint, animaduertent. Non enim ſinit Præfationis anguſtia prolixiori ſtilo laudes tanti viri percurrere; præſertim cùm me hoc leuet onere è noſtris non nemo, qui rerum Corbeienſium ſuis in Commentariis munus iſtud obibit propediem. Nonnulla dumtaxat Scriptorum teſtimonia heîc ſubijcienda exiſtimaui.

Sed antequàm vlteriùs progrediar, non abs re fuerit Lectorem præmonere, Iacobum Sirmondum, immortali memoria dignum, edendo S. Fulgentij Opuſcula quædam *, dum in calce fragmenta eorum quæ hactenus latuére, recenſeret, illos ipſos Ratramni Libros Hincmaro Remenſi adſcripſiſſe fragmento vltimo, in hunc modum: *Ex libro* 3. *Hincmari Archiepiſcopi Remenſ. aduerſus obiecta Græcorum, ad Odonem Bellouacenſem:* Deinde ipſiſſima Ratramni verba ſubiecit: *Fulgentius Epiſcopus literarum ſtudijs admodùm eruditus &c.* Quæ infrà lib. 3. videbis pag. 92. Demum idem loca duo Fulgentij

* De veritate Prædeſtinationis & gratiæ, &c. edit. an. 1612.

inedita à Rattamno locis citatis allata profert. Quid Sirmondo perſuaſerit prolem hanc extraneo parenti ſupponere mihi prorſus incompertum: cùm alioquin ceteris Hincmari Operibus per duodequadraginta propè annos à ſe ſummo ſtudio, ſummáque diligentiâ conquiſitis, illud non ignobile opus accenſere debuiſſet. Nunc teſtimonia in medium afferamus.

SIGIBERTVS de Scriptoribus Eccleſ. cap. 95. *Bertramus* (ſiue Ratramnus) *ſcripſit librum de Corpore & Sanguine Domini: & ad Carolum librum de Prædeſtinatione.*

IOANNES Trithemius Abbas de viris Illuſt. Ordinis S. Benedicti. lib. 2. cap. 48. *Bertrannus Monachus in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſæcularibus litteris nobiliter inſtructus, ſcripſit non paruipendendæ lectionis Opuſcula; quibus ſuum magnificè exercitauit ingenium, è quibus ego tantùm reperi de Corpore & Sanguine Domini lib. 1. ad Carolum de Prædeſtinatione lib. 1. Claruit A. D. 870.*

Claudius Eſpencæus Doctor Pariſienſis de Euchariſtia lib. 4. c. 19. ſub med. *Et meritò ſanè, cùm verus, vt ita loquar, ille Bertramus, totos annos ſeptingentos, nec à quoquam hæreſeos fuerit inſimulatus, vel reprehenſus quaſi malè ſcripſerit, ſed in catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum relatus, vt vir non minus vita, quàm doctrina, ingenio & eloquio inſignis.*

Claudius de Saintes Epiſcopus Ebroicenſis, de Euchariſtiæ controuerſiis repet. 2. c. 14. *Verùm illum Bertramum totos annos ſeptingentos nemo hæreſeos reprehendit, quaſi malè ſcripſerit; ſed refertur in cata-*

*logum Scriptorum Eccleſiaſt. vt vir non minus vita, quàm doctrina, ingenio, & eloquio inſignis & Catholicus.*

AVBERTVS Miræus in Scholiis ad præfatum Sigiberti Caput. *Bertramus ſcripſit librum de Corp. & Sang. Domini excuſum Coloniæ* 1532. *Baſileæ in Micropreſbytico, & alibi, ſed damnatum à Tridentinis Cenſoribus: ita Molan. in Biblioth. MS. Heretici eum primi typis ediderunt, videntúrque illa inſeruiſſe quæcunque vel obſcura, vel in ſpeciem prauè ſonantia leguntur. Plurimis certè locis veram Chriſti præſentiam adſtruit, & tranſſubſtantiationem docet, vt ne ipſe quidem interpolator id ſub finem diſſimulet, dicens multa non cohærere, & præcedentia ſequentibus contradicere. Hoc inter alios obſeruauit Bartholomæus Petrus Lintrenſis Doctor Theologus.*

DIONYSIVS Petauius S. I. Theologicorum dogmat. to. 2. lib. 7. cap. 2. ante finem: Ratramni tanquam Catholici, nobilíſque Scriptoris authoritate vtitur, explicans vocem; *Filióque* additam ad Symbolum Conſtantinopol. *Quin etiam Ratramnus Corbeienſis Monachus in lib. 2. pro Romana Eccleſia contra Græcos, quem circa annum* 868. *ſcripſit Photij tempore, tanquam ab illis obiectum corrupti ſymboli crimen diluit, &c.* Ac ſubdit: *Scripſit autem Ratramnus, vt jam dictum eſt *, poſt acceptam Nicolai Encyclicam, quam ad Hincmarum & alios Epiſcopos in regno Caroli Calui conſtitutos miſerat anno* 867. *vt eos hortaretur ad refellendas Græcorum calumnias, aduerſus Romanam Eccleſiam obiectas à Michaële Imperatore, & Baſilio in Epiſtola quadam ad ſe ſcripta.*

* *Cap. 7. einſdem lib.*

IOANNES de Launoy Doctor Pariſienſis in Diſſertatione de Veteri ciborum delectu, &c. pag. 13. *Græcorum obiectioni ſic reſpondet Ratramnus Corbeienſis Monachus in Opere, quod tunc Epiſcoporum auctoritate contra Græcos vir ille doctiſſimus conſcripſit. Ex lib. 4. huius Operis, &c.* Inde prolixam pericopen excerpſit.

GILBERTVS Mauguin Regi à Conſiliis, in Hiſtoricæ & Chronologicę diſſertationis capite 17. ad annum 850. *Hoc etiam anno Ratramnus Corbeienſis Monachus, non leuis armaturæ in Eccleſia Chriſti Miles, regio mandato obtemperans duos Libros de Prædeſtinatione compoſuit:* quos ille primus luci dedit.

IACOBVS DE SAINTE BEVFVE Socius Sorbonicus, ac Regius Profeſſor, Tractatum de Eucharistia in Sorbonę Scholis ipſe prælegens, Ratramnum multis, iiſque non vulgari eruditione refertis, egregiè vindicat. Primò quidem poſt Sigibertum, Trithemium, Eſpencæum, & Sanctesium, inter Eccleſiaſticos Scriptores Orthodoxóſque locum obtinuiſſe Ratramnum: deinde Catholicum Opus de Corpore & Sanguine Domini compoſuiſſe docet; fretus non tantùm Sigiberti, & aliorum teſtimoniis, immò hiſce potiſſimùm rationibus adductus: Altera eſt, Septingentos per annos hæreſis haud inſimulatum ab vllo Scriptore, nedum damnatum Ratramnum. Altera verò, neque ab ipſo Berengario Hęreſiarcha, neque ab eius diſcipulis vſquam laudatum repereris. His accedit, quòd immunis extiterit liber ille Ratramni à cenſura Concilij Vercellenſis, in quo Berengarij impium dogma

dogma, ſimulque Ioannis Erigenæ ſiue Scoti eiuſdem farinæ Opuſcula æterno anathemate fuêre perculſa. Poſtremò ſubiungit Sanbouæus: Etſi Opus illud de Corpore & Sang. Domini, quod Bertrami præ ſe fert nomen, genuinus eſſet ipſius fœtus, miniméque corruptus, interpolatúſue, ſuum eſſe nihilominus Ratramnum noſtrum, vel ſuæ hæreſi fauentem, ob næuos eo in Opere cõtentos, incaſſum perſuadere conarentur Hæretici: quippe qui continuò in Eccleſiæ ſinu vixit, ac placidè in eius obdormiuit communione. Ait enim Facundus lib. 10. c. 5. *Non ex leui ſono verborum, ſed ex intentione dicentis æſtimanda ſunt quæ dicuntur. Dicentis autem intentio, cùm iam perſona defuncta eſt, ex communione religioſiùs æſtimatur.* Et ſanè ab heterodoxorum calumnia catholicè defendi poſſet Ratramnus, non ſecus atque olim Dionyſium Alexandrinum vindicauit Athanaſius. *Magni certè argumenti eſt* (inquit ipſe in Epiſtola de Dionyſij ſententia contra Arrianos) *ne in hoc quidem illos verum dicere, ſed calumniis virum premere, quod ille nunquam ab aliis Epiſcopis de impietate conuictus eſt, neque hæreſim propugnando ab Eccleſia ſeceſſit, ſed in ea cum pietate obdormiuit: quodque eius memoria hactenus cum Patribus hucvſquè celebrata eſt, & in catalogum relata: qui ſi cum iſtis eiuſdem opinionis fuiſſet, aut ſi ſcriptorum ſuorum rationem non reddidiſſet, minimè dubium quin eadem quæ illi paſſus fuiſſet.* Tandem verò cùm tam præclara & aperta in præfato Ratramni Opere realem Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus Euchariſticis probent

é

ac tranſſubſtantiationem, obſcuriora proinde & difficiliora ad orthodoxum ſenſum benignè queunt elucidari; ex Regula nimirum Facundi lib. 9. c. 5. *Quemadmodum calumniantium hæreticorum eſt, ex dubiis & obſcuris, quæ certa & manifeſta ſunt malè interpretari, ita ſaluum eſt prudentiæ ac pietatis Catholicæ ex indubitatis atque euidentibus & firmare ambigua, & latentia declarare. Si qui verò Orthodoxi etiam aliud faciendum putauerint, non ſunt in hoc à prudentibus imitandi.*

Ad extremum, Epiſtolam Illuſtriſſimi Petri de Marca Archiepiſcopi Toloſani, literario orbi eruditione & ſcriptis clariſſimi, tanquam fortiſſimum propugnaculum opponere viſum eſt Scriptoris nuperi calumniis, qui Ratramnum Eccleſiæ Latinæ vindicem labe hæreſeos aſpergere perperàm attentauit. Verùm quia hæc ipſa Epiſtola longiuſculè ſe extendit, in calce illam, Præfationi coronidem vt imponat, ſubieci: cuius, Lector, aduertes ſingularibus rationum momentis Ratramnum ab omni penitus abſolutum hæreſeos ſuſpicione, immò verè Catholicum, & perquàm religioſum fortiter aſſertum.

Videſis prætereà quid de Ratramno in primum Spicilegij tomum ſumus prolocuti Præfationis pag. 5. n. 5.

II. RATHERIVS Veronéſ. Epiſc.

RATHERIVM virtutibus clarum, acerrimum Eccleſiaſticæ diſciplinæ propugnatorem, omni ſcientiarum genere excultum, vetuſtioris æui ſcriptores prædicauêre. ERACLIVS, ſiue Eueraclus

Epiſcopus Leodienſis Epiſtolâ * ad Ratherium, ſic loquitur: *Quis eſt vobis aut ſapientia, probitate aut optimarum artium ſtudio, aut innocentia, aut vllæ laudis genere præſtantior? Patientia ſi memoratur, ſi fas eſt dicere, fide ſalua, ne Deum offendam, tu es ipſa, &c. Non modò non rapuiſti, ſed nec quidem appetiiſti aliena, largitus es propria aliorum condolens miſeriis, non felicitatibus inuidens alienis. Omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceres. Natiua vobis ſupplex tendit manus patria, & vt redeatis inuitat. Omnes quotquot ſunt ordinis Clericalis, ſeu militaris, mente, voluntate, ſtudio, geſtu, voce, vt veniatis clamant, vos videre deſiderant, ſeruitio vobis impendendo, nec numerum, nec modum præfigimus vllum. Omnia noſtra erunt in manu veſtra ſecundùm quod animo veſtro inſederit, ô dilecte Ratheri. Cuncta præuidete, diſponite, conſtituite, & vt libuerit in omnibus agite, ſub veſtro pollice docto & artifice manum ferulæ non erubeſcam ſubducere, &c.*

* *Extat to. 1. geſt. Pontif. Leodienſium in Eraclio.*

LVITPRANDVS Ratherij ſynchronus, Rerum geſtarum ab Europæ Imperatoribus & Regibus lib. 3. cap. 11. *Venerat autem cum præfato Hilduino Monacho* (ſcil. in Italiam) *quidam Ratherius nomine; qui ob religionem, ſeptémque liberalium artium peritiam Veronæ Epiſcopus conſtituitur.* Iterum capite 4. *Quo diſcedente* (Milone) *Hugoni Regi mox ciuitas redditur, & Ratherius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eo captus Papiæ exilio relegatur, in quo faceta vrbanitate de exilij ſui ærumna Librum componere cœpit. Quem ſi quis legerit, nonnullas ibi hac ſub occaſione res expoſitas inueniet, quæ legentium intellectui non*

*minus placere poſſunt, quàm prodeſſe.*

Comi etiam exulaſſe innuit ipſe Ratherius Præfatione ad vitam ſancti Vrſmari: *Apud venerabilem nuper ſanctæ Cumanæ Eccleſiæ iuſto Dei iudicio exulans Epiſcopum, reperi libellum pauca de virtutibus continentem Domini ac ſpecialis Patroni noſtri, ſancti videlicet Vrſmari Epiſcopi, continentiâ rerum quidem auro obrizo, topazióque præferenda, locutionis verò ſolœciſmis ita pro ſuo modulo refertiſſima, vt noſſe difficile fuerit, vtrum ſcriptoris negligentia, aut dictatoris inſipientiâ.* Et in conſequentibus eandem vitam ſe iuxta grammaticæ leges expoliuiſſe profitetur.

Audiendus iterum Ratherius in hunc modum de ſe quaſi de alio loquens: *Hic Ratherius adhuc Veronæ Epiſcopus dicat, qui pertæſus ciuium inſolentiæ, eorúmque ſuſpectam habens peculiarem ſibi & innatam perfidiam de reditu iam cogitabat: proponens quòd in aliena patria bene quidem ſæpe viuitur, ſed malè moritur: quapropter miſit ad Abbatem, Fulcuinum ſcilicet, qui tum Lobienſi Eccleſiæ præerat, librum, quem prætitulauit: Conflictum duorum; ob id quod diſputamus in eo; reuerteretur necne anxius fluctuans, ſimul & obſecrans, vt mitterentur ei equi, & comites, quò citiùs & expeditiùs iter accelerare poſſet, &c.* Et hanc pericopen ex MS. excerptam miſit ad me C.V. Carolus Boeſman Leodienſis, Iuris vtriuſque Doctor.

Rogerius Benedictini Ordinis Monachus, Ratherio ſuppar, in vitæ S. Brunonis Colon. Epiſc. cap. 37. & 38. *Libet meminiſſe quoddam huius pij Patris* (Brunonis) *pium & laudabile factum, quod in ipſis*

*ſacerdotij ſui primordiis effeciſſe cognoſcitur. Siquidem Ratherius Veronæ; quæ ciuitas eſt Italiæ, ordinatus Præſul, cùm ex quadam leui ſuſpicione, vt mos eſt gentis illius, ab honore propriæ Sedis eſſet expulſus, Leodienſi Cathedræ vacanti, magnâ eius induſtriâ, ſecundùm ſtatuta Canonum incardinatus eſt. Quod quidem propter abundantem doctrinam, & eloquentiam copioſam, quâ inter ſapientiſſimos florere viſus eſt, non eidem ſolùm Eccleſiæ cui præfuit, ſed & multis aliis circumquaque valdè proficuum fore putatum eſt. Simul quia in illis partibus per zelum & contentionem, vnde fieri ſolet inconſtantia, & omne opus prauum, quidam etiam Sacerdotes Domini plerumque (quod dictu nefas eſt) terrenæ plus iuſto confiſi potentiæ, populum imperitum ſcandalizabant: ſæpedictus, ſæpéque dicendus Dominus Bruno, cui iam totius regni diſpenſandi cura immi-nebat, ratus id quod verum fuit, hunc eiectum antehac & neglectum hoc tanto beneficio ad illud fidei & veritatis fœdus adduci, vt à nemine poſſet ſeduci, ita demum os loquentium iniqua obſtruere poſſe credidit, ſi nulla occaſio ſcandali poſſet in eorum Epiſcopo reperiri, ſed ad ſui perniciem pars ſiniſtra præualuit: quidquid enim pro ſalute eorum geſtum eſt, hoc ſibi peſtiferum æſtimabant. Quid multa? Erratum eſt, ſæuitum eſt, nec ceſſatum eſt, donec expulſione eius crudelitati ſuæ & nequitiæ ſatisfacerent. Ablata eſt omnis ſpes reſtitutionis eius: Conſpiratio enim grauiſſima facta eſt, quæ niſi & hic penitus amoueretur, & in eiuſdem locum Baldricus, qui erat de Magnatum terræ illius proſapia oriundus, ſubrogaretur, ſedari non poſſe viſa eſt. Ad hanc ſententiam tempeſtates vndique innumeræ conflu-*

*xerunt. Nauis Eccleſiæ laborante remige, fluctuauit. gubernator ipſe procelloſæ tempeſtatis impetum ferre non potuit. Ceſſit igitur, ceſſit ne vinceretur à malo, ſed vinceret in bono malum. Ceſſit aduerſantium voluntati, vt ſuo eos gladio iugularet, ſibi obſtricti ſunt ſacramentorum fide ſpontanei, vt ſi accipere mererentur Epiſcopum quem petebant, inuicta exinde firmitate auctoritatem Eccleſiæ, & ius Imperatorium tuerentur. At ne quid in eiuſmodi negotio imperfectum reſtaret, quod curioſis alienarum rerum inueſtigationibus ſcrupulum commoueret cum Imperatore germano ſuo id effecit, vt Ratherio Epiſcopo bis iam deſtituto antiqua ſedes Veronenſis Eccleſiæ redderetur.* Hactenus Rogerius.

SIGIBERTVS in Chronico ad an. 928. *Ratherius Lobienſis Monachus, vir nimiæ ſimplicitatis, ſed experientia liberalium artium nominatus, cum Hilduino, qui in Lotharingia Epiſcopatum Leodienſem olim ambierat, in Italiam ad Hugonem Regem profectus, Veronæ Epiſcopus conſtituitur, Hilduino Mediolani Archiep. ordinato.* Ad an. 932. *Ratherius Epiſcopus à Rege Hugone Epiſcopatu pulſus, quia Baioariis fauerat, Papiæ exiliatur, vbi & Librum de ſuis ærumnis edidit. Scripſit & alia multa legentibus vtilia.* Denique ad annum 954. *Ratherius bis Epiſcopatu depulſus, Leodienſis Epiſcopus per Brunonem Archiepiſcopum ordinatur poſt Farabertum.* Non modò bis depulſum eſſe, ſed & tertiò, ex ſepulcralibus hiſce verſibus intelligitur.

„ Veronæ Præſul, ſed ter Ratherius exul,<br>
„ Ante cucullatus, Lobia, póſtque tuus<br>
„ Nobilis, vrbanus pro tempore morigeratus,

Qui inſcribi proprio hæc petiit tumulo: "
CONCVLCATE PEDES HOMINVM SAL "
INFATVATVM. "
Lector propitius ſubueniat precibus. Amen. "
Extabat hoc Epitaphium in fine Opuſculi ipſius Ratherij, cui titulus: *Meditationes cordis, &c.*

Itémque in Itinerario lamentatur ad hunc modum: *Omittam ter me contra Canones exulatum, millies iniuriatum, Epiſcopium mihi inlegaliter ademptum, alium ſuper me adulterè adductum & receptum, &c.* pag. 269. infra.

Eius Operum texuit elenchum idem Sigibertus cap. 127. de Scriptoribus Eccleſ. *Ratherius*, &c. *Scripſit vitam S. Vrſmari Lobienſis*, &c. *Ordinatus Epiſcopus Leodienſis Eccleſię, & ab ea pulſus, ſcripſit librum quem attitulauit Phreneſim. Scripſit librum, quem prætitulauit, Inefficax, vt ſibi viſum eſt, garritus. Scripſit librum de Corpore & Sang. Domini, & de Prædeſtinatione Dei. Scripſit contra hæreſim Anthropomorphitarum, id eſt, dicentium quòd Deus habebat corpoream & humanam formam, quæ hæreſis tunc grauiter vexabat Italiam. Scripſit Agoniſticon, id eſt, Proloquiorum lib. ſex. Confeſſionum Librum vnum, & alia.*

TRITHEMIVS de Viris Illuſtr. Ordinis S. Ben. lib. 2. cap. 57. repetit Sigiberti verba. Et lib. 3. cap. 203. *Ratherius*, &c. *fuit doctus, licet à mundi ſapientibus ſimplex putaretur. Moritur apud Lobias An. Dom. 974. Indict. 2.* Miræus verò in Scholio ad prę-fatum cap. 127. Sigiberti de Viris Illuſt. Trithemio refragatur: *Reuerſus*, ait, *in Belgium in Alnenſi Monaſterio quod reliquum fuit vitæ egit, & Namurci an. 974. deceſſit. Corpus Lobium eſt delatum, &*

*in templo S. Vrſmari conditum.* At contrà Scriptores tum æquales, tum ſuppares, ac nuperi, Ratherium diem obiiſſe in ſuo Lobienſi Cœnobio conſtanter affirmant.

*Tom. 1. geſt. Pōt. Leod. c. 45* Legenda eſt Epiſt. 3. Ratherij pag. 245.

ÆGIDIVS à Leodio: *Quinto verò anno ordinationis ipſius* (Ratherij) *Arnoldus Dux Baioariorum in Italiam contra Hugonem veniens à Veronenſibus hortatu Ratherij Epiſc. & Milonis Comitis ſuſcipitur. Qui Arnoldus cum Hugone confligens vincitur. Sicque Ratherius à Rege Hugone Epiſcopatu pulſus, quia Baioariis fauerat, Papiæ exulatur, &c. Reuerſus verò in partibus noſtris idem Ratherius in verbis & ſcriptis clarus habebatur. Intereà Furberto Leodienſium Epiſcopo mortuo Ratherius bis ab Epiſcopatu Veronenſium depulſus per Brunonem Archiepiſcopum Colonienſem anno Dom. 953. ordinatur Leodienſium Epiſcopus, &c. Rexit autem Leodienſem Eccleſiam ferè tribus annis ſub Papa Benedicto, qui & Agapitus dictus eſt, ſub Ottone Imperatore, ſub Francorum Regibus Ludouico & Lothario filio eius.*

IN SYNODO Gallicana Remis habitâ anno reparatæ ſalutis 991. quæ aduerſus Ratherium olim fuerant acta penitus abrogantur, c. 43. *Item quæ circa Ratherium Veronenſem Epiſcopum, vel circa Petrum Rauennæ Archiep. vſu vel conſuetudine prouenerunt, ab omnibus abrogata ſunt. Vterque enim nec abdicationis porrecto libello, nec ſacerdotalibus depoſitis inſignibus ſucceſſorem acceperat. Ratherius quidem Milonem, Petrus verò Honeſtum B. Apollinaris Abbatem, &c.* Sat ſupérque de Ratherii encomiis: alios prætereo Scriptores, vtpote recentiores.

Cæterùm

Cæterùm de Codice Ratherianorum Operum (Anſelmi Decani tempeſtate eleganter exarato, ſed mendis plurimis fœdato) qui olim è Bibliotheca B. MARIÆ Laudunenſis fuerat ſubreptus, ac tandem reſtitutus, gratias habeo C. V. Antonio Bellotte, in quo rerum Eccleſiaſticarum ſcientia, & pietas, religioniſque amor certare videntur. Præter à me edita, ſunt & alia penes me Ratherij Opuſcula, præfati Caroli Boëſman ſumptibus deſcripta, ſtudioque eiuſdem ad autographum, ab Reuerendiſſimo Abbate Cœnobij Lobienſis vltrò ipſi tranſmiſſum, collata; quæ quidem publicanda venient Tom. 3. Spicilegij noſtri, cùm iam è prælo cætera Ratherij Opuſcula emerſerint.

TRACTATVS ARNVLFI Lexouienſis Epiſcopi de Schiſmate orto poſt Honorij Papæ II. deceſſum, vehementem continet orationem aduerſus Girardum vaferrimum Engoliſmæ Epiſcopum, qui ſtans à Petro Leonis Gallicanam Eccleſiam nefandis artibus perturbauit propè vniuerſam. Tractatum hunc elucubrauit dum in Italia moram traheret, nondum infulis decoratus, Romanis legibus dans operam, quemadmodum teſtatur ipſe in Proloquio ad Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum: *Sed quia me in Italiam*, infit, *deſiderata diu Romanorum legum ſtudia deduxerant*, *&c.* Illum è Cod. MS. Cœnobii Pariſienſis, vulgò Alborum Mantellorum nuncupati, Ord. S. Bened. nunc primùm publici iuris facimus. III. ARNVLFI Lexouieſ. Epiſc. Tractatus.

MISCELLANEA Epiſtolarum lectu planè digniſſima ſubſequuntur; quarum ſyllabum Elencho IV. MISCELLANEA

contentorum in hoc volumine inſertum videbis infrà. Inſuper quædam hîc non abs re fuerit adnotare. Epiſtolæ ſecundæ auctorem oſtendunt bini codices manu Cœnobitæ Floriacenſis exarati Licinianum Epiſcopum. De quo ſcribit Iſidorus de Scrip. Eccleſiaſt. cap. 29. *Licinianus Carthaginis Spartariæ Epiſcopus in Scripturis doctus, cuius quidem nonnullas epiſtolas legimus; de Sacramento denique Baptiſmatis vnam; & ad Eutropium Abbatem poſteà Valentiæ Epiſcopum plurimas. Reliqua verò induſtriæ & laboris eius ad noſtram notitiam minimè peruenerunt. Claruit temporibus Mauricij Auguſti, &c.*

Licinianus Epiſcopus.

Ernulfus Roff.

Duas ERNVLFI ſiue Arnulfi Roffenſis Epiſcopi prolixas Epiſtolas, quæ potiſſimùm Eccleſiaſticam ſpectant diſciplinam, C. V. ac docto Emerico Bigotio Rotomagenſi debeo, qui perhumaniter è ſua celebri bibliotheca ad me illas deferri curauit. Quo de Auctore ita Guillelmus Malmeſburienſis Monachus: *Ernulfus natione Gallus apud Cœnobium ſancti Luciani in Bellouaco non paucum tempus Monachus egit. Sed cùm nonnulla plena inſolentiæ videret, quæ nec emendare poſſet, nec pati vellet, diſceſſum intendit: quæſito priùs à Lanfranco conſilio incunctanter facturus quicquid ille iubendum putaſſet. Ille qui hominis induſtriam calleret (nam & apud eum diu Becci ſtuduerat) perſuaſit vt ad ſe veniret, quia ibi animam ſuam ſaluare non poſſet. Venit ergo, & toto tempore Lanfranci Monachus apud Cantuariam, ab Anſelmo Prior ibidem, mox apud Burgum Abbas, à Radulfo Epiſcopus apud Roſam conſtitutus eſt. Graue*

De geſt. Pōt. Angl lib. 2. de Pont. Roffenſ. in fine.

*quidem memoratu quantæ probitatis & prudentiæ in omnibus officijs fuerit, &c. Vixit in Pontificatu aliquot dies ſuper nouennium, deceßitque quatuor & octoginta annos natus, multa probitatis ſuæ monumenta reliquit.* Anno Chriſti 1114. ad Epiſcopatum fuiſſe euectum tradit Simeon Dunelmenſis hiſt. de geſt. Regum Anglorum: *Anno 1114. &c. Arnulfus Abbas de Burk ad Roſenſem Eccleſiam eligitur.* Eum è vita diſceſſiſſe anno 1124. aſſerit Ioan. Bromtom in Chronico ad hunc annum: *Eodem anno Tenulfus Vvigornienſis Epiſcopus, & Arnulfus Roffenſis obierunt.* Franciſcus Goduvinus verbis Bibliothecarij Malmeſburienſis editis, ſubdit: *Conſecratus eſt Cantuariæ vnà cum Galfrido Herefordenſi Decembr. 26. 1115. Dicitur Eccleſiæ Roffenſis Hiſtoriam ſcripſiſſe, quam mihi nondum contigit videre. Obijt, vt videtur, menſe Martio 1124.*

Hiſtor. Angl. ſcriptor Antiq. to. 1.

Encyclicam tenebris obſitam Monachorum Burgidolenſium, Heruei Benedictini vitam ſummatim complectentem, perluſtrando MSS. Abbatiæ Clareuallenſis reperit Claudius Maillet Prior tùm Cœnobij Vallisſlucentis Ord. Ciſt. quocum qui congreditur nunquam non doctior euadit ac religioſior. Burgidolenſis porrò Abbatia Benedictinorum olim percelebris, nunc heu! à Chriſtiano Principe ſuſque-deque euerſa, in diœceſi ſita eſt Bituricenſi. Floruit Herueus Anſelmi Cantuarienſis (cui Commentarius Heruei in Epiſtolas Pauli perperam eſt attributus) ætate, quod non obſcurè indigitant Operum eius varij codices manu exarati,

Arnulſi Lexouienſis ſeptem Epiſtolas cùm è MS. codice Fulcardimontis Monaſterij, Ord. Ciſtercienſis, ab Abbate Iuliano de Paris, Doctore eruditiſſimo, & arctioris vitæ acerrimo propugnatore, ſibi conceſſo diſcuſſiſſet, ineditáſque reperiſſet Iacobus de Sainte Beufue, Theologiæ non tantùm Scholaſticæ peritiſſimus, ſed etiam antiquioris & abſconditæ diligentiſſimus indagator, notas mihi eſſe voluit, & benignè obtulit. Lege, ſi lubet, Annotatiunculas eiſdem Epiſtolis ſubiectas, pag. 502. & 505.

Mauricij Rotomagenſis Archiepiſcopi Epiſtolas ex quaternione Maioris monaſterij erutas, elucidabit fragmentum Chronici MS. Eccleſiæ Rothomagenſis in calce huius tomi poſitum. Eiuſdem Chronici poſſeſſor Carolus Baron Pariſinus, ingenuus iuxta & doctrinæ ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſus obſeruator, Fragmentum illud exſcripſit, atque edendum conceſſit. De Mauricio pauca hæc habe ex Indiculo Archiepiſcoporum Rotomagenſium, concinnato ab erudito viro Ioanne le Preuoſt Canonico Rotomagenſi, mihi dum in humanis verſaretur amicitiâ coniunctiſſimo: *Mauricius primùm Archidiaconus Trecenſis, ad Cenomanenſem poſteà Epiſcopatum ſpeciali Dei prouidentia per duorum contendentium ceſſionem aſſumptus, inde ad Rotomag. demum Metropolim aſſumptus Gregorij IX. auctoritate tranſlatus A. C. 1231. vitæ auſteritate & liberalitate in pauperes clarus moritur Salicoſæ A. C. 1234.*

Quanquam Odonis Canonici Regularis, viri in

diuina theoria exercitatiſſimi, ætatem me non tenere fatear, nihilominus Codicis quo vſus ſum characteres duodecimo ſeculo vixiſſe illum coniecturam ingerunt. Huiuſce religioſiſſimi Auctoris ſermones, non minori pietate quàm Epiſtolæ refertos, continet Corbeiæ MS. codex.

VARIA Galliæ Concilia è diuerſis Tabulariis atque Hiſtoriis MSS. à me collecta ſunt. Et primò quidem Priuilegium in Concilio Senonenſi ab Aldrico Archiepiſcopo conceſſum, & Diploma Ludouici, ac Priuilegium Venilonis Archiepiſcopi Senonenſ. illud Aldrici confirmantia, deſcribi curauimus ex Hiſtoria MS. quæ in Muſæo noſtro aſſeruatur, Victore Cottrono Auctore, nunc Priore in Monaſterio Ferrarienſi Congregationis S. Mauri, qui in concinnandis Hiſtoriis è Regum diplomatibus, è litteris ſummorum Pontificum, aliiſque Chartis antiquioribus non parùm temporis inſumpſit & operæ: Hiſtoriis, inquam, Monaſteriorum Senonenſium S. Remigij, S. Leonis, aliàs SS. Geruaſii & Protaſii, B. MARIÆ de Charneyo, & aliorum; præſertim verò inſignis Abbatiæ & perantiquæ S. Germani Autiſſiodorenſis, quas Deo fauente publico bono haud inuidebimus. V. VARIA Galliæ CONCILIA.

Priuilegium apud Piſtas indultum præfato S. Germani Cœnobio commodauit idem Cottronus. Ne quis autem hæreat, premendum ſilentio minimè eſt, parachroniſmum in ſubſcriptionibus Priuilegij ab Vvenilone aſſerti ſubrepſiſſe: ſiquidem nomina ſupponuntur Epiſcoporum, quæ Aldrici Priuilegio adſcribi debuerant; verbi gratia, Adal-

berti Tricaſſium, Iurſmari ſiue Vrſmari Turonenſis, & Simonis Laudunenſis; at Rurici nomen hactenus inauditum; Paulus enim tum Rotomagi Sedem occupabat. Atqui ob ſimilitudinem contextus Priuilegij vtriuſque hallucinatum fuiſſe librarium par eſt credere.

Concilium Auſcenſe ex membranis Abbatiæ Cluniacenſis, quæ cum blattis ac tineis iam diu rixabantur excerptum eſt. In eo eximuntur à ſolutione quartæ partis decimarum Monaſteria, quæ pendent à Cœnobio S. Orientij Auſcenſis.

Acta Concilij Beluacenſis A. C. 1114. celebrati, præſidente Conone Epiſcopo Præneſtino, & Apoſtolicæ Sedis Legato, ex parte damus in lucem, vt fert epigraphe Cod. MS. Bibliothecæ S. Michaëlis in periculo maris, ad hunc modum: *Ex geſtis Beluacenſis Concilij.* Meminit Concilij Beluacenſis Guibertus de Nogento lib. 3. de vita ſua, cap. 16. in fine, vbi de hæreticis Manichæorum ſectæ adhærentibus hac ipſa tempeſtate exortis atque extinctis agit: *Intereà perreximus ad Beluacenſe Concilium conſulturi Epiſcopos quid facto opus eſſet.* Meminit quoque Appendix ad Sigibertum, quæ Roberti de Monte nomine falsò circumfertur: *Anno* 1114. *in Ciuitate Beluacenſi à Conone Sedis Apoſtolicæ Legato Concilium celebratur. Hic eſt Cono.* &c. & Nicolaus Monachus Vitæ S. Godefridi Ambianenſis lib. 5. cap. 5. & ſeqq. Clarius infra. pag. 765.

Habitum itidem eſt aliud Concilium Bellouaci eodem Conone Legato, An. 1120. (quod Scriptores hactenus præteriuit) vti ſcriptis mandauit

Liſiardus Sueſſionenſis Epiſc. in vita MS. S. Ar-
nulfi deceſſoris ſui, cap. 15. de Eleuatione corporis
eius.

Hæc & alia ſupernæ patriæ documenta poſt- “
quam ad aures Domni Lamberti, ſiue ad notitiam “
deuoti populi latiùs peruenerunt, idem Epiſcopus “
iniit conſilium in Concilio Beluacenſi quintode- “
cimo Kalend. Nouembris cum quibuſdam Coë- “
piſcoporum ſuorum, quid facto opus eſſet ad tan- “
tam Dei magnitudinem. Intererant ibi Epiſcopi “
Francorum VVILLELMVS Catalaunenſis Co- “
lumna Doctorum, GAVFRIDVS Carnotenſis “
Epiſcopus, DAIMBERTVS Senonenſis Archie- “
piſcopus, Aurelianorum Epiſcopus, Pariſiorum “
Epiſcopus, PETRVS Beluacenſis Epiſcopus, AN- “
GELRANVS Ambianenſis Epiſcopus, ROBERTVS “
Atrebatenſis Epiſ. IOANNES Morinorum Epiſ- “
LAMBERTVS Tornacenſis Epiſ. BORGARDVS “
Cameracenſis Epiſc. BARTHOLOMÆVS Laudu- “
nenſis, LISIARDVS ego indignus Sueſſionenſis “
Epiſc. Abbatum, Archidiaconorum, Præpoſito- “
rum, & copioſa Cleri multitudo: Inter cęteros au- “
tem affuit ipſe Aldenborgenſis Abbas, ferens in “
manibus Libellum de Vita & moribus, miraculo- “
rúmque geſtis ipſius S. Arnulfi: quem libellum “
ego de manibus eius accipiens aperui, & apertum “
obtuli Epiſcopis, dicens: Ecce Domni Libellus “
ipſe, qui me conſcio, méque auctore de vita eius “
conſcriptus eſt, cui quod vera ſunt omnia quæ “
narrat, teſtimonium in fide perhibeo, & de cuius “
miraculis, & hîc quoſdam, & domi plures valde “

„ teſtes veraces adhibeo. Hunc Libellum poſtulo à „ vobis diligenter conſiderari, vt ex eius notitia va- „ leatis quid de illo agendum ſit meliùs informari. „ Veſtra autem Sanctitas audiat iudicium meum, „ quoniam ſi in Diœceſi mihi commiſſa pauſaret, „ longum eſt quod in terra non iaceret. Tunc Vvil- „ lelmus Catalaunenſis Epiſcopus accepit Libellum, „ & inſpiciens à principio vidit numeroſitatem ca- „ pitulorum, & ait ad Epiſcopum Tornacenſem: „ Domne quid amplius quæritis? abſque Libello „ iſto ſufficit vobis teſtimonium Domni Epiſcopi „ Sueſſionenſis, & Clericorum eius, debet vobis ma- „ gnam fiduciam præbere iſte talis Abbas, cuius & „ ætas ſuſpicienda eſt, & prudentia beneplacet: Li- „ bellum verò iſtum, quia Synodalibus negotiis oc- „ cupamur, percurrere non vacat. Ioffredus Epiſco- „ pus Carnotenſis ait: Domne Tornacenſis dico vo- „ bis in veritate, ſi Dominus talia vel ſemel feciſſet „ circa aliquem prædeceſſorum meorum, ego nec „ Papam, nec Legatum, nec vel Archiepiſcopum „ conſulerem.

„ Interim dum hæc ab Epiſcopis decernuntur, qui- „ dam nobiles Magiſtri Scholarum acceperunt Li- „ bellum, & curſim perlegerunt quædam geſtorum „ capitula. Quidam ergo eorum concurrentes vbi „ erant Epiſcopi, cum magna conſtantia fatebantur: „ Reuera ex Deo non eſt qui huius Sancti exalta- „ tioni contrarius eſt. Tunc Guillelmus Catalau- „ nenſis Epiſc. ait: Per Deum turpe eſt, quòd de „ re tam aperta dubitamus; Vnde vos Domne Tor- „ nacenſis cum Domini gratia, remota omni ambi-

guitate

guitate, ſtatuite diem quo ad locum conueniatis, & ſanctum Domini ſeruum de terra eleuando honorificè recondatis. Lambertus Epiſcopus ait: Ecce Legatus in hac ipſa Baſilica cũ noſtro Archiepiſcopo Remenſi, vel Turonenſi, eminus reſidet, rogo vos, placeat vobis ante illos venire, & veſtram ſententiam illorum iudicio confirmare. Epiſcopi dixerunt: In nomine Domini fiat. Vt ventum eſt, Lambertus Epiſcopus dixit Domno Catalaunenſi: Rogo agite cauſam meam. Cúmque ille breui facundia ante Legatum & Archiepiſcopos cauſam explicuiſſet, tam Legatus CONON, quàm & Remenſ. Archiepiſcopus vna voce reſponderunt: Iudicium veſtræ auctoritatis plenè ſuſcipimus, & Decretum veſtri conſenſus roboramus. Ita Epiſcopus Lambertus conuocans Abbatem deſignauat diem quò Aldenborg conueniret, id eſt, Calendis Maij, & viri Dei corpus ſanctum de humo leuatum iuxta morem Gallicanæ Eccleſiæ, ceu reuera ſanctum, reponeret. Dedit etiam literas cum ſigillo, quibus omnem Tornacenſis diœceſis populum ad tam ſanctum officium conuocaret.

Fama volans paſſim celeri currente meatu<br>
Diuerſos populos has ſedes viſere fecit.

Taceamus de Flandria, Vvalachrenſes, Scoldanij, Beuelandenſes, Antuerpienſes, Texandriani, Vvaſiani, Brabantini, Menapenſes, Morinenſes, Bolonienſes, vel cæterarum regionum plebes vbertim affuerunt. Tempore itaque præſtituto aduenit Epiſcopus cum Tornacenſi Archidiacono honorabili Rotberto, & magno copia Cleri. Et prælato crucis

„ trophæo, allato quoque Sacri Euangelij corpore,
„ cum cereis & odoribus, concinente populo; aperitur tumulus, &c.

„ Itémque cap. 18. annus quo geſta ſunt iſthæc, „ nempe paulò poſt peractum Cōcilium, deſignatur. „ Facta eſt autem hæc S. Arnulfi Tranſlatio prima die „ Maij, Indict. XIV. ſub anno Dominicæ Incarnationis „ milleſimo centeſimo vigeſimo primo, Francorum „ ſceptra tenente LVDOVICO Filio Philippi „ annis quatuordecim, Flandriæ Comitatum agente „ CAROLO filio Regis Danorum, cuius vxor fuerat „ filia RODBERTI Comitis, Cœnobium Haldenborgenſe „ regente ARNVLFO Abbate per annos iam ſexdecim, „ &c.

Extabat vita S. Arnulfi in cod. MS. Abbatiæ Longipontis Ord. Ciſt. quam, ſi Deus voluerit, dabimus cum aliis Benedictinæ Familiæ Beatis.

Concilia Compendium, Anno 1085. & 1086. necnon Pariſios 1095. de quibus eſt apud ſcriptores altum ſilentium, conuocata fuiſſe produnt tria priuilegia Monaſteriis Compendienſi Benedictinorum, & Ambianenſi Canonicorum Auguſtinianorum collata, quæ pridem è Chartulariis earumdem Abbatiarum depromſerat quidam noſtræ Congregationis Aſceta, & ſuæ hiſtoriæ tum ſæculari, tum Eccleſiaſticæ (multo labore à ſe conſcriptæ) inſeruit, ac poſtmodum mihi amicè indicauit, miſítque Pariſios.

Decreta Iuhelli Turonenſis Archiepiſcopi in membranis fermè obliteratis Abbatiæ Maiorismonaſterii latitabant. Nulla illorum, quod ſciam,

apud Auctores ſit mentio.

Concilia Auenionenſe, Toloſanum, Albienſe, Monſpelienſe, Formam iuramenti Conſulum Monſpel. Decretum Synodi anonymæ, binos denique proceſſus contra Petrum Aragoniæ Regem, ſubminiſtrauit codex Monaſterii Anianæ in Diœceſi Monſpelienſi, ſed mendis ac ſolœciſmis, inſcitiâ haud dubiè amanuenſis, conſpurcatus, quę vel exterſi, vel vbi contextus remoram iniecit, margini ſubinde coniecturas appinxi. Ea iamdudum deſcripſerat è ſodalitio S. Mauri Odo de la Mote, vir ſanè dum vitam ageret inuicto prorſus animo in veteribus monumentis ex ruderibus Monaſteriorum, Eccleſiarúmve, Aquitaniæ potiſſimùm egerendis: quibus vbertim adiuuit illuſtriſſ. Scriptores Henricum Spondanum, atque Andream Du Sauſſay; necnon & Sammarthanos fratres, alióſque non paucos. Sangermano hoc etiam in Monaſterio eius aduerſaria reconduntur abundè multa.

De Concilio Auenionenſi Petrus Valliſſarnenſis nonnihil innuere videtur his verbis: *Super duobus quibus maximè impetebatur criminibus* (Raymundus Comes Toloſanus) *ſuper morte videlicet Legati fratris Petri de Caſtronouo, & ſuper crimine hæreſeos, ſuper quas purgationes miſit Dominus Papa litteras ſuas Epiſcopo Regienſi in Prouincia, & Magiſtro Theodiſio &c.* Atqui Concilium iſtud ſæpiùs fuiſſe intermiſſum non ita obſcurè demonſtrant ipſi Hugo Regienſis, & Theodiſius, cùm in Epiſtola ad ſummum Pontificem mandati reddunt rationem ad Hiſt. Albigenſ. cap. 33.

Tom 5. hiſt. Du-cheſnii, p. 737. hunc modum: *Poſtquam autem à Beatitudine veſtra hoc anno recepimus ſuper eodem negotio iteratum mandatum, licet à Comite ipſo nunquam fuerimus requiſiti, apud Auinionem ciuitatem in Prouincia continuo vocauimus Eccleſiarum Prælatos, quorum conſilio & deliberatione mandatum veſtrum tutius exequi valeremus. Verùm ego Theodiſius grauiſſima infirmitate præuentus, & multi ex Prælatis, quia generalis corruptio aëris ibi erat, nequiuimus colloquio intereſſe, ſicque factum eſt, vt neceſſariò negotium differretur, &c.* Tandem verò peractum illud Concilium ab iiſdem Iudicibus delegatis, non eſt quod in dubium reuocetur.

Hiſt. cap. 40. Concilii Toloſani texuit hiſtoriam Guillelmus de Podio Laurentii, atque epocham anno 1220. præfigit (alii veriùs reiiciunt ad an. 1228.) *Poſt pacem autem Pariſius*, ait ipſe, *celebratam in fine anni, in ſequenti anno Domini* 1229. *menſe Iulij per Magiſtrum Petrum de Collomedio fuit reconciliata ciuitas Toloſana, &c. Idémque Legatus ibidem Toloſæ poſt æſtatem Concilium celebrauit, cui interfuerunt Narbonenſis, Burdigalenſis, Auxitanenſis Archiepiſcopi, & Epiſcopi multi, & alij Prælati. Item adfuerunt Comes Toloſanus, & alij Comites præter Fuxenſem; Barones, & Seneſcallus Carcaſſonæ, & Conſules Toloſani duo, vnus de Ciuitate, & alius de burgo, qui ſtatuta pacis in totius vniuerſitatis animam iurauerunt, & tam Comes, quàm cæteri, illud approbauerunt, & fecerunt, & idem fecit poſteà tota terra.* Alia in Concilio peracta fusè perſequitur idem Auctor, quem conſule, ſi lubet. Chronicon vulgò Simonis Comitis

Montis-fortis, Concilium Toloſanum refert ad annum 1229. habétque ita: *In ſequenti anno Domini 1229. menſe Iulij per Magiſtrum Petrum de Collo-medio gerentem vices Legati fuit reconciliata ciuitas Toloſana.* Deinde ſubiicit: *Idem Dominus Legatus ibidem Toloſæ poſt æſtatem Concilium celebrauit ſub anno eodem prætextato 1227. (immò 1229. vt ſupra) cui interfuerunt, &c.* Acta illiuſce Concilij ſe vidiſſe ſcribit Spondanus Annal. Eccleſ. ann. 1228. n. 11. *Sunt autem,* inquit, *ſexdecim Capita valde ſeuera de modis detegendi, inquirendi, & puniendi hæreticos, &c.* Nos verò, quandoquidem capitibus Concilium haud erat in codice noſtro diſtinctum, octonis duntaxat ad margines diſtribuendum cenſuimus. Tom. 5. hiſt. Ducheſnii pag. 777.

Albienſe Concilium fuiſſe celebratum anno 1254. conſtat ex MS. Eccleſiæ Arelatenſis, acta Concilij referente. Initium ab eruditiſſimo Henrico Suarés excerptum fratres Sammarthani Archiepiſcoporum Auenionenſ. ſeriei interſeruêre in Zoen 47. Archiepiſcopo: *Concilium Albienſe factum à Domino Zoen, &c. congregatum apud Albiam 1254. iuſſu Ludouici Francorum Regis.*

Ambos proceſſus contra Petrum Aragoniæ Regem, cùm ad res Gallicanas attineant, nimirum ad Carolum Siciliæ Regem, regio ſanguine oriundum Principem, puta S. Ludouici germanum, variis iſtis Galliæ Conciliis ſubnectere haud alienum viſum eſt. Porrò Petri Aragonenſis, Eccleſiæ infenſiſſimi perduellis, res infeliciſſimè geſtas, non eſt quòd recudam: tot enim ante me

ſcriptores id peregêre, vt actum agere videtur, Conſulendi ex multis Spondanus ad an. 1252. n. 2. 1282. n. 2. & ſeqq. Odoricus Raynaldus de Orbe literario meritus quàm optimè, qui horrendam Petri tragœdiam ex antiquioribus ſchedis recenſet.

Ad vltimum attexta ſunt Synodi Aurelianenſis Geſta, ſpectante Roberto Francorum Rege, è veteri * aganone, hoc eſt, Chartulario S. Petri Carnotenſis in Valle. Synodum iſtam paucis refert Clarius in Chronico pag. 740. *Sub ipſo tempore exorta eſt magna hæreſis, noua & inaudita in vrbe Aurelianenſi. Quapropter accerſiens Rex Archiepiſcopum* (Senonenſem) *iuſſit congregari in eadem vrbe Synodum, &c.*

* *Antiquatum verbum.*

Varia iterum Galliæ Concilia reperies infra in Chronico S. Petri Viui: nempe pag. 712. Conuentum apud Piſtas an. Ch. 869. pag. 715. Synodum Pontigonenſem an. 866. pag. 731. Synodum Senonenſem anno 880. pag. 733. Synod. in Magduno an. 891. & alia, quæ videbis in Indice rerum, verbo *Concilium.*

VI. Vita S. Romanæ. S. Petri de Chauanon.

Vitas S. Romanæ Mart. & S. Petri de Chauanon Canonici Ord. S. Auguſtini, communicauit anno proximè euoluto Nicolaus de Boiſſy, Congregationis Gallicanæ Canonic. Regg. Prior in Abbatia S. Quintini Beluacenſis, ob egregias animi dotes, atque accuratam clauſtralis diſciplinæ obſeruantiam non infimæ apud ſuos notę. Communicauerat & in vitas reconditæ eruditionis obſeruationes, vnáque ſeriem Præpoſitorũ ſiuę Abbatum S. MARIÆ

de Piperaco Diœceſis S. Flori. Attamen cùm inſtituti mei non ſit edendo vetuſtos Scriptores prolixas texere Annotationes, vtraque ſuppreſſi.

Hildeburgis Galardonis dominæ vita ex ampliſſimo Chartulario S. Martini Pontiſarienſis paucis abhinc menſibus exſcripta eſt. Hildeburgem genere & ſanctitate nobilem Sanctiſſimo Abbate S. Martini Theobaldo vixiſſe inter alia fidem facit eius vita; mortalia verò deſeruiſſe Cœlitibus ſociandam, Regni Francorum habenas moderante Ludouico ſeptimo. Etenim Goëllus cùm negotium Monachis Pontiſarenſibus faceſſeret, vſurparétque bona quædam à matre ipſis erogata, tandem in ſomnis admonitus *vno anno poſt tranſitum religioſæ ſanctimonialis* (nimirum Hildeburgis) ea vltrò reddidit, Donationémque actutùm confirmari voluit ab Rege anno 1116. Legeſis vitam pag. 689.

Chronicon S. Petri Viui Senonenſis, cuius Auctor CLARIVS Floriacenſis primùm, pòſt eiuſdem Abbatiæ S. Petri Monachus, clam ſublatum fuerat, aſt tandem mihi ab amico, qui inter Literatos dum viueret facilè primas tenebat, reſtitutum. Illud meâ cura deſcriptum contulit cum aliis poſterioris æui Auctorum chronicis, & chartis Monaſterij præfati, ſodalis meus Hugo Mathou Senonis moram trahens. Expunximus illo ex Chronico toties ab antiquioribus Euſebio, Gregorio Turonenſi, Sigiberto, & aliis repetita, ea potiſſimè quę Francorum Regni primordia antecedunt. Menda porrò quæ lima & vngue indigent, eruditi Lectoris cenſuræ (velut & ſubſequentium Chronicorum)

VII. Chronica, S. Petri Viui.

reliqui. Clarium hoc ornat encomio Gaufridus à Colone S. Petri familiæ itidem alumnus, de Concilio agens Beluacenſi in Tabulis Chronologicis, cui Clarius ipſe adfuit Archiepiſcopi Senonenſis & Archimandritæ ſui nomine: *Pro Domno Senonenſi Archiepiſcopo, & pro ſe, miſit* (Abbas) *Monachum nomine Clarium, valde bene literatum: qui Monachus bene illos excuſauit.* Chronicon iſtud tanti fecit Auctor Chronologiæ S. Mariani Robertus Autiſſiodorenſis, vt verba ipſiuſmet Clarij, ſuppreſſo licet nomine, res Senonenſes præſertim agitando, paſſim vſurpet.

S. Medardi. Chronicon S. Medardi Sueſſionenſis refero acceptum Antonio de Vion Domino d'Herouual, viro humaniſſimo, cuius ſtudium in hoc totum eſſe videtur, vt eruditos quoſque ipſe eruditus vetuſtioribus eiuſcemodi mercibus obſtringat, ditétque.

S. Dionyſii. Chronicon S. Dionyſii in Francia deſcripſit, vulgandúmque tribuit eiuſdem Abbatiæ Cœnobita, qui explorandis eiuſdem Baſilicę monumentis ſtudium impendit & operam.

Poſtremo loco additæ ſunt Epiſtolæ duæ Hincmari Remenſis, & Fulberti Carnotenſis Epiſcopi, quòd ſeriùs eas acceperim, quàm vt ſuis in locis potuerint ordinari: Priorem Doctiſſimo Petro de Lande S. Frambaldi Siluanectenſis Theſaurario; Alteram verò Hieronymo de Sainte Beufue Iacobi germano, qui antiquitatis ſtudioſus eſt, ac peritus me debere profiteor.

In promptu erant, vt ſcias Lector, Chronicon Vizeliacenſe,

Vizeliacenſe, vita Adalberonis Epiſcopi Metenſis, & alia. At verò cùm iam volumen vltra modum excreſceret, ab editione animum, manúmque ſubtraxi. Pari quoque ratione ductus Tabulas Chronologicas rerum Senonenſium præcipuè ſeriem exhibentes, Auctore Gaufrido à Colone iam laudato, prolixis ac doctis Annotationibus Hugonis Matthou (cuius in Pullum Cardinalem Obſeruationes Theologicæ viris eruditioribus non ignotæ) illuſtratas, amandaui, Hiſtoriæ Monaſterij Senonenſis (cui contexendæ labore indefeſſo ille ipſe nauat operam) ſubiiciendas.

Cur autem ſæpiuſculè chronologico ordine inuerſo prodeant Auctores, cauſam attuli initio Præfationis ad Tomum I. Spicilegij, quâ Lectori, vt ſpero, fiet ſatis. Verùm quocumque modo in hocce tomo ſecundo emittantur in lucem, his vtere, Lector, eo quo tibi à me offeruntur animo, ad publicum priuatúmque bonum, atque ad Eccleſiæ fauſtum incrementum. Et quæ vel diligentiam meam fugiſſe, vel currente calamo prælóque aduerteris errata, iis deletilem ſpongiam benigna manu, precor, adhibeto.

# PETRVS DE MARCA ARCHIEPISCOPVS TOLOSANVS, R.P. Domno LVCÆ D'ACHERY Monacho S. Benedicti, & Bibliothecario ſancti Germani à Pratis.

## S. P.

CVM nudius tertius in inſtructiſſima illa S. Germani bibliotheca, quam animo tuo complecteris, incidiſſet inter nos ſermo de Ratramni Opere aduerſus errores Græcorum, quod publici iuris facis; déque aliis compluribus mediæ & ſequioris ætatis ſcriptoribus, quos vel iam è codicibus manuſcriptis in lucem edidiſti, vel porrò tuo labore quotidie publicare pergis in magnum rei literariæ commodum, à me poſtulaſti quænam eſſet mea ſententia de Bertrami Preſbyteri Tractatu, quem aliqui Ratramno tribuunt. Illud præcipuè te ad inquirendum mouebat, quòd libri illius anceps vel potiùs damnata ſit fama apud eruditos, qui tamen ægrè ferunt, quòd ſub veteris Preſbyteri titulo, Nouatores de Catholica fide triumphos ſibi agere videntur, ac ſi eorum hæreſis in Euchariſtiæ explicatione, quam Bertrami commentis non abſimilem putant, ideò probata eſſet, quod ab eiuſdem vel poſterioris æui tractatoribus non ſit improbata; ſaltem cùm temporibus Berengarij ortæ hac de re diſputationes, vt locum dabant Ioannis Scoti damnationi, ſic etiam Bertramo proſcribendo dediſſent. Non poſſum deeſſe huic iuſtæ petitioni: cui vt ſatisfaciam ponere debeo, & in vnum corpus compingere quæ ſunt in anteceſſum dicenda, vt ſententiæ meæ fidem faciam.

Paſchaſius Abbas Corbeienſis anno 818. Eccleſiæ Catholicæ fidem de myſterio Euchariſtię, & de illa quæ fit rerum ſenſibilium mutatione per potentiam Spiritus ſancti in corpus & ſanguinem Chriſti ex Virgine natum, luculento libro

explicuit. Vſus autem eſt homo Græcæ linguæ peritus eo loquendi genere, quod alienum non videbatur ab iis locutionibus quas Orientalis Eccleſiæ Epiſcopi ea tempeſtate vſurpabant; Germanus ſcilicet & Nicephorus Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui quidem Anaſtaſium Sinaïtam Patriarcham Antiochenum ſexto ſæculo florentem, in huius ſacramenti patefacienda veritate ſequentes, ſymbola panis & vini per ſanctificationem abſque vllo quantitatis & ſubſtantiæ diſcrimine, tota & integra in corpus & ſanguinem Chriſti mutari docebant. Enimuerò viri quidam graues & eruditi, Heribaldus ſcilicet Autiſſiodorenſis Epiſcopus, & Rabanus Monachus, poſtmodum Moguntinus Archiepiſcopus, qui modum interpretandæ mutationis iuxta ſententiam Ambroſij & Auguſtini amplectebantur, ſtatim contrariis aduerſus Paſchaſium ſcriptis certauerunt, non in eo quod attinet ad veram mutationem, ſed ad illius modum. Iſti quippe putauerunt diuidendum eſſe ſacramentum in duas partes ex quibus componitur, ſcilicet in formam panis & vini, quæ reſidua eſt poſt conſecrationem, ex quantitate, qualitatibus, & proprietatibus nutrientibus compactam, atque in carnem & ſanguinem inuiſibilem, & ſpiritualem Domini noſtri ex Virgine natam, quæ per conſecrationem conficitur, quæque ſpeciebus externis coniuncta, ſacramentum eſt carnis crucifixæ, cuius immolationem olim verè factam nunc in Euchariſtia per myſterium repræſentat. Quare non dubitauit Rabanus in Epiſtola quam ſcripſit ad Egilonem Abbatem anno 822. ſic formam ſymbolorum tueri, vt delata in ſtomachum, verti in alimentum corporis, atque *ſeceſſui obnoxia eſſe* aſſereret.

Deſideratur quidem Epiſtola Rabani, ſed eius ſententiam nos docuit auctor Anonymus (quem MS. ſeruant plutei Bibliothecæ S. Germani) cui fides in eo habenda quòd Rabanus ipſe alibi mentem ſuam diſertiſſimè aperiat; quam firmare potuit Irenæi verbis. Hæc ſunt Rabani verba lib. 1. de Inſt. Cleric. cap. 1. *Sacramentum in alimentum corporis redigitur.* Iren. l. 5. cōtra hær. c. 20.

Obſeruandum tamen eſt modeſtè & verecundè locutum Rabanum. Non enim ſcripſit ſacramenta reipſa in ſeceſſum ire, ſed *illi obnoxia eſſe*, vt teſtatur Anonymus, id eſt

eius eſſe conditionis, vt in ſeceſſum ex natura ſua deijci poſſint. Quod tamen ipſum velut immane facinus ea tempeſtate plerique auerſabantur, præſertim illi qui quantitatem cum ipſa ſubſtantia ſymbolorum mutatam putabant. Quare necdum Algeri Leodienſis temporibus, id eſt poſt trecentos annos, huic Rabani doctrinæ aſſueſcere poterant pij homines, licet plenior & facilior inualuiſſet ſpecierum ſacramentalium à vero Chriſti corpore & ſanguine diſtinctionis traditio. Tanta erat penes fidelium animos myſteriorum hac in parte veneratio, quæ hodie ſuperſtitioni, ne duriùs loquar, deputari periclitaretur. Solus Origenes docuerat olim, in fragmento Commentariorum in Matthęum quod edidit Eraſmus, *Corpus Chriſti typicum & ſymbolicum iuxta id quod habet materiale, non ſolùm in ventrem abire, ſed etiam in ſeceſſum eijci.* A quo longiſſimè diſceſſit Chryſoſt. cuius eſt hoc effatum de pane & vino conſecratis: *Non ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt. Abſit: Ne hoc cogites.*

Chryſ. hom. de pœnit. in Encæn.

Alteram diſputationem mouit Rabanus aduerſus Paſchaſium, quæ difficilioris videtur eſſe tractationis, aliud eſſe nempe corpus Chriſti paſſum, ab eo quod eſt in ſacramento, vt ſcribit Anonymus; cuius etiam opinionis veſtigia ſuperſunt in Pœnitentiali Rabani: iuxta quam Ratramnum quemdam ſcripſiſſe ad Carolum Regem refert idem Anonymus. Verumtamen pars iſta diſputationis pendet à priori. Poſita quippe quam Paſchaſio adſcribebat opinione, quantitatem panis ſcilicet mutari cum ſubſtantia in corpus Chriſti, ſequebatur corpus quoque ipſum eſſe extenſum, pro modulo quo panis fuerat anteà extenſus. Atqui ex Ambroſio & Auguſtino corpus Chriſti in myſteriis eſt ſpirituale, & inuiſibile. Atque *illo modo*, aliud eſt à corpore nato & paſſo, vt ijdem illi auctores docent, vnà cum Hieronymo. Differentiam quippe petunt; non à ſubſtantia, quam diſertiſſimis verbis eamdem agnoſcunt in corpore mortali, & eodem prout eſt in myſteriis, ſed à *ſolo modo*, quo ſpirituale & inuiſibile diſcernitur à corporali & inuiſibili. Quod vberiùs oſtendam in Diſſertatione de veritate mutationis, quam vocant Tranſſubſtantiationem, in Euchariſtia, vbi genuinum quoque Paſchaſij ſenſum de modo mutationis enarrabo. Hoc vnum iſto

loco adnotaſſe ſufficiet, in ſumma conuenire Rabano cum Paſchaſio, quod attinet ad veram Eccleſiæ Catholicæ fidem, de mutatione in verum corpus & ſanguinem Chriſti.

Orthodoxorum hominum contentiones iſtę occaſionem præbuerunt nouæ cuidam & hæreticæ opinioni, quę Rabanum affectari videbatur, in retinendis ſacramentorum proprietatibus, & in diſtinguenda carne myſtica, à corpore crucifixo, ſed per has rimas meram hæreſim inſerebat. Docebat enim corpus Chriſti verum, quod paſſum eſt in cruce, non celebrari in altari, ſed tantum illius ſacramentum, quod erat corruptibile, atque tantummodò myſterium & ſignum, cum quadam virtute & efficacia; Itaque nudam eſſe in ſacramento figuram, & ſpeciem, non veritatem corporis, quod ſola fide percipiebatur. Huius opinionis auctor fuit Ioannes Scotus, ſiue Erinigena, vir ex Hibernia delatus in Galliam, qui Regis Caroli Calui amicitiâ cùm honeſtaretur ob eruditionis famam, & Latinæ Græcæque linguę peritiam, ab eo interrogatus de hac quæſtione, tractatu ad Regem tranſmiſſo, ſub veterum Patrum nomine, ſua commenta patefecit. Id vnum modeſtiæ retinuit, quòd profeſſus ſit in epiſtola libello præfixa, ſe non Eccleſiæ tunc vigentis fidem, ſed quid ipſe de hac quæſtione ſentiret ſecundum veteres explicare. Enimuerò quoniam videbat ſe nouitate ſua inceſſere vetuſtatem, diſſimulato Ioannis proprio nomine, ſub larua Bertrami ſiue Ratramni latere curauit, aſſumpto nomine iſto quod operi præfixit. Sed perſona iſthæc illi detracta fuit in Concilio Vercellenſi, vbi ſub proprio nomine Ioannis Scoti doctrina illius & anathemate, & deinde in Romana Synodo igne damnata fuit.

Sentio me noua quædam & hactenus inaudita prodere, qui libellum Bertrami nomine à Proteſtãtibus publicatum, & Ratramno tributum à Sigeberto & Trithemio, illi nunc abiudicem, & vindicem Ioanni Scoto, præſertim cùm Anonymus hanc opinionem Ratramno cuidam tribuere videatur, nulla Scoti mentione facta. Attamen certiſſimis teſtimoniis hoc euinci poſſe puto, quòd ſi à me confectum fuerit, non erit cur de Bertramo nondum damnato ab vlla Synodo Proteſtantes ſibi ſubblandiantur.

Antequam verò probationem inſtituam, obſeruanda eſt

origo conflictionis quæ Bertramo cum Paſchaſio interceſſit: eáq; deſumenda ex epiſtola quam Bertramus *Carolo Magno* diſertè inſcribit, id eſt Carolo Caluo, quem adulatoriis verbis *Magni* cognomento ad exemplum Aui Caroli Imperatoris exornat. Ea quippe in Epiſtola ſcribit ſe *Principis imperio* adactum, vt ei ſignificaret mentem ſuam de myſterio corporis & ſanguinis, ob quod *non paruo ſchiſmate* diuiſos eſſe fidelium animos docet. Varietatem opinionum ponit, de quibus conſulebatur, quæ Paſchaſio & Rabano ducibus fideles populos in duas veluti factiones ſcindebat, ſéque demum pugnantibus velut arbitrum à Principe delectum permiſcet: *Dum enim quidam fidelium*, inquit, *corporis ſanguiniſque* (deficit vox ſacramentum) *quod in Eccleſia quotidie celebratur, dicunt quòd nulla ſub figura, nulla ſub obuelatione fiat, ſed ipſius veritatis manifeſtatione peragatur. Quidam verò teſtantur, quod hæc ſub myſterij figura continerantur, & aliud ſit quod corporis ſenſibus appareat, aliud autem quod fides aſpiciat, non parua diuerſitas inter eos eſſe dignoſcitur.* Prior opinio Paſchaſij ſententiam exprimit, qui, vt ſuperiùs dixi, videbatur Rabano & aliis, Orientalium more, mutationem ſubſtantiæ & quantitatis Latinis incognitam profiteri: quod deinde Berengarium impulit vt ſcriberet in Epiſtola ad Aſcelinum de Paſchaſio: *Solus ſibi confingit ſacramento Dominici corporis decedere panis omninò ſubſtantiam*, ſcilicet integram cum quantitate.

Secunda verò ſententia, quam exponit Bertramus, pertinet ad Rabanum, qui externa ſacramentorum forma cum proprietatibus nutriendi manente integra, panis ſubſtantiam in corpus Chriſti verum, ſed præſens, modo ſpiritali & inuiſibili mutari contendebat. Quod attinet ad præſentiam non diſſimulat Bertramus quin illam docuerit Rabanus, *contineri nempe corpus & ſanguinem ſub myſterij figura.* Ille autem ſic dirimit litem de modo mutationis excitatam, vt veritatem corporis in ſacramento *præſentis* tollat. Veteratoriè tamen ſe gerit in hac opinione ſua explicanda, quam veterum Patrum verbis ſic inuoluit, vt antiquam fidem ſpirare videatur. Sed Scholiis ſuis dolo malo adhibitis, & Patrum quos laudat genuinum

ſenſum euertit, & quandóque teſtimonia quibus vtitur eâ in parte quæ ſibi ſunt aduerſa mutilat. Fraudis iſtius exemplum ſumam ex Ambroſij loco quem profert ex c. 9. *De his qui myſteriis initiantur: Vera vtique caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: verè ergo carnis illius ſacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Ieſus, Hoc eſt corpus meum.* Quibus verbis gloſſema ſuum ſubiungit: *Diſtinguit ſacramentum carnis à veritate carnis.* Sed poterat temperare abhac impietate, ſi locum integrum adiunctis ſuperioribus verbis recitaſſet, *Hoc quod conficitur corpus ex Virgine eſt*: vbi maniſeſtè docet Ambroſius per conſecrationem confici verum corpus quod eſt ex Virgine, quod cum externa forma panis coniunctum, eſt ſacramentum carnis crucifixæ & mortuæ pro ſalute hominum. Ex quo diſcere poterat Bertramus, quàm falſæ & hæreticæ opinioni ſe implicaret, negando carnem Chriſti myſteriis contineri, ac proinde non eamdem eſſe cum carne quæ nata eſt ex Virgine.

Non potuit ferre inſanam iſtam nouitatem Paſchaſius, quam editis in cap. 26. Matthæi commentariis ex propoſito refellit: iterúmque teſtimoniis confirmat, quod in priore Tractatu docuerat, ipſam quæ nata eſt ex Maria Virgine carnem eſſe in myſterio Euchariſtiæ, non tantùm in virtute, ſed etiam in proprietate naturæ. Scripſerat enim Bertramus, *Non in ſpecie, ſed in virtute, corpus & ſanguis Chriſti exiſtunt, quæ cernuntur*: quod variis argumentis probare pergit. Quæ ſtylo ſatis acri Paſchaſius diſtringit his verbis: *Audiant qui volunt extenuare hoc verbum corporis, quod non ſit vera caro Chriſti, quæ nunc in ſacramento celebratur in Eccleſia Chriſti, neque verus ſanguis eius, neſcio quid volentes plaudere aut fingere, quaſi quædam virtus ſit carnis aut ſanguinis in eo tantummodò ſacramento, vt Dominus mentiatur, & non ſit vera caro eius, neque verus ſanguis, in quibus vera mors Chriſti annuntiatur; cùm ipſa veritas dicat: Hoc eſt corpus meum.* Mox: *Nec itaque dixit cùm fregit & dedit eis panem, hæc eſt, vel in hoc myſterio eſt quædam virtus vel figura corporis mei, ſed ait non fictè, Hoc eſt corpus meum, & ideò hoc eſt quod dixit, non quod quiſque fingit.* Non ſolùm autem hanc diſputationis

Bertrami partem attingit, ſed etiam compendio, argumentorum eius ſummam proponit, & refutat: *Quidam*, inquit, *loquaciſſimi magis quàm docti, dum hæc credere refugiunt, quæcumque poſſunt, ne credant quod veritas repromittit, opponunt & dicunt*, & quæ ſequuntur apud auctorem, à quibus deſcribendis abſtineo. Quâ de re diſputat iterum iam *ſenex*, vt ſe quidem appellat in Epiſtola ad Frudegardum: vbi quod illi obiiciebatur velut abſurdum de viſibili, & palpabili corpore Chriſti, ſic confirmat, vt fidei tamen ſoli patere doceat quod latet: & *non tantùm virtus, ſed etiam proprietas naturæ iure credatur.*

Hæc noua opinio, quam Paſchaſius libelli ſui olim editi in ipſa adoleſcentia, ac Catholicæ fidei vindex, poſterioribus curis toto ingenij ſui & doctrinæ conatu proſternere molitur, non latuit Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum, qui eum non Bertramo alicui, ſed *Ioanni Scotigenæ*, & Prudentio Tricaſſino apertè *tribuit*, atque hæreſeos damnat: *Sunt & alia quæ vocum nouitatibus delectantes, vnde ſibi inanes comparant rumuſculos, contra fidei Catholicæ veritatem dicunt* (ſcilicet illi quos ſolos ſuperiùs nominauerat, Prudentius nempe & Scotus) *videlicet quod trina ſit deïtas, quod ſacramenta altaris non verum corpus & verus ſanguis ſit Domini, ſed tantùm memoria veri corporis & ſanguinis eius.* Quæ quidem adnotatio, vt Prudentium attingit, qui de trina deitate libellum ediderat, ita Ioannem Scotum, qui de ſacramento altaris hæreticè ſenſiſſe in Synodo Vercellenſi tandem conuictus eſt.

Hincm. lib. de Præd. c. 31.

Cùm itaque pugna inſtituta fuerit inter Paſchaſium, & hæreticæ opinionis auctorem ſub nomine Bertrami publicatum, ſi probetur aduerſarium illum cui Paſchaſius obluctatur, fuiſſe Ioannem Scotum, qui eodem tempore hæreſim illam ſpargebat teſte Hincmaro, manifeſta erit quoque probatio ſententiæ noſtræ, quam aſſerendam mihi propono. Eius fundus nobis erit Berengarius qui duos illos aduerſarios velut gladiatores, aut potiùs partium duces, inter ſe componebat Scotum & Paſchaſium. Perfidi illius hominis extant literæ ad Lanfrancum datæ, quibus illi exprobrat, quòd *hæreticas habuiſſet ſententias Ioannis Scoti de ſacra-*

*Sacramento altaris, in quibus diſſentit à ſuſcepto ſuo Paſchaſio.* Quæ recitatæ cùm fuiſſent in Synodo Romana coram Leone IX. patuit omnibus, quòd *Ioannem Scotum extollebat, & Paſchaſium damnabat*, vt obſeruat Lanfrancus in Libro de Sacramento Corp. & Sang. Dom. c. 4. Denique grauis eſt eiuſdem hæretici expoſtulatio in Epiſtola ad Ricardum; *Iniuſtiſſimè damnatum Scotum Ioannem, iniuſtiſſimè nihilominus aſſertum Paſchaſium in Concilio Vercellenſi.* Habitum fuit Concilium iſtud Vercellis menſe Septembri anno 1050. ex decreto prioris Romani, ad quod euocatus fuit Berengarius, vt doctrinæ ſuæ rationem redderet: vbi ſe ſiſtere iudicio veritus eſt, duobus Clericis tantùm eò miſſis, qui procuratorio nomine cauſſam illam agerent, quæ perſonaliter ab accuſato diſceptanda erat. Illud autem iudicium ſubſecutum eſt, quod notauit Lanfrancus: *In audientia omnium qui de diuerſis mundi partibus illuc conuenerant, Ioannis Scoti liber de Euchariſtia lectus eſt & damnatus, ſententia Berengarij expoſita & damnata.* Tandem in Synodo quam Romæ habuit Nicolaus ſecundus anno 1059. vnà cum centum & tredecim Epiſcopis eadem Berengarij præſentis & conuicti opinio damnata eſt, & libri in ignem coniecti. *Tu quoque* (inquit Lanfrancus c. 1.) *inclinato corpore, ſed non humiliato corde ignem accendiſti, libroſque peruerſi dogmatis in medio ſancti Concilij in ignem conieciſti.* Inter combuſtos iſtos libros recenſetur Ioannis Scoti codex in fragmento Floriacenſi quod laudat meritiſſimus Anteceſſor Andegauenſis Franciſcus de Roye in ſuo Berengario: *In præſentia Papæ & multorum Epiſcoporum Ioannem Scotum igni comburens, cuius lectione ad hanc nefariam deuolutus fuerat ſectam.* Sanè vtramque paginam faciebat Ioannes Scotus in hac controuerſia. Etenim in Concilio quod Henricus I. Rex Galliæ Pariſiis cogi iuſſit anno 1050. (ſic enim Anteceſſor ille anni numerum apud Durandum emendat) ante Synodum Vercellenſem, vt definitione Eccleſiæ Gallicanæ naſcentem hæreſim comprimeret, Berengarij abſentis quidem ſed vocati literæ quædam ad familiarem, cui arcana ſua prodebat, prolatæ ſunt & perlectæ, vt teſtatur Durandus Abbas Troarnenſis, eius temporis auctor, qui

ſuperiori narrationi hæc verba ſubiungit: *Itaque omnibus talis lectio, quoniam nequiſſima ſordebat hæreſi, vehementer diſplicuit, damnato proinde communi ſententia talium auctore, damnatis etiam eius complicibus, cum codice Ioannis Scoti, ex quo ea quæ damnabantur ſumpta videbantur.*

Vt ergo in pauca verba contraham argumentum. Paſchaſius cum Bertramo conflixit ſcriptis ſuis: porrò aduerſarius ille, quo cum diſputauit Paſchaſius, eſt ipſemet Ioannes Scotus, teſte non ſolùm Berengario arcani iſtius ob doctrinæ ſocietatem conſcio, ſed etiam Concilij Pariſienſi & Vercellenſi atque demum Romano.

Sed promouendum eſt vlteriùs argumentum ex epiſtola Berengarij ad Ricardum, à te, Vir Religioſe, hoc in volumine edita, quæ demonſtrat tractatum Bertramo inſcriptum ad Scotum omninò pertinere. Obſecrat Ricardum Berengarius, vt ſibi apud Philippum Regem aduerſus æmulorum accuſationem patrocinetur, quòd Scoti opinioni adhæreret: ſpémque impetrandi patrocinij in eo conſtituit, quòd opinio illa monente Carolo Magno Rege publicata ſit à Scoto. *Nouerit*, inquit, *quæ ſcribit Ioannes Scotus monitu illum ſcripſiſſe, precarióque Caroli Magni anteceſſori ſui, qui quantum circa res gerendas perſtrenuus, tantùm circa religionem deuotus, ne ineruditorum carnaliúmque illius temporis præualeret ineptia, erudito viro Ioanni illi impoſuit colligere de ſcripturis quæ ineptiam illam conuerterent.* Bertrami Libellus de Euchariſtia iuſſu Caroli Magni ſcriptus, & Ioannis Scoti, iuſſu quoque eiuſdem Caroli Magni eadem de re ſcriptus, non conficiunt niſi vnum eumdémque libellum ni fallor.

In No. ad vitam Lanfranci pag. 24.

Attamen vt a firmioribus aſſenſum extorqueam, adducendum eſt prætereà Aſcelini teſtimonium, cui Berengarius per epiſtolam exprobrauerat, quòd inconſideratè, impiè, & indignè ſacerdotio ſuo, Ioannem Scotum hæreticum haberet. Reſpondet Aſcelinus iis verbis, quæ probationis meæ intereſt, licet prolixiora, vt hîc deſcribam. *Quandiu vixero adiuuante diuina virtute certum, indubitabile, nulliſque euentibus violabile in ſacrario cordis retinebo, panem ſcilicet & vinum in altari, Spiritus ſancti virtute per ſacerdotis miniſterium, verum corpus, verumque ſanguinem effici.*

*Quod ſcriptura atteſtante ſatis euidenter probatur ſi non ſiniſtra interpretatione temeretur. Ioannem verò Scotum nec inconſideratè, nec impiè, nec indignè ſacerdotio meo hæreticum habeo, quem toto niſu, totaque intentione ad hoc ſolùm tendere video, vt mihi perſuadeat, hoc videlicet quod in altari conſecratur, neque verè corpus, neque verè Chriſti ſanguinem eſſe. Hoc tamen aſtruere nititur ex ſanctorum Patrum opuſculis; quæ prauè exponit. Quorum illam B. Gregorij orationem hic annotari ſufficiat. Perficiant in nobis tua, Domine, quæſumus ſacramenta quod continent, vt quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus. Quam exponendo prædictus Ioannis inter cætera uoſtræ fidei contraria; ſpecie, inquit, geruntur iſta non veritate.*

Hæc Aſcelinus de gloſſemate Scoti ad orationem Gregorij adhibito, quod verbis totidem extat apud Bertramum, in quo Gregorij oratio recitatur, & teſtimoniis Patrum prauè expoſitis ſubiungitur, eodem ordine quo apud Scotũ erant deſcripta, ita vt dubitare non liceat quin Scotus ſit ſirempſe Bertramus. Sub adſcititio illo nomine nouã hæreſim cudendo & ſcribendo latere voluit Ioannes Scotus, ne ſub proprio nomine à piis hominibus tamquam hæreticus traduceretur: à qua tamen infamia planè ſe immunẽ artibus ſuis præſtare non potuit, quin ab Hincmaro licet amicitia coniuncto hæreſeos illi nota inureretur ob hanc nouitatem. Quamquam, vt ſcribit Paſchaſius in Epiſtola ad Frudegardum, *nemo in aperto adhuc contradixerit ei, quod totus orbis credit & confitetur*, vt mirandum non ſit, ſi proſcripta noua hæreſis ab Hincmaro nulla poſteà Synodorum cognitione ſit diſcuſſa atque damnata, cùm propugnatorem non habuerit qui publicè & apertè doctrinam Eccleſiæ vt hæreticam condemnaret. Cæterùm quæ Bertramum prætulit inſcriptio, facilè deflexa eſt ab exſcriptoribus in Ratramni nomen, quod eorum vitium Sigeberto fraudi fuit, qui cùm in eos codices incidiſſet, Ratramno tribuit, quod vetuſtiores Bertramo inſcripſerant. Deſinant igitur eruditi Ratramno viro doctrina inſigni, ac pietate apud Epiſcopos ſui temporis commendatiſſimo, hæreticum Opus tribuere: præcipuè cùm Corbeienſis Monaſterij Mo-

nachus Paſchaſium Abbatem ſuum, ſub cuius cura degebat, & eadem opera fidem Catholicam ſcripta diſputatione violaſſe vix cenſendus ſit, tantum facinus impunè non laturus.

Vapulet ergo Bertramus alius à Ratramno, & nouitatis hæreticæ pœnas ferat, quas Ioannes Scotus tulit in Vercellenſi Concilio vt iam monui. Quare meritiſſimè hic auctor in Indice Concilij Tridentini inter damnatos libros relatus eſt: & licet deinde Duacenſibus tolerari poſſe ſi emendetur, perſuaſum fuerit, rectiùs à Clemenre VIII. in vniuerſum repudiatus eſt: cùm iuuari nulla poſſit interpretatione liber, qui ex profeſſo apertam hæreſim docet, vt rectè pridem monuerunt Sixtus Senenſis, Sancteſius, Poſſeuinus, & Eminentiſſimus Cardinalis Perronius.

Habes ſententiam meam, quæ Ratramno factam iniuriam delet, nunc primùm prodito veritatis arcano, quæ Ioannem Scotum ſub Bertrami nomine olim latentem, laruâ detractâ, omnibus manifeſtum reddit, & cauſſa cognita ſub veri nominis appellatione damnatum demonſtrat.

Poſt exaratam hanc Epiſtolam indicatum mihi eſt à familiari quodam volumen à R.P. Ludouico Cellotio Societatis Ieſu Preſbytero de hiſtoria Gottes-chalci editum, cui ſubdidit Appendicem Miſcellaneam opuſculorum aliquot, in quibus locum ſuum obtinet Anonymus ille, cuius memini ſuperiùs, quem notis ſuis vberioribus illuſtrat. In quibus ſanè, quemadmodum in corpore Hiſtoriæ Gotteschalci, induſtriam ſuam, eruditionem, & dictionis elegantiam cum ſanæ fidei propugnatione coniunctam, doctis probiſque omnibus probaturum mihi perſuadeo. Cæterùm cùm Ratramno tribuat ex Sigeberto, Trithemio, atque ex ſtyli ſimilitudine Bertrami Libellum, ſententiam noſtram, quæ Ioanni Scoto eumdem tribuit cum Concilio Vercellenſi, & Durando Troarnenſi, apud ſe accuratè expendet. Tu interim Vale. Pariſiis Kal. Ianuarij M. DC. LVII.

# ELENCHVS
## CONTENTORVM IN SECVNDO TOMO SPICILEGII.


RATRAMNI Corbeienſ. Monachi contra Græcorum Oppoſita Libri quatuor. pag. 1
RATHERII Veronenſis Opuſcula. 161
De Contemptu Canonum, ibid.
Concluſio deliberatiua Leodici acta, 194
Qualitatis coniectura, 199
Diſcordia inter ipſum Ratherium & Clericos, 217
Apologeticus Liber, 225
De Clericis ſibi rebellibus, 235
De Abbatiola amandatis Monachis Clerici ſubrogantur, 236
De nuptu cuiuſdam illicito, 238
Epiſtolæ. I. Martino Ferrarienſi, 241
II. Romanæ Eccleſiæ, 242
III. Ad Ioannem Summum Pontif. 245
IV. Epiſcopis, &c. 253
V. Anonymos 254
VI. Synodica ad Preſbyteros, &c. 256
Itinerarium Ratherij Romam euntis, 265
Sermones.
Sermo valde prolixus de Quadrageſima, 281
Contra reprehenſores ſermonis eiuſdem, 304
II. De Quadrageſima, 305
De Paſcha, 308. 313. 315
De Aſcenſione, 324. 326
*Inedita Ratherij Opuſcula, quæ in Muſæo noſtro aſſeruantur.*
Sermones duo de Pentecoſte,
De Maria & Martha.
De proprio lapſu.
De otioſo ſermone.
Meditationes cordis in exilio cuiuſdam Ratherii, Veronenſis quidem Eccleſiæ Epiſcopi, ſed Lobienſis Monachi: quas in ſex digeſtis Libellis Volumen cenſuit appellari Præloquiorum; eo quod eiuſdem quoddam præloquantur Opuſculum, quod vocatur Agonoſticum.
Epiſtolæ duæ.

Liber de Corpore & Sanguine Domini, conſtans 99. Capitulis. Arnulphi Sagienſis Archidiac. poſt Epiſcopi Lexouienſis Tractatus de Schiſmate orto poſt Honorii II. Papæ deceſſum contra Girardum Engoliſmenſem. 336

Eiuſdem Epiſtolas reperies infra in Syllabo Epiſtolarum.

MISCELLANEA EPISTOLARVM, pag. 366

SYLLABVS EPISTOLARVM.

*Annum Chriſti quo viuebant Scriptores prior numerus, alter Epiſtolarum ordinem, paginam tertius deſignat.*


| An. Ch. | | | |
|---|---|---|---|
| CCCLX. | 1. | Epiſtola Potamij Epiſcopi ad Athanaſium, *Ex eod. MS. Abbatiæ S. Ebrulfi O. B.* | 366 |
| D. XC. | 2. | Liciniani Epiſcopi ad Gregorium Papam I. *Ex MS. S. Bened. Floriacenſ. O. B.* | 368 |
| DCCC-LXXXI. | 3. | Heliæ Patriarchæ ad Karolum Imp. *Ex MS. S. Remigij Remenſ. O. B.* | 372 |
| DCCCC-XXXVIII. | 4. | Leonis Papæ ſeptimi ad Hugonem Francorum Principem, *Ex Cartulario S. Martini Turon.* | 372 |
| MLX. | 5. | Vvimundi ſiue Guimundi Archiep. Auerſani ad Erfaſtum, *Ex MS. S. Ebrulfi. O. B.* | 377 |
| D. CCCC-XCIV. | 6. | S. Odilonis Abbat. Cluniac. Santio Epiſc. | 386 |
| | 7. | Ioannis Papæ ad Odilonem, | 387 |
| | 8. | S. Odilonis Garſiæ Regi, | 388 |
| | 9. | Eiuſdem ad Matronam R. | 389 |
| | 10. | Cuiuſdam Monachi, | 390 |
| MCVI. | 11. | Henrici Imperatoris ad Hugonem Abbat. Cluniac. | ibid. |
| | 12. | Eiuſdem ad eumdem. | 395 |
| | 13. | Henrici Imp. ad Hugonem. | 396 |
| | 14. | Anonymi ad Hugonem Ab. | 397 |
| | 15. | Henrici Imp. Hugoni Ab. | ibid. |
| M. CLVII. | 16. | Henrici Romanorum Regis P. & Monachis Clun. | 399 |
| | 17. | Hugonis ad Imperatorem Fridericum. | 400 |
| | 18. | Hugonis Abb. ad Philippum Regem, | 401 |
| M. CLV. | 19. | Geraldi Cadurcenſ. Epiſcopi Friderico Imp. | 403 |
| M. XCIV. | 20. | Lugdunenſis Archiep. Hugonis ad Mathildem Comitiſſam, | 405 |
| M. LXXX. | 21. | G. A. Petro Priori, *Ex autographis Abbatiæ Cluniac.* | 408 |
| | 22. | Tomellus ſiue Epiſtola Ernulfi Roffenſ. Epiſc. Vvachelino Epiſc. de inceſtis coniugiis, *Ex MS. Bibliothecæ Bigotianæ.* | 410 |
| | 23. | Eiuſdem Lamberto de variis quæſtionibus, *Ex eodem.* | 431 |
| M. C. XXX. | 24. | Canonicorum Petengenſ. Eccleſiæ Capitulo Tornac. | 443 |
| M. C. XXX. | 25. | Rainaldi Remorum Archiep. Roberto Tornacenſi Epiſcopo, | 445 |
| M. C. XLVIII. | 26. | Gualteri Abb. S. Martini Laudu. Gerauldo Tornac. Epiſcopo, ibid. | |

27. A. ad Gerauldum Tornacenſ. Epiſc. 446
*Ex MS. S. Theodorici prope Remos O.B.*
M.C.LXIX 28. Petri Ab. S. Remigii ſiue Cellenſ. Vvillelmo, &c. 447
29. Eiuſdem Vvido. &c. 449
30. G. Vvidoni, &c. 450
*Ex MS. Nicolai Camuzat Canonici Trecenſ.*
M.C.LX. 31. Reginæ Angliæ Alienoris Alexandro PP. 451
32. Eiuſdem Iacintho Cardinali, 452
M.C.LIX. 33. Philippi Abb. de Eleemoſyna Alexandro Papæ, 453
34. Laurentii Ab. Vveſtmonaſt. ad Alienorem Reginam, 455
*Ex MS. S. Catharinæ Canonic. Regg. Laual.*
M.XLIX. 35. Leonis Papæ noni ad Francos, 456
*Ex MS. S. Remigij Remenſ. O.B.*
M.C.XXX. 36. Henrici II. Regis ad Innocentium Papam, 457
*Ex antiquis Schedis S. Germani à Pratis.*
37. Innocentii Papæ ad Hugonem Rotomag. Archiep. 458
*Ex iiſdem.*
M.C.XVI. 38. Gualteri Epiſcopi Laudu. Epiſtolæ, Magiſtro Guillelmo, 459
39. Omnibus in fide Catholica, &c. 462
40. Magiſtro Theodorico, 467
41. Magiſtro Alberico, 469
42. Petro Monacho, 473
*Ex MS. S. Vincentij, Laudu. O. B.*
M.C.XXXI. 43. Lotharij Imp. Archiep. Epiſcopis, &c. 480
44. Innocentij Papæ ad Petrum Ab. Cluniac. 481
*Ex MS. Cluniacenſi. O.B.*
M.C.LXXXI 45. Arnulfi Lexouienſ. Epiſtolæ, ad Lucium Papam, 482
M.C.LXIV. 46. Ad S. Thomam Cantuar. 485
M.C.LXXI. 47. Ad Alexandrum Papam. 495
48. Ad Henricum Regem Anglo. 497
M.C. 49. Ad Albertum & Theodinum Cardinales, 500
LXXIV. 50. Ad Vvillelmum Cenoman. Epiſc. 501
*Omnia Ex MS. Fulcardi-montis. O.C.*
Fragmentum Sermonis eiuſdem in Synodo, quod in edit. deſideratur, 503
Initium Epiſtolæ ad Celeſtinum Papam quod omiſſum eſt in edit. 505
*Ex MS. Bibliothecæ Regiæ,*
M.C.XLIII 51. Eiuſdem Arnulfi ad Celeſtinum Papam, 505
*Ex eodem.*
M.C.XXX. 52. Gaufridi de Meduana ad Petrum Abbatem, 507
*Ex MS. SS. Sergij & Bacchi Andegau. O. B.*
M.LXXIX. 5.. Litteræ Commendatitiæ Gregorij Papæ 7. ad Berengarium, 508

*Ex MS. S. Albini Andegau. O. B.*
M. L. 54. Frollanti Epiſc. Siluanectenſ. ad Berengarium, 509
*Ex MS. Biblioth. Regiæ.*
55. Berengarij ad Richardum, 510
*Ex eodem.*
56. A. ad Magiſtrum Templi E, 511
*Ex antiquis Schedis S. Vincentij Laudu. O. B.*
M.CC.XXII 57. I. Decani & Capituli Turon. Petro Redonenſi Epiſcopo, 513
*Ex MS. Maiorismonaſterij, O. B.*
M.C.XI. 58. Encyclica Monachorum Burgidolenſ. de Heruei geſtis, 514
*Ex MS. Clarenallenſis Abbatiæ, O. C.*
M.C.XI. 59. Encyclica Monachorum Caſalis-Benedicti illacrymantium Andream Abbatem nuper deceſſum, 518
*Ex MS. Caſalis-Bened.*
M.CC. XXXI. 60. Mauritii Rotomag. Archiep. Epiſtolæ, Decanis, 520
61. Sententia, ibid
62. Vniuerſis Decanis, 521
63. Iiſdem, 522
64. Iiſdem, 524
*Ex MS. Maiorismonaſterij, O. B.*
M.C.LX. 65. Odonis Canonici Reg. Epiſtolæ, Fratri R. 525
66. Fratri N. 529
67. Anonymo, 530
68. Fratri R. 533
69. Eidem, 536
69. ſeu 70. Præpotenti, 540
70. Fratri F. 544
*Ex MS. Corbeiæ, O. B.*
M.CC.LXX 71. S. Ludouici ad Matthæum Ab. & Simonem de Nigella, 548
72. Eiuſdem ad Matthæum Abbatem, 550
73. Petri de Condeto N. Priori de Argentolio, 551
74. Philippi Audacis Regis Franc. Epiſtolæ ad Matthæum Abb. & Simonem de Nigella, 555
75. Ad Optimates. 556
76. Ad Matthæum Ab. & Simonem de Nigella, 557
77. Petri de Condeto ad Theſaurarium S. Frambaldi, 558
78. Philippi Regis ad Matth. Ab. & Simonem, 561
79. Petri de Condeto ad Matthæum Ab. ibid.
80. Eiuſdem ad Priorem de Argentolio, 564
81. Philippi Regis ad Abbatem & Monachos S. Dionyſij. 567
82. Matthæi Abbatis & Simonis de Nigella ad Philippum Regem, 569
83. Philippi Regis ad Matth. Ab. & Simonem, 571
M. CC XXX 84. Friderici Imp. ad Regem Bohemiæ, 572
*Ex MS. Maiorismonaſterij, O. B.*

85. Nico.

M. CCCCL. 85. Nicolai Papæ Carolo Regi Franc. 576
M. CCCC. 86. Concilii Baſileenſis ad Cluniacenſ. Monachos, 577
XXXII. *Ex autographis Cluniac.*

VARIA GALLIÆ CONCILIA, pag. 579

834. Priuilegium in Concilio Senonenſi præſidente Aldrico Archiep. de Abbatia S. Remigij Senon. 579
835. Diploma Ludouici Pij Imp. illud Priuilegium ratum habentis, 584
852. Confirmatio eiuſdem Priuilegij a Venilone facta, 586
864. Conuentus Piſtenſis, 588
1068. Concilium Auſcenſe, 592
1114. Concilium Beluacenſe, 594
1085. Priuilegia Eccleſiæ SS. Cornelij & Cypriani in Concilio Compendienſi approbata, 598
1085. In Concilio Compend. confert Canonicis Eccleſiam SS. Acei & Acheoli Rorico Ambianenſ. Epiſcopus. 601
1091. In Concilio Pariſienſi bona Eccleſiæ Compend. confirmantur, 604
1233. Decreta Iuhelli Archiep. Turonenſis, 606
1219. Concilium Auinionenſe, 609
1220. Forma iuramenti Conſulum Montiſpeſſulani, 618
1225. Decreta contra Canonicos, &c. 620
1228. Concilium Toloſanum, 621
1254. Concilium Albienſe, 630
1258. Statuta Synodi Montiſpeſſulani, 645
1282. Proceſſus habitus contra Petrum Regem Aragonum, 649
1283. Proceſſus depoſitionis eiuſdem, 660
1016. Geſta Synodi Aurelianenſis, 670
Vita S. Romanæ Virg. & Mart. Necnon Fundatio & dedicatio Eccleſiæ & Cœnobii S. Quintini Beluacenſis, 677
Vita Hildeburgis Dominæ Galardonis, 686
Chronicon S. Petri Viui Senonenſis Auctore Clario Monacho, 705
Chronicon S. Medardi Sueſſionenſ. 781
Chronicon S. Dionyſii in Francia, 808
De Temporibus quorumdam Ordinum, 800
Proſapia Regum Francorum vſque ad Dagobertum iuniorem, filium Hildeberti facundi. ibid.
Genealogia de qua ortus eſt Carolus Magnus Rex Francorum, & Imperator Romanorum, 801
Fragmentum Chronici Eccleſiæ Rotomagenſis,
Addenda. Scilicet, Epiſtolæ prolixæ, alteram Hincmari Remenſis, Fulberti Carnotenſis alteram : priorem eruit Illuſtriſſ. Petrus de Marca Archiepiſcopus Toloſanus ex MS. codice Riuipollenſis Abbatiæ in Catalaunia, O. B.

ẽ ẽ

# ADDENDA IN PRÆFATIONE

*Pag.* 7. *poſt hæc verba* : à prudentibus imitandi.

THESES in Sorbona pro Maiore Ordinaria Præſide Iacobo Dreux Doctore ac Socio Sorbonico propugnatæ A. C. 1654. hæc habent de Bertramo : *Malè impingitur ſuſpicio hæreſis Bertramo, etſi ſuſpectum nobis eſſe debeat eius Opus, fortè quia procurante Ecolampadio primùm publici iuris factum eſt.*

---

*Errata in Præfatione.*

PAg. 10. lin. 6. *continentiâ*, lege continentia. pag. 17. lin. 22. *poſt* aliorum, *adde duo puncta.* pag. 24. lin. vlt. l. illorum. pag. 26. l. 14. l. texit.

*In Epiſtola Illuſtriſſ. Archiepiſcopi Tolbſani.*

Pag. 4. lin. 28. poſt illius dele. &. Pag. 7. lin. 16. l. eam.

RATRAMNI

# RATRAMNI CORBEIENSIS MONACHI, ORDINIS S. BENEDICTI, CONTRA GRÆCORVM OPPOSITA, Romanam Eccleſiam jnfamantium LIBRI QVATVOR.

## LIBER PRIMVS.

## CAPVT PRIMVM.

OPPOSITORVM quibus *Michael* & *Baſilius* Græcorum Imperatores Romanam Eccleſiam infamare conantur, vel falſa, vel hæretica, vel ſuperſtitioſa, vel inreligioſa fore cognoſcuntur. Quapropter meritò contemptui ſubiacere deberent, niſi conſideraretur quòd ſimplicibus minúſque capacibus ſcandalum læſionis inferre valerent, illúdque Salomonicum Spiritu ſancto prolatum: *Reſponde ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Cùm enim dicant, quòd *Chriſma conficiamus ex aquà*: Et quòd *Agnum die ſancto Paſchæ ſuperaltare vna cum dominico Corpore ſacrandum Iudæorum de more ponamus.* Nonne manifeſtè mentiuntur? Nec timent illud Pſalmiſtæ Spiritu ſancto loquentis: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et quod alibi Spiritus ſanctus comminatur: *Falſus teſtis non erit impunitus.*

Michaelis & Baſilii Impp reſpondet oppoſitis.

*Prouerb.* 26. 5.

Oppoſita Græcorũ.

*Pſal.* 5. 7.

*Prouerb.* 19. 5. 9.

Item, quòd culpare nituntur non ſolùm Romanam, verùm omnem Latinam Eccleſiam, quòd Spiritum ſanctum de Patre Filióque procedere confiteamur, ſecundùm Catholicam fidem: Cùm illi tantùm dicant, eum de Patre procedere. Nonne ſe hæreſeos prauitate condemnant, & ab Eccleſiæ communione remouent, & in Spiritum ſanctum blaſphemant: quod peccatum
*Marc. 3. 29.* inremiſſibile eſſe Saluator in Euangelio proteſtatur. Niſi fortè monſtrare poſſint à ſuis Maioribus Catholicis viris hoc aliquando denegatum. Etenim cùm dicant Spiritum ſanctum procedere à Patre, non negant & à filio procedere. Quòd ſi Maiores ſuos ſequi voluerint, amplexabuntur Catholicè dictum, procedere Spiritum ſanctum à Patre ſicut & ſui Maiores ſunt amplexi, qui ſacris litteris inſtituti optimè nouerunt vtriuſque Spiritum eſſe; videlicet tam Patris quàm Filij. Quod in ſequentibus clariùs demonſtrabitur.

---

## CAPVT II.

*Item Græcorum obiecta.*

IAm quod arguere conantur, quòd in Sabbato ieiunamus, vel quòd Paſchale ieiunium non eâdem cum eis regulâ celebremus; quis non videat quanto tumore, quantáque ſtultitiâ vel inflati vel excæcati talia dicant? Arguunt ieiunantes, iterum reprehendunt non ieiunantes; Aut enim bonum eſt ieiunium, aut malum; ſi bonum: cur accuſant? ſi malum: cur exercent quod accuſant? forſitan res non ſui merito ſancienda, ſed pro perſonarum acceptione iudicanda eſt; vt ieiunium quod celebrat Latinus ſit arguendum; quod verò Græcus, ſit venerandum, ſic iudicant vel elatione decepti, vel ſcientiâ priuati. Quis autem ferre poſſit quod reprehendere geſtiunt continentiam affectantes, à fœminarum concubitu ſe remouentes, carnis & animæ ſanctitatem æmulantes? Quæ cùm ſint in cunctis mortalibus præconio laudis extollenda, tum præcipuè in ſacri Altaris miniſtris, quorum eſt officium in ſacris ſemper aſſiſtere, Diuinitati ſeruitutis obſequium iugiter exhibere, pro commiſſis populis diuinam maieſtatem diebus omnibus iugi precatu placare. Hoc quia noſtri Sacerdotes agere de more Maiorum non omittunt, infamantur nuptias damnare. Quid hæc impugnant, niſi Religionem? Quid hæc deſtruere nituntur, niſi ſanctimoniam ſine quâ

nemo placere poteſt Deo? Quis verò non videat quanto ſit tenendum ridiculo, de barbæ tonſione quod culpant: vel quod Presbyteri penes nos baptizatorum frontes chriſmate ſancto non linunt, ſed hoc priuilegium Pontificibus relinquunt? Num in barbæ, vel tonſione, vel conſeruatione, præceptorum diuinorum præuaricatio cognoſcitur vlla? vel ſi presbyteri quos baptiſant eorum frontes vnctione ſacrâ non linunt; num idcircò baptiſmi gratiam non perficiunt? Trinam merſionem per inuocationem ſanctæ Trinitatis facientes ſuperſtitionis iſta deprehenduntur eſſe, non alicuius religioſæ conſiderationis.

Quid mirum huiuſmodi ſi calumniæ procedant ab hominibus minus ſacræ legis peritis, ſæculari potentiâ fultis, Imperij faſtu confidentibus? De ſacris dogmatibus, de Eccleſiaſtico ritu, non Imperatorum, ſed Epiſcoporum fuerat diſputare. Diſcendum illis, non docendum, in Eccleſia miniſterium commiſſum eſt. Nam quamuis Imperiali dignitate præcellant, res illis publica commiſſa eſt, non Epiſcopale miniſterium. Imperatores de ſæculi legibus tractare debent; Epiſcopi verò de diuinis dogmatibus diſputare. Suum modum ſtudeant tenere, non officium Epiſcopale præripere, ne illis proueniat quod Oziæ Regi Pontificale miniſterium præſumenti contigit; qui diuinitus leprâ percuſſus non ſolum à Templo, verùm & à communione populi noſcitur eiectus. Cur ergo recentes iſti doctores, & monſtruoſi, vt ita dicamus, præceptores, ſuo nunc tempore in crimen deuocare conantur, quod ſui priores, ſi tamen Eccleſiæ filij ſunt, & vnitatis catholicæ ſectatores, duxêre ſemper venerandum? Nullus nouus cultus apud Romanam Eccleſiam nunc agitur: nulla noua Religio, nulla noua doctrina, inſtitutio noua nulla. Maiores noſtri quæ tenuêre, quæ docuêre, quæ ſeruanda ſuis poſteris reliquêre, hæc tenemus, hæc ſeruamus; nihil ſuprà ponentes, nihil eis adimentes. Quod de ſancto Spiritu ſenſerunt, hoc ſentimus. Perceperunt illi ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto acceperunt. In eâdem fide tam Orientalis quàm Occidentalis ſemper remanſit Eccleſia. Nouerunt etenim Apoſtoli dictum, quòd eſt, vna fides, vnum Baptiſma. Et licet hæreſes frequenter exurgerent, quæ tanquam mali piſces Chriſti retia rumperent; Chriſti tamen tunica permanſit integra. Inſtituta verò Maiorum ſuis quibuſcumque locis edita, ſicut non omnibus Eccleſiis ea-

Quid muneris Imperatoribus incũbit.

*2. Paralip.* 26 17.

*Epheſ.* 4. 5.

dem, ſic vnitatem fidei nullo modo diuisêre: nec propter alternæ conſuetudinis commutationem mutuæ ſocietatis amisêre communionem. Quoniam aliud eſt de habitu, de conuerſatione diſcernere, & aliud de vnitate fidei ſimiliter ſentire. Sed de his poſteriùs. Nunc ad propoſita veniamus, & de ſingulis quæ gratia ſancti Spiritus donauerit, diſputemus, non ordinem propoſitarum ſequentes quæſtionum. Eſt enim minus prudenter diſpoſitus, quia leuitate mentis, non prudentiæ grauitate digeſtus eſſe cognoſcitur.

Et primò de Spiritu ſancto quæ donauerit ipſe dicamus: hoc enim & primum eſt & præcipuum, & ad Catholicæ fidei pertinens firmamentum. Oſtendere námque eſt animo, quod ſic de eo ſentimus & confitemur, ſicut & Patres noſtri ſenſerunt & confeſſi ſunt; & ſic ipſi ſenſerunt & profeſſi ſunt, ſicut Apoſtoli ſenſerunt & docuerunt. Apoſtolorum autem doctrinam ſi quis arguere maluerit, Christi neceſſe eſt magiſterium redarguat, & Prophetarum oracula refutet.

---

## CAPVT III.

*Probat Author Spiritum ſanctum ex Patre Filióque procedere.*

ARguitis quòd Spiritum ſanctum ex Patre Filióque procedere dicamus, cùm ipſi ex Patre tantum procedere dicatis. Conſideremus Euangelij lectionem, & ex eo reſponſionis tenorem capiamus. Loquitur enim Saluator in ſermone, quem ſecundum Ioannem ad Diſcipulos nocte quâ tradendus erat, fecerat; inter reliqua ſic: *Cùm autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* (*Ioan.* 15. 26.) Legitis *qui à patre procedit*, & audire non vultis dicentem Filium, *quem ego mittam vobis à Patre.* Dicite quemadmodum mittatur à Filio: hoc námque dicere Filium non negatis, ſi tamen Euangelium legitis, aut Euangelio ſi creditis? Aut ergo miſſionem hanc confitemini proceſſionem, aut, quod eſt impium dicentis, obſequium; & eritis, quod abſit, cum Arrio, qui minorem dogmate peruerſo Spiritum ſanctum aſſerebat Filio. (*Arrio aſſimilantur Græci.*) Abſit autem vt Arrij partes velitis aſtruere; abſit vt Spiritum ſanctum minorem Patre Filióque velitis affirmare. Igitur cùm dicat Filius miſſurum ſe eſſe Spiritum veri- (*Ibid.*)

tatis qui à Patre procedit; profectò fatetur quòd à ſe dicat eum procedere, dum confirmat eum ſe mittere: fortaſſis quæſtionem facit, quòd non ſimpliciter dixerit Saluator; *Quem ego mittam vobis:* ſed addiderit, *à Patre.* Hoc Arriani mouêre primi, gradum facere volentes in diuinitate. Sed Euangelij veritas conſubſtantialem totius Trinitatis oſtendit vnitatem. Procedit Spiritus ſanctus à Patre, illius quia de ſubſtantiâ manat. Mittit quoque Filius Spiritum veritatis à Patre, quia Spiritus ſanctus vt à Filio procedat, ipſe natus eſt ex Patre; & ſicut accepit de Patre Filius naſcendo ſubſtantiam, ſic itidem accepit à Patre vt Spiritum veritatis mitteret à ſe procedendo. Alioquin cùm dicit: *Qui à Patre procedit*, non negat à ſe procedere: quoniam miſſio Filij, proceſſio eſt Spiritus ſancti; vt mittat Spiritum veritatis, non tanquam minorem iubendo ipſe maior exiſtendo, ſed miſſionis verbo monſtratur: quia ſicut procedit Spiritus veritatis à Patre, ſic etiam procedit & à Filio. Hinc in conſequentibus: *At ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quid enim accipiet Spiritus ſanctus à Filio, cùm vnius ſint ſubſtantiæ, vniuſque potentiæ? Nimirum, *de meo accipiet*, dixit; id eſt à me procedit, quia ſicut ſunt vnius ſubſtantiæ Pater & Filius, ſic & de vtroque procedendo Spiritus ſanctus accipit conſubſtantialitatis exiſtentiam. *Ibid.*

Nec debet mouere quòd *Accipiet*, futuri temporis dixit, hoc enim ad illud reſpicit quod futurum erat, quod Diſcipulis mitteretur; non ad illud quod à Patre Filióque procedit: ſine tempore námque procedit à Patre, procedit & à Filio; quia Pater & Filius & Spiritus ſanctus tres quidem perſonæ, ſed vnius eiuſdémque extiterunt exiſtúntque ſubſtantiæ.

Sequitur: *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Si omnia quæcumque habet Pater, habet & Filius, profectò ſicut eſt Spiritus ſanctus Patris Spiritus, ſic eſt & Filij Spiritus; alioquin ſi Patris eſt tantùm, non etiam Filij, non omnia quæcumque habet Pater ſunt Filij: ſed habet omnia quæcumque habet Pater Filius. Igitur ſicut eſt Spiritus Sanctus Patris Spiritus, ſic eſt & Filij Spiritus. Sed hanc habitionis poſſeſſionem non putemus vel minorationem depoſitionis, vel conditionis addictionem. Verùm illud declaratur, quia ſicut procedit Spiritus ſanctus à Pa- *Ioan. 16. 15.*

Ioan. 16. 13. Ioan. 15. 26. Ioan. 14. 6. Saluator eſt veritas. tre; ſic quoque procedit à Filio. Paulò ſuperiùs Chriſtus ait: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis*; & priùs dixerat: *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis* Veritas Saluator eſt; ipſe Philippo teſtificatur: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Si ergo veritas Saluator eſt, & Saluator Filius Patris eſt, quid eſt aliud dicere Spiritum veritatis, quàm Spiritum Filij? Cognoſcitur ergo Spiritus Patris eſſe, qui procedit à Patre; ſimúlque Spiritus Filij, quem Saluator confitetur Spiritum eſſe veritatis.

Spiritus S. eſt Spiritus veritatis, id eſt Chriſti. Si quæris vnde ſit Spiritus veritatis, quære ſimul vnde ſit Spiritus Patris: procedendo námque à Patre Spiritus Patris eſt; ſimúlque procedendo à Filio, qui eſt veritas, Spiritus eſt Filij. Non propter ſubiectionem dicuntur iſta, ſed propter vnius eiuſdémque ſubſtantiæ ſignificationem. Quoniam ſicut ſunt Pater & Filius vnius eiuſdémque ſubſtantiæ, ſic ab vtroque procedit Spiritus ſanctus. Nec putes duos habere Patres Spiritum ſanctum, quia procedit à Patre, procedit & à Filio; quoniam Spiritus ſanctus non eſt Filius, & qui Filius non eſt, habere patrem non poteſt.

Caritas dicitur Spiritus ſanctus. 1. Ioan. 4. 16. 1. Ioan. 2. 27. Ioan. 16. 13. Dicitur quoque Spiritus ſanctus caritas eſſe, vnde Beatus Ioannes: *Deus caritas eſt.* Quam caritatem commendans ſcribit fidelibus: *Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis; & neceſſe non habetis vt aliquis doceat vos; ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus.* Huic ſimile Saluator. *Cum autem venerit*, inquit, *ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Siue igitur dicas: *Deus caritas eſt*; ſiue dicas: *Sicut vnctio eius docet vos de omnibus*; ſiue dicas: *Spiritum veritatis, qui docet omnem veritatem*; Spiritum ſanctum ſignificas. Eſt autem caritas Patris, quâ nos dilexit: eſt caritas Filij, quâ nos redemit. Sed non diuerſa propterea caritas, quia Patris eſſe dicitur atque Filij: quâ námque caritate Pater diligit Filium, eâdem caritate Filius diligit Patrem: eſt námque caritas Patris Spiritus ſanctus, eſt caritas quoque Filij Spiritus ſanctus. Procedit caritas Patris à Patre, vt diligat Filium; procedit etiam caritas Filij à Filio vt diligat Patrem. Igitur vtriuſque vna caritas, quoniam vtriuſque vnus Spiritus ab vtroque procedens.

Ioan. 7. 37 Chriſtus clamabat dicens: *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat: Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent*

*aquæ viuæ.* Subiungit Euangeliſta: *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Ibid. v. 39 Aquæ viuæ flumina, Euangeliſtâ docente, inundationem dicimus Spiritus ſancti, quâ docet Saluator in ſe credentes irrigandos. Vnde igitur flumina niſi de fide Chriſti manantia? Et vnde fides, niſi ex Chriſti doctrinâ? Quemadmodum igitur doctrina Chriſti de Chriſto, & fides illius doctrinæ de Chriſto: ſic flumina aquæ viuæ, id eſt Spiritus ſanctus procedit à Chriſto: Chriſtus námque & homo perfectus, & Deus perfectus. Ex quo perfectus Deus Spiritum ſanctum in ſe credentibus, qui à ſe procedit, largitur, infundit; cuius fluenta corda credentium æternæ vitæ fontibus inundant.

Samaritanæ quoque dicit: *Qui biberit ex aquâ hac ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Ioan. 4. 13 Quod alibi flumina dixerat aquæ viuæ, nunc appellat fontem aquæ ſalientis in vitam æternam; In vtroque Spiritum ſanctum volens intelligi, quem manifeſtiſſimè dicit à ſe dari: cùm dicit: *Aquam quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ.* Quod enim dat, ex ſemetipſo dat: Dat autem fontem aquæ ſalientis in vitam æternam, id eſt, Spiritum ſanctum in ſe credentibus copioſiſſimè largitur. Demonſtrans à ſe procedere, quem à ſe dicit credentibus donari.

Reſurgens à mortuis & diſcipulis in conclaui reſidentibus, poſt pacis ſalutationem, & poſt mandatum, pacis legationem: *Inſufflauit*, & dicit eis: *Accipite Spiritum ſanctum*, & reliqua. Ioan. 20. 22. Quid enim per inſufflationem, niſi Spiritus ſancti proceſſionem ſignificat? Non vt flatus ille corporeus ex aëre ſumptus, & pulmonum miniſterio per oris organum effuſus, Spiritus ſancti fuerit ſubſtantia, verùm tali nos modo voluit edocere, Spiritum S. ex ſeipſo procedere, & de ſubſtantia Filij Spiritus quoque ſancti ſubſtantia memanare. Sicut Pater Filij natiuitatem de ſua ſubſtantia volens oſtendere propagatam, ac per hoc Filium ſibi fore conſubſtantialem, loquitur in pſalmo eidem Filio: *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Pſal. 109. 3. Non quòd vterum Deus Pater habuerit, de quo filium ante ſæcula genuerit; ſed quo teſtificatus fuerit, quòd Filium non de nihilo, non alterius de rei ſubſiſtentia, ſed propria de natura ſubſtantiáque genuerit. Sic & Filius inſufflando dans Spiritum ſanctum Apoſtolis, oſtendit de ſua

ſubſtantia procedere, quem tali inſufflatione voluit donare.

De Sacramento Corporis & Sanguinis ſui loquens diſcipulis ait: *Verba quæ locutus ſum vobis Spiritus & vita ſunt* Vnde igitur procedũt verba, niſi mentis ab intimo? Igitur verba quæ loquitur Chriſtus Spiritus & vita ſunt; quia Spiritus, qui de corde Chriſti procedit, vita eſt. Non quòd in Diuinitate cor ſit carnis, videlicet particula; ſed quòd tali vocabulo voluit interioris ſubſtantiæ monſtrare Sacramentum, de quo dicit procedere Spiritum qui vita eſt. Ergo procedit Spiritus ſanctus à Filio, & eſt vnius eiuſdémque ſubſtantiæ cum Filio.

## CAPVT IV.

*Luc.4.14* IN Euangelio Lucæ ſic legitur: *Et egreſſus eſt Chriſtus in virtute Spiritus in Galilæam.* De Saluatore legitur, quòd ſit Virtus Patris, & nunc Spiritus Virtus appellatur. Nunquid alia Virtus Chriſtus, & alia Virtus Spiritus? Non vtique: ſed vterque Virtus dicitur, vt vna vtriuſque ſubſtantia monſtretur. Quid eſt autem quod ait: *In virtute Spiritus?* Numquid maiorem voluit oſtendere Spiritus ſancti virtutem Filij virtute? Non omnino? Quid eſt ergo quod ait: *In virtute Spiritus?* Non enim externam Chriſto voluit oſtendere virtutem, & velut aliunde conceſſam, ſed propriam; quæ cùm ſit Spiritus ſancti, ſit etiam ſimul & Filij, tanquàm in vna natura non in eſſentia diuerſa; & manendo ſimul in vno alter procedat ex altero, Spiritus videlicet ſanctus ex Filio; vterque vero de Patre: ſed Filius naſcendo, Spiritus verò ſanctus procedendo. Non quòd alternis temporibus de Patre procedat vel Filio, ſed quòd nullo interueniente tempore de Patre procedat ſimul & Filio.

*Ibid.*

*Ibid.*

*Galat. 4. 6.* Beatus Paulus Apoſtolus ſcribit ad Galatas: *Quoniam eſtis Filij Dei, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem Abba Pater.* Non ait. Miſit Deus Spiritum ſuum. Quòd ſi diceret, non penitus excluderet Filium; quoniam Deus eſt etiam Filius, quemadmodum Pater eſt Deus, & vterque non duo dij, ſed vnus eſt Deus: quod enim perſona ſeparat, ſubſtantia coniungit. Volens autem omnem auferre quæſtionem, perſonam Filij ſpecialiter, dixit miſiſſe Deum Spiritum Filij ſui in corda

noſtra

noſtra. Num alius eſt Spiritus Filij, quàm Spiritus Patris? Quòd ſi idem eſt Spiritus amborum, profectò procedit ab vtroque: non enim ſic dicitur Spiritus Filij tanquam ſit minor Filio; hoc qui ſentit, vel dicit, non eſt Catholicus. Quâ de re non eſt quare dicatur Spiritus Filij, niſi quia procedit à Filio; ſicut dicitur Spiritus Patris, quia procedit à Patre.

Ad Philippenſes autem ſcribens, inter cætera ſic ait: *Scio enim quia hoc mihi proueniet in ſalutem per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritus* IESV *Chriſti.* IESVS Chriſtus, Deus & homo. Nunquid de humano Spiritu loquebatur Apoſtolus, hæc quando dicebat? In cruce námque IESVS-CHRISTVS humanum poſuit Spiritum, Euangeliſtâ teſtante, qui de illo dicit: *Et inclinato capite tradidit Spiritum.* Et de quo dicit etiam ipſe: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Iſte verò Spiritus, de quo nunc loquitur Apoſtolus, per cuius ſubminiſtrationem certâ ſpe confidit, quòd in nullo ſuper Chriſti adminiſtratione confundetur, Deus eſt: qui etiam Spiritus Sanctus appellatur ad diſtinctionem Patris & Filij; De quo teſtatur Apoſtolus, quòd diuiſiones gratiarum ipſe diſtribuat; qui operatur omnia prout vult. Hic ergo Spiritus eſt Chriſti, non ſubiectione ſeruili, ſed proceſſione diuina Patri Filióque in natura, in maieſtate, in dignitate æqualis.

*Philipp. 1.19.* *Ioan. 19. 30.* *Ioan. 10. 18.* *1. Cor. 12. & alibi.* *1. Cor. 12. 4. &c.*

Scribit ſanctus Lucas in Actis Apoſtolorum: *Cùm veniſſent autem in Myſiam tentabant ire Bithiniam, & non permiſit eos Spiritus* IESV. De quo Spiritu dicat, ſuperiùs narrat, dicens: *Tranſeuntes autem Phrigiam & Galatiæ regionem, vetiti ſunt à ſancto Spiritu loqui verbum in Aſia.* Quem dixerat ſuperiùs ſanctum Spiritum, ipſum poſteà dixit Spiritum IESV, manifeſtè ſignans non alium eſſe Spiritum IESV, quàm Spiritum ſanctum. Cur autem dicatur Spiritus IESV, frequenter eſt dictum, quoniam procedit à IESV. Non ex ea natura, quâ factus eſt miſericorditer homo, ſed ex ea, quâ natus de Patre æqualis eſt Patri.

*Act. 16. 7.*

Item loquitur ad Titum: *Secundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per* IESVM *Chriſtum Saluatorem noſtrum.* Quemadmodum effudit per IESVM

*Tit. 3. 5.*

Chriſtum Spiritum ſanctum, nunquid velut minorem per maiorem hoc Arriani voluerunt? Sed Patrem dicit effudiſſe Spiritum ſanctum per IESVM Chriſtum, vt oſtenderet effuſionem Spiritus ſancti factam ex IESV Chriſto, non tanquam aliunde accipiendo, ſed eam ex ſeipſo mittendo: neque enim voluit dicere vt Pater Spiritum ſanctum effuderit per IESVM Chriſtum, tanquam ſi per fiſtulam effundatur aqua, vt nihil in hac effuſione fuerit Filij, præterquam miniſterium vel euectionis, vel tranſitionis. Hoc itaque ſentire impietatis eſt. Verùm effudit Pater Spiritum ſanctum in nos abundè per IESVM Chriſtum Saluatorem noſtrum, quia procedit & à Filio ſicut procedit à Patre: & dicendo effudit per Filium, monſtrauit proceſſionem eius à Filio, nec tamen negauit eum à Patre procedere; quia cùm procedit à Filio, procedit & à Patre.

De hac effuſione Spiritus ſancti teſtatur Beatus Petrus in
*Act. 2. 33.* Actis Apoſtolorum de Domino IESV Chriſto, Iudæi ſic loquens: *Dexterà igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti acceptà à Patre, effudit hunc quem vos vidiſtis & audiſtis.* De quo
*Act. 2. 1.* loquutus Lucas in eiſdem Actis teſtatur: *Cùm complerentur,* inquit, *dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis; & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis; ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Et
*Ibid. v. 17.* in conſequentibus: *Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri,* & reliqua. Et paulò pòſt: *Et quidem ſuper ſeruos meos & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt*: Hoc totum poſuimus vt Beato Petro docente noſceremus Spiritum ſanctum effuſum ſuper Apoſtolos, & reliquos credentes, qui pariter fuerant congregati die
*Act. 2. 32.* Pentecoſtes ab IESV. Vnde ſcriptum eſt: *Hunc IESVM reſuſcitauit Deus cui omnes nos teſtes ſumus.* Deinde intulit: *Dex-*
*Ibid. v. 33.* *terà igitur Dei exaltatus effudit hunc*, id eſt Spiritum ſanctum, nimirum IESVS, *quem Deus reſuſcitauit, quem vidiſtis & audiſtis.* Vidiſtis in igneis linguis, audiſtis in linguarum varietate:

nam Spiritus ſanctus in propria natura nec videri corporea viſione, nec audiri poteſt auditu corporeo, ſed aſſumpſit habitum, ignis ſpeciem ſub linguarum imagine, quò poſſet intueri, & diſcipulorum potitus eſt vocibus, quò poſſet audiri. Quod autem ait: *Promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre* *Ibid.* *effudiſſe hunc Spiritum*, non Diuinitatis, ſed humanitatis commendat gratiam. Nam ſecundùm Diuinitatem non accepit repromiſſionem, quoniam omnia quæ habet Pater ſua ſunt, non temporaliter accipiendo, ſed æternaliter habendo.

---

## CAPVT V.

ET comparemus his Pauli ſententiam ſupra jam poſitam, quâ dixit loquens ad Titum: *De Spiritu ſancto, quem effudit in nos abundè per* IESVM *Chriſtum Saluatorem noſtrum.* (*Effuſio S. Spiritus quid.* *Tit. 3. 6.*) Paulus teſtatur quòd Pater effuderit Spiritum ſanctum per IESVM Chriſtum Saluatorem noſtrum. Petrus verò dicit, quòd IESVS effuderit hunc eundem Spiritum ſanctum reſurgens à mortuis. Quibus docemur & Patrem eum effundere & IESVM Chriſtum, vt diſcamus ab vtroque procedere Spiritum ſanctum, quem vterque effundit: neque enim cogitare debemus hanc effuſionem localem extitiſſe, vt de Patre manans localiter tranſierit ad Chriſtum tanquam Patrem relinquendo, vel vt poſſet ad Filium venire ſemetipſum extendendo, vt alterâ ſui parte Filium contingeret, alterâ verò in Patre maneret. Similiter cùm à Filio in diſcipulos fuerit effuſus, vel Filium reliquerit & ad diſcipulos venerit, vel certè quadam protenſione facta, proportione quadam ſui, diſcipulorum corda irradiauerit, & quadam in Chriſto reſederit; veluti radium Solis ſi conſideres aliâ ſui parte ſphæram ipſius illuſtrantem, aliâ verò terras attingentem. Sed iſta in corporibus ſunt; at verò in Diuinitate ſanctæ Trinitatis nil iſtorum deprehenditur, ſed abſque temporis interuallo vel loci Spiritus ſanctus à Patre effunditur, ſimiliter & à Filio. Effunditur à Patre in Filium, quia genuit Pater Filium, effunditur & à Filio, quia omnia quæ Patris ſunt habet Filius. (*Quî Spirat Spiritus S.*)

Teſtatur quoque ſanctum Euangelium: quòd *Spiritus vbi* *Ioan. 3. 8.*

*vult ſpirat.* Quid eſt ſpirat? nimirum quia quandocumque vult, vbicumque vult ſemetipſum effundit. Videamus totius Trinitatis vnam operationem. Pater effundit, Filius effundit Spiritum ſanctum. Spiritus ſanctus vbi vult ſpirans ſemetipſum effundit. Quàm congruenter Apoſtolus dicit effuſionem Spiritus ſancti factam per IESVM Chriſtum, per quem Pater Deus omnia fecit: quàm conuenienter quoque Petrus Apoſtolus teſtatur Filium effudiſſe Spiritum ſanctum, de quo dicit Euan-
*Ioan.* 16. 15. gelium: quòd *Omnia quæ facit Pater, hæc eadem & Filius facit ſimiliter.* Effundit igitur Pater Spiritum ſanctum, effundit & Filius, quoniam ſicut datur à Patre, datur & à Filio. Non igitur arguant Græcorum Imperatores Latinos, quòd confiteantur Spiritum ſanctum procedere à Filio, ſicut procedit à Patre, ſed potiùs diſcant fidei veritatem à Chriſto, diſcant & ab Apoſtolis illius.

*Act.* 5. 32. Item in Actibus Apoſtolorum loquitur Petrus: *Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi.* Quem Deum dicit dediſſe Spiritum ſanctum; niſi de quo ſuperiùs ait: dexterâ Dei igitur exaltatus effudit hunc quem vos vidiſtis & audiſtis; IESVM Chriſtum (ſicut dictum eſt) intelligi monſtrans? Sed quomodò dedit Spiritum ſanctum Deus obedientibus ſibi? num
*Ioan.* 3. 8. quaſi minorem? Nequaquam. Filius námque dicit: *Spiritus vbi vult ſpirat.* Dat itaque Deus Spiritum ſanctum obedientium ſibi cordibus infundendo, non vt ſe relinquat in quo per vnitatem ſubſtantiæ permanet, ſed vt illos illuminet, quos priùs non irradiabat. Nemo quod non habet donare præualet: ſi Filius teſtatur habere Spiritum ſanctum, quem dedit omnibus obedientibus ſibi. Quemadmodum autem habet per vnitatem ſubſtantiæ, non per poſſeſſionis obtentum, ſic & cum donat non alieni juris quaſi donum tribuit, ſed ſui quod eſt proprium muneris impertitur. Quod non aliàs Filius faceret, ſi non à ſe quoque Spiritus ſanctus procederet. In ſequentibus etiam Beatus Petrus docens quemadmodum Cornelius de gentibus, & qui cum eo fuerant credentes, baptiſmi gratiam per-
*Act.* 11. 17. ceperint, ſic poſt cætera dicit: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus ſicut & nobis qui credidimus in Dominum* IESVM *Chriſtum, ego quis eram qui poſſem prohibere Deum?* Quamuis hîc Deus,

vel Spiritus ſanctus, qui corda repleuerit credentium, & linguarum dederit ſcientiam, vel certè Pater poſſit intelligi; tamen ſi conſideremus verba Petri ſuperiùs loquentis de miſſione Spiritus ſancti ſuper credentes, quòd Filius eum effuderit (ſicut antea dictum eſt) conſequenter & hîc Deus Filius intelligendus, qui dederit eandem gratiam Cornelio, ſociiſque eius, Petro loquente, quam dedit priùs effundens Spiritum ſanctum ſuper diſcipulos in linguis igneis. Et euidenter monſtratum eſt, effuſionem Spiritus ſancti, ſiue donationem, ad Patrem pertinere & ad Filium, quia procedit ab vtroque. Et hîc igitur quòd dicit eandem gratiam dediſſe nuper credentibus, quam dedit priùs Apoſtolis; Spiritum ſanctum manifeſtè ſignificat, quem dare potuit Filius, quoniam à ſe procedit: quod omninò non poſſet, ſi non ab illo procederet.

---

## CAPVT VI.

AD Romanos Beatus Paulus ſcribens fidelibus ait: *Vos autem in carne non eſtis, ſed in Spiritu; ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Videte cuius perſonam velitis accipere cùm dicit: *Si Spiritus Dei habitat in vobis.* Quòd ſi perſonam Patris accipitis, conſequenter eundem Spiritum, Spiritum Chriſti eſſe teſtatur. Quo dicto manifeſtè comprobat eundem eſſe Spiritum Patris qui ſit & Chriſti: & dum vtriuſque Spiritum eſſe non tacet, ab vtroque procedere confitetur. Quòd ſi vtrumque velitis intelligere de perſona Chriſti, quod ordo lectionis magis videtur admittere: (nam Chriſtus eſt Deus) ſic quoque docemur Spiritum Chriſti eſſe Spiritum ſanctum: per quod inſtruimur eum à Chriſto procedere. Nam perſona Patris manifeſtiùs infra ſignatur, vbi loquitur: *Quòd ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitauit* IESVM *Chriſtum à mortuis, habitat in vobis.* Quamuis & hîc Filius poſſit intelligi, quòd hominem quem ſuſceperat, ipſe quoque cum Patre ſuſcitauerit, ſicut in Euangelio dicit: Sed ſiue hoc, ſiue illud malueris, manifeſtè inſtruimur eundem eſſe Spiritum Filij, qui ſit & Patris. Vnde quod inferiùs ſanctus dicit Apoſtolus: *Quicumque Spiritu Dei agun-*

*Rom. 8. 9.*

*Rom. 8. 14.*

*tur, hi filij ſunt Dei.* De vtroque ſine cunctatione poteſt accipi, ideſt ſiue de Patre, ſiue de Filio; vtriuſque namque Spiritus eſt ab vtroque procedens; ſicut in multis iam comprobatum
*Ibi. v. 15.* eſt. Et infra: *Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis Filiorum, in quo cla-*
*Galat. 4. 6.* *mamus Abba Pater.* Ad Galatas autem ſcribens ait: *Quomodò autem eſtis Filij Dei? miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra clamantem Abba Pater.* Videte quòd eundem dicat Spiritum adoptionis Filiorum, quem confitetur Spiritum Filij, quo nos doceat Apoſtolus eundem, eſſe Spiritum Patris, quem dicit Spiritum adoptionis; & eundem eſſe Spiritum Filij, quem miſit Deus in corda noſtra; & in eodem, qui tam Patris quàm Filij monſtratur Spiritus, clamamus Abba Pater. Quod nequaquam facere poſſemus, ſi non quemadmodum procedit à Patre Spiritus ſanctus, ſic etiam procedat & à Filio.

*2. Cor. 3. 2.* Scribit Corinthijs in Epiſtola ſecunda: *Epiſtola noſtra vos eſtis ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus manifeſtata; quoniam Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui.* Cùm dicat quòd Corinthij ſint Epiſtola Chriſti, quæ ſcripta ſit Spiritu Dei viui, vnam operationem demonſtrat ſancti Spiritus & Chriſti; ſed quem appellat hoc in loco Deum viuum? Nimirum Chriſtum, cuius Epiſtolam dicit eſſe Corinthios, manifeſtans Spiritum eſſe Chriſti, qui ſcripſerit in cordibus Corinthiorum epiſtolam non atramento corporis, ſed illuſtratione ſui. Per hoc ergo quod eandem epiſtolam ſcribunt Chriſtus & Spiritus ſanctus, ſicut vnius operationis, ſic eſſe monſtrantur vnius ſubſtantiæ: quod enim ſcribit Chriſtus, hoc & Spriritus ſanctus, & quod Spiritus ſanctus, hoc & Chriſtus, non alternatione temporis, nec locorum permutatione, nec operis varietate; quoniam ſicut eiuſdem ſunt voluntatis, ſic eiuſdem operationis, nec diſſimilis potentiæ; quoniam non ſunt diſſimilis eſſentiæ. Quemadmodum autem dicatur Spiritus ſanctus, Spiritus Chriſti, frequenter eſt dictum; quoniam non ſicut
*2. Cor. 3. 15.* vel pars illius, vel qualitas, vel aliquod ſubiectum, ſed ſicut procedens à Chriſto. Item ad Corinthios in eâdem: *Vſque hodiernum diem cùm legitur Moyſes, velamen eſt poſitum ſuper cor eorum; cùm autem conuerſus fuerit ad Deum, auferetur ve-*

*lamen.* Quem hîc dicat Deum paulò ſuperius manifeſtat; dicens de eodem velamine quomodò in Chriſto euacuatur. Si ergo velamen veteris lectionis euacuatur in Chriſto, manifeſtum quia cùm conuerſus quis fuerit ad Chriſtum, auferetur velamen.

Quod & Beatus Ioannes in Apocalypſi ſua dicit: *Et ego flebam multùm, quia nemo dignus inuentus eſt aperire librum, nec videre eum. Et vnus de ſenioribus dixit mihi, ne fleueris; ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſeptem ſignacula eius.* Apertio libri, velaminis eſt ablatio: quem autem dicat iſta facturum, non eget expoſitione, cùm manifeſtum ſit leonem de Tribu Iuda, & radicem Dauid, ſignificare Chriſtum, qui ſeptem quoque ſignacula eius perhibetur aperire. Quibus ſeptem ſignaculis Spiritus ſanctus inſinuatur propter ſeptemplicem ipſius donationis gratiam. Ipſe eſt námque Spiritus ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, ipſe quoque Spiritus timoris Domini; ſicut Propheta loquitur Iſaïas. Aperit autem ſeptem ſignacula libri huius radix Dauid ideſt Saluator: quoniam myſteria quæ continentur in eo ſpiritalia, reſerantur in Chriſto, cùm aufertur velamen quod in libro veteris teſtamenti conſtat ſignatum, & reuelatur in Chriſto.

*Apoc. 4.5.*

*Iſa. 11. 2.*

Subiungit verò Apoſtolus: *Dominus autem Spiritus eſt, vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas* Cuius Domini? Nimirum illius in quo velamen aufertur, quod in lectione veteris teſtamenti cùm legitur Moyſes, manet non reuelatum: remotio verò velaminis, remotio ſeruitutis eſt, quæ continetur in littera legis, vt fiat libertas quæ per Spiritum Domini miniſtratur; quod fit cùm de littera tranſitur ad ſpiritalem intelligentiam, & de ſeruitute carnis in Spiritus libertatem venitur. Videmus in his Spiritum Domini Spiritum Chriſti dici. Hinc & in conſequentibus: *Nos autem omnes reuelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Ergo cùm reuelatio faciei per Chriſtum fiat, & nos transformemur à claritate in claritatem à Domini Spiritu, communis operatio Iesv Chriſti, ſanctíque Spiritus oſtenditur. Vnde quod ait: *A Domini Spiritu*, Chriſti ſine dubio perſonam oſtendit. Qui

*2. Cor. 3. 17.*

*2. Cor. 3. 18.*

cùm ſit Spiritus ipſius, pariter tamen cum Saluatore reuelationem operatur veteris lectionis. Quòd ergo ſimul operantur, vnius ſubſtantiæ ſocietas oſtenditur. Quòd verò Domini Spiritus dicitur, quòd ab ipſo procedit, inſinuatur: Dominum námque Saluatorem hoc in loco ſignificari circumſtantia lectionis euidenter inſinuat.

---

## CAPVT VII.

1. Pet. 1. 10. BEatus Petrus Apoſtolus ſcribit credentibus in epiſtola prima: *De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti.* Princeps Apoſtolorum cui Saluator loquitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* (Mat. 16. 18.) Dicere non dubitat Spiritum ſanctum, qui loquutus eſt in Prophetis, Spiritum eſſe Chriſti. Et neſcio qui ſæculari elati dignitate præſumunt reprehendere, quod ab Apoſtolis Eccleſiæ Chriſti didicerunt; ergo ſi Spiritus ſanctus non procedit à Chriſto, quomodò Spiritus dicitur eſſe Chriſti? procedit igitur à Chriſto, quia non ex ſubjectione, nec ex particulari ſectione, dicitur eius eſſe, ſed quòd eius de ſubſtantia ſubſtantialiter procedat.

Apo. 5 6. Cerne quoque Beatum Ioannem in eandem concurrere ſententiam, & Spiritum ſanctum Chriſti Spiritum eſſe proclamantem: ait enim in Apocalypſi: *Et vidi in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem, tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem.* (Ibid.) Et exponens quid dixerit adjecit: *Qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſsi in omnem terram.* Agnum occiſum nemo, puto, negabit Catholicus intelligi Chriſtum debere: de quo Baptiſta (Ioan. 1. 29.) Ioannes: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hic agnus Dei immolatus eſt propter peccata mundi, & reſurrexit propter juſtificationem mundi. Hic agnus habere dicitur oculos ſeptem, quibus ſeptem Dei Spiritus, Ioanne docente, ſignificantur: non quia ſeptem ſint perſonarum enumerationes, cùm ſit vnus Spiritus ſanctus in ſanctæ Trinitatis comprehen-

ſione

ſione. Septem autem dicuntur, propter ſeptenariam donorum diſtributionem; nam ſubſtantialiter vnus eſt: Ergo manifeſtum cùm dicit oculos agnum habere ſeptem, quòd Chriſtum fateatur habere Spiritum ſanctum, non quaſi membrum aliquod, vel partem corporis aliquam, ſed quod ſubſtantialiter in ipſo ſit à quo ſubſtantialiter etiam procedit. In ipſo autem dicimus eſſe, non velut in loco, nec velut in ſubiecto; non enim continetur à Chriſto, quaſi minor ſit Chriſto, quod ſolet rebus contingere, quæ locis continentur; maiora ſunt enim quæ continent, eis quæ continentur: non enim ſic dicimus eſſe Spiritum ſanctum in Chriſto, quoniam æqualis eſt, non minor. Sed neque ſic dicitur quaſi in ſubiecto; non enim eſt accidens, quod ſine ſui ſubiecto non poſſit exiſtere? ſed eſt in Chriſto ſicut conſubſtantialis; ſicut in ſplendore ignis videmus ineſſe calorem; ignis enim & ſplendet & calet, quomodo & illuminat & accendit.

Habes etiam in Zacharia Propheta: *Ecce enim adduco* *Zac.* 3. 8.
*ſeruum meum orientem: quia ecce lapis quem dedi coram* IESV *Ibi.* 4. 10.
*ſuper lapidem vnum, ſeptem oculi ſunt.* Et infra: *Septem iſti oculi Domini qui diſcurrunt in vniuerſam terram.* Lapis iſte Saluator eſt, de quo Pſalmiſta loquitur: *Lapidem quem re-* *Pſal.* 117.
*probauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Quem 22.
etiam ſeruum ſuum orientem Deus Pater appellat: ſeruum propter hominis ſuſceptionem; Orientem, quia ipſe eſt ſol juſtitiæ. Et ſuper iſtum lapidem oculos dicit eſſe ſeptem Domini diſcurrentes in vniuerſam terram. In oculis Spiritum ſanctum intelligendum. Septem autem propter cauſam ſuperiùs dictam. Cùm vnus ſit Spiritus ſanctus, dona verò gratiarum plura, quid eſt autem ſuper lapidem ſeptem oculos eſſe? Nimirum Spiritum ſanctum in Chriſto manere. Et ſicut oculi dicuntur eius in quo ſunt ſubſtantialiter eſſe, ſic Spiritum ſanctum intelligas Chriſti eſſe, quod & ſub ſpe- *Zac.* 4. 2.
cie candelabri idem Propheta ſignauit dicens: *Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ eius ſuper illud.* Candelabrum aureum Chriſti conſpice incarnationem; aureum quia ſine macula, ſine aliqua commixtione delicti, totum fulgidum, totum

ſplendidum. Lampas autem ſuper caput ipſius; Diuinitas eſt in homine. *Caput* enim *Chriſti Deus*; dicit Apoſtolus. Septem verò lucernæ ſuper illud, id eſt ſuper candelabrum, vel ſuper caput eius, plenitudo eſt Spiritus ſancti; requieſcit
*Iſay. 11. 2.* ſuper illum ſecundùm Iſayæ Vatis oraculum: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intellectus*, *Spiritus conſilij & fortitudinis*, *Spiritus ſcientiæ & pietatis*, *& replebit eum Spiritus timoris Domini.* Quòd ſi ſuper Chriſtum ſeptem lucernæ Spiritus ſancti requieſcunt, requieſcit in eo Spiritus ſanctus, qui demonſtratur in ſeptem lucernis; & cùm in eo requieſcit inhabitando ſubſtantialiter, ipſius eſt Spiritus, in quo ſubſtantialiter requieſcit. Vnde non immeritò Spiritus eſſe Chriſti dicitur. Notandum autem quod de iſto Spiritu per ſeptem oculos ſignificato, ſubjungitur: Quod diſcurrant in vniuerſam terram.

*Apo. 5. 6.* Et Apocalypſis: poſtquam dixit ſeptem Spiritus Dei ſeptem eſſe oculos agni, ſubiunxit: *Miſſi in omnem terram.* Quod Zacharias ait, *diſcurrentes*, hoc Ioannes in Apocalypſi dicit, *Miſſos*; Miſſionis vocabulo proceſſionem inſinuans Spiritus ſancti, qui dum ſubſtantialiter ſit in Chriſto, non diſcurrit, vel mittitur, niſi procedat à Chriſto, non localiter, ſed ſubſtantialiter. Vt enim ſit, ſuſcipit & à Patre pariter & à Filio; ſicut Filius eſſentialiter vt ſit accepit à Patre. Sed non recurrit conuertibiliter, vt quia Spiritus ſanctus de Filio pariter procedit & Patre, Filius quoque naſcatur pariter & de Patre & de Spiritu ſancto; natiuitas enim tantùm ex Patre eſt, ab vtroque verò proceſſio, ideſt à Patre ſimul & Filio. Miſſos verò ſeptem Spiritus Dei vel Apocalypſis in omnem terram dicit, vel ſeptem oculos Domini diſcurrentes in vniuerſam terram Zacharias, propter dona Spiritus ſancti ſeptiformia, per Apoſtolos, Apoſtolorúmque ſucceſſores, in omnes diffuſa gentes, quibus ſanctificantur fideles credentes in Chriſtum, & ſuorum percipientes delictorum emundationem.

Ipſum quoque Spiritum ſanctum, Spiritum eſſe Chriſti ſignauit Ioannes, cùm dixit vidiſſe ſe in medio ſeptem can-
*Apo. 1. 13.* delabrorum ſimilem Filio hominis. Et quibuſdam interpo-
*Ibi. v. 14.* ſitis ait: *Et oculi ejus velut flamma ignis.* Quis eſt iſte Filius hominis? Nimirum Dominus Iesvs Chriſtus, qui ſe fi-

lium hominis in Euangelio ſæpiſſime nuncupat; vt eſt illud: *Mat. 16.*
*Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Et Ezechiel ſub *13.*
figura illius frequenter ſe audit filium hominis nuncupari. Oculos autem hujus Filij hominis quos dicit velut flammam ignis relucere, Spiritum ſanctum inſinuat: nam ſuper Apoſtolos velut ignis de cœlo miſſus apparuit. Dicendo verò oculos eius, Spiritum ſanctum, Spiritum eſſe Chriſti ſignificauit. Nec aliud exiſtit cur Chriſti dicatur Spiritus, niſi quod procedat ab ipſo, & ſit ſubſtantialiter in ipſo.

Item dicit Ioannes cùm de ſanctorum gloria loqueretur *Apo. 7.*
futura: quòd neque ſol, neque vllus æſtus afficeret eos; *16.*
ſubdidit: *Quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget* illos, *Ibid. v.*
& deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Qui ſunt iſti vitæ *17.*
fontes aquarum? fluenta Spiritus ſancti, quibus fideles & lauantur per emundationem, & viuificantur per irrigationem. De quibus fluentis Saluator in Euangelio: *Qui credit,* *Ioan. 7.*
inquit, *in me flumina de ventre ejus fluent aquæ viuæ.* Signi- *38.*
ficans Spiritum ſanctum, quem credentes fuerant accepturi. Quod in Apoſtolis primò completum eſt quinquageſimo die reſurrectionis. Ergo deducet eos ad vitæ fontes aquarum agnus, qui à Spiritus ſancti fluentis eos inebriabit, vt vitæ gaudia ſempiterna nunquam valeant amittere. Hos autem fontes vitæ aquarum extra Chriſtum degere non arbitremur; ipſe namque Philippo dixit: *Ego ſum vita; Et* *Ioan. 14.*
*qui videt me, videt & Patrem.* Sic ergo & qui videt Chri- *6. & 9.*
ſtum, videt & Spiritum ſanctum, qui eſt in Chriſto; & deducere ſibi credentes ad vitæ fontes aquarum, hoc eſt ad ſe ducere, quatenus in ſe credentes, & illum contuentes, Spiritus ſancti de illo procedentis ſemper fontibus ſatientur.

Item Beatus Ioannes in Apoclypſi: *Et accepit Angelus* *Apo. 8. 5.*
*thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram; & facta ſunt tonitrua & voces,* & reliqua. Angelus iſte IESVS Chriſtus eſt, qui legitur *Magni conſilij Angelus.* Thuribulum autem humanitas eſt ipſius; altare verò, de cuius igne thuribulum impletur, Chriſti Diuinitas eſt; ignis verò de altari Spiritus ſanctus eſt de Chriſti Diuinitate ſumptus: altare namque & thuribulum vtrumque Chriſtus. Sed altare quoniam ſuper illud holocauſta ſiue ſacrificia ſanctorum

offeruntur, cuius imaginem tenet altare terrenum; nec enim aliter ſanctorum vota ſuſcipiuntur, ſi non ſuper altari Chriſto componantur. Thuribulum veró propterea dicitur, quoniam orationes ſanctorum per ipſum ſuſcipiuntur. Vel certè thuribulum, donum eſt Spiritus ſancti; teſtatur enim Apo-
Rom. 8. 26. ſtolus: *Neſcimus quid oremus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis*, id eſt poſtulare nos facit, *gemitibus inenarrabilibus.* Ignis autem altaris Spiritus ſanctus eſt, de quo Saluator: *Ignem veni mittere in terram, quem volo vt ardeat.* Ergo
Luc. 12. 49. Angelus thuribulum altaris igne plenum miſit in terram; quia repromiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre Saluator effudit gratiam Spiritus ſancti ſuper credentes. Vnde conuenienter ſequitur, quòd facta ſint tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus ſecundùm quod Saluator in Euan-
Ioan. 16. 7 gelio dicit: *Expedit vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero Paraclitus non veniet. Si autem abjero, mittam eum ad vos.*
Ibid. v. 8. *Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de iudicio.* Quod Apocalypſis dicit de igne altaris, quod miſerit Angelus eum in terram, & facta ſint tonitrua; hoc eſt quod Saluator ait; *Mittam eum ad vos; & cùm venerit ille arguet mundum.* Poſt aduentum Spiritus ſancti quæ tonitrua & voces prædicationum inſonuerint, quanto pauore mortalium corda concuſſerint, quæ fulgura miraculorum coruſcauerint, qui terræ motus extiterint duritiam mortalium concutientes, totus orbis agnouit; ignem autem altaris Spiritum ſanctum dicit Chriſti, quem ipſe ſe miſſurum promittit Apoſtolis: & Apocalypſis teſtatur quòd miſerit eum in terram, manifeſtè docens, quod Spiritus ſanctus, Spiritus ſit Filij, & ab ipſo ſit poſt aſcenſionem eius ſuper Apoſtolos miſſus. Quomodo námque mittitur à Filio, niſi procedendo? & procedit ab eo, cuius eſt Spiritus.

Apoc. 19. 11. Item in eâdem Apocalypſi Ioannes: *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax, & juſtitiâ iudicat & pugnat: oculi autem eius ſicut flamma ignis.* Equus albus corpus eſt Chriſti ſanctitatis candore perfuſum, maculam nullam habens; ſeſſor eius Diuinitas Chriſti, quæ ſic hominem quem ſuſcepit, regit, & ſedet, vt vnum faciat Filium ex Diuinitate, Pa-

tris ex humanitate; Matris; ſubſtantiam continentem; cuius oculi ſunt velut flamma ignis, quia ſancti Spiritus Diuinitas & ſplendor flammificus in eo conſiſtit: de cuius plenitudine velut oculorum lux effulget; tali figurâ ſignificans, immò clariſſimè docens Diuinitatem Spiritus à Filij diuinitate procedere, & tanquam lumen oculorum eius dicitur eſſe, cuius ſunt oculi; ita Spiritus ſanctus, Spiritus eſt Chriſti, in quo conſiſtit, & à quo procedit.

## CAPVT VIII

CRedimus ſufficienter eſſe monſtratum diuinarum teſtimoniis ſcripturarum Spiritum ſanctum à Filio procedere. Addamus adhuc ex Euangelio duo teſtimonia, quibus contradicentium durities conteratur. A profluuio ſanguinis muliere ſanatâ, dicit Saluator: *Quis me tetigit?* Negantibus autem omnibus, *dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis quis me tetigit? Et dixit* IESVS *: Tetigit me aliquis: nam ego noui virtutem de me exiiſſe.* Quæ eſt hæc virtus, quam dicit Saluator de ſe exiiſſe? Nimirum Spiritus ſancti gratia: Sic enim ait Apoſtolus: *Alij datur gratia ſanitatum in vno Spiritu, alij operatio virtutum.* Quid eſt ergo dicere Saluatorem: *Ego noui virtutem de me exiiſſe?* niſi dicere: Ego noui Spiritum á me procedere, qui eſt collator ſanitatum, & operator virtutum. Exiiſſe autem Spiritum ſanctum à ſe dicit eo modo, quo de ſe alibi dicit. *Exiui à Patre.* Exiiſſe námque Filium à Patre, eſt natum eſſe de Patre. Sic exiiſſe Spiritum ſanctum à Filio, eſt ab eodem proceſſiſſe. Item habes in eodem Euangelio Beati Lucæ: *Et omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Virtus de Christo exiens ſanat omnes, quia Spiritus ſanctus ab eo procedens, ſanitatis gratiam tribuit cunctis.

*Luc.* 8.45

*1. Cor.* 12. 9.

*Luc.* 8.46

*Ioan.* 16. 28.

*Luc.* 6.19.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ceſſent igitur reprehenſores, vel maliuoli, vel imperiti, Chriſti Eccleſiam redarguere, quòd Spiritum ſanctum confitetur à Patre & Filio procedere. Hoc Euangelia docent,

hoc Apoſtoli profitentur, hoc Prophetæ non tacent. Diſcant primùm quod Eccleſia didicit à Chriſto, & diſcipuli veritatis effecti confiteantur Catholicam fidem nè præſumptionis elatione decepti, vel erroris imperitiâ capti, hæreſim nutriant, olim ſopitam: labuntur enim hæc in Arrij veſaniam; qui dum Filio derogabat conſubſtantialem Patris æqualitatem, Spiritum quoque ſanctum Filio docebat eſſe minorem, conatus aſtruere nec Filium de Patris ſubſtantiâ natum, & Spiritum ſanctum creaturam.

Videritis quò tendat veſtra (Imperatores pręclari) profeſſio, qui dicitis Spiritum ſanctum à Patre procedere, non autem à Filio. Hoc nec in litteris diuinis, nec in Doctoribus Eccleſiaſticis aliquando legiſtis. Dixit quidem ſancta Synodus Conſtantinopolitana, veſaniam Arrij confutans, atque condemnans, Filium conſubſtantialem eſſe Patris, Spiritum quoque ſanctum procedentem à Patre: nunquid negauit eum à Filio procedere? vel conſequens eſt, vt ſi procedit à Patre, non procedat à Filio? Potiùs ergo cognoſcite, ſi Filij vultis eſſe Eccleſiæ, & Patrum ſequi doctrinam, quòd dicendo ſanctum Concilium Conſtantinopoli collectum, Spiritum ſanctum procedentem à Patre, quod eum & à Filio precedere non negauit, ſed tota Trinitas, cùm ſit conſubſtantialis, & Filius ſit natus à Patre, Spiritus quoque ſanctus ſit caritas vtriuſque, non poſſit quis negare Spiritum ſanctum à Filio procedere, niſi negauerit Filium caritatem, quâ diligit Patrem, habere. Quod quia veſanum, tenendum omninò, & fideliter profitendum, quia Pater diligit Filium, & Filius diligit Patrem, & hæc dilectio, quâ Pater diligit Filium, à Patre procedit; & dilectio quâ Filius diligit Patrem, à Filio nihilominus procedit. Eſt autem hæc dilectio Spiritus ſanctus. Procedit ergo Spiritus à Patre & à Filio. Tempus eſt jam ſanctorum Patrum teſtimonijs proceſſionem ſancti Spiritus à Filio comprobare, vt diuerſa ſentientes reuereantur, & reuerentiâ ſalutari corrigantur, ne ſtultâ peruicaciâ in perditionis foueam dilabantur.

Concil. Conſt. 1 in Symbolo.

*Explicit liber primus.*

# INCIPIT LIBER SECVNDVS.

## RATRAMNI CORBEIENSIS MONACHI, CONTRA GRÆCOS.

### CAPVT I.

QVÆSTIONEM de ſancti Spiritus proceſſione verſamus, quam Græcorum Imperatores à Filio negant fieri, dicentes, quòd à Patre tantùm procedat, & idcirco nolentes Eccleſiæ Romanæ communicare, Legatos Apoſtolicæ ſedis non receperunt, in culpam deuocantes, quòd aliter Latina diceret Eccleſia, quàm ipſi de Spiritu ſancto, profitendo, credendóque, Spiritum ſanctum à Filio procedere, quem ipſi dicunt tantùm à Patre quòd procedat. Primò videmus laïcos contra cunctas Eccleſiaſticas regulas venire, decreta fidei fidelibus imponere, & quibus non eſt licitum vllo ſuper Eccleſiaſtico jure præter Epiſcoporum conſultum ſtatuta conſtituere, leges ipſi fidei condere conentur, & ſecundum ſua decreta alij in communionem recipiuntur, alij verò remouentur.

Comprobat ex Patribus Spiritum ſanctum à Filio procedere.

Si quid namque ſanciri de ſuæ fidei tenore delegerant, Epiſcoporum concilium euocari decuerat, Patrum ſtatuta requiri, ſanctarum oracula ſcripturarum, conſultum Epiſcoporum communi ſententiâ decerni, quid ſequendum, quid verò fuerat abigendum. Quòd ſi quibuſdam in Eccleſiis, vel quadam terrarum in parte teneri vel profiteri deprehenderentur, quæ juſtè rectéque permouere debuiſſent, vel ex fide, vel ex conſuetudine, ſcribendum his primò fuerat, & facti cauſa cognoſcenda. Tum ſi juſtæ rationis religio poſtulaſſet, iudicium proferendum. Et hoc tamen ſuo ſub regimine, imperiíque prouidentiâ, Eccleſiis conſtitutis: alio-

quin ad ſuæ prouiſionis curam populos non pertinentes, vel Eccleſias ſuo ſub imperio non commorantes, quid juris fuerat, vel de conſuetudine judicare, vel de dogmate fidei diſcutere: & ſi non per omnia vt illi vel ſentiant, vel teneant, excommunicationis cenſurâ ferire. Num Græcorum Imperatoribus Saluator ligandi ſoluendíque poteſtatem con-
*Matt.* 5. 14. tribuit? Num illis dixit: *Vos eſtis lux mundi*? Num illis mandauit docere omnes gentes, & baptizare eas in nomine
*Matt* 28. 19. Patris, & Filij, & Spiritus ſancti? Quid ſi vos dicitis tantùm Spiritum ſanctum à Patre procedere, nolentes confiteri quòd à Filio procedat, & omnis Eccleſia Latina vel certè totius orbis Catholica profiteatur, quòd & à Filio procedat. Vnde probatis veſtram ſententiam fore potiorem & veritatis auctoritate munitam? an forſan Euangelij veritas ad vos ſolos peruenit, & apud vos ſolos permanet?

Apoſtolus Paulus vocatum ſe dicit Apoſtolum, ſepara-
*Rom.* 15. 19. tum in Euangelium Chriſti, ab Hieruſalem vſque ad Illyricum totum per circuitum Euangelio Chriſti repleuiſſe; Romam quoque Hiſpaniáſque profectum, & in totum plenè orbem Romanum vel præſentiâ corporis, vel ſcriptis pertranſiſſe, Chriſtum prædicans. Num dicit, quòd ſolis Græcis Chriſtum prædicauerit, & Græcis ſolummodò Imperatoribus Euangelij veritatem patefecerit? per totum orbem Euangelium Chriſti coruſcat; Apoſtolorum ſcripta leguntur; Prophetarum oracula recitantur, quibus Eccleſiarum Magiſtri ſicut à principio per Apoſtolos fuerant inſtituti, quotidie diſcunt quid ſentire de ſancta Trinitate debeant, quid profiteri, quid populos ſibi commiſſos edocere, quibus moribus inſtituere, quâ conuerſatione formare, quâ religione componere. Nec paginæ ſanctæ loquuntur, nec maiorum inſtituta commendant, nec præcepta cenſent Apoſtolorum, vel quorumcumque dicta ſcriptáque maiorum, vel Græcos totius Eccleſiæ Chriſti fore magiſtros, vel ab ipſis monſtrandum, vel diſcendum Imperatoribus eorum, quid per totum Chriſti Eccleſiæ orbem vel in habitu, vel in religione, vel dogmate debeat obſeruari. Quod ſi nimis ſtultum, nimiúmque inſolens eſſe cognoſcitur; non debuit Eccleſia Romana tam leuiter reprehendi, quòd maiorum ſeruat inſtituta ſuorum,

ſuorum, nec in omnibus ſequitur inſtituta Græcorum; quandoquidem ſiue de ſancta Trinitate, vel de cuiuſcumque obſeruantia religionis quidquid vel tenet, vel exercet; diſcipulorum Chriſti manauit de fonte. Nec eſt ſanctarum paginis repugnans vel diſconueniens ſcripturarum quod credit, docet exequitur. Ergo reprehendere conamini, quòd dicimus Spiritum ſanctum à Filio procedere, cùm vos dicatis eum à Patre procedere.

## CAPVT II.

PRimò poſtulamus à vobis auctoritatem Majorum, videlicet Catholicorum Epiſcoporum, quâ decretum teneatis quod tantopere defendere conamini. Nicena Synodus trecentorum decem & octo Epiſcoporum, aduerſus Arrium ſub Conſtantino primo Imperatore collecta, poſtquàm de conſubſtantialitate Filij cum Patre Symbolum dictauit, vbi ventum eſt ad Spiritum ſanctum ſic ait: *Credimus & in Spiritum ſanctum.* Nihil vel majus, vel minus Concil. Nicæn. I. in Symbolo. ſuper eius vel ſubſtantiâ, vel proceſſione decernens. Vbi ergo nunc regula, quâ vos muniri, vel Latinos arbitramini conſtringi, vt vobis liceat dicere procedentem à Patre Spiritum ſanctum, Romanis non liceat dicere procedentem à Filio? Quòd ſi ſequentes auctoritatem Niceni Concilij nihil vltra vultis addere, remouete procedentem à Patre, quia non continetur in Niceni Concilij Symbolo. Et fortaſſis liceat remoueri quod à Romanis ſuperadditum eſt, procedentem à Filio. Quòd ſi reſpondentes dixeritis, in Conſtantinopolitana Synodo centum quinquaginta Epiſcopis, qui Conſtantinopoli congregati ſunt, hoc poſitum eſſe; reſpondemus non licuiſſe quicquam Niceni Concilij Symbolo de fide vel demere, vel addere, vel immutare. Quòd ſi dicatis de Filij conſubſtantialitate non licuiſſe quod determinatum eſt in illo conuentu quicquam ſuperaddi; de Spiritu S. verò quia per parum hinc dictum eſt, licuiſſe propter futuras hæreticorum quæſtiones ſecundùm ſanctarum auctoritatem ſcripturarum: Reſpondemus hoc idem licuiſ-

ſe Romanis, propter futuras hæreticorum quæſtiones ſecundum diuinarum auctoritatẽ ſcripturarum. Nec enim conuincere poteſtis maiorem Conſtantinopolitanæ ciuitatis auctoritatem, quàm ciuitatis Romanæ, quę caput eſt omnium Chriſti Eccleſiarum, quòd maiorum tam veſtrorum, quàm noſtrorum teſtimonio comprobatur. Sed neque centum quinquaginta Epiſcoporum tanta conſtat auctoritas, vt vniuerſis totius orbis Epiſcopis præſcribere poſſit, vt quod illis licuit, non liceat tam Romano Pontifici, quàm vniuerſis Chriſti Eccleſiis.

Concil. Conſt 1. in Symb ex verſ. Dionyſ. Exigui.

Addiderunt etiam illi Symbolo præfato, dicentes: *Spiritum ſanctum cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui loquutus eſt per ſanctos Prophetas*, & alia plura. Hæc ſuperadiicientes non præſcripſerunt Eccleſiis Chriſti, ſed exemplum dederunt, ſi quid ſecundùm ſcripturas ſanctas ſuperaddere vellent de Spiritu ſancto, quod hæreticos expugnaret, & fidem credentium roboraret. Quod ſi malitis opponere, inueniri quod non poſſit in ſanctis Euangeliis, ſiue cæteris diuinis paginis ſcriptum, Spiritum ſanctum procedentem à Filio; ſed tantummodò procedentem à Patre, ac propterea nolle vos recipere quod in ſcripturis ſanctis ſcriptum non reperitur; quemadmodum Arriani nolebant recipere vnius eiuſdémque ſubſtantiæ Patrem & Filium, quoniam Scripturæ ſacræ non hæc continebant. Dicite vbi legeritis quod Conſtantinopolitanum Concilium in Symbolo poſuit de Spiritu ſancto, dicens, eum cum Patre & Filio ſimul adorandum & conglorificandũ, & qui loquutus eſt per ſanctos Prophetas? Quòd ſi dicatis in ſcripturis ſanctis non nudis verbis iſta reperiri, ſed virtutem intelligentiæ in eis contineri, vt quomodò eſt vnius cum Patre Filióque ſubſtantiæ, vnius potentiæ, non diſſimilis maieſtatis, & propterea cum Patre Filióque ſimul adorandus, & conglorificandus, eadem concedite Latinis Eccleſiis, vt licet nudis verbis Euangelia non dicant de Filio procedere Spiritum ſanctum, multis tamen modis oſtendunt Spiritum eſſe Filij; ſicut, eſt Spiritus Patris, & à Filio procedere, ſicut procedit à Patre quod ſufficienter ſuperiori Libello monſtratum eſſe credimus. Iſta cùm ſe ſic habeant, & de Spiritu

ſancto fides Catholica per Saluatorem & per Apoſtolos fundata ſemper tenuit, nec prædicare omiſit, quòd eiuſdem ſit cum Patre Filióque virtutis, & eiuſdem ſubſtantiæ, procedatque de vtroque: Quid eſt nunc quòd Cotholicam fidem reprehendere nitimini: & contra Catholica dogmata neſcio quid moliri conamini? Fortaſſis vel Arrium, vel Macedonium reſuſcitare tentatis, & eorum praui dogmatis cineres olim ſopitos in Eccleſiam introducere. Nunquid Maiores veſtri neſcierunt quemadmodum de Spiritu ſancto Romana ferebat Eccleſia? nec tamen aliquando à Romanæ ſedis communione ſeſe remouêre, ſcientes Catholicæ fidei veritatem fore quod tenet & prædicat, nec meritò reprehenſioni patere, quod ſanctarum Scripturarum auctoritate conſiſtit.

Vſque ad Arrij tempus nulla confuſio vexabat credentes, de Patris Filiíque conſubſtantialitate, nec omouſion prædicabatur. Virtus tamen illius verbi credentium mentibus inſita conſiſtebat, quoniam Omnipotentem Filium in nullo diſſimilem Patri fore credebat, benè dictum Saluatoris recolens dicentis: *Qui videt me, videt & Patrem.* Neque Chriſtum aliud quàm creaturarum auctorem omnium, ſciens ex Ioanne dictum; *Omnia per ipſum facta fuiſſe*, nec tamen in Symbolo Apoſtolorum collatione facto continebatur aliud, quàm quod nouimus omnes credere nos oportere in Deum Patrem omnipotentem, & in IESVM Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum. Sufficiebat iſta fides credentium ſaluti; quæ multorum ſanguine Martyrum, & innumerabilium ore Confeſſorum per vniuerſum orbem & approbata eſt, & commendata. Verùm vbi Arrius impugnator veritatis cœpit in Chriſti Diuinitatem inſanire, & blaſphema non pauca iaculari, fidelium mentes ad pietatem incitantur, & veritatis arma contra impietatis errorem proferunt, confodiunt vnà cum authore impium dogma, quod Filium Dei creaturam, & non de Patre genitum; Spiritum quoque ſanctum minorem Filio blaſphemabat.

*Ioan. 14. 9.* — *Ioan. 1. 3.* — Arrij hæreſis quæ.

Poſt quem Macedonius ſurrexit, de Patre Filióque cum Catholicis ſimilia ſentiens, Spiritus verò ſancti perſonam non recipiens. Aduerſus iſtum Catholici decertantes Epiſcopi Spiritum ſanctum probauerunt vnum eſſe in ſancta Tri-

Macedonij.

nitate conſubſtantialem tam Patri quàm Filio, & de Patre procedentem, coadorandum, & conglorificandum Patri Filióque. Dein Arrianâ repullulante veſaniâ, volentéque confirmare, non eſſe rectæ fidei Spiritum ſanctum dicere de Patre procedere, hoc quia videretur eſſe blaſphemum, quoniam duorum profiteretur Pater eſſe; id eſt Filij, ſeu Spiritus ſancti.

Hanc quoque blaſphemiam propellendam decernentes Eccleſiæ Doctores, ſuperaddidere Symbolo Spiritum ſanctum de Filio quoque procedere. Ne ſi de Patre tantùm procedens diceretur, putaretur Filius, nec diceretur Spiritus Filij, quod eſt impium & blaſphemum, & aduerſus Euangelicam Apoſtolicámque doctrinam veniens. Nam ſi velitis dicere, quòd procedere verbum ſatis diſtinguat, ne Spiritus ſanctus putetur eſſe Filius; ſcitote quod etiam de Filio prædicetur: ait enim ipſe in Euangelio Ioannis: *Ego ex Deo proceſſi, & veni.* Si ergo ex Deo Patre procedit Filius, procedit & Spiritus ſanctus. Quid erit quod Arrianis ſilentium imponat, ne Spiritum ſanctum Patris eſſe Filium blaſphement.

---

## CAPVT III.

*Ioan.* 8. 42.

HAnc igitur intuentes cauſam Doctores tam Latinorum, quàm Græcorum, dixerunt Filium quidem ex Patre tantùm genitum, Spiritum verò ſanctum de Patre Filióque procedentem, quomodò Diuinarum edocti magiſterio litterarum intellexerũt tam Patris, quàm Filij Spiritum eſſe; ac propterea de vtroque procedere. Vnde Beatus Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus multa propter Catholicæ fidei conſtantiam ab Arrianis perpeſſus, frequenter etiam exilio illorum factione pulſus, & in Nicæna Synodo Epiſcopo ſuo Beato Alexandro Diaconus aſſiſtens, aduerſus veſaniam Arrij ſingulariter dimicans, in libello de fide quem edidit, & omnibus Catholicis tenendum propoſuit, inter cætera ſic ait: *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre ſolo eſt; non factus, non creatus, ſed genitus.*

Athanaſ. in Symbolo.

*Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non factus, non creatus, non genitus, ſed procedens.* Quam fidei veritatem Latinorum Præſules doctorum comprobantes, & aduerſus praui dogmatis Arriani ſingulare munimen conſiderantes, & de ſcripturis Sanctis propagatam intelligentes, Symbolo fidei ſuperaddidêre, dicentes de Spiritu ſancto; *Qui ex Patre Filióque procedit.* Hanc fidem ex illis temporibus, videlicet Conſtantini, ſub quo Synodus in Nicæa trecentorum decem & octo Epiſcoporum congregata eſt, vſque ad noſtra tempora Occidentalis tenuit Eccleſia. Sed nec Græcorum abdicauit Catholica, quoniam noluit doctrinæ veritatis aliena fieri, ſicut illorum litteris declaratur. Et nunc vos hanc fidem accuſatis neſcio quâ leuitate permoti, quóue errore decepti.

Dicite ſi Spiritum ſanctum, Spiritum eſſe Chriſti profitemini? Quòd ſi negatis, Apoſtolus Paulus contra vos *Rom. 8. 9.*
clamat, qui dicit. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Clamat & ſanctus Lucas, qui dicit: *Et non per-* *Act. 16. 7.*
*miſit eos Spiritus* IESV. Clamat & Petrus: *Dexterà igitur Dei exaltatus effudit hunc, quem vos vidiſtis & audiſtis.* Clamat & ipſe Saluator, qui diſcipulis loquitur: *Si non abiero, Paraclitus non veniet: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Item poſt reſurrectionem diſcipulis inſufflauit, & ait eis: *Accipite Spiritum ſanctum.* Hæc omnia Spiritum ſanctum, Spiritum eſſe Chriſti profitentur. Quod negare cùm non valeatis, neceſſitas illa vos conſtringit, vt velitis nolitis, eum procedere de Filio non negetis: nam vt creaturam eum eſſe dicatis cum Arrio, vel non eſſe cum Macedonio, teſtatur profeſſio, quâ dicitis eum à Patre procedentem: Hoc cùm dicitis, quemadmodum negare conamini à Filio procedere; cùm ſit vtriuſque ſubſtantiæ Patris, ſcilicet & Filij, nec poſſit eſſe de ſubſtantiâ vtriuſque, niſi procedat ab vtròque?

Audiamus quid Gregorius Epiſcopus Nanzianzenus in ſermone de Spiritu ſancto, quem in Eccleſia Conſtantinopolitanâ coram populo fecit die Pentecoſtes, dicat: *Spi-* *Orat. 44. med.*
*ritus*, inquit, *ſanctus erat quidem ſemper, & eſt, & erit neque initium vllum, neque finem habens, ſed Patri ac Filio coæternus:*

*neque enim dignum eſt vt Filium aliquando defuiſſe Patri aut Spiritum Filio.* Dicendo námque Spiritum ſanctum Patri Filióque coæternum, Arrianos expugnat, creaturam eum dogmatizabant. Dicendo verò quòd erat ſemper, & eſt, & erit, Macedonium confutat, qui eum eſſe negabat. At verò profitendo Filium aliquando non defuiſſe Patri, nec Spiritum Filio, vos confutat, qui negatis eum procedere à Filio. Si enim ſecundùm veſtram ſententiam voluiſſet Spiritum ſanctum de Patre tantùm procedere, dicere debuerat nec Filium nec Spiritum ſanctum aliquando defuiſſe Patri: nunc verò cùm dicat nunquam Filium Patri defuiſſe, nec Spiritum Filio, manifeſtè loquitur Filium natum eſſe de Patre ſine vllo tempore, & Spiritum de Filio proceſſiſſe ante omne tempus. Nec tamen negauit eum à Patre procedere, vnde nulla quæſtio fuerat, ſed dixit nunquam defuiſſe Filio, quod in quæſtionem venerat.

*Ibid.* Paulò poſt In conſequentibus quoque de ipſo Spiritu loquens: [ Qui ſanctificet, & non ſanctificetur, Deos faciat, non ipſe fiat Deus; inconuertibilis, immutabilis, ſemper adeſt ſibi ac Patri & Filio, inuiſibilis, intemporalis propriæ potentiæ, omnis potentiæ: ] Cùm dicit eum ſibi ſemper adeſſe & Patri ac Filio, non' obſequij ſeruitutem aſſiſtendo demonſtrat, ſed inconuertibilis, & immutabilis, quòd ſit tam in propria natura, quàm in Patris Filiique ſubſtantia: in propria ſiquidem, quia non eſt apud eum nulla commutatio; Patri verò Filióque ſit immutabilis, quia cuius eſt naturæ Pater & Filius, eiuſdem eſt etiam & Spiritus ſanctus. Patri ſiquidem eſt inconuertibilis, & immutabilis, qui eſt fons & origo prima vniuerſorum; Filio verò quia procedit ab illo, nec eſt diſſimilis illi, nec alterius quàm Filius, ſubſtantiæ; qui quoque dicitur propriæ potentiæ, omnis potentiæ; quia & in propria perſona ſubſiſtit, & quicquid voluerit, in omni creatura facit. *Ibid.* Et infra: [ Hic & vita eſt viuificans, lux & illuminans, bonus & bonitas, qui eſt Dominus omnium, mittens Apoſtolos: inſpirans vbi vult; diuidens donationes prout vult: Spiritus veritatis, Spiritus ſapientiæ; per quem Pater cognoſcitur, & Filius glorificatur.]

Multa prætermus ea colligentes ſola quę præſentem reſpi-

ciunt quæſtionem. Dicitur Spiritus vita eſſe, & Filius de ſe dicit: *Ego ſum vita.* Dicitur viuificans eſſe & Filius de ſe ait: *Sicut Pater quos vult viuificat, ita & Filius quos vult viuificat*: Ergo ſi vita Spiritus, vita & Filius; & viuificans Spiritus, & uiuificans Filius, vnius ſubſtantiæ ſunt, & vnius operationis. Sed vita Filius ex Patre, vita verò Spiritus ex Filio; ſic & viuificans Filius ex Patre, viuificans verò Spiritus ex Filio. Lux quoque Spiritus & illuminans, & Saluator de ſe: *Ego ſum lux mundi.* Euangeliſta Ioannes de Filio qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Igitur ſi vterque lux, & vterque illuminans, Filius videlicet & Spiritus ſanctus, vnius ſunt ſubſtantiæ, vnius & operationis. Sed Spiritus ſanctus vt ſit lux, accipit de luce Filio, & vt ſit illuminans, accipit de Filio illuminante; quemadmodum ipſe Filius teſtatur: *De meo accipiet.* Accipit autem non tanquam non habendo quod accipit, ſed tanquam procedens. Item bonus Spiritus; & Filius de ſe: *Ego ſum paſtor bonus.* Bonitas Spiritus: Chriſtum quoque bonitatem nemo ſanus negabit. Sed bonus, & bonus, & non duo boni ſed vnus bonus, ſicut bonitas & bonitas non duæ bonitates, ſed vna bonitas; quia non duo dij, ſed vnus Deus. Nec Deitas multiplicando ſe, numeri nouit augmentum. Ergo bonus Spiritus ex bono Filio procedens, non naſcens. Et bonitas Spiritus ex bonitate Filio, non naſcendo ſed procedendo. Alioquin ſi de Patre tantum procedat Spiritus, & non de Filio, quomodò quæ ſunt Filij, ſunt etiam Spiritus? Vel quemadmodum de Filio accipit Spiritus?

*Ioan.* 14. 6.

*Ioan.* 5. 11.

*Ioan.* 8. 12.

*Ioan.* 16. 14.

Iamverò quod ait Sanctus Gregorius, Spiritum ſanctum Dominum eſſe omnium, ad omnipotentiam pertinet Spiritus, eo quòd vniuerſorum quæ creata ſunt à Patre per Filium Dominus exiſtat, non ex tempore ſuſcipiendo, ſed æternaliter à Patre Filióque procedendo. Mittens autem Apoſtolos Spiritus ſanctus dicitur, & Saluator eiſdem loquitur: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Monſtratur vna vtriuſque operatio, dum Filius & Spiritus Sanctus ſibi cooperantur. Vnde manifeſtatur nec diuerſæ ſubſtantiæ nec diuerſæ voluntatis, nec diuerſæ potentiæ conſiſte-

*Mat.* 10. 16.

re, quorum extat eadem in omnibus operatio. Referri tamen Filium ad Patrem, de quo naſcitur, & Spiritum ſanctum ad Filium, à quo procedit. Subſequitur Beatus Gre-
*Ibid.* gorius de Spiritu dicens: [ Inſpirans vbi vult; diuidens donationes prout vult. ] Et de Filio: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Quibus oſten-
*Epheſ.4. 8.* ditur ſancti Spiritus maieſta, quòd non ſubiectus, non imperfectus, non minus potens, verùm æqualis Patri ſic Filióque in naturâ, in magnitudine, in omni potentiâ, & in omni virtute. Quòd autem donationes diſtribuit quemadmodùm Filius, non alias, ſed ipſas, nec alio tempore Filius alio Spiritus ſanctus; nec aliis hominibus Filius, aliis Spiritus ſanctus, euidenter oſtenditur vnius operationis effectus, & eiuſdem voluntatis affectus. Et cùm ita ſit, non poſſe Filium eſſe ſine Spiritu ſancto, nec Spiritum ſanctum ſine Filio, tanquam vnius ſubſtantiæ quod ſit vter-
*Ioan. 14. 6.* que, & quòd de Filio procedat Spiritus, dicit etiam Spiritum ſanctum Spiritum eſſe veritatis. Et Saluator de ſe: *Ego ſum veritas.* Ergo dicens Spiritum veritatis eſſe, docet manifeſtè
*Ibid.* Spiritum Chriſti, qui veritas eſt, eſſe.

*1. Cor. 1. 24.* Dicit adhuc Beatus iſte Spiritum ſanctum eſſe ſapientiæ. Paulus Apoſtolus teſtificatur Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam eſſe ſapientiæ. Itaque Spiritus Chriſti Spiritus eſt, qui eſt Dei ſapientia. Igitur euidenter oſtendit Spiritum eſſe Chriſti, dicendo Spiritum veritatis, & Spiritum ſapientiæ. Vnde ergo Chriſti cùm ſit Spiritus Dominus omnium (quemadmodum idem beatus teſtatur Gregorius) nimirum quia procedit à Chriſto: quòd ſi negaueris, fateberis eum ſubiectum, & per hoc vel creaturam, vel minorem Filio. Eſt autem vtrumque hoc blaſphemum, & à Catholica pietate longè remotum. Dicatur ergo quod veritas habet, Spiritum eſſe Chriſti; videlicet & Spiritum veritatis, & Spiritum ſapientiæ, quoniam procedit de Chriſto,
*Ibid.* id eſt procedit à veritate, procedit à ſapientia. Subiungit: [ Per quem Pater agnoſcitur, & Filius glorificatur, &
*Ioan.17. 6.* à quibus ſolis ipſe cognoſcitur. ] Ait autem Filius ad Patrem: *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus quos dediſti mihi.* Si Pater per Spiritum agnoſcitur, & Filius Patris nomen hominibus

minibus manifeſtat, vnius operationis eſſe monſtrantur. Dicit etiam quòd Filius glorificetur à Spiritu ſancto. Et Filius ait: *Eſt Pater meus qui glorificat me.* Et Patri loquitur: *Clarifica me Pater apud temetipſum.* Si Spiritus glorificat Filium, & Pater glorificat Filium, vnum idémque Pater & Spiritus operantur; & ſi pariter operantur, vnius voluntatis & eſſentiæ, vniúſque poteſtatis oſtenduntur. Subiungitur: *Et à quibus ſolis ipſe cognoſcitur.* Si à ſolo Patre Filióque cognoſcitur Spiritus ſanctus, profectò procedit ab vtroque, & eſt vtriuſque conſubſtantialis. Et vide quid dicat, quia glorificatur Filius à Spiritu; quemadmodum legitur, quia Filius glorificat Patrem. Quid eſt autem Patrem glorificare Filium, niſi hominibus manifeſtum facere quòd ſit genitus à Patre? Similiter Filius glorificatur à Spiritu, oſtendens quia procedit à Filio. Multis itaque modis Beatus Gregorius probat Spiritum ſanctum à Filio procedere & vnius eiuſdémque eſſe cum Patre Filióque ſubſtantiæ & concludens: [ Quid opus eſt inquit, pluribus verbis? Omnia quæ Pater eſt, hæc eſt & Filius, excepto eo quod innatus eſt Pater. Omnia quæ Filius eſt, hæc eſt & Spiritus ſanctus, præter hoc quod natus eſt Filius. ] Quid vult iſta diſtinctio & ordinis conſequentia: Filium eſſe quod Pater eſt, præter hoc quod innatus eſt Pater: & Spiritum ſanctum eſſe quod Filius eſt, eo excepto quod natus eſt Filius? potuit namque dicere, omnia quæ Pater eſt eſſe Filium & Spiritum ſanctum, præter hoc quod non natus eſt Pater, nec procedit ab alio: nunc autem Filium eſſe loquitur omne quod Pater eſt, & Spiritum ſanctum, non omne quod Pater eſt, ſed omne quod Filius eſt, excepto natiuitatis priuilegio: nimirum ſic loquens oſtendit, quod Pater non eſt de aliquo, Filius verò de Patre ſolo ſit genitus, Spiritus autem de Filio procedat. Quòd autem & à Patre procedat, paulò ſuperiùs ait, dicens: *Et ad primam omnium originem, qui eſt Pater, ſicut vnigeniti omnia, ita etiam ſancti Spiritus omnia referuntur.* Talia dicens oſtendit omnia quæ ſunt Filij, ad Patrem habere relationem; & omnia quæ ſunt ſancti Spiritus, ad eundem referri velut ad primam omnium originem: quoniam etſi Spiritus procedit à Filio, accepit hoc Filius à Patre,

*Ioan.* 8. 54.
*Ioa.* 17.5.
Ibid. Poſt pauca.

vt naſcendo de Patre Filius, Spiritus ſanctus procederet ab illo; vt omnia quæ ſunt Filij, ſint Patris; & omnia quæ ſunt Spiritus ſancti, ſint etiam Filij: ac per hoc Patris, à quo Filius accepit vt Spiritus ſanctus ab illo procederet, non vt creatus à Patre, ſed genitus, nec minoratus, ſed æqualis potentiæ, nec alterius, ſed vnius eiuſdémque naturæ.

Ibid. Paucis interiectis.

Item in poſterioribus: [ Re enim vera dignum erat, vt cùm IESVS nobis corporaliter aduenißet, etiam Spiritum nobis corporaliter apparere: & cum Chriſtus ad ipſum aſcendiſſet, ipſum deſcendere ad nos; qui venit quidem vt Dominus in poteſtate, mittitur autem tanquam qui non ſit contrarius Deo ]. Et hîc vnam operationem, & vnius concordiæ voluntatem, IESV & ſancti Spiritus, iſte Doctor oſtendit, agens dignum eſſe, vt quia IESVS corporaliter venerit ad nos, Spiritus ſanctus etiam corporaliter appareret nobis. Ex quo vnius voluntatis ſimilitudo monſtratur volente Spiritu ſancto corporaliter ſe monſtrare Mortalibus, quoniam IESVS corporaliter voluerit ſuum aduentum Mortalibus oſtendere, vt quia procedit ex ipſo, vnius voluntatis ſit etiam cum ipſo; nec à Filio ſit opere diuerſus, à quo non ſit natura ſeparatus; & ipſi ſemper ſit coniunctus actione, cui nunquam deeſt per coæternitatem, vt à quo procedit, illi iugiter cooperetur. Quod verò ſubiunxit: [ Et cùm Chriſtus ad ipſum aſcendiſſet, ipſum deſcendere ad nos, ] non minorationem Filij voluit oſtendere, ſed humanitatis ſuſceptionem: per hanc enim non ſolùm ad Spiritum ſanctum aſcendit IESVS, verùm etiam ad ſeipſum; quoniam qui ex humanitate factus eſt intra omnia, per Diuinitatem erat ſupra omnia, ſubiungit: [ Qui venit quidem vt Dominus in poteſtate, mittitur autem tanquam qui non ſit contrarius Deo. ] duo dicit, & veniſſe Spiritum ſanctum, & miſſum eſſe: quòd venit, propriæ poteſtatis eſt, & idcirco dixit, *vt Dominus*. Quòd mittitur, alterius oſtenditur, & idcirco ait: tanquam qui non ſit contrarius illi à quo mittitur. Miſſio verò non ſubiectionem ſignificat, ſed proceſſionem. Mittitur verò à Chriſto, ad quem aſcendit Chriſtus; & mittitur tanquam non contrarius Deo, ideſt Chriſto, qui quidem eſt Deus, cuius voluntati ſemper iun-

*Ibid.* (margin, beside "per Diuinitatem erat ſupra omnia")

gitur à quo & mittitur, quoniam procedit ab illo.

Subdidit: [ Propterea autem poſt Christum, vt vnus nobis paraclitus ( id eſt aduocatus ) vel conſolator; nunquam deſit: idcirco autem alius paraclitus dicitur, vt æqualitatem naturæ ac poteſtatis agnoſcas; alius enim, hoc eſt alius ego; quia alius ego non dicitur de eo qui alterius generis ſit, ſed de eo qui eiuſdem ſit ſubſtantiæ vel naturæ. ] Quòd Chriſtum dicit paraclitum, & Spiritum ſanctum nihilominus paraclitum, & abeunte Chriſto venire Spiritum, ne ſint fideles ſine paraclito, vel Chriſto videlicet vel Spiritu ſancto, liquidò monſtrat vnius eſſe officij, quorum conſtat vnum eſſe vocabulum; & mutuò ſibi ſuccedere, dum dicuntur vnius voluntatis, & operationis oſtenduntur; & cùm Chriſtus aſcendit, Spiritus deſcendit, euidenter à Chriſto mittitur, cuius viciſſitudinem repræſentat. Et Miſſio iſta, proceſſio eſt, quoniam non eſt minoratio, nec ſubiectio. Alius autem, hoc eſt alius ego, mitti Spiritus ſanctus dicitur, per quod ſimilitudo monſtratur omnimoda: neque enim alius ego poteſt dici de eo qui ſit alterius generis, ſed de eo qui ſit eiuſdem ſubſtantiæ, ſeu naturæ. Monſtratur igitur ab eo procedere Spiritus, cuius eſt naturæ, ſeu ſubſtantiæ: neque enim poteſt eiuſdem naturæ, ſeu ſubſtantiæ, cuius eſt Filius, eſſe Spiritus, niſi procedat ab illo. *Ibid.*

Adiungit etiam inferius. [ Ignis ergo Deus, & ignis Spiritus ſanctus. Legitur de Deo quòd ſit ignis conſumens, non quidem naturalis, & corporeus, ſed ſpiritalis & inuiſibilis. ignis ergo Deus Pater, ignis Deus Filius, ignis Deus Spiritus ſanctus: ſed ignis ex nullo igne Deus Pater, quia de nullo ſumens originem; ignis Deus Filius, ſed de Patre igne, quia natus ex illo; & ignis Spiritus ſanctus, ſed de Filio igne, quia procedens ex Filio. ] Ergo dicendo quòd Deus ſit ignis, & ignis Spiritus ſanctus, vnam ſubſtantiam totius Trinitatis oſtendit; Patris quidem & Filij ſocians perſonam, dicendo, ignis Deus: deinde ſubintulit Spiritus ſancti, dicens, & ignis Spiritus ſanctus. Cur autem ſeorſim Patris & Filij perſonas poſuerit ſub Dei vocabulo communiter ſociatas, & Spiritus ſancti ſeorſim diſtinguere maluerit; res in euidenti eſt. Voluit vtique monſtrare tali diſtinctione, ignem

Ibid. ſed Senſum potiùs quã verba attexit Ratramnis.

Spiritum ſanctum de igne Patre Filióque procedere.

Sanctus Gregorius cùm in Eccleſia Conſtantinopolitana de Spiritu ſancto talia tractaſſet, & litteris mandaſſet, quibus probauit Spiritum ſanctum conſubſtantialem Patris Filiíque eſſe, & de Filio procedentem, nec tamen proceſſionem eius à Patre vel ſilens, vel derogans, ſed omnipotentiam eius, & dominationem eius, Patri Filióque per omnia coæquans, num repulſus eſt ab Eccleſia? Num illius ſermo reprobatus? Num vel à ciuibus, vel ab Imperatore, in communionem minimè ſuſceptus? Fuit certe venerabilis iſte Doctor Gratiani, ſiue Theodoſij Maioris Imperatorum Romanorum temporibus; ex qua vſque ad noſtra tempora pluſquam quingenti tranſierunt anni, & nunquam à Filio Spiritus ſancti proceſſio denegata eſt, nec ex eo inter Catholicos vlla quæſtio facta, præterquam modò veſtris temporibus; verùm ſemper & Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ ſimilis eadémque de Spiritu ſancto fidei manſit profeſſio, quæ nunc res iſta poſt tot ſæcula quæſtionis huius genuerit propoſitionem, vos videritis, nulla tamen vel probitatis, vel ſapientiæ ratio comprobatur, cur in hoc deueneritis, quoniam talia dicendo Catholicæ fidei repugnatur, & veritati reſiſtitur, & ſacris paginis obuiatur.

---

## CAPVT IV.

AMbroſius Mediolanenſis Epiſcopus; vir omnium ſplendore virtutum decoratus, aduerſus Arianos certamina non pauca conficiens, nec paucis ab eis perſecutionum injuriis appetitus, in Libris quos de Spiritu ſancto aduerſus Arrianam prauitatem eloquentiſſimè ſcripſit, & Euangelica veritate roborauit, ait: [Si Chriſtum dicas, & Deum Patrem à quo vnctus eſt Filius, & ipſum qui vnctus eſt Filium, & Spiritum * qui vnxit deſignaſti: & ſi Patrem dicas, Filium ejus & Spiritum oris ejus pariter indicaſti; ſi tamen etiam id corde comprehendas. Et ſi Spiritum dicas, & Deum Patrem, à quo procedit Spiritus, & Filium, quia Filij quoque eſt Spiritus.] Docet Beatus Ambroſius vno nun-

*Lib. 1. cap. 3. ante med.*

*al. * quo vnctus eſt.*

cupato, Patre videlicet, vel Filio, vel Spiritu ſancto, totius Trinitatis fieri comprehenſionem; demonſtrans tantam in tribus æqualitatis ſimilitudinem, vt vno vocabulo tres perſonæ contineantur, etſi non vocis diſtinctione, vnitatis tamen æqualitate. Quòd autem dicit à Patre procedere Spiritum, nulla hinc quæſtio, nobiſcum enim id fatemini: quòd autem ait Filio nuncupato, Spiritum pariter nuncupari, quia Filij ſit Spiritus, hinc à nobis diuidimini: qui enim profiteri diffugitis Spiritum à Filio procedere, pariter quoque diffugitis dicere quòd ſit Spiritus Filij: ſi non enim ab illo procedit, non rectè dicitur Spiritus eius: dicitur autem Spiritus Patris, quia procedit à Patre, ac per hoc, nuncupato Filio, non ſimul intelligitur nuncupatio Spiritus ſancti; non enim poteſt illius nuncupatione comprehenſus oſtendi, cuius non eſt Spiritus; non eſt autem eius à quo non procedit, ſanctus autem Ambroſius dicit quia Filij ſit Spiritus, procedit igitur à Filio.

In conſequentibus idem loquitur: [Qui Spiritum ſanctum* negabit, & Deum Patrem* negabit & Filium: quoniam idem eſt Spiritus Dei, qui Chriſti Spiritus eſt: vnum autem eſſe Spiritum nemo dubitauerit.] Quanta ſit vnitas, quanta conſubſtantialitas Spiritus cum Patre Filióque monſtrat, dum dicit: quia qui negat Spiritum, negat quoque pariter Patrem & Filium; quia vnus Spiritus eſt amborum. Vnde námque Patris eſt? quia procedit à Patre: hinc quoque Filij pariter eſt, quia procedit à Filio: non enim duo, ſed vnus eſt Spiritus: nec enim alius dicitur eſſe Patris, & alius Filij Spiritus, ſed vnus amborum, procedit igitur ab vtroque. In poſterioribus: [Non ergo quaſi ex loco mittitur Spiritus, aut quaſi ex loco procedit, quando procedit ex Filio, ſicut ipſe Filius cùm dicit, de Patre proceſſi & veni.] Manifeſtè Spiritum ex Filio procedere teſtatur. Verùm ne iſta proceſſio de corporalibus ſpatiis metiatur, ipſe Filius hanc opinionem excludens, ait de Patre, *Proceſſi & veni.* Procedit autem Filius de Patre non ſpatio loci, ſed natiuitatis egreſſu: procedit Spiritus ſanctus à Filio nec loci ſpatio, nec natiuitatis egreſſu, ſed exiſtentiæ proceſſu.

*Eodem cap. ſub finem.*

Al. negauit.

*Ibid. cap. 10. ante med.*

*Ioan. 8. 42.*

Inferiùs loquens de proceſſione Filij ex Patre ſic infit:

*In med. eiuſdem cap.* [Neque cùm de Patre exit, de loco recedit, & quaſi corpus à corpore ſeparatur. Neque cùm * eſt cum Patre tanquam in corpore corpus includitur: Spiritus quoque ſanctus cùm procedit à Patre & à Filio, non ſeparatur à Patre, non ſeparatur à Filio.] Præcipuus iſte Doctor, & clariſſimus Chriſti Confeſſor, dicens procedere Spiritum ſanctum à Patre, procedere & à Filio, Arrianis, aduerſus quos agebat, blaſphemandi ſuſtulit occaſionem, ne, qui dicebant eum fore creaturam, & minorem non ſolùm Patre, verùm etiam Filio, victoriæ palmam referrent. Verùm audientes eum ex vtroque procedentem, cognoſcerent Patris Filiíque conſubſtantialem, ac pariter cum eis coadorandum & conglorificandum. Et inferiùs Filium dicentem teſtatur: *Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

*al.* * in Patre eſt.

*Ioan.* 14. 23.

Ibid. ſub med. [Sic igitur venit Spiritus, quemadmodum venit Pater; quia vbi Pater eſt, ibi eſt & Filius; & vbi Filius, ibi eſt & Spiritus ſanctus.] Quid eſt autem quod ait, quia vbi Pater eſt, ibi eſt & Filius, niſi quia Filius de Patre natus eſt, à quo nunquam diuiditur: & quid eſt, vbi eſt Filius, ibi eſt Spiritus ſanctus? niſi quia de Filio procedit Spiritus ſanctus, à quo nunquam ſeparatur, & ineffabilem oſtendit totius Trinitatis conſubſtantialitatem, cùm Filium teſtatur ſemper in Patre eſſe, & Spiritum S. ſemper eſſe in Filio, vt vbi Pater ſit, ſit & Filius; & vbi Filius, ſit quoque Spiritus ſanctus, non loco, non tempore, non voluntate, non actione, non eſſentiâ diuiſi.

*Ibid. cap.* 12. *ſub med.* Item poſteriùs: [Sicut Pater tradidit Filium, & Filius ipſe ſe tradidit: accipe quia Spiritus S. eum tradidit: ſcriptum eſt enim;

*Matt.* 4. Tunc IESVS ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo. Ergo & Spiritus diligens tradidit Filium: eſt enim vna caritas Patris & Filij.] Dum dicit caritatem vnam eſſe Patris & Filij, teſtificatur vnum eſſe Spiritum vtriusque; eſt enim Spiritus caritas. Dicit Apoſtolus: *Fructus enim Spiritus, caritas.* Monſtratur ergo Spiritus à Patre & Filio procedere, quorum eſt caritas: non enim poteſt caritas Patris eſſe niſi de Patre procedat; quia non aliunde caritatem accipit: neque Filij caritas poteſt eſſe, niſi procedat à Filio: quomodò quâ diligit caritas ex ipſo procedit: & quomodò vna

caritas eſt Patris atque Filij, vnus Spiritus eſt vtriuſque procedens ab vtroque.

In ſecundo libro ſic dicit: [ De Filio Spiritus ſanctus accepit. Accepit autem per vnitatem ſubſtantiæ, ſicut accepit à Patre Filius. ] Hoc dicens, nonne clariſſimè docet, quod accepit Spiritus ſanctus à Filio? & quod accepit, procedendo accepit; quemadmodum Filius quod accepit à Patre, naſcendo accepit: num aliud potuit accipere Spiritus ſanctus à Filio quod anteà non habebat, cùm ſit vnius ſubſtantiæ cum Filio, vnius potentiæ: & quæcumque Filius habet, habeat etiam & Spiritus ſanctus? ſubiungit ſanctus Ambroſius teſtimonium ex Euangelio: *Ille*, iniquit, *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt; proptereà dixi, de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Subſequitur; [ Quid igitur hac euidentius vnitate? Quæ habet Pater, Filij ſunt: quæ habet Filius, accepit & Spiritus. ] Hæc ſancti Ambroſij verba planiſſimè teſtantur Spiritum ſanctum à Filio ſubſtantialiter proceſſiſſe; ait namque: Quæ habet Pater Filij ſunt, id eſt, ſubſtantialiter natus de Patre, quæ ſunt Patris ſunt & Filij: ſimiliter & Spiritus ſanctus ſubſtantialiter procedens de Filio, accepit à Filio, vt quæcumque Filius habet, habeat & Spiritus, id eſt, vt ſit ejuſdem ſubſtantiæ cum Filio, ſicut eſt Filius ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre. Item in conſequentibus: [ Quod loquitur Filius, loquitur & Pater; & quod Pater loquitur, loquitur & Filius: & de Spiritu Filius Dei dixit: Non enim loquitur à ſe, hoc eſt, non ſine mea & Patris communione (non enim diuiſus ac ſeparatus eſt Spiritus) ſed quæ audit loquitur: audit videlicet per vnitatem ſubſtantiæ, & proprietatem ſcientiæ. ] Dum confitetur Doctor iſte Catholicus Spiritum ſanctum non loqui ſine Patris Filiíque communione; videlicet loquente Spiritu, loquitur Pater, loquitur & Filius, teſtatur eumdem eſſe Patris & Filij conſubſtantialem, & ejuſdem operationis, nec diuiſum, nec ſeparatum. Et quod addidit: Quæ audit loquitur, proceſſionem ejus inſinuat: non enim quibuſdam interjectis ſpatijs, vel aliquibus foraminibus audit Patris Filiíque locutionem Spiritus, cùm ſit ejuſdem ſub-

*Lib. 2. cap. 12. Poſt init.*

*Ioan. 16.*

Ibid.

*Ibid. ante med.*

Ioan. 15. 15. ſtantiæ. Et ſicut dicit Filius: *Omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis*: Naſcendo videlicet de Patre, & in Patris ſubſtantia permanendo, non aliquibus interuallis Patris locutionem percipiendo: ſic & Spiritus quæ audit loquitur, procedendo ſcilicet de Patre Filióque, quia ſubſtantialiter manens in vtroque, & procedens ab vtroque, audit quæ loquitur per vnitatem ſubſtantiæ & proprietatem ſcientiæ.

*Ibi. Paulò poſt.* Et infra: [ Omnia Patris habet Filius, qui ait: Omnia quæ Patris ſunt, mea ſunt, & quæ accepit ipſe per vnitatem naturæ, ex ipſo per eamdem vnitatem accepit Spiritus; ſicut ipſe Dominus IESVS declarat de Spiritu ſuo dicens: Propterea dixi, de meo accipiet, & annuntiabit vobis. ] Dicens omnia Patris quæ ſunt habere Filium, rurſus & omnia quæ accepit ipſe à Patre, per vnitatem naturæ Spiritum accepiſſe ex ipſo, id eſt ex Filio; nonne manifeſtè declarat Filium ex Patre natum, id eſt ex paterna ſubſtantia, Spiritum quoque ſanctum ex Filio procedere, id eſt Filij ſubſtantia; & ſicut Filius naſcendo omnia quæ Patris ſunt, accepit; ſic & Spiritus ſanctus procedendo de Filio, quæcumque ſunt Filij ſuſcepit? *Ibid.* Et infra: [ Quod ergo loquitur Spiritus Filij eſt; quod dedit Filius, Patris eſt]. Igitur ſi quod loquitur Spiritus Filij eſt, manifeſtè Doctor iſte teſtatur quia quæcumque Spiritus habet à Filio ſuſcepit, quia procedit ex ipſo; & ſi quod dedit Filius Patris eſt, cui verò dedit? Nimirum Spiritui ſancto qui de illo procedit: & ſi quod dedit Patris eſt, accepit de Patre naſcendo Filius, vt ex ipſo procedat Spiritus ſanctus. *Ibid.* Subjunxit: [ Ita nihil à ſe aut Filius loquitur aut Spiritus, quia nihil extra ſe Trinitas loquitur. ] Tota Trinitas in Patre, Filio, Spiritúque conſiſtit. Nihil autem loquitur Filius à ſe, quia non eſt à ſe, ſed à Patre. Similiter nihil loquitur Spiritus à ſe, quia non eſt à ſe, ſed à Filio: ſolus autem Pater ex nullo. Ergo cùm loquitur Filius, tota Trinitas loquitur; & cùm loquitur Spiritus tota Trinitas loquitur; & cùm loquitur Pater, tota Trinitas loquitur; quia nihil extra ſe Trinitas loquitur, quia non diuiditur à ſe, nec ſeparatur.

*Lib. 3. c. 1. med.* Item eiuſdem Operis in tertio libello: [ Nam ſecundum diuinitatem non ſupra Chriſtum eſt Spiritus, ſed in Chriſto: quia ſicut Pater in Filio, & Filius in Patre; ita Dei Spiritus

& Spiritus

& Spiritus Chriſti in patre eſt & Filio. ] Beatus Ambroſius dicens ſecundum diuinitatem Spiritum non eſſe ſuper Chriſtum, ſed in Chriſto, diſcernit humanitatem eius à diuinitate: legimus in Euangelio, quia venit Spiritus S. ſuper Saluatorem, & manſit ſuper eum: & Pater loquitur Ioanni: *Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum.* Itaque ſecundùm humanitatem venit Spiritus ſuper Chriſtum, & manſit ſuper ipſum; at verò ſecundùm diuinitatem manet in Chriſto, quoniam æqualis eſt ipſi, vniuſque ſubſtantiæ cum ipſo; ſicut & de Patre ſcribitur, quòd maneat in Filio, & Filius in Patre. Quod ſubiunxit, Spiritum Dei, & Spiritum Chriſti in Patre manere, ſeu Filio, teſtatur vnum vtriuſque Spiritum, eo quòd ab vtroque procedat, & maneat per conſubſtantialitatem in ambobus: Subjungit: Manet enim in Ibid.
Deo, quia ex Deo eſt, ſicut ſcriptum eſt; [ Nos autem non Spiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt: Et manet in Chriſto quia à Chriſto accepit, & in Chriſto eſt. Quia iterum ſcriptum eſt: Ille de meo accipiet. ] Vnde eſt ergo ex Deo Spiritus? nempe quia procedit ex Deo. Et vnde accepit à Chriſto? Certè quia procedit à Chriſto. Et vnde manet tam in Deo quàm in Chriſto? Prorſus quia conſubſtantialis eſt vtriuſque. Dicit in ſequentibus loquens de Antichriſto: [ Quem Dominus IESVS interficiet Spiritu *2. Theſſ.* oris ſui. Hìc non acquiſita gratia eſt, ſed indiuidua manet vnitas; quia neque Chriſtus ſine Spiritu, neque Spiritus poteſt eſſe ſine Chriſto: non enim poteſt diuinæ naturæ vnitas ſeparari. Hìc quoque ſanctus Ambroſius humanitatis ac diuinitatis Chriſti ſeparationem oſtendit, non quòd alius ſit homo, & alius Deus Chriſtus, ſed quòd perfectus Deus, & perfectus homo, ſit vnus Chriſtus; homo tamen gratiâ factus eſt Deus: Deus verò naturâ exiſtit Deus. Itaque cùm diceret: *Quem Dominus* IESVS *interficiet Spiritu oris ſui.* & ſubiunxerit: Non hìc acquiſitam gratiam eſſe, humanitatem remouit, vt Spiritus oris, quo ſit Antichriſtus interficiendus, diuinitatis intelligatur Spiritus, videlicet Spiritus ſanctus, qui eſt in ſancta Trinitate vna perſona; vt quod ait; *Quem Dominus* IESVS *interficiet Spiritu oris ſui*, Spiritum S. intelligas, qui ſit Spiritus Domini IESV ſimul videndum,

Eodem lib. c. 7. in fine; & c. 8. init.

F

quia cùm de eodem Spiritu dicatur quòd ſit Spiritus oris Domini, & nunc dicitur quòd ſit Spiritus oris Domini IESV, clariſſimè monſtratur Spiritus ſanctus procedere ex ore Domini IESV, non quòd ſecundùm diuinitatem os habeat, ſed quòd de ſubſtantia illius procedat; quemadmodum dicitur Spiritus oris Domini, quoniam procedit de Patris ſubſtantia. Igitur euidentiſſimâ monſtratur aſſertione procedere Spiritum tam de Patre quam de Filio, dum legatur quòd ſit Spiritus oris & Patris & Filij.

Proſequitur Beatus Ambroſius indiuiduam manere vnitatem tam Chriſti quàm Spiritus; quia [ neque Chriſtus ſine Spiritu, neque Spiritus poſſit eſſe ſine Chriſto. ] Non poteſt eſſe Chriſtus ſine Spiritu tanquàm ſibi conſubſtantiali, & qui ex ſe procedat; neque rurſus Spiritus poteſt eſſe ſine Chriſto, tanquàm cui conſubſtantialis eſt, & à quo accepit quæcumque Chriſtus habet. Connectitur cauſa cur ita ſit, videlicet quoniam non poteſt diuinæ naturæ vnitas ſeparari. Hoc dicens fatetur naturam Chriſti, naturam eſſe Spiritus, & naturam Spiritus naturam eſſe Chriſti, nec vnitatis compagem aliquomodo poſſe ſeparari, præter quàm Filius natus, Spiritus verò procedens; ſed hæc non ſubſtantiam faciunt, ſed relationem oſtendunt. Inferius loquitur: Lectum eſt, quia Verbi gladius Spiritus ſit: ſimiliter lectum eſt, quia Spiritus ſancti gladius Verbum Dei ſit. Et nonnullis per aſſumptionem interpoſitis colligendo concluſit, ita: [ Cùm igitur Verbi gladius Spiritus ſanctus ſit, & Spiritus ſancti gladius Verbum ſit, vtique vnitas eſt potentiæ. ] Sed gladius Verbi quid eſt niſi ipſum Verbum? Et gladius Spiritus quid eſt, niſi ipſe Spiritus? Ex quo colligitur, quia Spiritus ſanctus Verbi eſt Spiritus, cuius eſt gladius, & Verbum Spiritus ſancti eſt, cuius eſt gladius; quoniam nec Verbum ſine Spiritu ſancto, nec Spiritus ſanctus ſine Verbo, quoniam vnius ſunt operationis, ejuſdémque potentiæ; cùm ita ſit, non poſſunt ſubſtantiâ ſeparari, neque voluntate diuidi. Igitur vnius ſubſtantiæ, vniúſque voluntatis Filius & Spiritus ſanctus exiſtentes procedit Alter ab Altero, id eſt Spiritus ex Filio, quoniam Filius natus de Patre, omnia quæ naſcendo accepit à Patre, dedit Spiritui, non quaſi mi-

Cap. 8. init. cætera non extant apud Ambroſ. in editis.

Ibid.

*Epheſ.* 6. 17.

Hæc in fine cap. 8.

nori, nec tanquam extraneo, ſed tanquam à ſe procedenti. Videndum autem quia cùm dicitur Spiritus S. gladius Verbum, & Verbi gladius Spiritus S. non perſonarum fit coniunctio, ſed ſubſtantiæ monſtratur copulatio, vt vnius ſint ſubſtantiæ, cùm non ſint vnius perſonæ. Eſt autem alter ex altero, Spiritus videlicet ex Filio, non verò Filius de Spiritu ſed de Patre. Hoc modo ſanctus Ambroſius de Spiritu S. ſentiens atque diſputans, non Imperatoribus Græcorum, Gratiano videlicet & Theodoſio Maiori, quorum temporibus enituit, vel ingratus vel hæreticus viſus eſt, qui toto ſanctum virum amore coluerunt, & præcipua veneratione ſemper habuêre. Cuius diſputatio, & pro Catholica fide labor indefeſſus, Arrianos Eccleſiam impugnantes expugnauit, vicit, oppreſſit. Videte nunc vos Imperatores quorum ſtudeatis, vel fidem defendere, vel religionem imitari: ecce negando Spiritum ſanctum à Filio procedere, Catholicis obuias feciſtis manus Epiſcopis, qui Arrianos prauè de Spiritu ſancto ſentientes protriuêre, & veſtrorum maiorum, Romanorum videlicet Imperatorum, pietatem euertitis, qui hanc fidem ſemper coluêre, & pro ea decertantes multa veneratione dilexêre:

---

## CAPVT V.

DIDIMVS Alexandrinus, corporalibus quidem à puero captus oculis, verùm ſpiritali viſione ſatis illuſtris, in libro quem de Spiritu ſancto ſcripſit, ſic loquitur: [ Igitur quicumque communicat Spiritui ſancto, ſtatim communicat & Patri & Filio. Et qui caritatem habet Patris, habet eam à Filio contributam per Spiritum S. Et qui particeps eſt gratiæ IESV Chriſti, eandem gratiam habet datam à Patre per Spiritum ſanctum. ] Ex quibus omnibus approbatur eandem operationem eſſe Patris & Filij & Spiritus ſancti. Diligenter dicit, retractemus, Ait ergo: Quicumque communicat Spiritui ſancto; is autem communicat Spiritui, qui particeps efficitur ipſius, iſte ſtatim communicat & Patri & Filio: particeps enim eſt factus tam Patris quàm Filij per Spiritus communicationem. Monſtratur ex hoc Spiritus con-

*Extat in fine tomo 6. Operũ S. Hier.* Lib. 1. lõgè poſt med.

Ibid.

ſubſtantialis eſſe Patris Filiíque,& adeò conſors, vt non poſſit haberi Spiritus, niſi pariter habeatur Pater & Filius. Subiungit: [ Et qui caritatem habet Patris, habet eam à Filio contributam per Spiritum Sanctum. ] Superiùs conſubſtantialitatem tantummodò Patris & Filij monſtrauit, iamverò docere incipit proceſſionem Spiritus. Caritatem autem Patris appellat Spiritum Sanctum, ſicut ex poſterioribus approbatur, dicens eam contributam per Spiritum Sanctum. Non enim tribuit Spiritus Sanctus niſi proprium munus cùm tribuit caritatem. Et de caritate ſcribitur quòd ſit Deus; ergo tribuens caritatem Spiritus, ſemetipſum tribuit, quoniam ipſe caritas eſt: ſed hęc caritas Patris eſſe dicitur, quoniam Spiritus, Patris eſt Spiritus: & vnde illius Spiritus? quia procedit ex ipſo: non enim creaturarum vnus eſt Spiritus, vt ſit alterius quàm Patris ſubſtantiæ. Quapropter non tanquàm ab eo creatus eius eſſe dicitur, ſed tanquàm conſubſtantialis & ex illo procedens. Dicit autem habenti caritatem Patris, contributam à Filio per Spiritum Sanctum: quemadmodum igitur contribuit Filius munus Spiritus Sancti? Videlicet velut cooperator Patri Spirituíque. Sed quemadmodum poteſt tribuere ſibi coæqualem: vel alterius, ideſt Spiritus Sancti donum? Certè quia caritas, quæ eſt Patris, & quæ à Filio contribuitur per Spiritum Sanctum, eſt etiam Filij; quia quæcumque ſunt Patris, ſunt & Filij. Sed nunquid caritas: quæ eſt Spiritus Sanctus, ſic eſt filij, vt ſit creatura? nequaquam prorſus; ſed tribuitur à Filio, quia procedit ex illo; & eſt Filij, quoniam conſubſtantialis eſt illi.

Ibid. Subiungitur [ Et qui particeps eſt gratiæ IESV-Chriſti.] Gratiam hoc in loco IESV-Chriſti dicit, quam ſuperiùs caritatem Patris appellauit. Quid eſt autem quòd gratiam IESV-Chriſti nunc dicat, quam conſtat eſſe munus Spiritus Sancti? Proculdubio monſtrat à IESV-Chriſto contribui, cuius exiſtit gratia; vt ſicut dicitur caritas Patris, quia procedit à Patre, ſic eadem caritas, quam appellat gratiam IESV-Chriſti, procedere cognoſcatur à IESV-Chriſto. Eandem autem gratiam quiſquis habet Chriſti, dicit ei datam per Spiritum Sanctum; vt quidem videamus cooperantem ſibi totam Trinitatem, & teneamus Spiritum San-

ctum, qui eſt caritas Patris & Filij procedere tam à Patre quàm à Filio. Subſequitur: * *ex quibus omnibus approbatur eandem operationem eſſe Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Quorum autem eſt eadem operatio, vna eſt quoque voluntas: & quorum vna voluntas, vna eſt ſubſtantia. Hinc eſt quod ſubiungit: *Quorum autem eſt vna operatio, vna eſt & ſubſtantia; quia quæ eiuſdem ſubſtantiæ* ὁμόσια *ſunt, eaſdem habent operationes: & quæ alterius * ſubſtantiæ ſunt, diſſonas atque diuerſas.* Approbat Spiritum Sanctum vnius cum Patre Filióque ſubſtantiæ, quoniam eandem cum eis habet operationem. Sed oſtenſum eſt ſuperiùs, Patris & Filij Spiritum eſſe, quoniam procedat tam à Patre quàm à Filio. In poſterioribus ait: cùm enim dixerit in tempore reſpondendi, nimirum Filius, doceri diſcipulos à Spiritu, quid debeant reſpondere, in ſequentibus ait: [ Ego enim dabo vobis ſapientiam cui non poterunt reſiſtere & contradicere. Ex quibus oſtenditur ſapientiam, quæ diſcipulis datur à Filio, Spiritus Sancti eſſe ſapientiam; & doctrinam Spiritus Sancti, Domini eſſe doctrinam. ] Quemadmodum autem ſit ſapientia, quæ datur à Filio, Spiritus ſancti, non aliàs, niſi quia procedit Spiritus ſanctus à Filio, cuius ſapientia, ſapientia eſt quoque Spiritus ſancti, Et quomodo doctrinam Spiritus ſancti, doctrinam dicit eſſe Domini? Videlicet eo quòd omnia quæ ſunt Spiritus ſancti ſint etiam Domini IESV Chriſti; quoniam procedit ex ipſo. Vnde ſubiungit: [ Vnúmque & naturæ & voluntatis conſortium Spiritus eſſe cum Filio. Teſtantur hæc Spiritum S. procedentem à Filio, dum vnius & naturæ & voluntatis ſit Spiritus cum Filio: alioquin ſi non procedat ab ipſo Spiritus, non eſt eiuſdem voluntatis, cuius eſt Filius: nam quæ ſeparantur conſortio, ſeparantur etiam voluntate. Dicit etiam: [ Et quia ſuperiùs demonſtratum eſt ſocium eſſe per naturam Spiritum vnigenito Deo, & Deo Patri: Filius verò & Pater vnum ſunt, iuxta illud: ego & Pater vnum ſumus. Indiuiſa & inſeparabilis ſecundum naturam oſtenſa eſt Trinitas. ] Si per naturam ſociatur Spiritus vnigenito Deo, & Deo Patri, procedit ab vnigenito Deo. Quòd ſi tantùm procedit à Deo Patre, & non procedit ab vnigenito Deo; Patri quidem ſo-

Ibidem. *al.** in omnibus enim

*Additur in texto.* ἀνομιούσιας *al.** diſſona atque diuerſa.

*Matt* 10. 19. *Luc.*21.15. Didymus Ibid. poſt pauca.

Ibidem.

Ibidem.

*Ioann.*10. 30.

ciatur per naturam, vnigenito verò Deo non coniungitur: non enim iungi poteſt ei per naturam, à quo non procedit Sed Auctor teſtatur eſſe, ſocium iſte per naturam Spiritum vnigenito Deo: fatetur ergo procedere Spiritum ab vnigenito Deo. Et quoniam indiuiſam & inſeparabilem ſecundum naturam dicit eſſe Trinitatem, fatetur Filium de Patre genitum, Spiritum verò de Patre Filióque procedentem. Quòd ſi de Patre doceas, tantùm procedere Spiritum, iam non eſt indiuiſa & inſeparabilis Trinitas; quoniam Spiritus diuiditur à Filio, à quo non procedit: ſeparatur ab vnigenito, cuius non eſt Spiritus. Procul hæc ſit à catholicis membris impietatis opinio: eſt enim indiuiſa & inſeparabilis ſecundùm naturam ſancta Trinitas; quoniam Pater de nullo, Filius verò de Patre genitus, Spiritus autem ſanctus de Patre Filióque procedens.

*Matt.* 10. 20. Item dicit: [In alio quoque Euangelio legitur: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Si ergo Spiritus patris in Apoſtolis loquitur, docens eos quæ debeant reſpondere, & quæ docentur à Spiritu, ſapientia eſt, quam non poſſumus alium præter Filium intelligere; liquidò apparet eiuſdem naturæ Spiritum eſſe cum Filio, & cum Patre; cuius eſt Spiritus. Porrò Pater & Filius vnum ſunt.] Dicit Author iſte ſapientiam, quam docet Spiritus Patris Apoſtolos, Filium eſſe. Si ſapientia Filius eſt, & Spiritus ſanctus ſapientiam, quæ Filius eſt, loquitur in Apoſtolis, accipit à Filio. Quemadmodum autem accipit? procedendo certè, non participando quod ante non habuerit: non enim fuit aliquando Spiritus ſine ſapientia, ſed accepit à Filio vt ſemper eſſet ſapiens, ab ipſo procedens; quia vnius eſt naturæ cum Filio & cum Patre, cuius eſt Spiritus: quod ſic non dixit, vt non etiam Spiritum Filij ſignificaret; cuius ſapientiam dixit loqui Spiritum, ſed quia ſuperiùs dixerat: *Non*
Ibid. *enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri.* Nam dicit in poſterioribus: Porro Pater & Filius vnum ſunt. Si Pater & Filius vnum ſunt, Spiritus qui Patris eſt, eſt etiam & Filij; ac per hoc ex vtroque procedens. In poſterioribus
Didymus lib. 2. poſt init. cùm non pauca de Patris & Filij & ſancti Spiritus conſubſtantialitate tractaſſet, concluſit: [Ex his colligitur

quamquam indiuiſa ſit ſubſtantia Trinitatis, & Patrem tamen verè Filij eſſe Patrem, & Filium verè patris Filium, & Spiritum ſanctum verè patris & Dei eſſe Spiritum; & inſuper ſapientiæ & veritatis, id eſt, Filij Dei. [ Si ergo Pater Filij Pater eſt, quia genuit illum; & Filius patris Filius, quia genitus eſt ab illo; & Spiritus ſanctus verè Patris Spiritus, quia procedit ab illo, conſequenter & ſapientiæ & veritatis, id eſt Filij Dei Spiritus eſt, quoniam procedit à Filio, id eſt procedit à veritate, procedit à ſapientia, procedit à Deo, id eſt Filio: ideò námque cùm dixiſſet Spiritum ſanctum Spiritum eſſe veritatis, intulit, *Et Dei*
*eſſe Spiritum*, perſonam Filij volens intelligi. Sed ne tituba- Ibid.
tio Lectorem confunderet, ait in conſequentibus, Spiritum ſapientiæ & veritatis, id eſt Filij Dei.

In poſterioribus inquit. [ Porrò iam frequenter oſtendi- Ibid.med.
mus eiuſdem eſſe operationis Spiritum, cuius eſt Pater & Filius, & in eadem operatione vnam eſſe ſubſtantiam, & reciprocè eorum quæ ὁμόστε ſunt, operationem quoque non eſſe diuerſam. ] Operatio Spiritus eadem eſt quæ & patris & Filij operatio; quoniam conſubſtantialis eſt vtriuſque tanquam procedens ab vtroque: non enim poteſt eis eadem operatione coniungi, ſi non ab vtroque procedit: diuiditur námque ſubſtantia quibus proceſſione non cohæret, nec aliter poteſt vel Patri vel Filio ſubſtantialiter copulari, quoniam vt ſit ſubſtantia Spiritus accepit tam à Patre quàm à
Filio procedendo. Item infra: [ In conſequentibus de Spiri- Ibid. multis interiectis.
tu veritatis, qui à Patre mittitur, & ſit paraclitus, Salua-
tor ait: Non enim loquitur à ſemetipſo; hoc eſt ſine me, *Ioan.* 16.
& ſine meo & & Patris arbitrio; quia inſeparabilis à mea 13.
& Patris eſt voluntate: hoc enim ipſum quod ſubſiſtit &
loquitur, * ego veritas loquor; ſi quidem Spiritus veritatis *al* * à Patre & me illi eſt Ego veritatem loquor, id eſt, inſpiro quę loquitur. Siquidem &c.
eſt. ] Manifeſtè Doctor iſte nos inſtruit Spiritum ſanctum eſſe à Filio: nam cùm dicit; *Non enim loquitur à ſemetipſo*, oſtendit eum à ſemetipſo non eſſe; propter quod explanans quod dixit: [ Hoc eſt ſine me & ſine meo & Patris arbitrio; oſtendit à quo ſit, qui non loquitur à ſemetipſo, à Patre ſcilicet eſt & à Filio, ſine quibus, & ſine quorum non loquitur arbitrio. Et dicens: [ Hoc enim ipſum quod ſub-

ſiſtit & loquitur, ego veritas loquor : ] oſtendit ſubſiſtentiam Spiritus eſſe à Filio. Et ſi cùm loquitur Spiritus, loquitur veritas, hoc eſt Filius, oſtendit quia quod loquitur, & quod ſubſiſtit Spiritus, accepit à Filio. Et inculcans idipſum, vel vt apertiùs quod dixerat, faciens; [ id eſt inſpiro quæ loquitur. ] Quomodo inſpirat? nimirum cùm ab illo procedit. & connectit : [ Siquidem Spiritus veritatis eſt: quod eſt dicere, Spiritus Filij eſt. Quibus omnibus demonſtratur quod ſit Spiritus Filij, & quod inſpiretur à Filio, id eſt procedat ab illo. Et quia quod loquitur Spiritus, & ſubſiſtit Spiritus; accipit à Filio, non tanquam minor, ſed tanquam conſubſtantialis, & ex illo procedens.

Ibid.

Ibid.

Ibid. Nonnullis interiectis.

Item infra: [ Loqui ergo Patrem, & audire Filium; vel ècontrario, Filio loquente audire Patrem, eiuſdem naturæ in Patre & Filio; conſenſúſque ſignificatio eſt. Spiritus quoque ſanctus, qui eſt Spiritus veritatis, Spiritúſque ſapientiæ, non poteſt Filio loquente audire quæ neſcit; cùm hoc ipſum ſit quod profertur à Filio. ] Dicens loquentem Patrem audire Filium, demonſtrat Filij natiuitatem ex Patre: ſimiliter Filium loquentem audire Patrem, Patrem intimat genuiſſe Filium; & quia ſunt vnius naturæ Pater & Filius, ſunt etiam eiuſdem conſenſus; vt hoc ſit loqui Patrem ad Filium, vel Filium ad Patrem, in vnius conſenſum voluntatis venire: neque diuerſum aliquid ſentire Spiritum quoque ſanctum veritatis, Spiritum ſapientiæ, confitens Spiritum Filij declarat de quo dicit, quia non poteſt Filio loquente audire quæ neſciat; quoniam cùm ſit eiuſdem cum Filio ſubſtantiæ, procedátque de Filio, quæ loquitur Filius, loquitur & Spiritus ſanctus; quoniam hoc ipſum quod eſt Spiritus, locutio Filij eſt ad Spiritum, præſenti Doctore dicente. Qui cùm dixiſſet non poſſe Spiritum ſanctum Filio loquente audire quæ neſciat, mox ſubdidit: [ Cùm hoc ipſum ſit quod profertur à Filio; ] hoc eſt prolatio Filij ſubſtantia eſt Spiritus: nam dicens; cùm hoc ipſum, ſit ſubauditur Spiritus: quod profertur à Filio, hoc eſt quod loquitur Filius: ſi quod loquitur Filius Spiritus ſanctus eſt quemadmodum Doctor iſte teſtatur ) non poteſt negari quod à Filio procedat Spiritus: ſi quidem locutio Filij de Filio procedit:

Ibid.

quâ

quâ de re cùm hoc idem ſit Spiritus quod profertur à Filio procedit omnino Spiritus à Filio.

Subiungit : [ Denique ne quis illum à Patris & Filij voluntate & ſocietate diſcerneret, ſcriptum eſt : Non enim à ſemetipſo loquetur, ſed ſicut audiet loquetur. Cui ſimile etiam de ſemetipſo Saluator ait : ſicut audio iudico. ] Voluntas Patris, voluntas eſt Filij, & ſocietas vtriuſque Spiritus amborum : quoniam caritas, quæ eſt Spiritus, ſociat voluntatem patris & Filij : neque poteſt voluntas Spiritus à voluntate Patris & filij ſeiungi ; ſed ſicut ſocietas eſt vtriuſque, ſic eiuſdem voluntatis amborum. Et ſicut voluntas Filij naſcitur de patre, ſic voluntas Spiritus procedit à Filio Hinc eſt quod ait de Spiritu : *Non enim à ſemetipſo loquetur, ſed ſicut audiet loquetur.* A quo audiet ? Videlicet à filio, de quo procedit. Et audire Spiritum procedere eſt à filio : ſicut & audire filium naſci eſt de Patre : Nam non aliud eſt audire filium, & aliud naſci, ſed idem vtrumque: ſic enim aliud minimè eſt audire Spiritum, & aliud procedere, ſed vnum eſt vtrumque. Et infra : [ Scriptum eſt enim: Quæcumque ille facit ( haud dubium quin Pater ) hæc eadem filius facit ſimiliter. Quod ſi operante Patre & filio, non iuxta ordinem, primi & ſecundi, ſed iuxta idem tempus operandi eadem & ſimilia, ſubſiſtunt vniuerſa quæ fiunt: & filius non poteſt à ſemetipſo quid facere, quia à Patre non poteſt ſeparari : ſic & Spiritus ſanctus nequaquam ſeparatus à filio, propter voluntatis naturæque conſortium, non à ſemetipſo creditur loqui ; ſed iuxta verbum, & veritatem Dei, loquitur vniuerſa. ] Pater & filius eadem operantur, non alio tempore pater, & alio filius, ſed eodem ſimul & eodem tempore : nec poteſt filius ſeparatus operari: quoniam non diuiditur à Patre, cùm ſit natus ex Patre, & eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre : ſic & Spiritus ſanctus non loquitur à ſemetipſo ſeparatus à filio ; quoniam procedens à filio conſors eſt naturæ filij, voluntatis & eiuſdem, cuius & filius : non enim voluntas diſcernit quos natura coniungit, ſed iuxta verbum & veritatem Dei loquitur vniuerſa; quoniam à verbo & veritate procedens percipit quid loquatur : non enim aliud eſt quod procedit, & aliud loquendi

Ibidem.
*Ioan. 16.*
Ibid.

perceptio, ſed perceptio locutionis proceſſionis eſt exiſtentia, quemadmodum exiſtentiæ proceſſio, locutionis acceptio.

Ibid. paulò poſt. Et infra: [ Quomodò igitur ſupra de naturis incorporalibus diſputantes intelleximus, ſic & nunc Spiritum ſanctum à Filio accipere, id quod * ſuâ naturâ fuerat cognoſcendum eſt: & non dantem & accipientem, ſed vnam ſignificare ſubſtantiam. Siquidem & Filius eadem à Patre accipere dicitur, * quæ eſt ipſe ſubſiſtens: neque enim quid aliud eſt Filius, exceptis iis quæ ei dantur à Patre; neque alia ſubſtantia eſt Spiritus ſancti, præter id quod ei datur à Filio. ]

al. * ſuæ naturæ.

al. * quibus ipſe ſubſiſtit.

Confirmat proceſſionem Spiritus à Filio factam, & dicit Spiritum ſanctum à Filio accipere id quod ſuæ naturæ fuerat, quod eſt, naturam Spiritus ex Filio eſſe, & non ſit aliud accipere Spiritum à Filio, quàm procedere de Filio; neque dantem & accipientem intelligendum tanquam alterius & alterius ſubſtantiæ, ſed perſonam Filij dantem, vt exiſtat Spiritus, & perſonam Spiritus accipientem, vt procedat à Filio. Et confirmat opinionem ſuam ex eo quod Filius accipere dicitur à Patre: non enim aliud eſt Filius, & aliud eſt quod percipit à Patre ſed à Patre perceptio Filij eſt ſubſiſtentia: quod clariùs affirmat proſequendo: [ Neque enim quid aliud eſt Filius, exceptis his quæ ei dantur à Patre. ] Quod eſt, non licet excipere quæ donantur à Patre Filio à ſubſtantia Filij, ſed data Patris ſubſtantia eſt Filij, quoniam naſcendo percepit omnia quæ ſunt Patris, ſic & de Spiritu ſancto fatetur, quòd non ſit alia ſubſtantia Spiritus ſancti præter id quod ei datur à Filio: hoc eſt, non eſt aliud Spiritus ſanctus, & aliud quod Spiritui ſancto datur à Filio, ſed donum Filij ſubſtantia eſt Spiritus ſancti. Quo manifeſtè commendat Spiritum ſanctum eſſe de Filio, non tanquam partem, ſed tanquam totum, quod eſt Filius; quia quæcumque ſunt Filij, ſunt & Spiritus ſancti: & accipit Spiritus ſanctus à Filio procedens ab illo, ſicut conſubſtantialis, & habens omnia quæ ſunt Filij. Inferiùs: * [ Denique interpretationem inferens quomodò dixiſſet, de meo accipiet, protinus adiecit: omnia quæ habet Pater mea ſunt: propterea dixi, de meo accipiet, & annuntiabit vobis; quodammodò

Ibid. Poſt pauca.

al. * Deinde

Ioan. 16.

loquens ; licet à Patre procedat Spiritus veritatis, & det Deus Spiritum ſanctum petentibus ſe ; tamen quia omnia quæ habet Pater, mea ſunt, & iſte ipſe Spiritus Patris meus eſt, & de meo accipiet. ] Hoc dicens docet Spiritum à Filio procedere, ſicut procedit à Patre : eſt enim Spiritus caritatis, videlicet Chriſti, qui veritas eſt : & quia Filius habet omnia quæ Patris ſunt, iſte ipſe Spiritus Patris teſtatur quòd ſit Filij, & accipit de Filio. Quid accipit ? omninò ſubſiſtentiam de illo procedendo.

In conſequentibus : [ Idem autem Spiritus Dei, & Spiritus Chriſti eſt, adducens & copulans eum, qui ſe habuerit, Domino IESV Chriſto. Vnde in ſequentibus dicitur: Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. ] Si cui eſt Spiritus Dei, eſt & Spiritus Chriſti, quemadmodum Author iſte fatetur, haud dubium non ſunt duo Spiritus, alius Patris, alius Filij, ſed vnus & idem vtriuſque. Et ſi Chriſti Spiritus eſt his qui Spiritus Dei Patris eſt ſicut procedit à Patre, ſic procedit & à Filio : non enim aliàs Dei Patris dicitur Spiritus, niſi quòd à Deo Patre procedit : ſic non aliter dicitur Spiritus Chriſti, niſi quia procedit à Chriſto : non enim eſt creatura, quò tanquam inferior poſſideatur; ſed conſubſtantialis : ſic quoque quod addit, Spiritum Chriſti non habentem Chriſti non eſſe, de Chriſto fatetur prodeuntem, quem dicit eſſe Chriſti ; nec eſſe poſſe Chriſti, qui non habeat Spiritum eius ; quoniam in quo non eſt Spiritus Chriſti, non eſt Chriſtus : non enim habitatione ſeparantur qui ſubſtantiâ copulantur. Vnde diſcimus ſocietatem quam habet Spiritus ad Chriſtum, quòd habeat & ad Deum Patrem : non enim poteſt eorum ſocietatem non habere, quibus eſt conſubſtantialis, & à quibus exiſtit. Inferiùs quoque : *ſed & in epiſtola Petri Spiritus ſanctus eſſe Chriſti Spiritus comprobatur : ſcrutantes*, inquit *& exquirentes* ( id eſt Prophetæ de quibus ei fuerat ſermo ſuperior ] *in quod aut quale tempus ſignificabat his, qui in eis erat Spiritus Chriſti, teſtificans in Chriſto paſſiones, & ea quæ poſt erant ſecutura decreta*. Et paulò poſt : [ Iſte autem Spiritus ſanctus dictus eſt & Spiritus Dei : vt ibi : *ea quæ Dei ſunt nemo nouit niſi Spiritus Dei*. ] Eundem ergo fatetur Spiritum Chriſti, qui

*Ibid. ante med.*
*Lib. 2.*
*Rom. 8.*
Ibid.
1. Pet. 1.
Ibid.

ſit Spiritus Dei; ac per hoc de vtroque prodeuntem; quoniam non ſit aliud cur vtriuſque dicatur Spiritus: æqualis

Ibid. al. * poſt

eſt enim & conſubſtantialis. Item infra loquitur: [ Per hoc quod ait: *ſi quis autem Spiritum Chriſti non habet, iſte non eſt eius*. Et infertur: *ſi autem Chriſtus in vobis eſt*; manifeſtiſſimè demonſtrauit inſeparabilem eſſe Spiritum S. à Chriſto; quia vbicumque Spiritus fuerit, ibi & Chriſtus eſt: & vndecunque Chriſti Spiriritus diſceſſerit, inde pariter recedit & Chriſtus. ] Iſta ſocietas Spiritus & Chriſti, quam docet; non tantùm voluntatis eſt, verùm etiam ſubſtantialitatis & non ſubſtantialitatis ſolùm, verùm etiam proceſſionis: poſſunt enim voluntate coniungi quæ ſubſtantiâ ſeparantur: vt illud quod Chriſtus loquitur diſcipulis: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*: vel quod in præſenti loco dixit, in quo eſt Spiritus Chriſti ſit quoque Chriſtus. In quibus námque Spiritus Chriſti eſt, & Chriſtus quoque pariter eſt: ſimul quidem ſunt, ſed voluntate, non ſubſtantiâ. Deus etenim & homo non vnius ſed diuerſæ ſunt ſubſtantiæ. Item poſſunt ſubſtantiâ copulari, ſimúlque natiuitate coniungi, vt Pater & Filius. Item copulantur ſubſtantiâ, non autem natiuitate, ſed proceſſione, Filius & Spiritus. Ergo dum dicit, vbicumque Spiritus fuerit, ibi & Chriſtus eſt; & vndecumque Chriſti Spiritus diſceſſerit, inde pariter recedit & Chriſtus, monſtrat ſocietatem iſtam, non voluntate ſolùm, ſubſtantiáque, verùm etiam proceſſione, conſtare; quòd Spiritus non ſolùm conſubſtantialis extat Chriſti, verùm etiam exiſtat ab ipſo.

Ibid. poſt pauca. *Rom.* 8. *Alde* * à Patre.

Item poſterius Apoſtoli teſtimonium aſſumens, ait: [ *Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis in timore*, id eſt, non in ſimilitudinem ſeruorum, metu & terrore pœnarum vos abſtinetis à vitiis, quia habetis vobis datum * Spiritum adoptionis, id eſt Spiritum ſanctum; qui etiam Spiritus Filij, & Chriſti: & veritatis dicitur atque ſapientiæ. ] Quid per hæc inſinuat? nam veritas & ſapientia Chriſtus eſt ( vt ſcriptura teſtatur, & non ſemel approbatum eſt, ) Chriſtus quoque Filius Patris; eſt haud dubium. Affirmat Spiritum ſanctum procedentem à Filio, procedentem à Chriſto; procedentem à veritate & ſapientia; non quidem quod ſint Spiritus diuer-

ſi, quia non ſunt quæ poſita ſunt, quorum eſſe dicitur Spiritus, diuerſam ſubſtantiam ſignificantia. Sapientia námque & veritas, & Chriſtus, Filium prædicant; Chriſtus propter hominem ſuſceptum; veritas, quoniam ipſe dixit: *Ego ſum veritas.* Sapientia, quia Paulus teſtatur de ipſo, quòd ſit nobis à Deo factus Sapientia. Quid hæc omnia colligunt? Proculdubio quòd procedat à Filio, cuius eſſe dicitur Spiritus: non enim vel pars eius poteſt eſſe, vel aliquod Filio ſubiectum. Vnde ergo illius? Proceſſione, ſiue conſubſtantialitate: ſed conſubſtantialitas æqualitatem oſtendit; æqualitas autem non ſubiicitur; ſed confertur. Vnde ergo Spiritus Filij? haud dubium quia procedit ex Filio.

Sufficiant iſta de libro Didymi breuiter collecta, quî dum talia de Spiritu ſancto poſitus Alexandriæ ſentiret & ſcriberet, nec à Græcis, nec à Græcorum Imperatoribus eſt vel reprehenſus, vel communione ſuſpenſus: intelligebant enim qui per id temporis Imperatores; qui non ſolùm Conſtantinopoli, verùm etiam Romæ regnabant, Catholicum eſſe dogma, fidem Apoſtolicam, perfidiam hæreticorum, quæ debellabat, & veritatis doctrinam affirmabat. Vos nunc Imperatores moderni, noui ſectam erroris inſtituentes, videte cuius ſitis fidei; quóſque habueritis in doctrina Chriſti Magiſtros: nam illorum conuincimini non eſſe diſcipuli, qui priores veſtri fuêre, qui catholicam fidem roborauere, qui praui dogmatis inuenta ſemper expugnauêre.

---

## CAPVT VI.

HIs ſociemus quid per eadem tempora Romana ſenſit Eccleſia de Spiritu ſancto, vt comprobauerimus nouam non fore ſectam quam prædicat, ſed olim à patribus commendatam, & per vniuerſum totius Eccleſiæ corpus vindicatam, & contra diuerſa ſentientes expugnatam; oſtendatur pariter fruſtra nunc reprehendi quaſi nouum dogma prædicans, cùm ſit à prioribus noſtris ſemper prædicatum.

Paſcaſius antiquus Romanæ ſedis & Doctor & Diaconus, in Libello, quem de Spiritu ſancto ſcripſit, Didimi ſequens Alexandrini veſtigia, ſic infit: [ Non ſcruteris qualiter Deus ſit, quem Deum eſſe manifeſtum eſt, Hîc ratio latet, veritas non latet. Cur interroges quomodò ſit ſocius & æqualis Regis, quem regij conſtat eſſe & honoris & generis. Ex ſuperfluo de nomine agitur inquiſitio, vbi non eſt de ſublimitate dubitatio. ] Hoc aduerſus Arrianos, qui Spiritus ſancti diuinitatem denegabant, nolentes confiteri Patri Filióque conſubſtantialem, ſed creaturam dicebant Filio ſubiectam, tanquam minorem, vos veraciter confutans, & Deum verum eſſe prædicat, & Patris, & Filij conſubſtantialem. Quid etiam de proceſſione ſentiat ſubdendo manifeſtat: [ Ergo quia Spiritus ſanctus ex vtroque procedit, ideò dicit: Qui autem Spiritum Chriſti non habet; & hic non eſt eius. Et alio loco: inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum. ] Teſtatur & Spiritum ſanctum ex Patre Filióque procedere; ſuámque aſſertionem roborat tam ex Apoſtolo, quàm ex Euangelio, pariter oſtendens, quia Spiritus non aliter poſſit eſſe Chriſti, niſi procedat ab ipſo; nec aliàs dat Chriſtus Spiritum inſufflando, niſi ex ſua ſubſtantia mittendo. Siquidem cùm dicatur Spiritus Chriſti, relationem habere monſtratur ad Chriſtum, non verò tanquam ſeruus: ( non enim eſt creatura ) ſed tanquam ab illo capiens exiſtentiam procedendo, non creando: vel generando. Similiter cùm inſufflat eum mittendo: non mittit extraneum, nec aliundè: quàm de propria natura: nec poteſt negari proceſſus eius à Filio quem inſufflando ex intimis ſuæ diuinitatis Filius emittit. Subiungit adhuc de eodem loquens Spiritu: [ Vtrum genitus an ingenitus ſit requiris? nihil ex hoc eloquia ſacra cecinerunt ne fas eſt irrumpere diuina ſilentia. Quod Deus ſcripturis ſuis indicandum eſſe non credidit, * interrogare, vel ſcire ſuperflua curioſitate te noluit. Hoc peruenire debere * iudicauit ad conſcientiam tuam, quod pertinet ad ſalutem tuam. ] Hæc aduerſus eos loquitur, qui per Spiritus ſancti perſonam ſanctæ Trinitati derogantes Deum eſſe non recipiebant, tanquam ſi Deus haberetur, vel in

*Lib. 1. cap. 8. ante med.*

Ibid.

Ibid.

*al. * Indicare.*
*al * Indicauit.*

genitus vel genitus confiteretur : ſi genitus, duo filij dicerentur ; & iam Saluator dici non poſſet vnigenitus ; eſſetque contra Catholicam fidem, quæ quidem confitetur credere ſe in Deum Patrem omnipotentem, & in IESVM Chriſtum Filium eius vnigenitum. Quòd ſi confiteretur ingenitus, iam non vnus Pater, ſed duo comprobarentur ; & eſſet hoc nihilominus fidei Catholicæ valde contrarium. Credimus etenim in vnum Deum Patrem omnipotentem. Tam peruerſa machinantibus piè ſatis cautéque reſpondet Doctor iſte Catholicus, dicens Spiritum ſanctum nec genitum nec ingenitum debere dici, quòd ſanctæ ſcripturæ non loquuntur. Debere verò profiteri quod affirmant, Spiritum videlicet ſanctum Patri Filióque conſubſtantialem, & de vtroque procedentem.

In poſterioribus loquitur: [ In actibus Apoſtolorum Petrus de Domino IESV Chriſto diſſerens ita dicit: *Dexterà igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti acceptà à Patre, effudit hunc quem videtis & auditis.* In dextera Filius, in Deo Pater, in nominis ſui proprietate Spiritus ſanctus deſignatur. ] Hoc teſtimonio comprobauit Spiritum ſanctum à Filio procedere, quem ab eo dixit effuſum : non enim effudit niſi quod in ſe continebat, non velut in loco concluſum : ſed tanquam in ſe ſubſtantialiter manentem: nec ſic effudit vt ſui vacuationem faceret ; quemadmodum vas efficitur vacuum cùm effunditur quod continebatur in illo : eſt rerum iſtud corporearum : aſt in diuinis non idem. Cùm enim vel Pater vel Filius Spiritum effundit, non ſe vacuat, ſed ſui muneris gratiam ſine ſui damno quibus vult communicat. Et infra ponens teſtimonium Apoſtoli: [ *Vos autem non eſtis*, inquit, *in carne, ſed in Spiritu : ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Dum dicit *Spiritum Dei*, & infert conſequenter *Spiritum Chriſti.* Aduerte quia hîc perſonam Chriſti ſub Dei appellatione deſignat. Aut ſi hîc Patrem, cuius Spiritus ſit, ſub Dei nuncupatione ſignificat, ecce hic Spiritus per vnitatem ſubſtantiæ, & Patris & Filij eſſe Spiritus declaratur, & meritò procedere ex vtroque dignoſcitur, & in vinculo Trinitatis diſtinctam per-

Eodem lib. c. 10. *Act.* 2.

Ibid. in fine. *Rom.* 8.

ſonam habere perſpicitur; & qui Spiritum ſanctum non habet, nec Chriſtum habere monſtratur. Deus itaque Spiritus ſanctus, quo negato negatur & Chriſtus, qui dixit: *Nemo venit ad Patrem niſi per me.* Qui Spiritu ſancto vacuus eſt, Chriſti non eſt, & perdidit viam quâ peruenitur ad Patrem. ] Multis oſtendit rationibus Spiritum ſanctum & Deum eſſe, & conſubſtantialem Patris & Filij, & ex vtroque procedere, nec à vinculo Trinitatis poſſe diſcerni, cùm ſit eiuſdem cuius & Pater & Filius eſt naturæ Et inculcat Chriſtum habere non poſſe, qui non habeat Spiritum ſanctum: & quoniam Deus eſt Spiritus ſanctus, qui negauerit Spiritum, conſequenter negarit & Chriſtum: quod non fieret, ſi non in Chriſto maneret, & ei conſubſtantialis exiſteret. Manere verò in Chriſto, & conſubſtantialem eſſe Chriſto, Spiritum procedentem ab eo demonſtrat: non enim poteſt, niſi procedat ab illo in quo manet, & cui conſubſtantialiter inhæret; & cùm via ſit Chriſtus ad Patrem, qui Spiritum non habet, viam Chriſtum habere non valet: non enim alterum habere quis poteſt præter alterum, qui nec ſubſtantiâ diuiduntur, nec manſione. Propter quod Spiritu ſancto vacuus, Chriſto quoque vacuus inuenitur; quia qui fontem non habet fontis irriguo, non inundatur. Quibus omnibus euidenter oſtenditur à Chriſto procedere Spiritum ſanctum.

*Ibid. cap. 11. ſub med.*

Et infra: [ Nil itaque in Spiritu ſancto ſemiplenum putetur, quia plenitudini comparatur: nam qui ad vicem Dei pignoris loco tribuitur, fas non eſt, vt aliud quàm Deus eſſe credatur. ] Semiplenum Spiritum ſanctum deputat quiſquis eum à Filio procedere denegat: & negat eum ad vicem Dei pignoris loco contribui, quicumque proceſſionem à Filio illi non tribuit: non enim poteſt plenus Deus intelligi, cui conſubſtantialitas denegatur Filij; nec vicem valet Dei repræſentare, cui Filius non eſt conſubſtantialis. Verùm Catholicus nullus ſic ſentit, ſed plenum Deum, ac conſubſtantialem Patri, Filióque confitetur: nouerit inde procedere Filium, vnde quoque ſumit ſubſtantiam; & qui Patri Filióque copulatur ſubſtantiâ, procedat neceſſe eſt ab vtroque. Item ſubiungit, capitulum ponens eiuſdem Apoſtoli ad

Titum

Titum: [ *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nobis abudè per* IESVM *Chriſtum.* Ecce etiam hîc ſub Trinitate manifeſta Pater per Filium abundantiam Spiritus ſancti effundit. Et quod, vel maximé aduertendum eſt, ipſi Spiritui ſancto potentiam regenerationis & renouationis aſcribit. ] Effudit Pater in nobis Spiritum ſanctum abundè per IESVM Chriſtum: vt oſtendat quia procedit & à Patre & à IESV Chriſto dum nobis effunditur; effundit Pater Spiritum ſanctum, quoniam mittitur à Patre; effundit per IESVM Chriſtum, quoniam cooperatur Patri ſimul effundendo Spiritum: nec enim ſic ait effundere Patrem per IESVM Chriſtum tanquam Chriſtus non effundat; non enim ſeparantur Pater & Filius operatione; ſed effundit per IESVM Chriſtum, quia cùm Pater effundit, & IESVS Chriſtus effundit, quia mittitur ab vtroque; quoniam procedit tam à Patre quàm à Filio. Potentiam verò Spiritus ſancti teſtatur Author iſte Patris Filiíque coæquam, dum dicit aſcribi Spiritui ſancto potentiam regenerationis & renouationis, vt oſtendat eiuſdem eum eſſe virtutis, cuius eſt Pater & Filius; ac per hoc & conſubſtantialis, & de vtroque procedens affirmatur.

Item poſterius Pſalmiſtæ ponens teſtimonium, dicentis: [ Quò ibo à Spiritu tuo? hoc eſt, vbi me à conſpectu eius abſcondam, quem præſto eſſe per omnia, ideſt, intra extraque non ambigo? Et infra: De quo dictum euidenter intelligitur: Nec eſt qui ſe abſcōdat à calore eius. Cuius ineffabilis magnitudo profunda inferorum, diffuſa fluctuum, extenta terrarum, excelſa cœlorum intrat, implet, excedit. Mitti à Patre & Filio dicitur, & de ipſorum ſubſtantia procedere, & vnum cum eis opus agere dinoſcitur. ] His omnibus ſancti Spiritus, Maieſtas oſtenditur & proceſſio: cùm enim teſtetur nullum eſſe locum à Spiritus ſancti præſentia remotum, Patris Filiíque diuinitati cuncta penetranti, ſiue continenti, comparatur. De quo conſequenter adiiciens, quòd caloris eius igne nemo ſit qui non contingatur; illud teſtatur quod de Filio quoque dicitur: *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: monſtrans eiuſdem eum eſſe potentiæ, cu-

*Ibid. cap. 12. med.*
*Pſal. 138.*

ius & Filius, quandoquidem Filius omnem hominem illuminat, & à calore Spiritus extorris nemo fiat. Cúmque & à Patre & à Filio mitti dicitur, & de ipſorum ſubſtantia procedere monſtratur, pariter & à quo ſit Spiritus, & cuius virtutis exiſtat; per omnia Deum illum oſtendens coæqualem Patri Filióque tam potentiâ, quàm ſubſtantiâ, & quia prodeat ab vtroque: & infra, Filium introducens dicentem:

Ibid. *Ioan.* 15. [ P*araclitusqui à Patre procedit*, non dixit qui à Patre creatus eſt, ſed *à Patre procedit*, ideſt de paternæ ſocietate potentiæ, & de proprietate naturæ; * & ex ipſo ſermone oſtenditur, cũm dicitur à Patre procedere, cum Patre initium non habere. ] Nec putes eum negare voluiſſe Spiritum ſanctum de Filio procedere, quia dixit eum de Patre proceſſiſſe: ſuperiùs námque eum mitti à Patre & à Filio dixit, & de ipſorum ſubſtantia procedere, & vnum cum eis opus agere. Nunc quoque dicens eum de paternæ ſocietate potentiæ, & de proprietate naturæ procedere, non Filium ſegregat; qui cùm ſit vnius cum Patre tam potentiæ quàm naturæ, euidenter docetur à Filio procedere: quoniam ſicut Pater & Filius nec potentiâ, nec naturâ ſeparantur; ſic in exiſtentia Spiritus non ſecernuntur; quoniam cùm ſit vtriuſque Spiritus, procedit ab vtroque; & quos æquat naturâ potentiáque, proceſſione non ſeparat.

al. * ſed

Ibid. Dicit inferius: [ Quid eſt autem quod ex Deo Patre Filius naſci dicitur, & Spiritus ſanctus procedere ſignificatur? Si requiras, quid inter naſcentem & procedentem diſtet, euidenter hoc intereſt; quia iſte ex vno naſcitur, ille ex vtroque progreditur.] Quibus & progreſſum à Patre Filióque Spiritum profitetur. Et ratio redditur cur & à Filio progrediatur: nam ſi dicamus quòd à Patre tantùm procedat, fidei periculum non euitamus: qualiter enim Filius vnicus eſſe Patris dicatur, cùm etiam & Spiritus eiuſdem eſſe non taceatur? Et quomodò comprobetur non eſſe Filius, qui velut Filius à Patre conſiſtat? fugienda eſt, imò ſubruenda talis blaſphemia, vt fides Catholica iaculis inimicorum non fiat expoſita. Dicatur itaque quod noſtri dixêre Maiores: Filius ex Patre natus, ſolus de ſolo, ac per hoc vnigenitus: Spiritus verò ſanctus de Patre quidem procedens, ſed non

de ſolo ſolus; quoniam procedat & à Filio, ne duos Filios videamur prædicare proceſſionem Spiritus, ſi de Patre ſolummodò confiteamur. Igitur Doctor iſte Maiorum doctrinam ſecutus ſuerum, ſuis poſteris tranſcripſit quod à ſuis prioribus accepit: cùmque de Spiritu ſancto Romanam ſentire, ſicut hodie ſentit, probarit Eccleſiam, nullomodo tamen oſtendit, in tali fide permanentem ab Orientalibus Eccleſiis vel aliquando fuiſſe diuiſam, vel vnquam diuerſa de Spiritu ſancto vel ſenſiſſe vel docuiſſe. Aſt nunc mirandum quid arguant noui dogmatis repertores; cur à communione ſe diuidant quam ſemper tenuere Maiores? Cur ante cognitionem iudicium proferunt? Cur accuſant priùs quàm audiant? Non eſt hoc æquitatis iudicium, ſed iniquitatis præiudicium. Quòd ſi ſatis putant eſſe quod pro certo nouerunt Romanam Eccleſiam prædicare de Spiritu ſancto, quòd à Patre Filióque procedat; & idcircò nolle requiri quod euidenter nouêre dici, ſciant quia cum Romanis ſuos quoque iudicent Maiores. Et dum Romanos ſua cupiunt communione priuare, ſe pariter excommunicent à ſuorum ſocietate Maiorum: & nulla probentur Eccleſiæ communicare Catholicæ, dum Romana communione ſeſe faciunt alienos. Hoc factum cuius ſit mali citò conſiderent, & errorem corrigere ſuum non differant; ne ſi Romanis communicare noluerint, ab vniuerſa Catholica Eccleſia ſe paueant excommunicandos.

*Explicit liber ſecundus.*

# INCIPIT LIBER TERTIVS RATRAMNI CORBEIENSIS MONACHI, CONTRA GRÆCOS.

## CAPVT I.

Prou. 22. 28. SCRIPTVRA dicit: *Ne transferas terminos quos poſuere Patres tui.* Si voluiſſent hoc Græcorum Principes cuſtodire præceptum, nec Romana de Spiritu ſancto pateretur Eccleſia quamcunque reprehenſionem, nec illi noua conarentur moliri, verùm contenti forent fidei terminis quos catholici Patres inſtituêre, quóſque Scripturæ ſacræ per Spiritum ſanctum editæ diſpoſuêre: ſed cenodoxiæ morbo laborantes, vel inuidiæ peſte languentes; quoniam finibus Maiorum nequeunt eſſe contenti, ſuorum gloriam propriam quærentes, tranſgrediuntur quos ſui priores terminos fixêre. Sed dum gloriam parentum quærunt obruere, incidunt in foueam, quam, iuxta Pſalmiſtæ vocem, foderunt: non enim de proceſſione
Pſal. 7. 16. Spiritus ſancti debuiſſent vllam noſtris temporibus mouere quæſtionem, ſi vel doctrinis Maiorum intendere, vel ſcripturas ſacras pio certaſſent ſtudio percenſere. Quid enim de Spiritu ſancto ſentire debeamus, Catholici Doctores liquidò demonſtrant, qui tam diſputatione creberrimâ, quàm ſcriptis frequentiſſimis hæreticorum praua commenta de ſumma Trinitate, vbi etiam de Spiritus ſancti pariter proceſſione, non ſolùm comprehendere, verùm euidentiſſimis aſſertionibus expugnauerunt; quorum authoritatem ſuperiùs iam non minima parte protulimus: quibus euidenter oſtenſum credimus, quid de proceſſione Spiritus ſancti ſentire debeamus: quibus contradicere, imò non acquieſcere

molitus quis fuerit, apertiſſimè monſtratur fidei Catholicæ contradictor, & Spiritus ſancti blaſphemator. Quali pœna verò talis ſit feriendus, Veritatis ore didicimus loquentis, Spiritus ſancti blaſphemiam neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittendam. Placuit etiam ſuperioribus Patris Auguſtini ſcripta copulare, Doctoris egregij, & inter Eccleſiaſticos Magiſtros elegantiſſimi; cui iuge certamen aduerſus hæreticos manſit; cuius doctrinæ ſimul & eloquentiæ non ſolùm Arriana ſubiacuit impietas, verùm reliquorum hæreticorum, Macedoniorum videlicet, Manichæorum, Pelagianorum ceſſit immanitas.

*Matt.* 12. 32.

Fortaſſis Græcorum tumor opponet Latinorum authoritatem ſe recipere nolle, verùm quid de ſuis dicet quos ſupra poſuimus Authoribus? Quid de ſanctarum ſcripturarum conditoribus? An nolint & ipſos recipere, quoniam erroris ſui ſeueros cernunt inimicos, & expugnatores impietatis eorum acerrimos; licet ſtultiſſimum ſit dicere Latinorum nolle authoritatem recipere, eíſque non conſentiendo ſchiſmatis nouitatem conſtruere, alienóſque ab Eccleſia catholica ſeſe reddere. Abſit autem vt iſta vel dicant vel ſentiant, ſuámque velint tantummodò vel ſententiam, vel conſuetudinem totius Eccleſiæ generalitati præferre. Eſt enim iactantiæ malum iſtud vel opinari, vel decernere; tam nefandum, vt non ſit tolerabile, verùm generali totius Eccleſiæ Catholicæ feriendum authoritate: dicendo námque Saluatore ſuis Apoſtolis: *Ite in vniuerſum orbem, & prædicate Euangelium omni creaturæ:* non Græcos tantùm commendauit, ſed totius orbis plenitudinem commemorauit, cui prædicandum Euangelium præcepit. Et ſuperbiſſimum eſt ſibi tanquam ſpeciale velle vindicare, quod conſtat omnibus gentibus, populis & linguis generaliter eſſe collatum. Dicit enim per Prophetam Spiritus ſanctus loquens ad Hieruſalem. *Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da, & Auſtro, noli prohibere.* Num de ſolis Græcis iſta dicuntur? vel de Conſtantinopoli tantummodò Hieruſalem populus vaticinatur colligendus? Vniuerſalitas Gentium toto orbe diffuſa nuntiatur, è quibus Hieruſalem cœleſtis congreganda perdocetur. Non ergo ſibi tri-

Vniuerſalis Eccleſia, totum orbem comprehendi.

*Marc.* 16. 15.

*Iſay.* 43. 5.

buant quod omnibus Gentibus eſt collatum; nec ſuæ prę-
lationis ſpecialitate vſurpent munus, quod vniuerſalitatis
eſſe conſtat. Aſpiciant Catholicam Chriſti Eccleſiam totius
mundi latitudine diffuſam, & ab Oriente vſque in Occaſum,
à Septentrione vſque in Auſtrum dilatatam. Gaudeant in to-
toto orbe Chriſtum dominantem, impleto vaticinio Dauid,
quo Patrem inducit Filio loquentem: *Poſtula à me & dabo*
*Pſal. 2.8.* *tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos*
*terræ.* Et quod alius Pſalmus in perſona Chriſti loquitur:
*Pſal. 71.8.* *Et dominabitur*, inquiens, *à mari vſque ad mare: & à flumi-*
*ne vſque ad terminos orbis terrarum.* Nuſquam iſthîc vel
Græcos vel Conſtantinopolim meminit: nec tamen vſque-
quaque præterit, quoniam eos in vniuerſalitate concludit:
ſpecialitatis prærogatiuam ſuſtulit, ne inflentur; in generali-
tate ponit eos, vt humilientur: quatenus nouerint non to-
tius corporis Eccleſiæ ſe fore quantitatem, ſed portionem;
& venerentur Matrem à ſolis ortu in occaſum regali ma-
gnificentia ſublimem, cuius ſe gaudeant eſſe Filios, non
*Matt 23.* glorientur fore Patres. Dicit enim Saluator: *Et Patrem*
*9.* *nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim Pater veſter*
*qui in cælis eſt.* Saluator etiam cœlos aſcenſurus ſuis pro-
*Matt. 28.* mittit diſcipulis: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſum-*
*20.* *mationem ſæculi.* Audimus Chriſti promiſſum omnibus cre-
dentibus, vniuerſæ videlicet Eccleſiæ, non autem ſpecialiter
vel Græcis vel Conſtantinopolitanis. Qua de re quacumque
lingua in quacumque Gente Chriſtus loquatur, Græcorum
Imperatores accipiant reuerenter, ne ſi contempſerint, verita-
tem contemnere iudicentur; & inde fiant ſalutis extorres vnde
veritatem Chriſtum ſpreuerint alloquentem: non enim Spiri-
tus ſanctus in igneis linguis ſuper Apoſtolos deſcendens Græ-
corum tãtùm linguam edocuit, verùm omnium Gentium lin-
guarum ſcientiam contulit; vt monſtraret Eccleſiam omnibus
linguis omnium populorum locuturam, & Spiritus ſancti
diſtributionem cunctis nationibus diuinitus largiendam. Ac-
cipiant igitur glorioſi Principes Spiritum ſanctum per Do-
ctores Eccleſiæ, de ſemetipſo latinâ linguâ loquentem, qua-
tenus humilitate diſcant vnde proficiant, ne tumoris inflatio-
ne deſpicientes veritatis lumen, erroris tenebras incurrant,

## CAPVT II.

AVguſtinus Epiſcopus Hipponenſis egregius Doctor, & Catholicæ fidei propugnator eximius, in Libro Quæſtionum, quem ad Oroſium Preſbyterum ſcribit, inter cætera de Spiritu ſancto ſic ait: [ Spiritum ſanctum neque ingenitum, neque genitum fides certa declarat. Quia ſi dixerimus ingenitum, duos Patres affirmare videbimur; ſin autem genitum, duos Filios credere culpabimur: ſed quod fides certa tenet, nec ingenitus nec genitus, ſed ab vtrîſque procedens, id eſt & à Patre & à Filio. Et vt hęc teſtimoniis approbem, ipſum Dominum noſtrum IESVM Chriſtum diſcipulos ſuos audi docentem: *Cùm autem*, inquit, *venerit Paraclitus, quem ego vobis mittam à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Et rurſum ipſe Dominus noſter IESVS Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, vt oſtenderet à ſe procedere Spiritum ſanctum, ſicut à Patre, inſufflans in diſcipulos ait: *Accipite Spiritum Sanctum.* Vnus ergo Spiritus eſt Patris & Filij, vnus amborum Spiritus. Igitur quòd Patris ſit Spiritus, ipſe Dominus & Saluator noſter diſcipulis ſuis ait: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Et quòd idem & Filij ſit Spiritus, Paulus Apoſtolus teſtis eſt: *ſi quis autem*, inquit, *Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.*

In Append. to. 4. Op. S. Auguſt. q. 2.

*Ioan.* 15. 26.

*Ioann.* 20. 26.

*Mat.* 10. 20.

*Rom.* 8 9.

Quid iſthîc, ô Græcorum Principes, dignum reprehenſione iudicatis? Dicit Spiritum à Patre Filióque procedere. Probat hoc Euangelij teſtimonio. Dicit & Patris & Filij eſſe Spiritum; affirmat tam ex Euangelio quàm ex Apoſtolo. Si non vultis Latinis, Euangelio credite. Si verbis Auguſtini aurem præbere non vultis, præbete Chriſto, prębete Apoſtolo. Quòd ſi contemnitis Chriſtum & Apoſtolum, videte ne contemnamini. Horum enim qui non ſequitur doctrinam, ſocietatem à ſe quidem repellit Chriſti diſcipulorum; nec erit particeps Eccleſiæ qui doctrinam repellit Eccleſiaſticam; nec cum Chriſto portionem eſt habiturus,

Chriſti magiſterium qui non amplectitur.

Gregorius Romanæ Sedis Epiſcopus, Tiberij Conſtantini temporibus Apocriſarius, tunc quidem Diaconus, poſteà verò Præſul eximius: Imperatoribus Tiberio, Mauricióque, necnon Phocæ cariſſimus atque familiariſſimus. Qui cùm Diaconus, & Romanæ Sedis Legatus Conſtantinopoli degeret, Eutichen Conſtantinopoleos Epiſcopum de Reſurrectione carnis peſſimè dogmatizantem, Imperatoris in præſentia, diuinorum authoritate Librorum, ipſiúſque rei veritate Catholica, euicit, confutauit. De Spiritus ſancti proceſſione, ſic loquitur in homilia habita ad populum octauis Paſchæ: [Nam ſanctum quoque Spiritum, qui cùm ſit coæqualis Patri & Filio, non tamen incarnatus eſt à Patre quidem Filius mittere ſe perhibet, dicens: *Cum venerit paraclitus quem ego mittam vobis à Patre.*] Si enim mitti ſolummodò incarnari deberet intelligi, ſanctus proculdubio Spiritus nullomodo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus eſt; ſed eius miſſio ipſa proceſſio eſt, quâ de Patre procedit & Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur quia procedit, ita & Filius non incongruè mitti dicitur quia generatur. Iſtius authoritatem Pręſulis ſi contemnere molimini, videte quo ſuperbiæ cornu vos erigitis; veſtris prioribus tam ſanctitatis quàm Sapientiæ reuerentiſſimus extitit magnificentia, qui cùm foret Legatus Sedis, & Diaconatus officio fungens, tantâ contriuit authoritate veſtræ Conſtantinopolis Epiſcopi praua dogmata, quo non ſolùm ipſum euinceret, verùm dogmatis illius vires vſque adeò proſtrauerit, vt ne reſpirare poſteà virtutem obtinuerit. Quod autem dicit de ſancti Spiritus proceſſione; rationis approbat virtute, dicens non aliud eſſe mitti paraclitum à Filio, quàm procedere; ſicut Filius cùm mitti dicitur à Patre, eius natiuitas inſinuatur.

Homil. 26. in Euang. al. *eiſdem ſe Filius mittere &c. *Ioan.* 15. 26.

Auguſtinus Epiſcopus in Euangelij Tractatu ſecundùm Ioannem, ſic ait: [Hîc aliquis forſitan quærat vtrum & à Filio procedat Spiritus ſanctus: Filius enim ſolius Patris eſt Filius, & Pater ſolius Filij eſt Pater; Spiritus autem ſanctus non eſt vnius eorum Spiritus, ſed amborum. Habes ipſum dicentem: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus*

*Tract.* 99. *ſub med.*

*Matt.* 10. 20.

*ritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Habes & Apoſtolum: *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra.* Nunquid duo ſunt, alius Patris, alius Filij? abſit: *Vnum enim corpus,* ait, *ſumus* cùm ſignificaret Eccleſiam, móxque, addit; *Et vnus Spiritus.*] Et in conſequentibus plura ponit teſtimonia, quibus approbat Spiritum ſanctum & Patris & Filij Spiritum eſſe; nec alterum Patris, alterum Filij, ſed qui ſit Filij, ſit etiam Patris Spiritus. His euidentibus teſtimoniis quiſquis contraire conatus fuerit, ſanctæ ſcripturæ contradicere manifeſtè probabitur. Et infra: [Si ergo & de Patre & de Filio procedit Spiritus ſanctus, cur Filius dixit, de Patre procedit? cur putas, niſi quemadmodum ſolet ad eum referre & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt. Inde illud eſt quod ait: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui me miſit.* Si igitur intelligitur hîc eius doctrina, quam tamen dixit non ſuam, ſed Patris; quantò magis intelligendus eſt & de ipſo procedere Spiritus ſanctus, vbi ſic ait, De Patre procedit, vt non diceret, de me non procedit.] Euidentiſſima ratione Doctor Auguſtinus Spiritum ſanctum monſtrans tam à Patre quàm à Filio procedere: teſtimonio quoque illo Euangelij quo ait Filius de Spiritu, quòd de Patre procedat, opinionem ſuam affirmat. Dicit enim ſic eſſe intelligendum quod ait, *De Patre procedit*, vt intelligatur etiam de Filio procedere: non enim voluit negare quòd de ſe procederet, ſed Patris perſonam ponens, ſuam quoque pariter voluit intelligi: ſicut & illud vbi ait; *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui me miſit.* Hoc dicens oſtendit ſuam quoque pariter eſſe; ſed Patris dicit eſſe; quoniam ſicut ab illo eſt, ſic & eius doctrina Patris eſſe dicitur; quoniam quidquid habet Filius naſcendo ſumpſit à Patre: ſic quoque dicens Spiritum de Patre procedere, de ſe quoque non negat procedere: oſtendit tamen vnde Filius habeat quod à ſe procedat Spiritus, videlicet à Patre, à quo genitus accepit vt ex illo procederet Spiritus. Vnde conſequenter ſanctus Auguſtinus: [A quo autem habet Filius, vt ſit Deus (eſt enim de Deo Deus) ab illo habet vtique, vt etiam de illo procedat Spiritus ſanctus: ac per hoc Spiritus ſanctus vt etiam de Filio procedat, ſicut procedit de Patre, ab ipſo

*Ephes.* 4. 4.

Ibid. paucis interiectis.

*Ioan.* 7. 16

Ibid.

habet Patre. ] Mirabili prorſus ſubtilitate Doctor egregius & Filij natiuitatem & ſancti Spiritus proceſſionem inſinuat, dicens, accepiſſe Filium à Patre & vt eſſet tanquam Deus de Deo, & vt à ſe procederet Spiritus; nihilominus etiam accepiſſe Spiritum ſanctum ab eodem Patre vt de Filio procedat, ſicut procedit de Patre: quod dicens vtrumque confitetur & Filium & Spiritum ſanctum à Patre, qui fons eſt diuinitatis, & Filium accepiſſe, & Spiritum ſanctum; Filium generationem, & Spiritus ſancti de ſe proceſſionem; Spiritum verò ſanctum accepiſſe tam de Patre quàm de Filio proceſſionem, non tamen generationem, quod eſt ſolius Filij de ſolo Patre.

Hîc ſubiicit illam quæſtionem, quæ nonnullos ſolet mouere legentes, ſi Spiritus ſanctus natus eſſe dicatur? Dicit itaque: [ Hîc vtcumque etiam illud intelligitur, quantum à talibus quales nos ſumus intelligi poteſt, cur non dicatur natus eſſe, ſed potiùs procedere Spiritus ſanctus. Quoniam ſi & ipſe Filius diceretur, amborum vtique Filius diceretur, quod abſurdiſſimum eſt: Filius quippe nullus eſt duorum, niſi Patris & Matris. Abſit autem, vt inter Deum Patrem & Deum Filium tale aliquid ſuſpicemur Nec Filius hominum ſimul & ex Patre & ex Matre procedit; ſed cùm in Matrem procedit ex Patre, non tum procedit ex Matre: & cùm in hanc lucem procedit ex Matre, non tunc procedit ex Patre. Spiritus autem ſanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ſimul de vtroque procedit; quamuis hoc Filio Pater dederit vt quemadmodum de ſe, ita quoque de illo procedat. Neque enim poſſumus dicere quòd non ſit vita Spiritus ſanctus: cùm vita ſit Pater, vita ſit & Filius. Ac per hoc ſicut Pater cùm habeat vitam in ſemetipſo, dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo: ſic ei dedit vitam procedere de illo, ſicut procedit & de ipſo. ] Veriſſima ratione comprobat Spiritum ſanctum tam à Patre quàm à Filio procedere, nec tamen amborum eſſe Filium cùm ſit vtriuſque Spiritus: Filius namque duorum Matris eſt ac Patris: nihil enim tale nouit proceſſio ſpiritalis: non eſt enim hîc diſtinctio ſexus, quia non eſt carnalis propago, carne vel oſſibus fabricata,

Ibid. conſequenter.

al. quia nec Filius hominis.

nec per interualla temporum fit iſta proceſſio, vt alio tempore procedat à Patre, alio verò procedat à Filio, ſed ſimul ab vtroque. Nec eo modo fit vt fieri ſolet in carnali generatione; non eſt enim hîc vlla defluxio qualis ſolet ſeminis eſſe de viro in vxorem; ſed neque propago qualis extat à Matre in Filij generationem: in his enim omnibus permutationis motus exiſtit; qui motus à ſpeciali proceſſione longè remotus extat. Procedit enim Spiritus ſanctus tam à Patre quàm à Filio, præter vllum motum, præter vllam commutationem, præter vllam defluxionem: potentiâ námque voluntatis efficitur iſta proceſſio, non aliqua temporali permutatione, vel extenſione, vel tanquam de Patre ſeu Matre procreatione, ſed veluti de duobus ſubiectis vnum lumen, non vt Pater & Filius ſubiecti ſint Spiritui, ſed quòd Pater & Filius duæ perſonæ, vnius tamen eſſentiæ, à quibus tertia procedit Spiritus ſancti perſona; non quaſi qualitas duorum, ſed veluti conſubſtantialitas vtriuſque. Sicut beatus Auguſtinus ait; vita Pater, vita Filius, vita Spiritus ſanctus. Sed vita Pater de nulla vita ſumendo vitam; vita Filius de Patre vita capiendo vitam; vita Spiritus ſanctus de Patre Filióque vita prodeundo ſumens vitam. Non enim deitate poterit eſſe Trinitas perfectæ conſubſtantialitatis, ſi non Spiritus ſanctus hoc fuerit quod & Pater & Filius.

Et quidem quòd de Patre procedat, nulla nunc vertitur quæſtio; quod autem à Filio procedat, ipſe Filius lius teſtis exiſtit, qui loquitur: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Sed hinc Hæretici gradus in diuinitate conſtruere voluerunt, dicentes: ſi Filius accipit à Patre, & Spiritus ſanctus à Filio, minor eſt Spiritus ſanctus à Filio. Huic peruerſæ propoſitioni obuiat beatus Auguſtinus, ſuperiùs poſitum tractans Capitulum: [ Quod autem ait *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*, catholicis audite auribus, catholicis percipite mentibus. Non enim proptereà ſicut quidam hæretici putauerunt, minor eſt Filio Spiritus ſanctus; quia Filius accipiat à Patre, & Spiritus ſanctus à Filio, quibuſdam gradibus naturarum. Abſit hoc credere, abſit hoc dicere, abſit à Chriſtianis cordibus cogitare. Denique continuò ſoluit quæſtionem, & cur hoc di-

Hæreticorũ obiectio.

Hos confutat S. Auguſtin. *Ibid. Tract.* 100. *ante finem.* *Ioan.* 16. 13.

Ioan.16.15 xerit explanauit. *Omnia*, inquit, *quæcumque habet Pater mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid vultis amplius? Ergo de Patre accipit Spiritus ſanctus, vnde accipit Filius: quia in hac Trinitate de Patre natus eſt Filius, de Patre procedit Spiritus ſanctus. Qui autem de nullo natus ſit, de nullo* procedit, Pater ſolus eſt.] Non eſt contrarium quod nunc agit Spiritum ſanctum de Patre procedere ſuperioribus, vbi dixit eundem Spiritum S. à Filio procedere, ſed aufert minorationem quam Hæretici garriebant, & commendat æqualitatem, quam catholici credunt. Nam ſi tantùm Spiritus ſanctus à Filio diceretur accipere, non etiam à Patre, præberetur locus Arrianis fingendi gradus in diuinitate: nunc autem dicens de Patre quòd procedat Spiritus ſanctus, non eſt vnde fingant minorationem; quoniam inde accipit etiam Spiritus ſanctus vt procedat, vnde accipit Filius vt naſcatur: & dum ambo percipiunt à Patre, Filius natiuitatem, Spiritus ſanctus proceſſionem, non eſt vnde alter alteri præferatur. Nec tamen idcirco negandum quòd de Filio quoque procedat; Ait námque Filius: *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Habet autem Pater vt de illo procedat Spiritus ſanctus, conſequenter & Filius habet vt de illo quoque procedat; ergo procedit ab vtroque Spiritus ſanctus.

al. * proceda:.

Ioa.16.15

## CAPVT III.

Auguſtin. lib. 1. de Trinit. c. 4. poſt init.

IN libro de ſancta Trinitate primo ſic ait: [Quamuis Pater Filium genuerit, & ideò Filius non ſit qui Pater eſt; Filiúſque à Patre ſit genitus, & ideò non ſit Pater qui Filius eſt: Spiritus S. nec Pater ſit, nec Filius, ſed tantùm Patris & Filij Spiritus, Patri & Filio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem: non tamen eandem Trinitatem natam de Virgine MARIA, & ſub Pontio Pilato crucifixam, & ſepultam, tertia die reſurrexiſſe, & in cœlum aſcendiſſe, ſed tantummodò Filium.] Diſtinctè ſingularum in ſancta Trinitate Perſonarum proprietates inſinuat,

& ad ſolum Filium Incarnationem pertinere. Etenim Pater non eſt idem qui Filius, quoniam genuit Filium; & Filius non idem qui Pater, ſed tantummodò Filius qui ſit à Patre genitus: Spiritus quoque ſanctus nec Pater ſit, nec Filius, ſed tantùm Patris & Filij Spiritus. Et quoniam vtriuſque dicitur Spiritus, conſequenter ab vtroque procedere confitendus. Sicut enim Patris dicitur eſſe, quia procedit à Patre: ſic Filij quoque profitetur eſſe, quia procedit à Filio. Similis etenim cauſa cur ſit vtriuſque ſimiliter confitetur ab vtroque procedere; & cùm ſit Patri Filióque coæqualis, & ad Trinitatis pertineat vnitatem. Incarnatio tamen Filij nec ad Patrem, nec ad Spiritum ſanctum pertinet: pertinet autem ad ſolum Patrem genuiſſe Filium; ad Filium autem hominem ſuſcepiſſe perfectum: ad Spiritum quoque ſanctum ex Patre Filióque proceſſiſſe. Item in conſequentibus: [ Mouet etiam quomodo Spiritus ſanctus in Trinitate ſit, quem nec Pater, nec Filius, nec ambo genuerint, cùm ſit Spiritus & Patris & Filij. [ His verbis generationem remouet à Spiritu ſancto, quem nec Pater ſolus, nec Filius ſolus, nec ambo genuiſſe dicantur; attamen ſit & Patris & Filij Spiritus: nimirum inſinuans quia qui naſcendo non ſit Filius, procedendo ſit amborum Spiritus: vbi enim natiuitas tollitur, & amborum eſſe dicitur, proceſſio ſine dubio ſignificatur, & non ab vno tantummodò, hoc eſt, vel à Patre, vel à Filio, ſed ab vtroque, quoniam non vnius tantùm Spiritus, ſed vtriuſque fore comprobatur. *Ibid. cap. 5. med.*

Item infra: [ Iam enim oſtendimus in hac Trinitate per multos locutionum diuinarum modos etiam de ſingulis dici quod omnium eſt, propter inſeparabilem operationem vnius eiuſdémque ſubſtantiæ. Sicut & de Spiritu ſancto dicit: *Cùm ego iero mittam illum ad vos.* Non dixit mittemus, ſed ita quaſi tantùm Filius eum miſſurus eſſet, & non Pater. Cùm alio loco dicat: *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens; Aduocatus autem ille,* * Spiritus ſanctus, *quem mittet Pater in nomine meo, ille vobis declarabit omnia.* Hîc rurſus ita dictum eſt, quaſi non eum miſſurus eſſet & Filius, ſed tantùm Pater. ] Frequenter dictum eſt miſſionem Spiritus pro- *Ibid. cap. 12. ante med.* *Ioan. 16. 7* *Ioan. 14. 25.* *al.* * ſcilicet Spiritus.

ceſſionem eſſe; quapropter cùm teſtatur Filium eum miſſurum eſſe, proceſſionem eius à Filio ſignificat: item cùm dicat Patrem miſſurum Spiritum ſanctum in nomine Filij, rurſus proceſſionem eius de Patre ſignat. Et dum ab vtroque mitti dicitur, ab vtroque procedere comprobatur. Et dat generalem ſanctæ Trinitatis regulam, dicens de ſingulis dici quod omnium eſt, [ propter inſeparabilem operationem vnius eiuſdémque ſubſtantiæ. ] Quo dicto maníſeſtè docemur, quòd cùm dicatur Spiritus à Patre procedere, intelligendum pariter quod & à Filio procedat. Itémque cùm dicitur à Filio mitti, ſimul intelligendum quòd & à Patre mittatur; quoniam Pater & Filius ſicut vnius eiuſdémque ſunt ſubſtantiæ, ſic vnius eiuſdemque ſunt operationis. Qua de re qui negat Spiritum à Filio mitti, cùm fateatur eum à Patre mitti, negat proculdubio Filium Patri cooperari; ac per hoc iam Patrem & Filium dicit non vnius eiuſdémque operationis: quod dicens conſequenter negat Patrem & Filium vnius eiuſdémque fore ſubſtantiæ. Tale eſt & illud quod Filius teſtatur Spiritum à Patre procedere. Quiſquis negare maluerit non eum quoque à Filio procedere, negat pariter Filium non eiuſdem eſſe operationis cum Patre: ac per hoc Patrem Filiúmque non vnius ſed diuerſæ fore ſubſtantiæ. Quod quoniam Arrianæ videmus impietatis de fonte manare, profiteamur cum Catholicis totam ſibi Trinitatem cooperari, & de omnibus intelligendum de ſingulis quod dicitur: quoniam cùm ſit tota Trinitas vnius eiuſdémque ſubſtantiæ, ſeparari nequaquam poteſt operatione. Qua de re cùm dicitur Spiritus à Patre procedere, pariter quoque ſentiendum dici quod procedat & à Filio.

Idem lib. 15. de Trinit c. 6. ante med. Item in lib. 15. ſanctæ Trinitatis: [ Dicitur quidem in ſcripturis ſanctis Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia. Sed quemadmodum ſit intelligendum, nec Patrem Filius videatur facere ſapientem, in libro ſeptimo diſputatum eſt. Et ad hoc ratio peruenit, vt ſic ſit Filius ſapientia de ſapientia, quemadmodum lumen de lumine, Deus de Deo. Nec aliud potuimus inuenire Spiritum ſanctum, niſi & ipſum eſſe ſapientiam, & ſimul omnes vnam ſapientiam; ſicut vnum Deum, vnam eſſentiam. ] Quid iſthinc edocemur, niſi pro-

ceſſionem Spiritus tam de Patre quàm de Filio; & hanc Trinitatem vnius ſubſtantiæ? Dicit ſapientiam eſſe Patrem, ſapientiam Filium, ſapientiam quoque Spiritum ſanctum: ſed Pater ſapientia de nulla ſapientia. Non enim à Filio ſumpſit vt eſſet ſapiens; quoniam cùm ſit ipſe fons & principium vniuerſalitatis, à ſemetipſo ſapiens eſt, non alicuius participatione. Sicut Deus non ab aliquo, ſed à ſemetipſo Deus; & lumen non ab aliquo, ſed à ſemetipſo lumen: non enim habet aliquid ſuperius, vel præcedens, alioquin non erit vniuerſitatis principium; ſed nec imperfectus, nec indigens alicuius Deus, ſed plenus, & verus, & perfectus Deus: Igitur à ſemetipſo ſapiens. Filius verò ſapientia, ſed de Patre ſapientia; quoniam hoc genuit Pater quod eſt. Spiritus quoque ſapientia, ſed non de nulla ſapientia: ſolus enim Pater de nullo. Vnde igitur niſi de ſapientia? Pater autem ſapientia, Filius quoque ſapientia, ergo Spiritus ſapientia de Patre Filióque ſapientia. Non enim Pater ſapientia, Filiúſque ſapientia, diuerſitate ſeparantur, ſed vnitate copulantur. Mittit igitur vterque Spiritum ſapientiam procedentem ab vtroque.

Item poſteriùs: [ Ecce ergo tria illa, ideſt, memoria, intelligentia, dilectio ſeu voluntas, in illa ſumma & immutabili eſſentia quod eſt Deus, non Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt, ſed Pater ſolus. Et quia Filius quoque ſapientia eſt genita de ſapientia, ſicut nec Pater ei, nec Spiritus ſanctus ei intelligit, ſed ipſe ſibi, ita nec Pater ei meminit, nec Spiritus ſanctus ei diligit, ſed ipſe ſibi: ſua enim eſt & ipſe memoria, ſua intelligentia, ſua dilectio; ſed ita ſe habere, de Patre illi eſt, de quo natus eſt. Spiritus etiam ſanctus quia ſapientia eſt procedens de ſapientia, non Patrem habet memoriam, & Filium intelligentiam, & ſe dilectionem: neque enim ſapientia eſſet, ſi alius ei meminiſſet, eíque alius intelligeret, ac tantummodò ſibi ipſe diligeret; ſed ipſe habet hæc tria; & ea ſic habet, vt hæc ipſa ipſe ſit: Verumtamen vt ita ſit, inde illi eſt vnde procedit. ] Subtiliter nimis atque diuinè Perſonarum Trinitatis diſtinctiones inſinuans, ſapientiam dicit eſſe Patrem, ſapientiámque Filium, ſapientiam quoque Spiritum ſanctum; ſed

Ibid. c. 7. paulò ante med.

Filium genitum, qui eſt ſapientia de Patre, qui ſimiliter eſt ſapientia; & Spiritum procedentem, qui ſit etiam ſapientia, ſed de Patre qui ſapientia eſt, Filióque qui ſimiliter ſapientia eſt. Et vt euidentius clareat quod dicit, ponamus ſuperiùs poſitam ſimilitudinem. Tria enim conſtituit, videlicet memoriam, intelligentiam, dilectionem, tanquam Trinitatis ſimilitudinem in interiori homine poſitam, de quibus multùm diſputat, tam in decimo quinto libro, quàm & in aliis eiuſdem Operis, approbans in memoria contineri tam intelligentiam quàm dilectionem, & de memoria intelligentiam naſci; de vtraque verò, memoria ſcilicet & intelligentia, dilectionem procedere; & hæc tria ſimul eſſe atque vnius ſubſtantiæ. Ea enim meminimus quæ intelligimus, & cùm volumus intelligentiam noſtram intueri, non valemus niſi de memoriæ quodam ſecreto procedat, tanquam generetur: & cùm approbamus intelligentiam noſtram de memoria progenitam, fit amor quidam complectens & intelligentiam & memoriam: nam delectatur & intelligentiâ, quam approbat, & memoriâ de qua nouit natam intelligentiam, quam diligit: vnde fit, vt hæc dilectio tam de memoria quàm de intelligentia naſcatur. Si nulla námque foret intelligentia, nulla poſſet eſſe eius dilectio; & ſi nulla foret memoria, non eſſet vnde conſiſteret intelligentia. Nihil enim intelligimus cuius memoriam non habemus: diſtinguntur tamen iſta propriis intellectus ſui finibus. Memoria námque non per ſe intelligit, ſed per intelligentiam; nec intelligentia per ſe ſui meminit, ſed per memoriam: ſic & dilectio ſine memoria vel intelligentia non diligit, ſublato námque intellectu non eſt quod memoria retineat; & ſublatâ memoriâ dilectio nihil meminit. Qua de re dilectio iam non erit, cùm non ſit quod diligat, vel non meminerit quo ſe diffundat. Sic igitur iſta tria & ſimul ſunt, & ex alterutro naſcuntur, & ſuis finibus diſtinguntur, & mutuo ſuimet indigentiam habent.

Sed non eodem modo Sancta Trinitas æſtimatur, ſicut Doctor iſte venerabilis inſinuat. Eſt enim Pater & Filius & Spiritus ſanctus tota Trinitas, tanquam memoria, intelligentia, dilectio. Et Pater quidem veluti fons de quo Filius naſcitur

naſcitur; ſicut memoria principium quoddam exiſtit, ex quo formatur intelligentia. Filius quoque cùm ſit ſapientia de Patre naſcitur, velut intelligentia de memoria generatur: Spiritus quoque ſanctus, & ipſe ſapientia, qui tamen eſt dilectio, procedit à Filio & à Patre, velut dilectio de intelligentia & memoria procedit. Verùm cùm ita ſit, non eſt perſonarum talis diſtinctio, vt Pater non ſit ſapiens niſi per Filium, & Filius non diligat niſi per Spiritum S. velut in hominis trinitate videmus interioris, memoriam non per ſe, ſed per intelligentiam intelligere, & intelligentiam non per ſe, ſed per memoriam meminiſſe: intelligentiam quoque non per ſe, ſed per dilectionem diligere: dilectionem quoque non per ſe intelligere, nec per ſe meminiſſe, ſed per memoriam meminiſſe, & per intelligentiam intelligere. Non eſt enim illa Trinitas, quæ eſt ſumma & immobilis eſſentia, ideſt, Deus, memoria, intelligentia, dilectio, vt hæc tria ſint Pater & Filius & Spiritus ſanctus, tanquam Pater memoria, Filius intelligentia, & Spiritus ſanctus dilectio; ſed ſolus Pater hæc tria ſit, & Filius ſimiliter hæc tria, Spiritus quoque ſanctus hæc tria pariter. Pater enim ex ſe & meminit & intelligit & diligit: non enim accepit à Filio intelligentiam; alioquin naſci diceretur à Filio, quod non eſt quidem catholicum; nec dilectionem accepit à Spiritu ſancto, videretur enim de illo procedere, quod eſt peruerſum; ſed à ſemetipſo meminit, ſapit, diligit. Filius quoque cùm ſit ſapientia, genitus de ſapientia, non ei Pater meminit, ſed ipſe ſibi. Sicut nec ei Pater intelligit, ſed ipſe ſibi: nec Spiritus ſanctus ei diligit, ſed ipſe ſibi: nam ex ſe meminit & intelligit & diligit: Spiritus etiam ſanctus, qui eſt & ſapientia procedens de ſapientia, non habet Patrem ſibi memoriam, & Filium intelligentiam, & ſibi ſolummodò dilectionem, ſed habet ſimul hæc tria, memoriam, intelligentiam, dilectionem. Per ſe námque meminit, per ſe intelligit, & per ſe diligit; vt tamen hæc tria ſit, inde habet vnde procedit, ideſt, tam à Patre quàm à Filio: procedit enim ab vtroque. Videmus enim ſubtiliſſima veriſſimáque ratione monſtratum, cui contradici nemo prudens poſſit, quòd Spiritus ſanctus & de Patre procedat & Filio; &

cùm ſit amborum Spiritus, non tamen vel amborum, vel alterutrius Filius: ſiquidem dilectio, quam naſci dicimus de memoria & intelligentia, non tamen filia dicitur vel amborum vel alterutrius.

Eodem lib. 15 cap. 17. ante.

Item in conſequentibus: [ Nunc de Spiritu ſancto, quantum Deo donante videre conceditur, diſſerendum eſt; qui Spiritus S. ſecundùm ſcripturas ſanctas nec Patris eſt ſolius, nec Filij ſolius, ſed amborum; & ideò communem quâ inuicem ſe diligunt Pater & Filius, inſinuat Trinitatem. ] Quòd Patris ſolius non eſt Spiritus, nec Filij ſolius, ſed amborum, cauſa eſt, quia procedit ab vtroque, & ideò communem inſinuat Trinitatem, quâ ſe diligunt inuicem Pater & Filius vtrumque coniungens, velut ex vtroque procedens: non quaſi qualitas amborum, ſed vt exiſtens in Trinitate tertia Perſona conſubſtantialis & coæqualis. Item poſteriùs: [ Eſt enim & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, & ſimul omnes vnus Deus. Et tamen non fruſtra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, niſi Filius, nec donum Dei, niſi Spiritus ſanctus; nec de quo genitum eſt Verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus S., niſi Deus Pater. Ideò autem addidi, principaliter, quia & de Filio Spiritus ſanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam exiſtenti, & nondum habenti, ſed quidquid vnigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, & Spiritus ſanctus, Spiritus eſſet amborum. ] Et hoc teſtimonio Spiritum ſanctum procedere comprobat à Filio; attamen ſingulis Sanctæ Trinitatis Perſonis quaſi aliquid proprium aſſignat, cùm ſit Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, & ſimul omnes vnus Deus. Eſt autem proprium Verbi Dei vt dicatur ſolus Filius, & proprium doni Dei vt ſolus dicatur Spiritus S. & de quo genitum eſt Verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus, non vocitetur niſi Deus Pater. Et hæ ſunt in ſancta Trinitate ſingularum proprietates Perſonarum. Principaliter autem Spiritum dixi de Patre procedere, quoniam reperiatur & de Filio procedere; & hoc quoque dederit illi Pater non tanquam priùs exiſtenti, & hoc non habenti,

Eodem cap. ante med.

ſed gignendo dedit ; quoniam quidquid habet Filius à Patre gignendo percepit : non enim priùs eum genuit Pater, & poſteà dedit vt de Filio procederet Spiritus, ſed ei gignendo contulit, vt etiam de illo donum commune procederet, hoc eſt Spiritus ſanctus, quem dicit eſſe donum tam Patris quàm Filij, quoniam ſit Spiritus amborum.

Item infra : [ Si in donis Dei nihil maius eſt caritate, & nullum eſt maius donum Dei quàm Spiritus ſanctus, *Ibid. cap. 19. ante finem.* quid conſequentius quàm vt ipſe ſit caritas, * quæ dicitur *al. * qui.* & Deus ex Deo ? Et ſi caritas quâ Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonſtrat amborum ; quid conuenientius quàm vt ille propriè dicatur caritas, qui Spiritus communis eſt ambobus ? ] Superiùs donum Dei Spiritum ſanctum dixerat, & hac proprietate Spiritus ſancti perſonam à patris Filiíque perſona diſcreuerat ; quod donum Dei modò caritatem appellat, quæ ſit inter dona diuinitatis præcipuum donum, eo quòd *1. Cor. 13. 3.* ſecundùm Apoſtolum, cætera dona ſine caritate nihil ſint ; & hanc caritatem dicit Deum ex Deo, ſignificans Spiritum ſanctum procedentem ex Deo. Et quia Deus commune vocabulum eſt tam Patris quàm Filij, nec appareat de quo dicat eum procedere, conſequenter hoc demonſtrat, dicens : [ Et ſi caritas qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonſtrat amborum ; quid conuenientius quàm vt ille propriè dicatur caritas qui Spiritus eſt communis ambobus ? ] Quod dicens & Spiritum ſanctum caritatem appellat, & communiter de ambobus, Patre ſcilicet Filióque procedere confitetur : non enim aliter poſſet ambobus communis exiſtere, niſi ex ambobus communiter procederet. Item poſteriùs : [ In illa ſumma Trinitate, quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta eſt inſeparabilitas, vt cùm Trinitas homi- *Ibid. cap. 23. initio.* num non poſſit dici vnus homo ; in illa vnus Deus & dicatur, & ſit, nec in vno Deo ſit illa Trinitas, ſed vnus Deus. Nec rurſus quemadmodum iſta imago quod eſt homo habens illa tria, vna Perſona eſt ; ita eſt illa Trinitas : ſed tres Perſonæ ſunt, Pater Filij, & Filius Patris, & Spiritus Patris & Filij. ] Cùm dicat Patrem Filij eſſe Patrem,

tantummodò & Filium Patris eſſe Filium ; Spiritum verò non Patris ſolùm vel Filij Spiritum, ſed amborum, profectò teſtatur, quòd ab vtroque procedat. Nam Pater idcircò Filij Pater eſt, quòd eum genuit ; & Filius idcircò Patris eſt Filius, quòd ab illo ſit genitus : conſequenter igitur Spiritus Patris & Filij Spiritus dicitur, quòd procedat & à Patre & à Filio. In hac autem Trinitate tantam docet inſeparabilitatem, vt cùm Trinitas hominum non poſſit dici vnus homo. Conſtat enim in tribus hominibus, quemadmodum Trinitas corporum in tribus corporibus, ac per hoc vnus homo Trinitas non poteſt dici : eſt enim ſingulare inſecabile vnius numeri. At in illa ſumma Trinitate & Trinitas dicitur Deus & vnus Deus, nec tamen vt in vno Deo ſit illa Trinitas, videlicet vt vnaquæque Perſona ſingulariter ſit Trinitas, ideſt nec Pater ſolus Trinitas, nec Filius ſolus, nec Spiritus ſanctus ſolus ; ſed cùm Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſit vnus Deus, eſt Trinitas vnus Deus. Nec enim quemadmodum imago Trinitatis huius habet illa tria, ideſt memoriam, intelligentiam, dilectionem, & propterea in vna Perſona Trinitas eſt, non quòd vnus homo ſit Trinitas, ſed quòd in vno homine ſint illa tria ; ita eſt in illa ſumma Trinitate ; ſed tres Perſonæ ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ſed hæc tria vnus Deus ; & propterea Trinitas vnus Deus. Tanta ſocietas eſt trium Perſonarum, tanta conſubſtantialitas, vt tres vnum ſint, & vnus Deus de tribus prædicetur : ſeparantur autem relatione tantùm ; ſubſtantiâ verò copulantur. Nam Pater relatiuum eſt Filij, Filius relatiuum eſt Patris, Spiritus autem ſanctus Patrem & Filium habet relationem, Vnde conuincitur ab vtroque
Ibid. cap. 26. init. procedere. Item infra : [ Deinde in illa ſumma Trinitate, quæ Deus eſt, interualla temporum nulla ſunt, per quæ
al. *requiri. poſſit oſtendi, aut ſaltem * reperiri, vtrum priùs de Patre natus ſit Filius, & poſteà de ambobus proceſſerit Spiritus ſanctus : quoniam ſcriptura ſancta Spiritum eum dicit amborum. Ipſe eſt enim de quo dicit Apoſtolus : *Quoniam*
Galat. 4. 6. *autem eſtis Filij, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra*. Et ipſe eſt de quo dicit idem Filius. *Non enim vos eſtis*
Mat. 10. 20. *qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vo-*

*bis*. Et multis aliis diuinorum eloquiorum teſtimoniis comprobatur Patris & Filij eſſe Spiritum, qui propriè dicitur in Trinitate Spiritus ſanctus. De quo item dicit ipſe Filius: *Quem ego mittam vobis à Patre*. Et alio loco: *Quem mittet Pater in nomine meo*. De vtroque autem procedere ſic docetur, quia ipſe Filius ait: De Patre procedit. Et cùm reſurrexiſſet à mortuis, & apparuiſſet diſcipulis, inſufflauit, & ait: *Accipite Spiritum ſanctum*: Vt eum etiam de ſe procedere oſtenderet. Et ipſe eſt *virtus quæ de illo exibat* (ſicut legitur in Euangelio) *& ſanabat omnes*. Quis iſtîc contradicendi locus eſt? Diuinarum authoritate ſcripturarum oſtenditur, quòd Spiritus ſanctus & Patris ſit & Filij, & quòd ab vtroque procedat; ſi negari contenditur, negetur Apoſtolus, negetur & Filius hoc dixiſſe. Creditur Filio dicenti, quia procedit de Patre. Credatur quoque quòd miſerit eum ab ſe cùm inſufflauit, & ait diſcipulis: *Accipite Spiritum ſanctum*. Nihilominus quoque virtus, quæ ſanabat omnes, exiens de IESV Spiritum ſanctum à Filio procedere teſtificatur. Euidenter igitur oſtenditur Spiritus ſanctus procedere tam à Patre quàm à Filio, quamquam & illud euidentiſſimum ſit proceſſionis illius ab vtroque teſtimonium, quòd dicitur eſſe Spiritus & Patris & Filij: eſt enim Spiritus amborum: non quia creatus per Filium à Patre, quod eſt impium, ſed quòd ſubſtantialiter procedat ab vtroque. Nec quando proceſſerit vel de Patre vel de Filio, vel ſi poſtquàm genitus eſt Filius proceſſerit ab vtroque Spiritus ſanctus, vlla monſtrari poſſunt interualla temporum: quod enim antecedit omne tempus, nullius menſurâ temporis continetur. Non eſt igitur ordo proceſſionis quærendus in tempore, quod paternitatem concludit omne tempus. Nunquam Pater ſine Filio, nunquam Filius ſine Patre, nunquam Spiritus ſanctus ſine Patre Filióque, nunquam Pater & Filius ſine Spiritu ſancto.

*Ioan.* 15. 26. *Ioan*, 14. 26. *Ioann*. 20 22. *Luc*. 6. 19.

Item infra: [Nunquid ergo poſſumus quærere vtrum iam proceſſerat de Patre Spiritus ſanctus quando natus eſt Filius, an nondum proceſſerat; & illo nato de vtroque proceſſit, vbi nulla ſunt tempora: ſicut potuimus quærere vbi inuenimus tempora, voluntatem priùs de humana mente *Ibid. ſub med.*

procedere, vt quæratur quòd inuentum proles vocetur, quâ iam partâ ſeu genitâ voluntas illa perficitur, eo fine requieſcens, vt qui fuerat appetitus quærentis, ſit amor fruentis, qui iam de vtroque, id eſt, de gignente mente, & de genita notione tanquàm de parente ac prole procedat? Non poſſunt prorſus iſta ibi quæri vbi nihil ex tempore inchoatur, vt conſequenti perficiatur in tempore. Quapropter qui poteſt intelligere ſine tempore, generationem Filij de Patre, intelligat ſine tempore proceſſionem Spiritus ſancti de vtroque. ] Teſtatur beatus Auguſtinus proceſſionem Spiritus ſancti tam de Patre quàm de Filio fieri. Sed mouet quæſtionem, de qua iam ſuperiùs dictum eſt, vtrum Spiritus ſanctus ante Filij natiuitatem proceſſerit de Patre, & pòſt nato Filio proceſſerit etiam ab illo: ſed in hanc quæſtionem illa compellit ſimilitudo, quâ dicitur de humana mente procedere voluntatem priuſquàm verbum formetur ex mente, vt fiat appetitus quidam voluntatis ad quærendum, quod cùm inuentum fuerit, vocetur tanquam proles mentis; quâ generatâ perficitur voluntas illa quâ proceſſit appetitus quidem ad quærendum; ſed hæc voluntas & primò de mente nata eſt antequam quæreretur quod inueniri deſiderabatur, quo inuento plena perficitur, dum ex ipſo inuento multiplicatur: gaudet enim inueniſſe quod quæſiuit: vnde ex vtroque nata voluntas, videlicet tam de mente quàm de inuento procedit ab vtroque; ſed priùs à mente, & pòſt ab inuento; inde videlicet ad quærendum: hinc autem vt delectetur reperto. Nec tamen iſta duplex eſt voluntas, veluti prior mentis, poſterior inuenti, ſed vna vnius quidem rei, videlicet inuenti inchoationem habens ex mente ad quærendum, perfectionem autem eius quod quærebat inuenti: vt qui primò fuerit appetitus quidam quærendi, pòſt verò factus ſit amor inuento fruendi. Sed iſta fiunt in rebus creatis quæ tempore continentur; at in diuinitate tempus vbi nullum extat, tale nihil valet reperiri. Non enim dicitur ibi vel antè fuiſſe Pater, vel pòſt genitus eſſe Filius, ſed ſemper Pater in Filio, & Filius in Patre manſit; nec Spiritus ſanctus procedendo potuit præuenire natiuitatem Filij: quoniam vbi nullum extat tempus

nec antè vel pòſt valet inueniri. Non enim poteſt conſequenti perfici tempore quod exordium nullum habet ex tempore. Qua de re qui poteſt generationem Filij de Patre cogitare ſine tempore, cogitet quoque proceſſionem Spiritus ſancti tam ex Patre quàm ex Filio ſine tempore. Sicut igitur non eſt quærendum quando ſit natus Filius de Patre, ſic nullo modo quærendum quando proceſſerit Spiritus ſanctus ab vtroque; vel ſi natiuitatem Filij præuenerit de Patre procedendo. Vbi námque ſempiternitas ineſt, temporis ordo deeſt. Nec ex humanæ conditione creaturæ lex eſt vlla diuinitatis æſtimanda; quoniam iſta facta ſub tempore temporis ordinem ſeruat: illa verò conditrix temporis nullo temporis iure diſponitur: præuenit enim omnia quæ tempore continentur.

Subiungit etiam aliud vnde comprobet procedere Spiritum ſanctum à Patre & à Filio ſine tempore, ſicut conſtat genitum eſſe Filium de Patre ſine tempore: Dicit autem: [ Et qui poteſt intelligere in eo quod ait Filius: *Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſemetipſo:* Non ſine vita exiſtenti iam Filio vitam Patrem dediſſe, ſed ita eum ſine tempore genuiſſe, vt vita, quam Pater Filio gignendo dedit, coæterna ſit vitæ Patris qui dedit: intelligat ſicut habet Pater in ſemetipſo, vt de illo procedat Spiritus ſanctus, ſic dediſſe Filio, vt de illo procedat idem Spiritus ſanctus, & vtrumque ſine tempore: atque ita dictum, Spiritum S. de Patre procedere, vt intelligatur, quòd etiam procedit de Filio, de Patre eſſe Filio, ſi enim quidquid habet de Patre Filius, de Patre habet vtique vt & de illo procedat Spiritus ſanctus. Sed nulla ibi tempora cogitentur, quæ habent priùs & poſteriùs, quia omninò nulla ibi ſunt.] Procedere Spiritum ſanctum de Filio, ſicut procedit de Patre, teſtificatur; quòd tamen procedit à Filio dediſſe Patrem Filio, non priùs exiſtenti, ſed gignendo: quoniam quæcumque dedit Pater Filio, non tanquam minori, vel priùs exiſtenti, dedit, ſed gignendo dedit. Et dat ſimilitudinem quâ clariùs fiat quod approbat: [ qui poteſt, inquit, intelligere quod ait Filius: Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio vi-

Ibid. conſequenter. *Ioan.* 5. 26.

tam habere in ſemetipſo: non ſine vita exiſtenti iam Filio vitam Patrem dediſſe: ] Exiſteret Filius ſine vita, ſi priùs aliquo modo fuiſſet quàm viueret, vt exiſtenti iam poſteà fuerit illa vita contributa. Quemadmodum Geneſis de primo Adam loquitur, dicens: *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ*. Et pòſt infertur: *Et inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*. Priùs námque eum dicit fuiſſe formatum, & poſteà iam formato, videlicet per propriæ formationis qualitatem exiſtenti, ſpiramentum vitæ contributum. Sed non ſic Filio Pater vitam dedit tanquam priùs gigneret, cui poſteà genito vitam donaret: ſed gignendo vitam dedit, quoniam ſubſtantialiter vita Filius eſt, cui gignendo vitam dedit. Homo denique priùs formatus extitit, & pòſt vitam accepit, quoniam participando non naſcendo vitam accepit: non enim ſubſtantialiter vita fuit, ſed participatione vitæ vixit. At vero Filius Patris vnigenitus non participatione vitam accepit, ſed ſubſtantialiter de Patre genitus eſt vita: non enim exiſtenti tanquam ſine vita manenti data eſt illi vita, ſed genitus eſt totus vita coæqualis & conſubſtantialis vitæ Patris, qui gignendo dedit ei vitam.

*Geneſ. 2. 7.*

*Ibidem.*

Sequitur: [ ſed ita eum ſine tempore genuiſſe, vt vita quam Pater Filio gignendo dedit, coæterna ſit vitæ Patris qui dedit. ] Hoc dicens oſtendit vitam eſſe Patrem, & vitam eſſe Filium, ſed vita Filius accepit à Patre, vt eſſet vita non priùs exiſtens ſine vita, ſed genitus vita, quæ coæterna ſit & conſubſtantialis vita Patris, qui dedit Filio vitam generando. Quiſquis hoc intelligere quomodò ſit valet, intelligat quoque ſicut habet Pater in ſemetipſo vt de illo procedat Spiritus ſanctus, ſic dediſſe Filio vt de illo procedat idem Spiritus ſanctus. Vult enim approbare accepiſſe Filium à Patre ſicut gignendo vitam, ſic etiam gignendo vt de illo procedat Spiritus ſanctus, non alter, ſed idem qui procedit à Patre. Et cùm negare nemo ſanæ mentis valeat vitam ſumpſiſſe Filium de Patre vt ſit vita ſicut eſt Pater, ſic conſequenter negare non poſſit accepiſſe Filium à Patre vt de illo procedat Spiritus ſanctus: & hoc vtrumque ſine tempore; quoniam ſicut ſine tempore procedit à Patre, ſic quoque ſine tempore procedit à Filio; quoniam

quoniam iſta proceſſio eſt minimè temporalis, ſed æterna. Sicut enim natiuitas Filij de Patre remouet omne tempus, ſic proceſſio Spiritus ſancti quæ fit ab vtroque, nullum tempus agnouit.

Adiungit: [ Atque ita dictum Spiritum ſanctum de Patre procedere, vt intelligatur quòd etiam procedit de Filio, de Patre eſſe & Filio. ] Vult vt intelligatur cùm legitur vel dicitur Spiritus ſanctus de Patre procedere, pariter quoque de Filio ſignificari procedere; & idcirco in Patris commemoratione Filium intelligendum; quoniam ſit Filio de Patre vt procedat ab eo Spiritus ſanctus. Et quia refertur ad authorem Patrem à quo accepit Filius vt à ſe procedat Spiritus S. propterea cùm dicitur de Patre procedere, ſentiendum pariter quòd & à Filio procedat. Hinc etiam ſubiungit: [ Si enim quidquid habet de Patre habet Filius; de Patre habet vtique vt & de illo procedat Spiritus ſanctus.] Nouimus autem dicente Filio, quòd omnia quæ Patris ſunt, ſint & Filij: ſed hæc cùm ſibi fuerint à Patre data, meritò referuntur ad eum à quo ſunt data. Et idcirco cùm dicitur Spiritus ſanctus à Filio procedere, refertur ad Patrem à quo ſibi datum eſt vt ab illo procederet. Vnde cùm dicit Filius in Euangelio: *Spiritus qui à Patre procedit*: vult intelligi quòd à ſe quoque dixerit eum procedere, ſed ſine vlla temporis admotione, quoniam non ſit diſquirendum vtrum priùs proceſſerit Spiritus ſanctus, & poſteà natus ſit Filius; vel nato Filio, poſteà proceſſerit Spiritus ſanctus ab vtroque: non eſt enim hîc cogitandum prius vel poſterius, quoniam nullum hîc tempus æſtimandum. Et in conſequentibus: [ Quomodò ergo non abſurdiſſimè Filius diceretur amborum, cùm ſicut Filio præſtat eſſentiam ſine initio temporis, ſine vlla mutabilitate naturæ generatio, ita Spiritui ſancto præſtet eſſentiam ſine vllo initio temporis, ſine vlla mutabilitate naturæ de vtroque proceſſio. ] Monſtrat proceſſionem quidem Spiritus ſancti tam de Patre fore quàm de Filio, ſed non quærendum ſi priùs de Patre; vel pòſt de Filio; verùm cogitandum quia ſicut generatio Filio tribuit ſubſtantiam interueniente nullo tempore, neç aliqua intercedente mutabilitate, ſic Spiritui

Ibid. | Ibid. | *Ioa.* 16. 15 | Ibidem.

ſancto proceſſio dedit ſubſtantiam præter aliquod tempus; & præter aliquam mutabilitatem: nec diſputandam quid antè vel pòſt, ſed intelligendam de Patre Filij natiuitatem, & ab vtroque Spiritus ſancti proceſſionem.

Ibid. Sequitur: [ Ideò enim cùm Spiritum ſanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos qui non ſunt de alio, quiſpiam ſuſpicetur. Pater enim ſolus non eſt de alio, ideò ſolus appellatur ingenitus, non quidem in ſcripturis, ſed in conſuetudine diſputantium, & de re tanta ſermonem qualem valuerint proferentium. Filius autem de Patre natus eſt; & Spiritus ſanctus de Patre principaliter, & ipſo ſine vllo interuallo temporis dante, communiter de vtroque procedit. Diceretur autem Filius Patris & Filij, ſi, quod abhorret ab omnium ſanorum ſenſibus, eum ambo genuiſſent. Non igitur ab vtroque eſt genitus, ſed procedit ab vtroque amborum Spiritus. ] Perſeuerat approbare Spiritum ſanctum tam de Patre quàm de Filio procedere: obuiat autem in hac propoſitione contradicentium diſputationi, qui dicunt vtriuſque eſſe Filium, ſi ab vtroque procedit Spiritus ſanctus: verùm priùs de nomine tractat, ideſt quid dicatur Spiritus ſanctus, genitus an ingenitus, & negat neutro vocabulo appellandum: & cauſam infert, quâ comprobet quod affirmat, eâ videlicet: quia ſi dicatur genitus, erit duorum Filius, ideſt Patris & Filij, quod dicit execrabile chriſtianæ pietati; ſed nec ingenitum poſſe vocitari; hoc enim propriè Patri deputatur, quoniam de nullo eſt alio, ſui namque principium eſt ex ſeſe conſiſtens; nec aliquid habet præcedens: eſt enim vniuerſitatis principium, fons & origo. Cùm igitur nec genitus, nec ingenitus dici fideliter poſſit Spiritus ſanctus, procedens propriè vocitatur, ſed non à ſolo ſolus, videlicet à Patre ſolo ſolus Spiritus ſanctus procedens, quemadmodum Filius ſolus à ſolo Patre dicitur natus: procedit autem ab vtroque, ideſt & à Patre & à Filio intemporaliter, quoniam æternaliter; nec tamen dicuntur eum genuiſſe, quoniam nec Filius Patris eſt, nec Filius Filij, ſed ab vtroque procedens. Eſt enim amborum Spiritus. Sic eui-

denti ratione monſtratur ab vtroque procedere Spiritus S. dum manifeſtè docetur non eum ſolùm à ſolo Patre procedere, ne Filius eſſe Patris dicatur: ſed nec à ſolo Filio, ne Filius Pater eſſe blaſphemetur, ſed dicitur Spiritus ſanctus & procedens & de vtroque procedens.

## CAPVT IV.

MOuet autem multos quid ſit inter generationem & proceſſionem. Iſta verò quæſtio quoniam inexplicabilis eſſe videtur in illa incorporea & inuiſibili Trinitate dicendum quid præclariſſimus Author Auguſtinus ſenſerit. Subiungit itaque ſic loquens: [ Verùm quia in illa coæterna, & coæquali, & incorporali, & ineffabiliter immutabili, atque inſeparabili Trinitate difficillimum eſt generationem à proceſſione diſtinguere, ſufficiat interim eis qui extendi non valent ampliùs, id quod de hac re in ſermone quodam proferendo ad aures populi Chriſtiani diximus, dictúmque conſcripſimus. Inter cætera enim cùm per ſcripturarum ſanctarum teſtimonia docuiſſem, de vtroque procedere Spiritum ſanctum. Si ergo, inquam, & de Patre & de Filio procedit Spiritus ſanctus, cur Filius dixit: De Patre procedit? Cur putas, niſi quemadmodum ſolet ad eum referre, & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt? Vnde illud eſt: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui me miſit.* Si igitur hîc intelligitur eius doctrina, quam tamen dixit non ſuam, ſed Patris, quantò magis illic intelligendus eſt & de ipſo procedere Spiritus ſanctus, vbi ſic ait: De Patre procedit: vt non diceret, de me non procedit? A quo autem habet Filius vt ſit, Deus eſt enim de Deo Deus; ab illo habet vtique vt etiam de illo procedat Spiritus ſanctus: ac per hoc Spiritus ſanctus, vt etiam de Filio procedat ſicut procedit de Patre, ab ipſo habet Patre. Hîc vtcumque etiam illud intelligitur, quantum à talibus quales nos ſumus intelligi poteſt, cur non dicatur natus eſſe, ſed potiùs procedere Spiritus ſanctus; quoniam ſi & ipſe Filius diceretur, amborum vtique Filius diceretur; quod abſurdiſſimum eſt. Filius quip-

Lib. 15. de Trinit. c. 27. init.

*Ioan. 7. 16*

pe nullus eſt duorum', niſi Patris & Matris. Abſit autem vt inter Deum Patrem & Deum Filium tale aliquid ſuſpicemur; quia nec Filius hominum ſimul ex Patre & Matre procedit; ſed cùm in Matrem procedit ex Patre, non tunc procedit ex Matre: & cùm in hanc lucem procedit ex Matre, non tunc procedit ex Patre. Spiritus autem ſanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ſimul de vtroque procedit: quamuis hoc Pater Filio dederit, vt quemadmodum de ſe, ita de illo quoque procedat. Neque enim poſſumus dicere quòd non ſit vita Spiritus ſanctus, cùm vita Pater, vita ſit Fi-
*Ioan.5.26* lius: ac per hoc ſicut Pater cùm habeat vitam in ſemetipſo, dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo; ſic ei dedit vitam * Spiritum ſanctum procedere de illo ſicut procedit & de ipſo.

** Apud Auguſt. deſunt duo hæc verba.* Spiritum ſanctum.

Hæc beatus Auguſtinus de ſermone quem ſe dixit feciſſe coram populo transtulit in librum decimum quintum de Sancta Trinitate. De quo ſermone ſupra iam teſtimonia poſuimus, & quid nobis viſum exinde fuerit breuiter diximus, quæ replicare nunc credimus non eſſe neceſſarium. Hoc ſolummodò dicendum, quòd inter generationem ac proceſſionem hanc dicit eſſe differentiam, quòd generatio ſit Filij, quoniam ipſe natus eſſe dicatur de Patre; proceſſio verò pertineat ad Spiritum ſanctum; nec eum poſſe dici generatum: quòd ſi dicatur natus, tam Patris quàm Filij eſſe dicetur: quod ſummæ dicit eſſe ſtultitiæ, neque diuinæ generationi conuenire. Quando námque quiſque Filius de Patre Filióque natus extitit? Ergo quoniam iſta ſunt abſurdiſſima, dicatur Filius natus de Patre, Spiritus verò ſanctus procedens ab vtroque. Nec hoc inconuenienter. Dictum námque eſt, Patrem ſolùm ex nullo: ex Patre vero Filium & Spiritum ſanctum. Et Patrem eſſe vitam, Filium etiam vitam, Spiritum quoque ſanctum vitam. Sed vitam de nulla vita Patrem ſolum: Filium verò vitam de Patre ſolo, ſed genitam, Spiritum quoque ſanctum vitam non de ſolo Patre, nec de ſolo Filio, ſed ab vtroque: ſed non ſic de Patre, vt inde procedat in Filium, & rurſus de Filio procedat ad creaturæ ſanctificationem: non enim iſt-

hîc vlla momenta temporis, vel ordo cogitandus. Simul denique procedit ab ambobus, ideſt cùm procedit à Patre procedit à Filio; & cùm procedit à Filio, procedit à Patre, nullo vel tempore vel ordine mediante: Hoc tamen intereſſe vt Pater a nullo acceperit, vt de illo procederet Spiritus ſanctus: at verò Filius à Patre percepit, vt ab eo procederet idem Spiritus ſanctus.

Item in libro diſputationis contra quinque Hæreſes, ſic de Spiritu ſancto ſermonem terminans, ait: [ Quid aliud dicam fatigatus fatigatis? Qui Spiritum ſanctum à Patre & Filio, æternitate, ſubſtantiâ, vel communione ſeparat, cúmque negat Spiritum eſſe Patris & Filij, plenus eſt Spiritu immundo, vacuus Spiritu ſancto. ] Audiant hæc impugnatores veritatis, negantes Spiritum ſanctum de Patre Filióque procedere. Quod cùm negant, negant eum eſſe Patris Filiique Spiritum: & pertimeſcant ſe Spiritu plenos eſſe immundo, vacuóſque Spiritu ſancto: nec poſſe veniam conſequi, tantæ ſi non blaſphemiæ renuntiauerint. Quod ſi nolunt audire maligni, audiant pietatis amici, & exhorreſcant impietatis blaſphemiam, vt repleantur Spiritu S. In fine.

Item in libro contra Maximinum Arrianum: [ Dicis vos Spiritum ſanctum honorare, vt doctorem, vt ducatorem, vt illuminatorem, vt ſanctificatorem: Chriſtum colere vt Creatorem: Patrem cum ſincera deuotione adorare vt authorem: Si Authorem propterea dicis Patrem, quia de ipſo eſt Filius, non eſt autem ipſe de Filio: & quia de illo & Filio ſic procedit Spiritus ſanctus, vt ipſe hoc dederit Filio gignendo eum talem vt etiam de ipſo procedat Spiritus S. Si Creatorem ſic dicis Filium, vt Creatorem non neges Patrem, nec Spiritum S. Si denique Spiritum S. dicis ſic doctorem, ducatorem, illuminatorem, ſanctificatorem, vt hæc opera nec Patri audeas auferre, nec Filio, iſta tua etiam noſtra ſunt verba. ] Hæc ſanctus Auguſtinus aduerſus Arrianos. Videant iſti cuius velint eſſe fidei vel Imperatores, vel Arriomanitæ. Si negant Spiritum ſanctum de Patre Filióque procedere, catholicæ fidei repugnant; & Arriani dogmatis aſſertores efficiuntur. Quòd ſi catholici ſunt, & oderunt praui dogmatis falſitatem, non arguunt Latinos, imò Catholicam con- lib. 3. cap. 5 initio.

ſitentem Spiritum ſanctum de Patre Filióque procedere. iſta quoniam negare, Arrianæ perfidiæ manifeſtum eſt conſentire.

cap. 14. init. Item in eodem libro: [ Quæris à me: ( nimirum Maximinum Arrianum interpellans, cui loquebatur ) ſi de ſubſtantia Patris eſt Filius, de ſubſtantia Patris eſt Spiritus ſanctus, cur vnus Filius ſit, & alius non ſit Filius? Ecce reſpondeo, ſiue capias, ſiue non capias: De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus ſanctus; ſed ille genitus, iſte procedens. Ideò ille Filius eſt Patris, de quo eſt genitus; iſte autem Spiritus vtriuſque, quoniam de vtroque procedit. ] Negabat Maximinus Arrianus, contra quem agit beatus Auguſtinus, Spiritum S. de Patre procedere. Dicebat enim eum minorem Filio, nec conſubſtantialem Patri, volens euacuare quod fides catholica tenet, Spiritum ſanctum conſubſtantialem Patri Filióque. Et ideò dicebat: ſi de ſubſtantia Patris foret Spiritus ſanctus, ſicut de ſubſtantia Patris eſt Filius, eſſe iam conſequenter duos Filios. Cui reſpondens beatus Auguſtinus, dicit eum & de Patre procedere, quoniam eiuſdem eſt cum Patre ſubſtantiæ; nec tamen eſſe Filium, quoniam non eſt natus, ſed procedens: Filius námque qui eſt natus, eſt de ſubſtantia Patris, & idcirco Filius, quia natus. At verò Spiritus ſanctus quamquam ſit de ſubſtantia Patris, non eſt tamen Filius, quia non eſt genitus. Procedit autem de ſubſtantia Filij, quoniam eſt vtriuſque Spiritus, & conſubſtantialis amborum. Hoc qui negat Arrianis conſentit, & catholicæ fidei contradicit.

Ibid. Sequitur: [ Sed ideò cùm de illo Filius loqueretur, ait:
*Ioan.* 15. 26. *De Patre procedit*: Quoniam Pater proceſſionis eius eſt author, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit vt etiam de ipſo procederet Spiritus ſanctus. Nam ſi non pro-
*Ioan.* 20. 22. cederet & de ipſo, non diceret diſcipulis: *Accipite Spiritum ſanctum*; eúmque inſufflando daret, vt à ſe quoque procedere ſignificaret, apertè oſtenderet flando, quod inſpirando dabat occultè. Quia ergo ſi naſceretur, nec tantùm de Patre, nec tantùm de Filio, ſed de ambobus vtique naſceretur, ſine dubio Filius diceretur amborum. Ac per

hoc quia Filius amborum nullo modo eſt, non oportuit eum naſci de ambobus. Amborum eſt ergo Spiritus, procedendo de ambobus.] Approbat quòd de Filio procedat Spiritus ſanctus, & hoc voluiſſe ſignificare Filium, cùm de illo loqueretur in Euangelio, dicens, *De Patre procedit.* Non enim eo modo dixit hoc, vt eum à ſe negaret procedere, ſed authoritatem proceſſionis retulit ad Patrem qui talem genuit Filium, & illi gignendo contulit, vt non ſolùm de Patre, verùm etiam de Filio procederet Spiritus ſanctus. Et hoc affirmat ex alio teſtimonio, quo poſt Reſurrectionem apparens diſcipulis Saluator ait: *Accipite Spiritum ſanctum.* Et ne verbis tantùm, verùm etiam inſufflatione daret quod eos accipere iubebat, dicit quòd inſufflando loquutus ſit diſcipulis vt acciperent Spiritum ſanctum; eúmque inſufflando dederit, ſignificans apertè flando à ſe procedere, quod ſpirando dabat occultè. Pariter quoque ſoluens quæſtionem, ne Filius ſit amborum, quoniam procedit ab ambobus, ſicut impietas Arriana calumniabatur, dicens: [ Quia ſi naſceretur Spiritus ſanctus, non tantùm naſceretur de Patre, nec tantùm naſceretur de Filio;] Quoniam procedit ab vtroque. Procedit, inquam, non naſcitur: ſed de ambobus vtique naſceretur, quoniam procedit ab ambobus; & diceretur ſine dubio Filius amborum. Nunc autem remouetur generatio Spiritus, quoniam non eſt Filius nec Patris, nec amborum; ac propterea non oportuit naſci de ambobus; quoniam qui natiuitatem non habet, filietatem refutat; & qui Filius non eſt, naſci nullo modo debuit. Eſt autem amborum Spiritus procedendo de ambobus. Subuertit igitur Arrianam calumniam, falſitatis inuidiâ conflatam, & impietatis malignitate progenitam, aſſerere cupientem non eſſe Spiritum de ſubſtantia Patris, quia ſi foret, eſſet Filius. Sed iſte vir Catholicus catholica diſputatione demonſtrat eſſe quidem de ſubſtantia Patris Spiritum, nec tamen eſſe Filium; quoniam non eſt idem procedere, quod eſt naſci.

Hinc conſequenter intulit: [ Quid autem inter naſci & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquens, explicare quis poteſt? Non omne quod procedit naſcitur, Ibid.

quamuis omne procedat quod naſcitur: ſicut non omne quod bipes eſt, homo eſt, quamuis bipes ſit omnis qui homo eſt. Hoc ſcio. Diſtinguere autem inter illam generationem & hanc proceſſionem, neſcio, non valeo, non ſufficio.] Teſtatur Doctor eximius, & Hæreticorum expugnator vehementiſſimus, Spiritum ſanctum non eſſe Filium, qui non eſt natus, ſed procedit, non à Patris tantùm ſubſtantia, ſed etiam à Filij. Cùm autem ſit vtriuſque ſubſtantiæ conſors, vt pote conſubſtantialis, & dicatur de Patre procedere, de quo & naſcitur Filius, non parua vertitur quæſtio, quid ſit inter natiuitatem & proceſſionem. Et confitetur de illa excellentiſſima natura non ſolùm ſibi, verùm nulli mortalium poſſibile fore diſtinguere, quid ſit inter naſci & procedere; quamuis comprehendatur quòd non omne quod procedit, naſcatur; attamen omne procedens eſt quod naſcitur: non enim poteſt aliquid naſci, ſi non procedat ex eo de quo naſcitur, vt filius ex parente. Cùm enim ex ſecretis vteri materni procedit in lucem, dicitur naſci, ſed non ita cùm procedit ex ſecretis patris in matrem. Proceſſionem quippe negare non valemus, cùm fiat defluxio ſeminis in vterum matris, de quo poſteà filius procedens natus eſſe dicitur. Non iſta dicimus velut alio tempore de Patre proceſſerit Spiritus, & alio de Filio: verùm oſtendere volentes, non omnem proceſſionem eſſe generationem; omnem autem generationem eſſe proceſſionem: ſicut non omne quod bipes eſt, homo eſt; quamuis bipes ſit omnis qui homo eſt. Hoc quod ponit exemplum, propter diſtinctionem ponit natiuitatis & proceſſionis; non tamen propriè ſignificans quid ſit naſci vel procedere, ſed veluti cùm dicitur: quid ſit ſpecies, quid ſit genus. Bipes enim genus eſt eius ſpeciei, quæ eſt homo; & homo ſpecies eſt eius generis, quod eſt bipes: ſi genus conſideres, & homo, & volatile bipedes ſunt; ſi ſpeciem, homo bipes eſt Idcircò dixit; Non omne bipes homo; quoniam hoc generali vocabulo etiam aues comprehenduntur. At verò cùm dixeris hominem, comprehendis omnem quidem hominem ſimul, ſed non omne quod eſt bipes; ampliùs enim ſignificat quàm homo; & ideò hæc definitio

nec

nec hominem propriè ſignificat, nec bipedem propriè : ſic & proceſſio & natiuitas. In proceſſione námque monſtratur natiuitas, ſed non ſemper : veluti cùm dicitur : *De ore ſapientis procedit mel.* Et Pſalmiſta de ſole : *Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Thalamum námque ſolis ſecretum quoddam, & ab hominum conſpectu remotum ſignificat; vnde lucem præbiturus mortalibus ſingulis diebus procedit. At verò natiuitas proceſſionem ſemper oſtendit, quia nunquam poteſt fieri ſine proceſſione : quidquid enim naſcitur, etiam procedit : ac propterea dicit quidem beatus Auguſtinus quid ſit generatio & proceſſio, ſed ſicut in genere, vel ſicut in ſpecie, non verò ſicut in proprio: dicit enim hæc ſe neſcire, nec propriis finibus illa poſſe diſtinguere. Et cur hoc? ſubiicit cauſam, inquiens, quia & illa & iſta eſt ineffabilis, id eſt generatio Filij, & proceſſio Spiritus ſancti. Sicut Propheta de Filio loquens, ait: *Generationem eius quis enarrabit?* Ita de Spiritu ſancto veriſſimè dicitur : proceſſionem eius quis enarrabit?

*Pſal.* 18. 6.

*Iſay.* 53. 8.

Quibus verbis oſtendit & natiuitatem Filij ſicut proceſſionem Spiritus S. non enarrari poſſe, quia ſint ineffabiles: ac propterea non deberi ſcrutari quod non poſſit enarrari; quia nullo modo poſſit comprehendi. Debere verò ſufficere quod ſuper his ſcriptura ſancta teſtatur, natum Filium de Patre, Spiritum verò S. procedere, non à Patre ſolùm, verùm & à Filio : ſicut conſequenter inſinuat, dicens : [ Satis ſit ergo nobis, quia non eſt à ſeipſo Filius, ſed ab illo de quo natus eſt : non eſt à ſeipſo Spiritus S. ſed ab illo de quo procedit. Et quia de vtroque procedit, ſicut iam oſtendimus, vnde & Spiritus Patris dictus eſt, vbi legitur : ſi autem Spiritus eius qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis habitat in vobis. Et Spiritus Filij, vbi legitur : *Qui autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* ] Hìc aduerſus Maximinum Arrianum doctor Auguſtinus agens, oſtendit Spiritum ſanctum tam de Patre quàm de Filio procedere; quod qui negare contendunt, Arriomanitas ſe fore confitentur, nec conſubſtantialem Spiritum ſanctum Filio fatentur : quoniam ſi non procedit ab illo, non eſt eiuſdem ſubſtantiæ cuius eſt Filius : ac per hoc iam aut creaturam Spiritum ſanctum blaſphemabit, aut Fi-

Ibidem.

*Rom.* 8. 9

M

lium non omnia quæ Patris ſunt habere denegabit. Negare verò non poteſt Spiritum ſanctum Spiritum eſſe Filij: di- Galat. 4. 6. cit enim Apoſtolus: *Quoniam eſtis filij, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra, clamantem Abba, Pater.* Quod ſi eſt Spiritus Filij, ſicut Apoſtolus confitetur, aut erit ſubiectus, quod vult Arrianus, qui connumerat eum creaturis. Aut procedens ex Filio, quod confitentur Catholici. Eligant ergo quod volunt Imperatores Græcorum: negare non poſſunt Spiritum ſanctum Spiritum eſſe Filij. Dicant ergo quomodò Filij ſi non procedit ab ipſo. Nam ſi proceſſionem negant, prædicant creationem, quod impietatis eſſe conſtat Arrianæ, quia non poteſt eſſe Filij Spiritus, ſi non vel creatus ſit, vel procedens ab illo.

Ibid. Cap. 17 in fine. Ioan. 1. 1. Ioa. 8. 24. al. * Ergo. Item in conſequentibus: [ Quid eſt autem: *In principio erat Verbum*; niſi in Patre erat Filius? Et ipſe Filius interrogatus à Iudæis, quis eſſet, reſpondit: *principium qui & loquor vobis.* Pater * autem principium non de principio; Filius principium de principio: ſed vtrumque ſimul, non duo, ſed vnum principium. Sicut Pater Deus, & Filius Deus, ambo autem ſimul, non duo dij, ſed vnus Deus. Nec Spiritum ſanctum de vtroque procedentem negabo eſſe principium, ſed hæc tria, ſimul ſicut vnum Deum, ita vnum dico eſſe principium. ] Negat eſſe creaturam Spiritum ſanctum, dicens eum eſſe principium ſicut Pater eſt principium, & Filius principium: ſed Pater principium de nullo principio; Filius autem principium; ſed de Patre principio: Spiritus quoque ſanctus principium non de nullo principio, nec de Patre ſolùm principio, ſed de vtroque, ideſt Patre principio Filióque: nec tamen tria principia, ſed vnum principium: quemadmodum non tres dij Pater & Filius & Spiritus ſanctus; quamuis ſingulus eorum dicatur Deus: ſed hi tres vnus Deus.

Cap 27. prope finem. Item in poſterioribus: [ Lux de luce, Filius de Patre, & ſimul ambo lux vna: ſicut Deus de Deo, & ſimul ambo vtique Deus vnus; & hoc totum non ſine Spiritu amborum. ] Quod dicens teſtatur eum ab vtroque procedere, Nam ſi Spiritus eſt Patris, quia procedit à Patre; conſequenter quoque Spiritus eſt Filij, quoniam procedit ab illo,

non enim diuersâ causâ dicitur Spiritus eſſe Patris, & Spiritus Filij, ſed vnâ eadémque; illâ videlicet, quia procedit ab vtroque, ſicut Spiritus eſt vtriuſque. Nam ſi dicas eum Spiritum Patris, quia procedit de Patre, quænam cauſa reſtat vt dicatur Spiritus Filij, niſi quia procedat & ab illo? Hæc beatus Auguſtinus aduerſus Maximinum agens Arrianum, de ſancti Spiritus proceſſione ex Filio ſenſit, dixit ſcripſit, Arrianam perfidiam damnans, catholicæ verò fidei pietatem affirmans; cui contradicere quiſquis molitus fuerit, hoſtis catholicæ fidei reperitur.

Hinc etiam in collatione dialogi contra Paſcentium Arrianum diſputans, ait: [ Si enim in homine credente ipſe totus Deus credendus eſt habitare, quomodò Filium totum in ſe Pater, aut Filius Patrem totum non credatur excipere? Ac per hoc ipſe in Patre, & Pater in eo manet, & ex Patre & Filio ſanctus credendus eſt Spiritus non ſolùm proceſſiſſe, ſed ſemper ad agenda opera Trinitatis omninò procedere. ] Vnum eſſe dicit ſanctum Spiritum ex ſancta Trinitate cooperatorem, qui non ſolùm ſubſtantiâ, verùm operatione Patri Filióque copuletur tanquam ab vtroque procedens, & cum vtroque cooperans: quod non poſſet facere, ſi non ab vtroque procedendo ſubſtantiam & accepiſſet & accipiat.

Altercatio Paſcentii cum Aug. epiſt. 178. med.

---

## CAPVT V.

GENNADIVS Conſtantinopolitanus Epiſcopus, vir multa lectione Antiquorum peritus, in libro Eccleſiaſticorum dogmatum de Spiritus ſancti proceſſione ſic loquitur: [ Credimus vnum Deum eſſe Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Patrem eo quòd habeat Filium. Filium eo quòd habeat Patrem. Spiritum S. eo quòd ſit ex Patre & Filio. Pater ergo principium diuinitatis * principale nomen: * quia ſicut nunquam fuit non Deus, ita nunquàm fuit non Pater, à quo Filius natus, à quo Spiritus ſanctus non natus; quia non eſt Filius, neque ingenitus, quia non eſt Pater; nec factus Spiritus ſanctus, quia non eſt ex nihilo, ſed ex

Extat tomo 3. Operum S. Auguſtini Gennadio Maſſilienſi Preſbytero inſcriptus cap 1.

* *Verba hæc*, principale nomē, *in editis non habentur*

*al.* * qui.

Deo Patre, & Deo Filio Deus procedens.] Dilucidè ſatis eſſe profitetur Spiritum ſanctum ex Patre & Filio, quod eſt de ſubſtantia Patris Filiique procedere. Non enim aliter ex vtroque poterat eſſe, ſi non ſubſtantialiter procederet ab vtroque. Propter quod dicit in conſequentibus, quòd [ ex Deo Patre & Deo Filio Deus ſit procedens.] Et cùm eum dicat procedentem, negat tamen eum dici debere vel natum, quia non eſt Filius, vel ingenitum, quia non eſt Pater.

FVLGENITVS Epiſcopus, litterarum ſtudiis admodùm eruditus, & vitæ ſanctitate perſpicuus, ab Arrianis quoque pro Catholica fide multa perpeſſus, in libro quæſtionum de Spiritus ſancti proceſſione ſic ait: [ Sic totum quod eſt ipsâ naturâ commune tribus inuenitur eſſe perſonis, vt aliquid tamen inueniatur, quo propriè vnaquæque perſona noſcatur: quod tamen nec inueniatur ſeparabile, nec poſſit eſſe commune. Nam proprium Patris dicimus eſſe, quòd ſolus genuit: proprium dicimus Filij eſſe, quòd ſolus de ſolo Patre natus eſt, proprium Spiritus ſancti quòd de Patre Filióque procedit. In his verò propriis nulla eſt naturæ ſeparatio, ſed quædam perſonalis agnitio.] Dicit hic author quid commune, quid proprié vnaquæque ſanctæ Trinitatis perſona noſcatur habere; commune quidem ineſt tribus perſonis vnius naturæ conſubſtantialitas; proprium verò ſingulis, quòd Pater ſolus genuit, Filius ſolus natus de Patre ſolo. Spiritus ſanctus quòd de Patre Filióque procedit. Quâ de re qui recipiunt Patris ineſſe proprium, quòd ſit Genitor, & Filij proprium, quòd ſit genitus, recipiant quoque neceſſe eſt eſſe Spiritus ſancti proprium, quòd de Patre Filióque procedit. Quòd ſi negare contendunt, dicant quid ſit ei proprium. Nam proceſſio de Patre communis eſt etiam Filio; quoniam omne quod naſcitur procedit etiam, ergo ſecundum Doctoris huius ſententiam, proprium eſt Spiritus ſancti quòd de Patre Filióque procedit, quòd nec Patri nec Filio cernitur eſſe commune: ſiquidem Pater de nullo, Filius verò de ſolo Patre, Spiritus autem ſanctus de vtroque.

*Hic liber non extat*

Item in conſequentibus: [ Non ergo potuit Spiritum ſan-

ctum diuinitas Filij accipere, cùm ipſe Spiritus ſanctus ſic procedat à Filio, ſicut procedit à Patre; & ſic detur à Filio, ſicut datur à Patre. Nec illa natura, vnde Spiritus ſanctus habet originem, potuit vel expectare vel accipere largitatem. Spiritus ille totus eſt Patris, totus eſt Filij; quia vnus naturaliter Spiritus eſt Patris & Filij. Proinde totus de Patre procedit & Filio, totus in Patre manet ac Filio; quia ſic manet vt procedat, ſic procedit vt maneat. Vnde naturaliter hanc habet cum Patre ac Filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totus à Patre, totus habeatur à Filio. Non ergo accepit Spiritum ſanctum diuinitas Filij, cum qua vnius eſt naturæ Spiritus ſanctus, & ex qua habet quidquid habet, imò de qua eſt hoc quod eſt; quia quod naturaliter habet, hoc eſt. ] Locus iſte tractatur de plenitudine diuinitatis Chriſti, & de ipſius humanitate: humanitatem quidem dicit accepiſſe Spiritum ſanctum, non quidem ad menſuram, quia diuinitatis plenitudo conſiſtit in illa, ſicut Euangelium teſtatur, dicens de Chriſto: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Veritas ad diuinitatem, gratia refertur ad donum. Vt enim homo de Virgine natus perfectus eſſet Deus, ſicut perfectus eſt homo, non merito, ſed gratiæ diuinæ dono percepit. At verò diuinitas naturaliter habet, vt ſit plena atque perfecta, nullius indiga, nec minorationem valens accipere, nec augmentum ſuſtinere. Secundùm hanc diuinitatis plenitudinem Filius Dei Chriſtus non potuit Spiritum ſanctum accipere, quandoquidem ipſe Spiritus ſanctus ſic procedat ab ipſo: ſicut & à Patre procedit, & detur ab illo; nihilominus quemadmodum datur à Patre. Qua de re diuinitas Filij, de qua ſumit originem Spiritus ſanctus, non valet accipere largitatem eius, cui ſit cauſa exiſtendi: eſt enim ille Spiritus totus Patris, & totus Filij; & cùm ſit amborum totus, vel alterutrius totus, non conuertibilitate fit, vt Pater & Filius dicantur eſſe Spiritus S. velut ab illo ſuſcipientes eſſendi cauſam; nec ſolus Filius Spiritus ſancti Filius, velut ab illo percipiens exiſtentiam: quoniam naturaliter vnus Spiritus eſt tam Patris, quàm Filij, percipiens ab illis eſſentiam,

*Ioan.* 1. 14.

Proinde ſicut Beatus Fulgentius teſtatur, totus de Patre procedit, & totus de Filio: non enim pars illius à Patre, pars quoque procedit à Filio; neque pars manet eius in Patre, pars rurſus in Filio. Eſt enim inſecabilis, & impartibilis, neque ex diuerſis compoſitus: & ſic manens vt procedat, ſic procedens vt maneat. Naturaliter enim habet cum Patre ac Filio plenitudinem vnitatis, & vnitatem plenitudinis, & totus habetur à Patre & totus habetur à Filio. Non ergo diuinitas Filij Spiritum S. accepit, quem priùs non habuit, cùm ſit Spiritus S. eiuſdem naturæ cuius eſt Filius, vtpote de quo accepit quidquid habet, imò de quo eſt hoc quod eſt; quoniam ſubſtantialiter de diuinitate Filij eſt. Quibus omnibus euidenter oſtenditur Spiritus ſancti proceſſio non minus eſſe de Filio quàm de Patre: quòd quiſquis negare intenderit, negabit pariter Spiritus ſancti ſubſiſtentiam: quoniam non poteſt ſubſiſtere, niſi eſſentiam accipiat ab illo de quo procedendo ſubſiſtit. Hoc ſanctus Fulgentius aduerſus Arrianam perfidiam diſputans de Spiritus ſancti proceſſione locutus eſt, approbans veriſſimè dici tam à Patre quàm à Filio procedere Spiritum ſanctum, quoniam ſit vtriuſque Spiritus, eſſentiam accipiens ab vtroque; quod qui negat, monſtratur Arrianæ perfidiæ obnoxius eſſe.

---

## CAPVT VI.

SEd ad Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum reuertamur, quem in exordio catholicorum teſtium primum poſuimus, vt is ſit clauſula teſtificationis de proceſſione ſancti Spiritus à Filio, qui fuit initium. In libro namque ſecundo de propriis perſonis, & de vnito nomine diuinitatis aduerſus Arrianos ſic ait: [ In hoc ſanè alius eſt Pater in perſona, quia verè genuit; & in hoc eſt alius Filius à Patre in perſona, quia verè ab eo genitus eſt. Sed in hoc alius eſt in perſona Spiritus hic principalis paraclytus à Patre & Filio, qui in Pentecoſte in Apoſtolos effuſus eſt, quia verè de vnita diuinitate Patris & Filij procedit. ] Hic Au-

*Libri 11. de propriis perſonis an verè ſint Athanaſii ſubdubitant quidam docti.*
Lib 2. med
*Sed diuerſa hic habet Author in nonnullis.*

thor ſingularum proprietatem perſonarum diſtinguens, & vnitate diuinitatis coniungens, oſtendit quid ſingulis ſit proprium, quid commune. Proprium Patris eſſe dicens, quòd genuit; in quo nec Filio nec Spiritui ſancto participatur, alioquin non ei eſſet proprium Patris vocabulum: & Filius in hoc diſcernitur à Patre quòd genitus ſit, ille vero genuerit. Sed nec in generationis proprietate Spiritus ſancti communionem recipit vllam, quoniam cùm hic ſit genitus, illo non eſſe genitus approbetur. Spiritus autem ſanctus hoc rurſus habet proprium, vt nec genuerit, nec genitus ſit, ſed de vnita Patris & Filij diuinitate procedat; in quo nec Patri nec Filio communicat. Pater enim de nullo, Filius de ſolo Patre, Spiritus autem ſanctus de Patre Filióque. Quod qui negare contendit, oſtendat vnde Spiritus ſancti perſona diſtinguatur à Patris Filiíque proprietate. Et hæ tres perſonæ ſanctæ Trinitatis ſuis proprietatibus cùm diſtinguantur à ſingulis, diuinitatis vnitate ſocientur, vt nullam contineant in diuinitatis communione differentiam, ſed ſit in perſonis proprietas, in diuinitate indifferens vnitas.

Item in libro ſeptimo: [ *Cur qui me videt, videt & Patrem meum*, indicat, ſi non eſt in his vna inuiſibilis imago naturæ veritatis? Cur legitis; *ſeruari vnitatem Spiritus in vinculo pacis*, ſi eum de ipſa vnita diuinitate Patris, & Filij eſſe non accipitis? Cur legitis Vas electionis dixiſſe: *Omnes vnum Spiritum potauimus*, ſi eum vos de vnita vera deitatis natura diſcernitis? ] Teſtatur Filium eiuſdem naturæ eſſe cuius ſit Pater, quod negabant Arriani, quoniam ſit in Patre Filióque vna inuiſibilis imago naturæ veritatis. Teſtatur & Spiritum ſanctum eiuſdem ſubſtantiæ fore cuius ſit Pater & Filius, quoniam exiſtat de vnita deitate Patris & Filij: quod dicens liquidò monſtrat quòd procedat ab vtroque: cùm enim ſit deitas Patris & Filij ſic vnita, vt nullam differentiam recipere poſſit, non poteſt procedere Spiritus de deitate Patris, niſi procedat & de Filij. Quemadmodum nec de Filij deitate, niſi procedat etiam de Patris; alioquin vnita deitas Patris & Filij non erit iam indifferens, ſi procedat Spiritus de deitate Patris, & non pariter proce-

Ante medium.
*Ioan.* 14.

dat de deitate Filij : ac per hoc iam non erit vnita : quod eſt impium & Arrianum. Dicatur ergo ſecundùm fidem Catholicam, quòd beatus Athanaſius confitetur, Spiritum ſanctum de vnita deitate Patris & Filij eſſe. Item teſtatur quòd vnum Spiritum potauerimus. Quod dicens approbat non alium eſſe Patris Spiritum, & alium Filij, ſed qui ſit Filij, ſit etiam Patris; ipſéque eſt de vnita vera deitatis natura, id eſt Patris Filiíque ſubſtantia, quæ tanta vnitate conſiſtit, vt nulla ſeparatione diuidatur; cuius ſubſtantiæ dum Spiritus ſanctus ſit quoque vnus, approbatur euidenter à Patre Filióque procedere, quibus in vnita natura deitatis coniungitur.

Paulò pòſt

Item infra: [ Hypocritæ, quemadmodum ſuſcipitis (hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens vnicuique ſicut vult) ſi eum de vnita deitatis operatione ſecernitis? * Vnita deitas totius eſt ſanctæ Trinitatis, in qua pariter conſiſtit & perſona Spiritus ſancti, ſine qua nec Trinitas erit.] Ergo dicens deitatem vnita operatione coniungi, teſtatur Spiritui ſancto Patrem Filiúmque cooperari; nec poſſe natura ſecerni quos eadem operatio coniungit. Conſequenter ergo de vnita conſtat natura Patris Filiíque Spiritus, quibus & ſubſtantia iungitur & operatione.

* *Hæc quæ ſequuntur in editis non extant.*

Ibid.

Item: [ Hypocritæ, quomodò accipitis dictum fuiſſe: Idem Spiritus, idem & Dominus, idem & Deus; ſi eum vos verum Deum de vera natura, in omnibus mirabilia operantem, non ſuſcipitis?] Spiritum & Dominum dicit & Deum: & verum quidem Deum de vera natura. Dum dicit de vera natura confitetur non à ſe fore Spiritum ſanctum, ſed de vera natura Patris Filiíque. Sicut enim naturæ veritate Pater & Filius non ſeparantur, ſic Spiritus ſanctus de vtriuſque ſubſiſtit vera natura: quoniam non poteſt procedere de natura Patris, ſi non etiam procedat de natura Filij: quoniam quæ natura Patris eſt, eadem eſt & Filij. Et dicendo beatus Athanaſius Spiritum ſanctum verum Deum de vera natura, nec addendo Patris vel Filij, profectò dat intelligi de vtriuſque vera natura, verum Deum Spiritum ſanctum eſſe, in omnibus mirabilia operantem.

Ibidem.

Item: [ Hypocritæ, per quem ſubminiſtratur ſermo ſapientiæ,

pientiæ, ſiue verbum ſcientiæ, ſiue fides, ſiue gratia ſanitatis, ſiue operatio virtutum, ſiue prophetia, ſiue ſeparatio Spirituum, niſi quoniam de vnita plenitudine eſt?] Hæc omnia quæ commemorat, dona ſancti Spiritus eſſe nemo fidelium ambigit. Inferens autem in concluſione hæc Spiritum ſanctum poſſe, quoniam de vnita plenitudine eſt, profectò confitetur quòd de Patre Filióque procedit. Vnita námque plenitudo diuinitatis Patris eſt & Filij: nam cùm ſit plena diuinitas Patris, & plena diuinitas Filij, quia perfecta, quia non valens augeri; ita tamen vnita, vt non duæ plenitudines, ſed vna plenitudo; ſicut nec duæ deitates, ſed vna deitas & dicatur, & exiſtat; & de hac vnita plenitudine Spiritum ſanctum confitetur eſſe, quoniam de plenitudine Patris & Filij procedit, plenus & ipſe conſiſtens Deus quia perfectus, quia non valens augmenti recipere quantitatem. Si enim iuxta nouam hæreſim de Patre tantùm procedit Spiritus, non de vnita plenitudine procedit, quoniam non eſt illic communitas Filij, ſingularitas vbi eſt Patris. Eſt autem hoc falſum atque hæreticæ prauitatis plenum. Dicatur igitur iuxta beati Athanaſij ſententiam, de vnita plenitudine procedere Spiritus ſanctus, quoniam conſiſtit de vera deitate tam Patris quàm Filij verus Deus.

Item infra: [Ergo quia dixit: *Verbo Domini cœli firmati ſunt: & Spiritu oris eius omnis virtus eorum:* cognoſce hoc Verbum ſubſtantiuum non aliunde quàm de Patre proprium natum fuiſſe; ſed & Spiritum oris eius eum Spiritum dixit, qui de ipſa vnita ſubſtantia proceſſit.] Arriani negabant tam Filium quàm Spiritum ſanctum Patris eſſe conſubſtantiales, & ideò per totius diſputationis textum præſentem tam Filij quàm ſancti Spiritus conſubſtantialem deitatem Patri contendit approbare: quemadmodum loco præſenti; Verbo Domini cœlos firmatos dicens, Filij diuinitatem; Spiritu verò oris eius omnem virtutem eorum, Spiritus S. conſubſtantialitatem ſignificat. De quo ſubiungit etiam, quòd de ipſa vnita ſubſtantia proceſſit. Inſinuans profectò quòd de Patre Filióque procedat, quorum eſt vnita ſubſtantia. Hinc conſequenter ait: *Sic autem inuenimus*

Ibid. In fine. *Pſal.* 32.

Ibid. Paucis additis.

*non ex alia natura quàm de ipſa* : Subauditur eſſe Spiritum ſanctum. Blaſphemabant Arriani Spiritum ſanctum ex alia natura fore quàm ſit pater : nam contendebant eum eſſe creaturam. Quos explodens beatus Athanaſius dicit eum non ex alia natura eſſe, quàm pater ; & de vnita ſubſtantia Patris filiique proceſſiſſe. Ac per hoc teſtatur vnitam eſſe patris & filij & Spiritus ſancti ſubſtantiam, quam Græci dicunt ὀσίαν & vnitam eiuſdémque eſſe Trinitatis operationem.

*Iſta non habentur in editis.* In libro octauo : [ Quomodò ergo duo ligna coniuncta miſſa in fornacem ignis, & de duobus lignis procedit flamma inſeparabilis ; ſic de Patre & Filij virtute procedit Spiritus ſanctus, ipſam virtutem deitatis habens. ] Nemo putet Deum Patrem & Deum Filium tanquam duo ligna vnius flammæ voluiſſe dicere beatum Athanaſium ſubiectos Spiritui ſancto, verùm de rebus materialibus ſumpſiſſe ſimilitudinem eius rei, quæ non eſt materialis, vel loco diuiſibilis ; & non ex toto, ſed pro parte : non enim creatura poteſt ex omni parte Creatori conſimilis inueniri, qua de re ſenſum debemus potiùs intelligentiæ perpendere. Dicit enim, non quia Spiritus ſanctus de Patre Filióque procedit tanquam de duobus lignis vnus ignis & inſeparabilis, Spiritum ſanctum idcircò ſeparabilem videri ; vel tanquam duos Spiritus, vnum Patris & alterum Filij, ſed vnum eundémque Spiritum ſanctum, vnam eandémque deitatis virtutem habentem, quam habet Pater & Filius, à quibus procedit. Nec hoc vel impoſſibile, vel incredibile videri, quoniam in rebus materialibus inueniatur aliquid de duobus naſci, quod ſingulariter ſubſiſtat, nec dualitatem recipiat. Item in eodem libro : [ Pater in Filio, & Filius in Patre ; Spiritus autem ſanctus coniunctio diuinæ virtutis, & vnitas Trinitatis. ] *Neque iſthæc.* Hæc dicens oſtendit Spiritum ſanctum caritatem eſſe Patris & Filij ; neque enim aliud eſt quo potentiùs & conuenientiùs vnitas ſanctæ Trinitatis perficiatur. Non tamen ſic accipiendum hîc caritatem, quæ eſt Spiritus ſanctus, vt ſit qualitas, & non ſubſtantia, cùm vna ſit perſona ſanctæ Trinitatis. Coniunctionem autem appellat Spiritum ſanctum, vel vnitatem Patris & Filij,

quoniam de vtroque procedens vtrumque coniungit, manens ipſe non diuiſus, non ſeparatus, & conſubſtantialis; quoniam ſanctæ Trinitatis vnus exiſtit.

Item in libello fidei ſic ait: [ Pater verus genuit Filium verum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam ex vita, perfectum de perfecto totum à toto, plenum à pleno; non creatum, ſed genitum, non ex nihilo, ſed à Patre vnius ſubſtantiæ cum Patre: & Spiritum ſanctum verum Deum, non ingenitum, neque genitum, non creatum, nec factum; ſed Patris & Filij ſemper in Patre & Filio. ] Et hîc Spiritum ſanctum nec genitum dicit eſſe, nec ingenitum, eo quòd Filius ſit genitus, ſicut ſuperiùs dixit, Pater autem ingenitus, nec tamen propterea vel creatum, vel factum, cùm ſit Patris & Filij Spiritus, ſemper in Patre & Filio permanens. Dicens autem Patris Filiique eſſe Spiritum, non tamen creatum, neque factum, oſtendit ab vtroque procedentem, qui tanquam conſubſtantialis & coæternus in Patre ſit ſemper & in Filio, quo ſanctæ Trinitatis vnitas nec loco nec tempore ſeparabilis extat. Item in libro decimo ponens teſtimonium Apoſtoli dicentis: [ *Quis enim cognouit ſenſum Domini qui inſtruat eum?* * *Nos autem ſenſum Chriſti habemus.* Quo poſito ſubiungit: Senſum autem IESV Chriſti in ſubſtantia propria Apoſtolus Spiritum ſanctum eſſe profeſſus eſt. ] Subſtantiam propriam Chriſti beatus Athanaſius appellat diuinitatem eius, cuius ſubſtantiæ ſenſum Spiritum ſanctum eſſe profitetur: ſenſum autem in hoc loco non ſecundùm humani corporis vel auditum, vel viſum ſentiendum, ſed ſecundùm quod appellamus ſenſum animi, intellectum eius ſignificare volentes. Dicit autem intellectum IESV Chriſti Spiritum ſanctum, non quòd non intelligat à ſe, vt intellectus eius ſit Spiritus ſanctus: eſt enim ſapientia Patris, *Attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter:* ſed ideò vult Chriſti ſenſum accipi Spiritum ſanctum, vt nos inſtruat de Chriſti ſubſtantia Spiritum eſſe ſanctum: ſicut enim ſenſus animi non poteſt ab animo ſeparari, nec aliunde quàm ab animo naſcitur, ita Spiritus ſanctus cùm dicatur ſecundùm Apoſtolum ſenſus eſſe IESV Chriſti, non à ſubſtantia diuini-

Lib. 11. de fide vnitatis Patris &c. Ad Theophilum init.

*In poſterioribus editionibus an. 1627. Videbis* Lib. 11; vbi ſupra. ante med. al. * Nos

Sap. 8. 1.

tatis Chriſti ſeparatur, nec aliunde quàm ex ea procedit; eſt enim conſubſtantialis Filij, proceſſionem habens ipſius de diuina ſubſtantia.

*Ioan.* 14. 6. *Rom.* 8. 2. *Galat.* 4. 6. Et poſteriùs: [ Audientes ergo & Saluatorem dicentem: *Ego ſum vita.* Et Paulum ſcribentem: *Lex enim Spiritus vitæ.* Et rurſum: *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra.* Videntes etiam Vnigenitum in faciem Apoſtolorum inſpirantem, & dicentem: Accipite Spiritum ſanctum: inſpirationem Filij in propria vita & ſubſtantia manentis, Spiritum eſſe docemur. Et neque genitum, neque creatum eſſe à Filio ſapiamus. ] Quibus omnibus inſtruimur Spiritum ſanctum de Filio procedere, & in propria vita ſubſtantiáque manere. Et licet inſpiretur à Filio, quod eſt eum de Filio procedere, non eſſe tamen neque creatum, neque genitum ab illo. Non eſt enim neque Filius, neque creatura Spiritus ſanctus. Quibus euidenter inſtruit eiuſdem Spiritum ſanctum eſſe ſubſtantiæ, cuius eſt & Filius, vtpote procedens ab illo; nec qui ſit vnus de creaturis, ſed creaturarum Sanctificator. Vnde cùm dicit eum ſecundùm Apoſtolum Spiritum Filij, non vult eum intelligi ſubiectum, quia non eſt creatus; ſed vult vt intelligatur procedens, non tamen genitus, quia non eſt Filius. Accepit tamen de ſubſtantia Filij propriam exiſtentiam, quoniam eſt vna ſanctæ Trinitatis perſona.

Item in libro diſputationis aduerſus Arrium: [ Apparet Spiritum ſanctum à Patris & Filij ſubſtantia non eſſe alienum, dum non à ſeipſo tanquam alienus & extraneus, ſed vtpote vnius eiuſdemque naturæ ſocius: quæ Patris & Filij communia ſunt agit & loquitur; nam ſi de propriis loqueretur, non ſolùm à Patre alienus, ſed & fallax & deceptor pro-
*Ioan.* 8. 44. culdubio haberetur. Quoniam, vt ait Filius, Omnis qui loquitur mendacium, de propriis loquitur, & ideò hic verum loquitur, quia non de proprio, ideſt non à ſeipſo,
*Ioan.* 16. 14. ſed Patris & Filij quæ loquenda ſunt loquitur: De meo, inquit Filius, accipiet, & annuntiabit vobis. Et vt oſtenderet hoc eſſe à ſe accipere, quod eſt etiam de Patre ſumpſiſ-
*Ibid. v.* 15. ſe, ait: Ideò dixi, de meo accipiet; Quia omnia quæ habet Pater mea ſunt. Vides ergo Spiritum ſanctum à

Patre & Filio non eſſe diſcretum, dum ea loquitur quæ Patris & Filij propria eſſe noſcuntur. ] Luce clarius oſtendit Spiritum ſanctum de Patre Filióque procedere, & ambobus eſſe conſubſtantialem. Ait enim eum à Patris & Filij ſubſtantia non eſſe alienum, quoniam non ſit à ſemetipſo, ſed ab eis à quibus procedit: & quoniam ſit eiuſdem naturæ ſubſtantiæque cuius eſt Pater & Filius, non loquitur propria, ſed quæ Patris & Filij ſunt communia. Non enim eſt à ſeipſo, & idcircò quæ loquitur, eorum eſſe conſtat à quibus accepit; vt & ſit, & agat, & loquatur. ſicut nec Filius de proprijs loquitur, ſed à Patre quod loquitur accepit. *Omnis qui loquitur mendacium de proprijs loquitur*; & idcircò beatus Athanaſius Spiritum ſanctum dicit verum loqui, quia non loquitur de proprio, non enim eſt à ſeipſo, ſed ea loquitur quæ ſunt Patris & Filij; quoniam ſicut conſubſtantialis eſt illis, ita percepit ab illis quæ loquitur, non priùs exiſtendo, & poſteà accipiendo, ſed procedendo accipiens. Et inducit Filium dicentem. *De meo*, inquit, *accipiet, & annuntiabit vobis*. Et cur hoc dixerit, exponit cùm ſubiungit: Hoc eſt, inquiens, de Filio accipere, quod eſt etiam de Patre ſumpſiſſe: quoniam Pater & Filius ſicut ſubſtantiâ non ſeparantur, ita in proceſſione ſancti Spiritus nullo modo diuiduntur. Idcircò ſubiungit Filium dixiſſe: *Propterea, inquit, dixi, de meo accipiet: quia omnia quæ habet Pater mea ſunt.* Oſtendens Spiritum ſanctum cùm procedit à Patre, procedat & à Filio; & cùm procedit à Filio, procedat etiam & à Patre. Vnde in fine concludens ait, Spiritum ſanctum à Patre Filióque non eſſe diſcretum, quibus & naturâ iungitur & operatione. Nam ea loquitur & ait quæ Patris & Filij propria eſſe noſcuntur, ab vtroque procedens, ab vtroque percipiens ſicut eſſentiam ſic operationem, indiuiſus ab eis tam voluntate quàm virtute, vtpote vnus ipſius eiuſdémque ſanctæ Trinitatis exiſtens. Hæc beatus Athanaſius de proceſſione ſancti Spiritus dogmatizans approbat eum procedere tam de Patre quàm de Filio. Cui Græcorum Imperatores ſi velint contradicere, videant in profeſſione ſanctæ Trinitatis quos ſequantur Authores. Nam iſtius beatiſſimi catholiciſſ-

*Ioan. 8. 44.*

*Ioan. 16. 14.*

nique viri authoritatem omnis catholica Chriſti amplectitur Eccleſia, veneratur & defendit.

Sufficiant iſta nos dixiſſe de Spiritu ſancto, authoritatem maiorum ſequentes, ſanctarúmque ſcripturarum magiſterium imitantes, nos quidem approbare volentes, quòd Deus ſit & conſubſtantialis Patri Filióque coæternus, & per omnia ſimilis potentiæ, ſimilis virtutis, vnius eiuſdémque maieſtatis. Hæc námque quæſtio ſanctorum diſputatione Patrum ventilata atque determinata eſt, expugnantium perfidiam hæreticorum, qui de Spiritu ſancto malè ſentientes negabant eum eſſe Deum verum: nobis autem ex hoc non multa diſputandi neceſſitas incubuit, quamuis non pauca ſint à nobis ex hoc dicta, cùm ſe locus obtulit. De proceſſione verò ipſius plura ſunt dicta, de qua quæſtio nata eſt, quæ ſufficere credimus pietatem amantibus, & veritatem diligentibus, magíſque ſapientiæ lumen quàm tenebras erroris ſectantibus. De quibus vtríſque loquitur Spiritus ſanctus in Salomone, dicens. *Noli arguere deriſorem*
Prou. 9. 8. *ne oderit te. Argue ſapientem, & feſtinabit accipere.* Et rur-
Prou. 25. 9. ſum: *In auribus inſipientium ne loquaris: non enim recipient niſi dixeris illa quæ verſantur in corde eorum.* Quapropter videant Spiritus ſancti calumniatores, ne nolentes recipere ſapientiæ diſciplinam, illis comparentur, qui ſuam præferre volunt inſipientiam ſanctarum regulis ſcripturarum. Hos tamen modernos, non diſputatores, quia nihil ex ratione vel redarguunt vel aſtruunt, ſed nouitatis aſſertores, quibus ſimiles eſſe dicamus? Cùm enim negare volunt Spiritum ſanctum de Filio procedere, vnde quod dicunt comprobent, nullam vel ratiocinationem, vel authoritatem oſtendunt: vnde tumor potius leuitatis eſſe videtur, quàm prudentiæ grauitas. Adeò denique arrogant ſibi, vt quidquid aſſerunt, authoritas eſſe videatur: ſimiles eis qui cæci non videntes lucem, iurant ſolis præſentiam non eſſe ſuper terram, cùm dies ſereno lumine fulgeat. Sed dicamus illis quod
Ioan. 5. 39 Saluator Iudæis loquitur: *Scrutamini ſcripturas. Illæ ſunt enim quæ teſtimonium perhibent de me.* Sic & iſti ſacrarum volumina ſcripturarum ſcrutentur. Et illæ ſunt quæ

teſtimonium perhibent quidem Spiritui ſancto quod de Patre Filióque procedat. Euoluant Catholicorum dogmata Patrum; & reperient vnde ſuum corrigant errorem, deponántque ſtultitiæ tumorem, quo putant ſibi potiùs quàm veritati credendum, & Maiorum authoritatem ſuæ væſaniæ poſtponendam: diſcant priùs quod appetunt docere, ne dum imperitiam ſuam pro ſumma peritia voluerint iactare, ſimiles illi fiant, qui poſtquam elatus eſt in ſublime, dicente Salomone, ſtultus apparuit. *Prouerb. 30.32.*

Verùm tempus eſt iam ad reliqua quæ criminosè proferunt tranſire, quibus dum geſtiunt Latinos reprehendere, quàm ſint ipſi reprehenſibiles, liquidò demonſtrant.

*Explicit liber tertius.*

# INCIPIT LIBER QVARTVS RATRAMNI CORBEIENSIS MONACHI CONTRA GRÆCOS.

## CAPVT I.

OBIECTA quæ ſequuntur dum ſapientiæ parum, imperitiæ verò non parum continere videantur, poterant omitti, ſi non minùs prudentibus erroris ſcandalum viderentur poſſe parturire. Dum enim talia ſint quæ formam pietatis videantur oſtendere, plurimos valent incautos decipere, non valentes diſcernere quid inter veram ſimulatámque diſtet religionem. Etenim cùm nihil de dogmate fidei contineant, in quo Chriſtianitatis plenitudo conſiſtit, verùm conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ tantummodò narrent, nihil iſthinc vel approbandum, vel refutandum noſtræ reſtabat Eccleſiæ. Non *De diuerſis Eccleſiæ conſuetudinibus agitur.*

1\. Cor. 1. 10 enim continetur in hoc illud Apoſtoli dicentis: *Obſecro vos vt idem dicatis omnes; & non ſint in vobis vlla ſchiſmata.* Quæ ſint autem de quibus obſecrat idem ſentire, idem loqui, nec vllam fieri diuiſionem, monſtrat alibi, dicens: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Vnus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes eſt, & in omnibus vobis.* In his enim nulla fit diuerſitas credentium, quando ſanctæ Trinitatis confeſſionem, & Saluatoris noſtri IESV Chriſti natiuitatem ex Virgine, paſſionem, mortem, reſurrectionem, in cœlos aſcenſionem, ad dexteram Patris confeſſionem, & corde credimus vt iuſtificemur, & ore confitemur, vt ſaluemur: ſed & ipſum venturum tam viuorum quàm mortuorum iudicem: & vnum baptiſma in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, æquali confeſſione quicumque ſumus Chriſtiani tenemus & confitemur. In his enim obſecrat nos Apoſtolus idem ſapere, non diuerſa ſentire.

Quid in Eccleſia vniformiter ab omnibus tenendum.

Mutantur aliquando conſuetudines.

Act. 4. 34.

Cæterùm conſuetudines Eccleſiarum nec eædem ſunt omnes, nec ab omnibus poſſunt vniformiter haberi. Principio ſiquidem naſcentis Eccleſiæ Apoſtolorum acta teſtantur quòd qui Hieroſolymis erant credentes, nihil proprium poſſidebant: poſſeſſiones autem quas habebant, vendebant, eorúmque pretia coram pedibus Apoſtolorum ponebant, diſtribuebántque ſingulis prout cuique opus erat: erant enim eis omnia communia. At verò de Gentibus qui crediderant non eadem Religionis forma detinebat: ſcribitur enim in eiſdem Actis Apoſtolorum, quæ per Apoſtolos præcepta ſuſceperant, quæque ſeruantes ſalutis æternæ participes exiſterent: Hæc autem erant, vt abſtinerent ſe à ſimulachrorum cultura, à fornicatione, & ſanguine, & ſuffocato: nihil enim ſupra voluerunt eis imponere: ſicut literæ teſtantur Credentibus de præputio ab Apoſtolis miſſæ, In quibus hoc ferebatur.

Act. 15. 28. 29. *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui ſancto & nobis nihil vltra im-*
*ponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria; vt abſtineatis vos*
Ibid. 29. *ab immolatis ſimulachrorum, &c.* Et in concluſione: *A quibus cuſtodientes vos bene agetis.* Quis non videat diuerſam eſſe Religionis conſuetudinem; nihil proprium poſſidere, ſed communiter viuere, & omnia ſua retinere, neque niſi pauciſſimis

pauciſſimis præceptis mancipari? Aliud eſt námque perfectionis ſummam aſſequi; quod fecerunt qui cuncta ſua vendentes pauperibus ea diſtribuebant, & pauperem Chriſtum ipſi pauperes effecti ſunt ſecuti: aliud autem qui vix præcepta pauca complectentes inter initia Religionis continebantur, nec tamen ob hoc alieni facti ſunt ab eis qui ſumma tenebant iſti qui minima, veluti dicam, præcepta ſectabantur. Etenim licet obſeruantiæ fuerint qualitate diſpares, fidei tamen vnitate ſociabantur.

EVSEBIVS Cæſarienſis Epiſcopus in hiſtoria Eccleſiaſtica ſcribit de Credentibus qui morabantur Alexandriæ, quòd Religionis feruore detinebantur, quàm excellenti conuerſationis Philoſophiâ ſeſe gerebant. Ait ergo: [ Primò omnium renuntiant cunctis facultatibus ſuis, qui ſe ad huiuſmodi Philoſophiam dederint, & bonis ſuis quibus interſunt cedunt. Tum deinde quòd omnes etiam vitæ ſollicitudines procul abiiciant, & extra vrbem egreſſi in hortulis, vel exiguis quibúſque agellulis degant, refugientes imparis propoſiti conſortia, & vitæ diſſimilis contubernia: ſcientes impedimento eſſe hæc arduum volentibus iter virtutis incedere. ] Et poſt alia: [ Eſt autem, inquit, in ſingulis locis conſecrata orationis domus, quæ appellatur Semnion, vel monaſterium. Semnion autem ſignificare poteſt honeſtorum conuenticulum, in quod ſecedentes honeſta & caſta vitæ myſteria celebrant. Nihil illuc prorſus quod ad cibum potúmque pertinet inferentes, vel reliqua humani corporis miniſteria, ſed Legis tantùm libros, & volumina Prophetarum, hymnos quoque in Deum, cæteráque his ſimilia. In quorum diſciplinis & exercitiis inſtituti, ad perfectam beatámque vitam ſtudiis iugibus coaleſcant. Ab ortu autem diei vſque ad veſperam omne eis ſpatium ſtudiorum exercitiis ducitur: quibus ad diuinam Philoſophiam per ſacras litteras imbuuntur; Patrum leges in allegoricam intelligentiam deducentes; quoniam formas eſſe & imagines ea quæ in legis littera ſcripta ſunt, opinantur, latentis intrinſecus profundi cuiuſdam diuiníque myſterij. ] Et in conſequentibus: [ Continentiam verò velut quoddam fundamentum primò in anima collocant; & ita demum re-

EVSEBIVS. Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 16. poſt init. *Diuerſa eſt verſio latina ab ea quæ nunc extat in editis.* Et hæc ex Philone Iudæo *de vita contemplat. ante med.* Eodem cap.

Ibidem.

liquas ſuper hanc pergunt ædificare virtutes. Cibum potúmque nullus eorum capit ante ſolis occaſum, videlicet tempus lucis cum Philoſophiæ ſtudiis: curam verò corporis cum nocte ſociantes. Nonnulli autem etiam poſt triduum in communionem veniunt cibi, quos ſcilicet edacior ſtudiorum fames perurget. Iam verò hi qui in eruditionibus ſapientiæ, & in profundiore intelligentia ſacrorum voluminum conuerſantur, tanquam copioſis dapibus inhiantes, expleri nequeunt, & contuendo acriùs inflammantur, itaut nec quarto iam, nec quinto, ſed ſexto die demum, non tam deſideratum quàm neceſſarium corpori indulgeant cibum.

Hæc ſcribens de conuerſatione Credentium, non Alexandriæ tantùm, verùm per Ægyptum paſſim inhabitantium, docet quantum iſtorum conuerſatio diſtabat à cæteris per totius orbis amplitudinem Credentibus. Siquidem hi deſiderio patriæ cœleſtis adeò incaluerant, vt his meritò diceretur: *Veſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* In carne ſiquidem commorantes Angelicam, vt ita dixerim, in terris vitam agebant. Fertur enim per beatum Marcum Euangeliſtam, quem miſerat Apoſtolus Petrus à Roma Alexandriam vt Euangelium Chriſti illi regioni prædicaret, fuiſſe ſic inſtitutos. Num verò propterea cęteras in orbe toto Chriſti Eccleſias longè aliter degentes, ſua communione priuarant, vel in ſuos ritus ſuámque conſuetudinem tranſmutare geſtiebant? nouerant enim vnicuique non ſolùm hominum, verùm etiam Eccleſiæ datam eſſe gratiam ſecundum menſuram donationis Chriſti; nec tamen iſti quia continentiam velut fundamentum quoddam primò conſecrandam conſtituerant, nuptias condemnabant: niſi fortè putandum apud eos Epiſcopos atque Preſbyteros vxores duxiſſe, apud quos conſtat ipſos etiam Laïcos nuptiis abſtinuiſſe. Sed neque prandebant omni Sabbato, quos conſtat vſque ad veſperam continuata perduxiſſe ieiunia; plurimóſque illorum in tertia vel ſexta die cibum corpori vix præbuiſſe.

*Philip. 3. 20.*

Videant igitur Græcorum Sapientes, vel certè Principes, quàm iuſtè reprehendant Romanos in Sabbato ie-

iunantes. Ergo reprehendant & iſtos omni die ieiunantes; reprehendant etiam totam hebdomadam ieiunio continuantes. Quod quia ſtultum eſſe cernitur, ex hoc ſaltem velim vel imprudentiæ, vel leuitatis ſuæ perſpiciant errorem, & ſtudeant potiùs virtutis imitatores exiſtere, quàm ieiunantibus derogare. *Non enim*, ait Apoſtolus, *regnum Dei eſt* Rom. 14. 17.
*eſca & potus, ſed iuſtitia & pietas.* Et Saluator diabolum Matt. 4.
non prandendo ſed ieiunando vicit. Nec ſuæ conſuetudinem Religionis omnes Chriſti velint Eccleſias tenere; cùm videant tam Apoſtolorum temporibus, quàm diſcipulorum eorum, diuerſas obſeruationum inſtitutiones fuiſſe; nec tamen fide diuerſas, licet obſeruantiâ diſpares extiterint.

---

## CAPVT II.

SCribit Apoſtolus Theſſalonicenſibus: *Vos enim*, in- 1.Theſſal.
quit, *imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei quæ ſunt* 2. 14.
*in Iudæa in Chriſto* IESV. Iſta dicens oſtendit etiam Eccleſias Credentium de Gentibus non eiuſdem eſſe virtutis, verùm diuerſi muneris, ac per hoc diuerſæ quoque conſuetudinis. Quod etiam beatus Hieronymus in prologo epiſtolarum Pauli teſtatur, dicens: [ Non eas ordinem vt ſcriptæ ſunt, ſed quendam graduum tenere prouectum; vt primum locum epiſtolæ contineant, quæ miſſæ fuerant ad Eccleſias, quibus minor obſeruantiæ doctrina vel virtus inerat. Medium verò teneant, quæ miſſæ fuerant his quæ iam ab initiis receſſerant, necdum tamen perfectionis culmen obtinuerant. Vltimum verò quæ miſſæ fuerant perfectionis gradum obtinentibus, quæ tam ſcientiæ quàm virtutis eminentiâ prępollebant, vt infra ſe multos, ſupra ſe verò nullos haberent. ] Quid enim in his monſtratur, niſi quarum erat differentia in ſcientia & virtute Eccleſiarum, earum quoque non eadem eſſet conſuetudo Religionis. Siquidem longè aliter ſe gerebant qui Hieroſolymis fuerant communiter viuentes: & in fractione panis communicantes, & oratione perſeuerantes, nihil proprium poſſidentes: atque longè aliter qui ſua quæ poſſederant retinentes, ſecundùm

gratiam ſibi diuinitus impertitam Euangelium Chriſti, vitâ, moribus, & fide commendabant. Inter quos plurimùm extollit Apoſtolus Theſſalonicenſes, quibus donatum eſt vt eadem paterentur à contribulibus ſuis, quæ paſſi ſunt & hi qui Hieroſolymis morabantur à Iudęis.

Lib. 5. cap. 21. *ante med.* Ieiunium Quadrageſimæ diuerſimodè olim celebratum. *Verſio latina edita diſcrepat ab iſta.*

De varia quoque Eccleſiarum conſuetudine Socrates in hiſtoria Eccleſiaſtica ſic loquitur: [ Quia verò ex conſuetudine quadam per prouincias celebratur Paſcha, hinc ęſtimo quòd nulla Religio eaſdem videatur ſeruare ſolemnitates. Nam cùm vnius ſint fidei, plurima tamen diſponunt circa Paſcha legitima; Vnde pauca dicenda ſunt. Nam in ipſis ieiuniis aliter apud alios inuenis obſeruari: Romani enim ſex ante Paſcha ſeptimanas, præter Dominicam, ſub continuatione ieiunant. Illyrici verò & tota Hellas, Alexandria quoque ante ſex ſeptimanas ieiunant; eáque ieiunia Quadrageſimam vocant. Alij verò ante ſeptem Paſchæ ſeptimanas ieiuniorum facere noſcuntur initia. ] Et poſt pauca: [ Sed etiam ciborum abſtinentiam non ſimilem habent: nam alij omninò ab animatis obſeruant; alij animantium piſces ſolummodò comedunt; quidam cum piſcibus veſcuntur & volatilibus, dicentes hæc ſecundùm Moyſem ex aqua habere ſubſtantiam; alij verò etiam caulibus & ouis abſtinere noſcuntur: quidam ſicco tantùm pane veſcuntur; alij neque hoc: alij vſque ad nonam ieiunantes horam ſine diſcretione ciborum reficiuntur. Et innumerabiles conſuetudines apud diuerſos inueniuntur. Et quia nulla lectio ex hoc inuenitur antiqua, puto Apoſtolos ſingulorum hoc reliquiſſe ſententiæ, vt vnuſquiſque operetur non timore, non neceſſitate, quod bonum eſt, ſed etiam circa celebritatem collectarum quędam diuerſitas inuenitur. Nam dum per Eccleſias in vniuerſo terrarum orbe conſtitutas, die Sabbathorum per ſingulas hebdomadas ſacrificia celebrentur, hoc in Alexandria & Roma quadam priſca traditione non faciunt. Ægyptij verò Alexandriæ vicini, & Thebaïdis habitatores, Sabbatho quidem collectas agunt, ſed non ſicut moris eſt ſacramenta percipiunt: nam poſtquam fuerint epulati, & cibis omnibus adimpleti, circa veſperam oblatione facta communicant. Rurſus autem

Ibid. Variorum ciborum vſus.

in Alexandria quartâ & ſextâ feriâ ſcripturæ leguntur, eáſque Doctores interpretantur; & omnia fiunt prǽter ſolemnem orationis morem. ] Item infra : [ In eadem Alexandria Lectores, & Pſalmi pronuntiatores, indifferenter fiunt ſiue Catechumeni, ſiue iam Chriſtiani, dum omnes Eccleſiæ iam fideles in his ordinibus habere videantur. Ego quoque cognoui in Theſſalia aliam conſuetudinem, dum quidam Clericus ante Clericatum legitimè duxiſſet vxorem, quia cum ea mixtus fuerit poſt Clericatum, abdicatus eſt; dum in Oriente cuncti ſpontanea voluntate, & non aliqua neceſſitate, etiam Epiſcopi ſemetipſos abſtineant. Plurimi enim eorum etiam Epiſcopatus tempore ex legitima vxore etiam filios habuerunt. Hoc quoque in Theſſalia ſeruari cognoui, quoniam apud eos in diebus Paſchæ tantummodò baptizatur; quapropter plurimi ſine baptiſmate moriuntur. In Antiochia verò Syriæ altare non ad Orientem Eccleſiæ, ſed magis ad Occidentem habent. In Hellada, Hieroſolymis, & Theſſalia ad tempus veſpertinum orationes ſimiles Nouatianis Conſtantinopolim degentibus habent. In Cǽſarea Cappadociæ, & Cypro, die Sabbathi & Dominico circa veſperam cum lucernariis Epiſcopi atque Preſbyteri ſcripturas interpretantur. In Alexandria Preſbyter non facit ſermonem; & hǽc res initium accepit ex quo Arrius Eccleſiam conturbauit. Romæ Sabbatha vniuerſa ieiunant. In Cǽſarea Cappadociæ eos qui poſt baptiſma delinquunt, à communione ſuſpendunt. Nouatiani circa Phrygiam binubos non recipiunt : Conſtantinopolim vero * neque apertè recipiunt, neque palam remouere noſcuntur. In occidentalibus verò partibus apertè recipiunt. ]

Ibid. paulò poſt. Ritus diuerſi.

*Addendum videtur,* * qui habitant,

Longum fiet ſi cuncta voluerimus colligere, quæ per Eccleſias toto orbe diſpoſitas multiplex varietas obſeruare dignoſcitur, vel antiquitus obſeruaſſe deprehenditur. Sed ſufficiant iſta breuiter ex vnius Scriptoris hiſtoria collegiſſe, & hoc Grǽci : quatenus Imperatores intelligant Grǽcorum : quàm inulte, quàm imperitè Romanos redarguant, quòd ſuas conſuetudines per omnia non obſeruent. Cogant ergo vniuerſum Eccleſiarum Chriſti corpus toto orbe diffuſum in ſuarum leges conſuetudinum, & tum ſi valent Roma-

nos diiudicent ſuper ſuæ varietate Religionis, quòd à Conſtantinopolitana diuerſi videantur haberi conſuetudine. An certè doctiores ſunt Apoſtolis, aut ex Antiquorum lectione poſſunt oſtendere ſuam potiorem fore Romana conſuetudinem. Hiſtoriographus ſiquidem illorum teſtatur, ſingulorum hoc reliquiſſe ſententiæ ſanctos Apoſtolos, vt vnuſquiſque non timore, non neceſſitate, quod bonum eſt operetur; ſed magis propriæ voluntatis iudicio. Siquidem cùm ſint vnius omnes fidei, diuerſa tamen diſponunt tam circa Paſcha legitima, quàm circa ieiuniorum obſeruationes, aliis plures, aliis pauciores ieiuniorum dies celebrantibus. Nec ipſa ieiunia ſua vel eſcarum, vel temporis, ſimilitudine, vel æqualitate frequentantibus, verùm ſingulos vel prouinciæ ſuæ, vel Maiorum conſuetudine, vel corporum viribus, fore contentos. Collectas quoque, id eſt, Conuentus populi, nec eodem tempore, nec vno more omnes tenent Eccleſiæ: ſiquidem aliter Alexandrini, & Romani; aliter Ægyptij atque Thebani eas celebrant: nam nec Romani nec Alexandrini die Sabbato Conuentus faciunt, quod facere comprobantur in vniuerſo Oriente Chriſti Eccleſiæ: & Ægyptij quidem ſiue Thebaïdæ commorantes, quanquam Conuentus, ideſt, Collectas faciant die Sabbatho, non tamen ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti accipiunt ieiuni, ſed ad veſperam poſt ciborum repletionem contra totius orbis conſuetudinem. Addunt etiam ſuæ conſuetudini Alexandrini quartam & ſextam feriam, quibus quidem Conuentus faciunt ſcripturas ſacras legentes, Doctoribus eos interpretantibus, non tamen ſolemnem oblationis morem in his diebus agunt; nec tamen propter iſta à cęteris orientalibus Eccleſiis excommunicantur, à quibus eſſe diuerſi videntur. Theſſalia quoque cùm diuerſæ ſit conſuetudinis à cęteris orientalibus: nam poſt Clericatus ſuſceptionem, non patiuntur aliquem, ſicut Hiſtoriographus ille teſtatur, etiam propriam quam ante Clericatum legitime duxerat cognoſcere vxorem, quod ſi fecerit, miniſterio priuatur; cùm per cęteras Orientis Eccleſias nullus hac lege conſtringatur, verum proprio relinquatur iudicio, ſuęque voluntatis arbitrio, vt non ſolùm reliqui

gradus Eccleſiaſtici, verùm Preſbyteri & Epiſcopi proprias quas ante ordinationem legitimas habuêre vxores, ſi velint retineant; non tamen liceat non habentibus ducere, vel prioribus defunctis ſecunda ſortiri matrimonia. Nec tamen hęc diuerſitas à communione quemquam ſegregat, cùm conſuetudo diſcernat. In baptiſmatis quoque tempore diuerſitatem Theſſalonicenſis Eccleſia gerit à cæteris; quandoquidem in Paſcha tantummodò baptizat, cùm duo ſint tempora Maiorum authoritate baptiſmati decreta. Paſchæ videlicet, & Pentecoſtes.

Quid Antiochiæ Syriæ memorem, cui mos eſt altare non ad orientem Eccleſiæ, ſed magis ad occidentem habere? Conſtantinopolitanos idem Hiſtoriographus refert, in recipiendo vel reiiciendo binubos non idem ſentire, ſed eſſe diuiſos, quibuſdam ſentientibus eorum receptionem, quibuſdam diſſentientibus ratum eſſe: cùm occidentalis omnis Eccleſia ſine contradictione palam recipiat: nec tamen ſic inter ſe conſuetudine diuiſi communionis vnitate ſeparantur. Rogo, quæ ſit iſta ſapientia, vel ſacræ zelus Religionis, vt circa Romanos non patiantur Imperatores Gręcorum, quod in toto ſuſtinet orbe vniuerſalis Eccleſia, & velint à ſua conſuetudine nec Romanos, nec Occidentales diſcrepare, quandoquidem Orientales multimoda ſeparentur varietate. Hæc ipſa Conſtantinopolis vnius conſuetudinis eſt more contenta.

Parum eſt de conſuetudine Credentium in Chriſtum diuerſa dixiſſe, ſi non etiam Iudæorum quòd non fuerit vniformis Religionis obſeruatio demonſtremus. Quamuis enim vni Deo culturam debitam exhiberent, & Moſaicæ legis præceptis continerentur, circa tamen viuendi conſuetudinem, morúmque regulas, non vniformiter agebantur, ſicut Ioſephus Hiſtoriographus illorum his verbis commemorat: [Iudæis, inquiens, philoſophiæ tres erant ab initio inſtitutis patriis derelictæ: Eſſenorum, Saduceorum, & tertia quâ philoſophabantur, qui dicebantur Phariſæi. Phariſæi enim cotidianam conuerſationem exiguam habent, & prorſus abiectam; nihil multitudini aut delicatudini penitus indulgentes, ſed quæcunque iudicio rationis oportere com-

Lib 18. cap. 2. init. *Diſsimilis Verſioni vulgatæ.*

Quot olim apud Iudæos ſectæ.

1. *Phariſæorum.*

nos diiudicent ſuper ſuæ varietate Religionis, quòd à Conſtantinopolitana diuerſi videantur haberi conſuetudine. An certè doctiores ſunt Apoſtolis, aut ex Antiquorum lectione poſſunt oſtendere ſuam potiorem fore Romana conſuetudinem. Hiſtoriographus ſiquidem illorum teſtatur, ſingulorum hoc reliquiſſe ſententiæ ſanctos Apoſtolos, vt vnuſquiſque non timore, non neceſſitate, quod bonum eſt operetur; ſed magis propriæ voluntatis iudicio. Siquidem cùm ſint vnius omnes fidei, diuerſa tamen diſponunt tam circa Paſcha legitima, quàm circa ieiuniorum obſeruationes, aliis plures, aliis pauciores ieiuniorum dies celebrantibus. Nec ipſa ieiunia ſua vel eſcarum, vel temporis, ſimilitudine, vel æqualitate frequentantibus, verùm ſingulos vel prouinciæ ſuæ, vel Maiorum conſuetudine, vel corporum viribus, fore contentos. Collectas quoque, id eſt, Conuentus populi, nec eodem tempore, nec vno more omnes tenent Eccleſiæ: ſiquidem aliter Alexandrini, & Romani; aliter Ægyptij atque Thebani eas celebrant: nam nec Romani nec Alexandrini die Sabbato Conuentus faciunt, quod facere comprobantur in vniuerſo Oriente Chriſti Eccleſiæ: & Ægyptij quidem ſiue Thebaïdæ commorantes, quanquam Conuentus, ideſt, Collectas faciant die Sabbatho, non tamen ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti accipiunt ieiuni, ſed ad veſperam poſt ciborum repletionem contra totius orbis conſuetudinem. Addunt etiam ſuæ conſuetudini Alexandrini quartam & ſextam feriam, quibus quidem Conuentus faciunt ſcripturas ſacras legentes, Doctoribus eos interpretantibus, non tamen ſolemnem oblationis morem in his diebus agunt; nec tamen propter iſta à cęteris orientalibus Eccleſiis excommunicantur, à quibus eſſe diuerſi videntur. Theſſalia quoque cùm diuerſæ ſit conſuetudinis à cęteris orientalibus: nam poſt Clericatus ſuſceptionem, non patiuntur aliquem, ſicut Hiſtoriographus ille teſtatur, etiam propriam quam ante Clericatum legitime duxerat cognoſcere vxorem, quod ſi fecerit, miniſterio priuatur; cùm per cęteras Orientis Eccleſias nullus hac lege conſtringatur, verum proprio relinquatur iudicio, ſuęque voluntatis arbitrio, vt non ſolùm reliqui

gradus Eccleſiaſtici, verùm Preſbyteri & Epiſcopi proprias quas ante ordinationem legitimas habuêre vxores, ſi velint retineant; non tamen liceat non habentibus ducere, vel prioribus defunctis ſecunda ſortiri matrimonia. Nec tamen hęc diuerſitas à communione quemquam ſegregat, cùm conſuetudo diſcernat. In baptiſmatis quoque tempore diuerſitatem Theſſalonicenſis Eccleſia gerit à cæteris; quandoquidem in Paſcha tantummodò baptizat, cùm duo ſint tempora Maiorum authoritate baptiſmati decreta. Paſchæ videlicet, & Pentecoſtes.

Quid Antiochiæ Syriæ memorem, cui mos eſt altare non ad orientem Eccleſiæ, ſed magis ad occidentem habere? Conſtantinopolitanos idem Hiſtoriographus refert, in recipiendo vel reiiciendo binubos non idem ſentire, ſed eſſe diuiſos, quibuſdam ſentientibus eorum receptionem, quibuſdam diſſentientibus ratum eſſe: cùm occidentalis omnis Eccleſia ſine contradictione palam recipiat: nec tamen ſic inter ſe conſuetudine diuiſi communionis vnitate ſeparantur. Rogo, quæ ſit iſta ſapientia, vel ſacræ zelus Religionis, vt circa Romanos non patiantur Imperatores Gręcorum, quod in toto ſuſtinet orbe vniuerſalis Eccleſia, & velint à ſua conſuetudine nec Romanos, nec Occidentales diſcrepare, quandoquidem Orientales multimoda ſeparentur varietate. Hæc ipſa Conſtantinopolis vnius conſuetudinis eſt more contenta.

Parum eſt de conſuetudine Credentium in Chriſtum diuerſa dixiſſe, ſi non etiam Iudæorum quòd non fuerit vniformis Religionis obſeruatio demonſtremus. Quamuis enim vni Deo culturam debitam exhiberent, & Moſaicæ legis præceptis continerentur, circa tamen viuendi conſuetudinem, morúmque regulas, non vniformiter agebantur, ſicut Ioſephus Hiſtoriographus illorum his verbis commemorat: [Iudæis, inquiens, philoſophiæ tres erant ab initio inſtitutis patriis derelictæ: Eſſenorum, Saduceorum, & tertia quâ philoſophabantur, qui dicebantur Phariſæi. Phariſæi enim cotidianam conuerſationem exiguam habent, & prorſus abiectam; nihil multitudini aut delicatudini penitus indulgentes, ſed quæcumque iudicio rationis oportere com-

Lib 18. cap. 1. init. *Diſsimilis Verſioni vulgatæ.*

Quot olim apud Iudæos ſectæ.

1. *Phariſæorum.*

perta ſunt, illa ſequúntur. Præpoſitis nullo modo reluctantur; maiores natu competenti honore venerantur, itavt nec contrarium quiddam aliquando reſpondeant. Fato geri omnia credunt; ſed neque liberum arbitrium hominis auferunt. Iudicium Dei futurum eſſe ſentiunt; illic cunctos homines propria merita recepturos, tam eos qui ſecundùm virtutem vixerint, quàm illos qui nequitiâ deprauati ſunt. Animas autem immortales dicunt; ſed etiam in inferno congrua vnicuique habitacula pro merito vel virtutis vel iniquitatis attribui, ſicut vnicuique viuenti gerebatur ſtudium: & alias quidem animas æternis retrudi carceribus; alias autem facilitatem reuiuiſcendi percipere. Et ob hæc quidem populis acceptabiles credibileſque conſiſtunt. Quantũcumque item ad diuinitatis culturam pertinent, orationum celebrationes, templorum conſtitutiones expoſitionibus ſuis facienda eſſe prædicant. Nam tantum ſtudij eorum prælatum eſt teſtimonium, vt ad eos plurimæ ciuitates, & maxima multitudo, cum ſtudio grandi confluant, opinione
2. Saducæ adducti quâ meliores cæteris æſtimantur. Saducæi autem animas mortales exiſtimant, ſimúlque cum corporibus interire. Nullas verò alias obſeruationes præter legem cuſtodiunt. Aduerſus Doctores autem Philoſophiæ ſuæ certare & reniti glorioſum annumerant; ſed ad paucos admodum doctrina peruenit, vel modus exercitationis. Primates autem
3. Eſſen. apud eos dignitatibus honoribúſque celebrantur. Eſſeni autem ad Deum cuncta redigunt: immortalem animam dicunt: iuſtitiam autem rem pretioſam, pro qua vſque ad mortem pugnandum eſſe prædicant. In templo autem anathemata prohibent: ſacrificia vel hoſtias cum populo non celebrant, quòd ſe plurimùm ab eis putant munditiâ vel ſanctitate differre & merito: ſe à communi congregatione diſcernunt, in remotis ſacrificia facientes; cultu verò morum atque conuerſatione optimi, ad colendam terram & exercendam omni ſtudio intenti. Illud etiam habent dignum & valde mirabile, quod in aliis non inuenias Gentibus tam Græcorum quàm etiam Barbarorum, quòd omnes illis in medio opes ſunt, & ab eis omnia communia poſſidentur: nihil ampliùs inter eos ditior fruitur, nihil pauperibus defraudatur,

fraudatur, ac ſi nihil omninò poſſideatur. Sunt autem ſuper quatuor millia hominum numero. Vxores non ducunt; neque ſeruos habere feſtinant; aliud quippe iniquitatis, aliud ſeditionis oportunitatem æſtimant. Iſti ergo ſemotim apud ſemetipſos adiuuant, mutua ſibi viciſſitudine miniſtrantes. Suſceptores autem redituum promouent, curatoréſque conſtituunt, qui cuncta quæ terra profert in vſus neceſſarios, adminiſtrent. Sacerdotes autem optimos viros eligunt: cibus illis ſimplex eſt, habitus inſumptuoſus & mundus.] Deſcribit adhuc Ioſephus iſte quartam ſpeciem philoſophiæ, quæ penes Iudæos agebatur, cuius Principem dicit Iudam extitiſſe, quam vel propter breuitatem omiſimus, vel quia nouiter reperta, cæteris inferior habebatur. Ibidem in fine.

Poſuimus iſta Iudæorum, volentes oſtendere circa diuinitatis quidem culturam, & Moſaïcæ legis obſeruantiam, non diſſimilem vſum habuiſſe, paríque ſtudio ferbuiſſe; at verò moralitatis conuerſationem, & Religionis habitum longè diſſimilem tenuiſſe. Non quòd illorum noſtris temporibus approbemus religionem, verùm monſtrare volentes quòd in vnius cultu diuinitatis cùm ſimiles extitiſſent, habitu verò conuerſationis diſſimiles, non tamen propterea ſe ab alterutra communione ſecernebant, ſed in vnitatis ſocietatem manentes, patientiſſimè tolerabant, morum conſuetudinem non omnium fore conſimilem; ſcientes nihil fidei ſuæ repugnare moralitatis diuerſitatem; quandoquidem de Deo, déque legis obſeruantia præceptorum eundem haberent aſſenſum: & ecce Græcorum Imperatores grauiter ferunt Romanos non eodem quo illi more conuerſari, neque ſecundùm ſuam conſuetudinem, ideſt Græcorum, ingredi; cùm iſta nec apud Eccleſias Chriſti poſſint reperiri, nec apud Iudæos, penes quos ante prædicationem Euangelij diuinitatis cultus inſignis habitus eſt, fuerint obſeruata. Qua de re conuincitur non pietatis ſtudio huiuſmodi reprehenſionem genuiſſe, ſed liuoris malitiâ, tumoríſque iactantia. Veniendum iam ad ſingula quæ videntur appoſuiſſe, quibus dum videntur iactare vel ſapien-

riam vel religionem, ſuam produnt inſipientiam & irreligioſitatem.

## CAPVT III.

Græci Romanos culpant, quòd Sabbatho ieiunent.

CVlpant Romanos & Occidentales quòd Sabbatho ieiunent; quandoquidem ipſi vel Orientales omni Sabbatho prandeant; neſcientes, vt credimus, quòd non omnes Occidentales Eccleſiæ hac conſuetudine teneantur, ſed Romana, vel aliæ quædam Occidentales Eccleſiæ; ſiquidem maior numerus Occidentalium in Sabbatho non ieiunat: nec tamen Romanos propterea ieiunantes reprehendunt, vel à Romanis ieiunantibus ipſi reprehenduntur. Nouerunt enim ab Apoſtolo dictum: *Qui manducat non manducantem ſpernat; & qui non manducat manducantem non iudicet.* Nec tamen omnes Orientales Eccleſiæ Sabbatho ieiunare deprehenduntur. Alexandrina námque cum Romana priſca iam traditione ſuper ieiunio Sabbathi conſentit. Etenim collectæ non fiunt eo die Alexandriæ, ſicuti nec Romæ. Vnde monſtratur Alexandrinos Sabbatho non prandere, ſicut nec Romanos. In diebus enim collectarum & Sacramento moris eſt conficere atque percipere, & ieiunia ſoluere; penes tamen Thebaïdos & Ægyptios conſuetudo eſt ieiunium quidem Sabbatho ſoluere, Sacramenta verò Dominici corporis & ſanguinis non niſi ad veſperam percipere poſt ciborum expletionem; nec tamen ex hoc ab aliis Eccleſiis redargui inueniuntur, licet nullam ſuper hac re inueniant Eccleſiam cuius ſequantur conſuetudinem; vtrum tamen & ab iſtis reprehenſoribus nouellis redarguantur, neſcimus; ſcimus tamen Romanos ab Apoſtolo Petro inſtitutos, ſicut antiquorum fert traditio, vt in Sabbatho ieiunent. Scribitur enim Petrum & Paulum Apoſtolos contra Simonem Magum dimicaturos die Sabbatho ieiunaſſe: Hac de cauſa Romanis conſuetudinem factam eſſe in omni Sabbato ieiunandi.

*Rom. 14. 3*

Quare Romani Sabbatho ieiunant.

[ Super qua re ( ſicut ſcribit Euſebius Hiſtoriogra-

phus in Libello vitæ Silueſtri Romani Pontificis ) Græci conuenerunt beatum Silueſtrum, quæſtionem agentes aduerſus Romanos de ieiunio Sabbati: quibus hæc reſpondit, ſufficere debere hoc ad authoritatem noſtri propoſiti, quòd ita tenuiſſe Apoſtolos priores cognouimus; tamen quia ratio flagitatur à veſtra caritate reddenda eſt. Si omnis Dominicus dies causâ Reſurrectionis Domini tenetur, * iuſtum eſt vt omnis Sabbathorum dies causâ ſepulturæ ieiuniis ſuſcipiatur inſtantia, vt flentes cum Apoſtolis de morte Domini IESV Chriſti, gaudere cum eis de reſurrectione eiuſdem mereantur. Sed dicebant Græci vnum eſſe Sabbathum ſepulturæ, in quo ſemel in anno ieiunium eſt colendum. Quibus Papa Silueſter dicebat: ſi omnis dies Dominicus Reſurrectionis eſſe creditur gloriâ decoratus, omnis qui eum antecedit dies ſepulturæ eſt * mancipandus, vt meritò gaudeat de Reſurrectione, qui de morte plorauerit. Plorare autem compati dixerim, ſaluo eo quod Paſſio Domini gaudij noſtri ſit ſumma. Acceptâ igitur Græci ratione quieuerunt. ]

*Extat hæc vita MS. in Bibliot. S. Germani Pariſ.* Lib. 1. cap. 8. *Longè poſt init.* Ad quid ieiunium Sabbatho obſeruatur. ad. * & colitur. Græcorum obiectio. Reſponſio Silueſtri PP. *Ad. ex MS. * eſt ieiunio mancipandus.*

Hæc poſuimus vt oſtenderemus non nouum eſſe quod Romani Sabbato ieiunant, nec leue quod Apoſtolica firmatur authoritate, & congruâ ſatis ratione roboratur. Vnde mirandum quæ ſit iſta nouis ſapientibus prudentia non acquieſcere, quod ſui probantur Maiores acquieuiſſe. Ex quo námque Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus Romæ docuerunt, & doctrinæ ſuæ veritatem proprij ſanguinis effuſione commendauerunt, conſuetudo fuit Romanis, & quibuſdam Occidentalibus omni Sabbatho ieiunare; nec tamen propterea cunctæ per Orientem Eccleſiæ, quæ non iſta conſuetudine detinentur; Romanos ſua communione iudicarunt alienos, quamuis ipſi conſuetudinem habeant omni Sabbato ſicuti Dominica non ieiunare.

Scribit ex hoc Doctor Auguſtinus ad Caſulanum Preſbyterum, inquirentem ſuper eadem quęſtione, reſpondens ita: [ Sequitur Sabbathum, quo die caro Chriſti in monumento requieuit, ſicut in primis operibus mundi requieuit Deus illo die ab omnibus operibus ſuis. Hinc exorta eſt iſta in Eccleſia veſcendi varietas, vt alij, ſicut maximè populi

Epiſt. 86. ante finem

Orientis propter requiem ſignificandam mallent relaxare ieiunium; alij propter humilitatem mortis Domini ieiunare, ſicut Romana, & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Quod quidem vno die, quo paſcha celebratur, propter renouandam rei geſtæ memoriam, * quâ diſcipuli humanitus mortem Domini doluerunt, ſic ab omnibus ieiunatur vt etiam illi * Sabbato ieiunium deuotiſſimè celebrent, qui cæteris per totum annum Sabbathis prandent; vtrumque videlicet ſignificantes, & vno anniuerſario die luctum diſcipulorum, & cæteris Sabbathis quietis bonum. Duo quippe ſunt quæ iuſtorum beatitudinem, & omnis miſeriæ finem, ſperari faciunt; mors & reſurrectio mortuorum: in morte requies eſt; de qua dicitur per prophetam: *Plebs mea intra cellaria tua, abſcondere puſillum donec tranſeat ira Domini.* In reſurrectione in homine toto, id eſt, in carne & ſpiritu perfecta fœlicitas. Hinc factum eſt vt horum duorum vtrumque non ſignificandum putaretur labore ieiunij, ſed potiùs refectionis hilaritate; excepto vno Paſchali Sabbatho, quo diſcipulorum, ſicut diximus, luctus propter rei geſtæ memoriam fuerat ieiunio prolixiore ſignandus. Sed quoniam non inuenimus (vt iam ſupra commemoraui) in Euangelicis & Apoſtolicis literis, quæ ad noui teſtamenti reuelationem propriè pertinent, certis diebus aliquibus euidenter præceptum obſeruanda eſſe ieiunia; & ideò res quoque iſta ſicut aliæ plurimæ, quas enumerare difficile eſt, inuenit in veſte illius filiæ Regis, hoc eſt Eccleſiæ, varietatis locum; indicabo tibi quid mihi dehoc requirenti reſponderit venerandus Ambroſius (à quo baptizatus ſum) Mediolanenſis Epiſcopus. Nam cùm in eadem ciuitate mater mea mecum eſſet, & nobis adhuc Catechumenis, parum iſta curantibus, illa ſollicitudinem gereret, vtrum ſecundum morem noſtræ ciuitatis ſibi eſſet Sabbatho ieiunandum, an Eccleſiæ Mediolanenſis more prandendum. Vt hac cunctatione eam liberarem interrogaui hoc ſupra dictum hominem Dei. At ille, Quid poſſum, inquit, hinc docere ampliùs quàm ipſe facio? Vbi ego putaueram nihil eum iſta reſponſione præcepiſſe, niſi vt Sabbatho pranderemus; hoc quippe ipſum facere ſciebam: ſed ille ſecutus adiecit;

[Margin notes: al. * quia. — al. * Sabbatis. — *Iſa. 26.* — Ibid. & epiſt. 118. ad Ian.]

quando hîc ſum non ieiuno Sabbatho, quando Romæ ſum ieiuno Sabbatho: & ad quamcumque Eccleſiam veneritis, inquit, eius morem ſeruate, ſi pati ſcandalum non vultis aut facere. Hoc reſponſum retuli ad matrem, eíque ſuffecit, nec dubitauit eſſe obediendum; hoc etiam nos ſecuti ſumus. Sed quoniam contingit maximè in Affrica, vt vna Eccleſia, vel vnius regionis Eccleſiæ, alios habeant Sabbatho prandentes, alios ieiunantes, mos eorum mihi ſequendus videtur, quibus eorumdem populorum congregatio regenda commiſſa eſt.]

Hæc de ieiunio Sabbathi Beatus Auguſtinus Catholicus Doctor ſenſit & ſcripſit, æſtimans nullam grauiorem hinc diſceptationem fore tenendam; verùm ſequendam vniuſcuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem de ieiunio Sabbathi, vel pranſione, quandoquidem & qui prandent in Sabbatho, pietatis habere videntur cauſam, qua illud faciant: ſignificant enim quoniam in illo die Deus requieuit ab omnibus operibus ſuis; vel Credentium requiem, quâ requieturi ſunt ſancti in reſurrectione, receptis corporibus æterna cum Domino quiete fruituri. Similiter & illi qui ieiunant, pietatis habent cauſam, quam ſequantur; quoniam illa die propter mortem Chriſti diſcipuli corporaliter contriſtati ſunt, eorúmque triſtitiam imitari volentes, ieiunant quidem in Sabbatho fideles. Alij verò non ieiunant, vt gaudium reſurrectionis Dominicæ prandentes, quod habuerunt Apoſtoli viſa Domini reſurrectione, demonſtrent. Si quidem ob imitationem triſtitiæ diſcipulorum cunctæ per orbem Eccleſiæ vno per annum Sabbatho, quod ſanctum præcedit Paſcha, ieiunant, licet alijs Sabbathis prandeant, ſiue non prandeant. At verò Romanis placuit id omni Sabbatho ieiunando memorari, quemadmodum omni Dominica reſurrectionis Domini memoria cunctis ab Eccleſijs frequentatur.

Cùm igitur pietatis cauſam habeant & ieiunantes in Sabbatho, & prandentes, cur id faciant, & nulla reperiantur præcepta noui teſtamenti, quibus id vel præcipiatur, vel prohibeatur, non debet in Eccleſijs Chriſti grauior hinc diſceptatio vlla fieri, ſed in arbitrio vniuſ-

cuiuſque relinqui quid potius eligant, maiorum tamen authoritatem ſuorum ſequentes, & ſuæ conſuetudinem Eccleſiæ. Quod ſi conſideraſſent Græcorum Imperatores, nullam hinc mouiſſent diſceptationem, ſed tenuiſſent hoc quod ſui tenuere maiores. Num meritò quiſquam debet iudicari, quòd pietatis causâ ieiunare videtur? ſunt enim & alij dies quibus nonnullis Eccleſijs per ſingulas hebdomadas conſuetudo eſt ieiunandi, ſicut quartâ & ſextâ feriâ; & redditur cauſa cur hoc fiat (ſicut ait Beatus Auguſtinus) eo quòd quartâ feriâ congregati ſunt principes Iudæorum, & conſilium inierunt vt IESVM dolo tenerent & occiderent. Sextâ verò feriâ eum crucifixêre: de quibus ſic loquitur: [ Cur autem quartâ & ſextâ feriâ maximè ieiunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur; quòd conſiderato Euangelio ipſa quartâ Sabbathi, quam vulgò quartam feriam vocant, concilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Iudæi. Intermiſſo autem vno die, cuius veſperâ Dominus Paſcha cum diſcipulis manducauit, qui finis fuit eius diei, quem vocamus quintam Sabbathi: Deinde traditus eſt ea nocte quæ iam ad ſextam Sabbathi, qui dies paſſionis eius manifeſtus eſt, pertinebat. Hic dies primus azimorum fuit, à veſpera incipiens. Sed Matthæus Euangeliſta quintam Sabbathi dicit fuiſſe primum diem azimorum, quâ eius veſperâ conſequente, futura erat cœna Paſchalis: quâ cœnâ azimum incipiebat & ouis immolatio manducari: Ex quo colligitur quartam Sabbathi fuiſſe quando ait Dominus: Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. Ac per hoc, ieiunio dies ipſe deputatus eſt: quia ſicut Euangeliſta ſequitur & dicit: Tunc congregati ſunt principes Sacerdotum & Seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caïphas; & concilium fecerunt vt IESVM dolo tenerent & occiderent. Intermiſſo autem vno die de quo dicit Euangelium: Primâ autem azimorum acceſſerunt diſcipuli ad IESVM dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Paſcha: Hoc ergo die intermiſſo, paſſus eſt Dominus, quod nullus ambigit Chriſtianus, ſextâ Sabbathi: quapropter & ipſa ſextâ rectè ieiunio deputatur. Ieiunia quip-

Auguſtin. Epiſt. 86. ante finem.

*Matt. 26.*

pe humilitatem ſignificant : vnde dictum eſt : Et humiliabam in ieiunio animam meam. *Pſal. 34.*

Hæc Beatus Auguſtinus de ieiunio quartæ ſextæque feriæ ſcribit ad Caſulanum preſbyterum, oſtendens cur fuerit inſtitutum; nec tamen hoc ieiunium, quod quartâ ſiue ſextâ Sabbathi celebratur, ab omnibus Eccleſijs vel Orientalibus vel Occidentalibus peragitur; ſed à quibuſdam quibus id placuit obſeruare; nec tamen propterea qui ieiunant his diebus reprehenduntur ab eis qui prandent, ſed tenet vnaquæque Eccleſia morem quæ à Maioribus ſuis ſuſcepit. Qua de re mirandum cur à Græcis Romani redarguantur ſuper ieiunio Sabbathi, cùm non redarguantur ab eis vel Alexandrini quartâ ſextáque feriâ ieiunantes, vel reliqui per Orientem Chriſtiani : cùm conſtet Conſtantinopolitanos quartâ ſiue ſextâ Sabbathi vt ieiunent nulla lege vel conſuetudine conſtringi.

In inſula Britannica omni ſexta Sabbathi ieiunatur, nec tamen excommunicantur ab eis, qui per Occidentem illo die non habent conſuetudinem ieiunandi. Scotorum natio Hyberniam inſulam inhabitans, conſuetudinem habet per Monaſteria Monachorum, ſeu Canonicorum, vel quorumcumque Religioſorum, omni tempore præter Dominicam, feſtóſque dies, ieiunare, nec niſi vel ad nonam vel ad veſperam corpori cibum indulgere: ad nonam quidem æſtiuis, ad veſperam verò diebus hyemalibus. Hácque conſuetudine cùm nulla detineatur Eccleſia vel Occidentalis, vel Orientalis, non tamen vel excommunicantur vel reprehenduntur taliter ieiunantes ab eis qui minimè ſic ieiunant.

Dictum eſt iam ſuperiùs quantus ieiunij feruor habuerit Credentes in Alexandria cùm primùm cœperit illic Chriſtiana religio. Nullus enim ſibi ſumebat ante ſolis occaſum cibum; plures autem quartâ, nonnulli ſextâ Sabbathi cibum capiebant, non tam deſiderabilem corpori, quàm neceſſarium : & tamen præter reliquorum morem Credentium ieiunantes non excommunicabantur, vel redarguebantur ab eis, quibus ieiunandi conſuetudo non iſta manebat. Et ecce redarguuntur Romani ieiunantes in Sabbatho vel propter memoriam ſepulturæ Dominicæ, vel ob

diſcipulorum de morte Domini triſtitiam, vel quòd principes Apoſtolorum illo die ieiunaſſe traduntur aduerſus Simonis præſtigia fallaciámque pugnaturi. Certè contra diabolum Neroníſque veſaniam dimicaturi quintam quoque Sabbathi nonnullis eſt conſuetudo ſeruare, ne in illo die ieiunent, quemadmodum nec in Dominica.

Approbat hoc Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus in libro, quem de geſtis Silueſtri Papæ compoſuit, ita dicens: [ Et ait Papa Silueſter: * Natalem Calicis ſimiliter vt diem Dominicum ſolemnem habere debemus, in quo ſacrificium Dominici corporis & diuini ſanguinis ab ipſo Domino celebrationis ſumpſit initium. Hac die in toto òrbe ſanctum Chriſma conficitur: hac etiam die pœnitentibus per indulgentiam ſubuenitur; diſcordes ad concordiam hac die redeunt, pacificantur irati; dant indulgentiam Principes criminoſis; ſeruis malis indulgent Domini; Iudices etiam latronibus parcunt, pateſcunt carceres in toto orbe. Hoc die ad lætitiam feſtiuitatis exeunt qui ſe clauſerunt, propter auſteritatem culparum flendo quod ridendo fortè, aut iraſcendo, aut aliis quibuſlibet modis tranſgrediendo commisêre. Hæc & his ſimilia multa dicente ſancto Silueſtro conquieuit omnis contradictio, quam Græci Chriſtianiſſimi & docti viri oppoſuiſſe memorati ſunt, dicentes: Verè Apoſtolica Sedes hoc à Petro didicit quod nulla poteſt ratione conuinci. ] Si de die Sabbathi iudicantur Romani quòd ieiunent in eo, cur non iudicantur qui non ieiunant quinta Sabbathi; aut cur moderni Græcorum ſuis Maioribus doctiores exiſtere malunt, vt quod illi receperunt, & dignis laudibus extulerunt, hoc iſti reprehendere quærant: non enim vel religioſiores, vel doctiores eis comprobantur, videant ne fortaſsè inſolentiores reprehendantur. Cur enim per tot ſæcula quod cum pace Chriſtiana obſeruatum eſt, nunc portari non poteſt, verùm moliendo contradictiones in diſcordiæ ſcandalum congeritur: an adeò imprudentiæ tenebris ſunt inuoluti, quò putent Eccleſias Chriſti inſolentium reprehenſione velle mutare quod inconcuſsè per multa ſæcula ſeruauêre?

*Sic habet codex MS. Vbi ſupra:*
* Cur quintâ feriâ Chriſtianorum putetur feſta excludi, in quo Aſcēſio Domini conſtet Apoſtolis eſſe reuelata. In hac etiam die Sacrificiū Dominici corporis &c.

Melchiades Romanæ Sedis Apoſtolicus à Petro Apoſtolo

Apoſtolo trigeſimus tertius, de Quinta Sabbathi conſtituit, vt nulla ratione, Dominicâ, aut Quintâ feriâ ieiunium quis de fidelibus ageret; quoniam eos dies Pagani quaſi ſacro ieiunio celebrabant. Et quamuis potior illa ratio videatur eſſe de diei Dominici pranſione, quam omnis tenet Eccleſia, quòd in ea videlicet Chriſtus à mortuis reſurrexerit, & quòd futuri ſæculi requies per eam ſignificatur: de quinta quoque Sabbathi, quam B. Silueſter cum Græcis diſputans reddidit, non eſt tamen contemnendum quod Melchiades Romanus Epiſcopus edocuit. Paganorum etenim ieiunia deſtruere potiùs quàm imitari debet Eccleſia Catholica, quemadmodum feſtiuitates eorum vniuerſas, in quibus potiùs dæmonibus quàm Deo vero noſcitur deſeruiri. Et ideò conuenienter definitum eſt illis diebus à Chriſtianis non eſſe ieiunandum, quibus pagani ieiunare noſcuntur; ne piæ ſanctimoniam religionis maculare videatur ſuperſtitio dæmoniaci cultus. Attamen cùm primâ Sabbathi ſit omnibus Chriſtianis generalis obſeruantia, non ieiunandi, quintam Sabbathi non omnibus obſeruare mos eſt, pluribus in eo die ieiunantibus, maximè Quadrageſima Paſchali; nec tamen ob hoc vlla fit inter Eccleſias Chriſti diſceptatio, ſeruantibus ſingulis quam ſuſceperunt à Maioribus ſuis ieiunandi vel prandendi conſuetudinem. Hoc ſi vellent Græcorum principes attendere non tam leuiter reprehenderent Latinos ſiue Romanos Sabbatho ieiunantes, ſed ſua contenti conſuetudine mirarentur Reginam aſſiſtere Chriſto in veſtitu deaurato circumamictam varietate, nec certis regulis conarentur addici, de quo nullam habent tam noui Teſtamenti quàm veteris authoritatem.

---

## CAPVT IV.

TRanſeamus iam ad illud quod de Quadrageſima Paſchali conantur redarguere, dicentes, Quòd non ieiunemus ſicut illi octo hebdomadas ante Paſcha à carnium, & ſeptem hebdomadibus à caſei & ouorum eſu ſuo more non ceſſamus. Sic iſta dicentes, tanquam hanc illorum conſue- *Romani, quòd Græcorum more Quadrageſimam non obſeruent, redarguuntur.*

tudinem omnes Orientales & Occidentales, præter Romanos, Eccleſiæ conſeruent: quando quidem tam in Orientalibus quàm in Occidentalibus Eccleſijs multa diuerſitas inueniatur (ſicut iam ſuperius oſtenſum eſt.) Alijs ſex hebdomadibus, præter Dominicam, Eccleſijs ante Paſcha ieiunantibus; alijs ante ſex ſeptimanas; alijs ante ſeptem Paſchæ ſeptimanas ieiunium inchoantibus: ideſt, quidam ieiunium Paſchale inchoant ſextâ hebdomadâ ante Paſcha, nonnulli ſeptimâ, plures octauâ; ſuperaddunt etiam alij nonam.

Videant igitur iſti reprehenſores quos habeant vel comites vel imitatores. Denique cum Romanis non conſonant qui ſex hebdomadas continenter ante Paſcha præter Dominicam ieiunant; neque cum eis qui ſeptimâ hebdomadâ ieiunium inchoant: quandoquidem iſti illâ ſe dicunt hebdomadâ ab ouis & caſeo continere, perfectam verò ieiunij nondum obſeruantiam ſuſcepiſſe, quod faciunt illi qui ſeptem hebdomadas ieiunio Paſchali dedicauere.

Dicunt etiam iſti, quòd octo hebdomadibus ante Paſcha carnibus abſtineant ieiunij ſui, non plenam, ſed dimidiatam continentiam agentes; vnde longè fiunt ab eis qui ſic octauâ hebdomada ieiunium inchoant, vt nihil de continentiæ varietate permutent. Iam verò cum illis qui nouem hebdomadibus ieiunando Paſchale tempus præueniunt, nullam iſti videntur habere communionem; quandoquidem in nona hebdomada nec ab ouis, nec à caſeo, neque à carnibus ſe continere profiteantur. Ergo cùm deprehendantur in obſeruatione ieiunij Paſchalis non ſolùm ab Occidentalibus, verùm ab Orientalibus diſſentire, dicant quâ ratione reprehendant Romanos, & non reprehendi verentur ab aliis Eccleſijs, quibus in Paſchali ieiunio non concordare videntur: aut certè proferant vel veteris vel noui Teſtamenti præcepta, vel authoritatem, quâ defendant ſuam conſuetudinem, vel Romanam meritò reprehendant. Quod cùm facere nequeunt, doceat eos ſaltem conſuetudo Eccleſiarum varia ieiunandi, quòd non iſta fiat obſeruantia de præceptione quacumque diuinâ, cuius neceſſitate ieiunantes coërceantur: ſed maneat in vniuſcuiuſque propoſito, ſeu voluntatis arbitrio, vt cum gaudio Sancti

Spiritus offerat Deo quod ſibi rectum poſſibileque videtur, & non neceſſarium, ſed fiat voluntarium bonum noſtrum: nec tamen vt hoc in vniuſcuiuſque ſit ſingulariter electione: verùm ſeruanda eſt ſingulis Eccleſijs Maiorum authoritas, & conſuetudo; quatenus ſinguli cuſtodiant quod vnaquæque Eccleſia à ſuis accepit fundatoribus cuſtodiendum. Niſi fortè putandum quòd Græci ſint in hoc præponendi, quòd hebdomadâ ſeptimâ nec oua nec caſeum comedant; quandoquidem longè præcelluntur ab eis qui coctum aliquid per totam Quadrageſimam non comedunt; nec non ab eis qui ſolo pane veſcuntur. Appareant etiam multùm inferiores illis, qui nec hoc, ſed herbarum tantummodò eſu reficiuntur. Nec quoque penitus eis conferendi, qui per totam Quadrageſimam vix ſemel aut bis in hebdomada cibum corpori largiuntur. Ceſſent igitur ſe ſuperextollere, ne corruant; ſed potiùs humilientur vt ſurgant, & potiorem eſſe cognoſcant concordiam pacis, & dilectionis vnitatem, quàm ieiuniorum obſeruantiam. Conſiderent quoque cur iſta varietas ante Paſcha ieiunandi contigerit.

Denique tam Euangelicâ quàm legali docemur authoritate, quadraginta dierum celebrandum fore ieiunium: nam Saluator in Euangelio legitur quadraginta diebus & noctibus ieiunium continuaſſe. In veteri vero Teſtamento ſcribitur quòd Moſes bis hunc dierum ieiunando numerum compleuerit: ſemel quidem antequam legis decalogum, Domino tribuente, perceperit: ſecundò verò poſtquàm populi tranſgreſſione prouocatus tabulas ad radices montis confregerit. Duabus de cauſis iterum quadraginta dierum ieiunium noctiúmque continuans; vnâ videlicet quâ diuinitatis offenſam circa tranſgreſſores placabilem redderet; altera verò quâ legem rurſus à Domino dignus percipere præſtaretur. Elias quoque Iezabelis indignationem fugiens, quadraginta diebus & noctibus per ſolitudinem gradiens, vſque dum ad montem Dei Oreb perueniret, ieiunauit. Hinc factum eſt vt mos Eccleſijs inoleuerit, quadraginta dierum continuatione ieiunij.

*Quam ob cauſam quadraginta dierum ieiunium ante Paſcha.*

*Matt. 4.*

Cùm ergo hunc ferè omnes numerum ieiunando Chriſti Eccleſiæ celebrare contendant, nec tamen in hebdomada-

*Variè hebdomadarum numerus ſeruatur.*

rum numero ſimul omnes conueniant, dierum facit hoc variabilis viciſſitudo. Conſtat enim apud omnes quadragenarium obſeruari numerum Paſchalis ieiunij, non tamen omnes ſingulis vniuſcuiuſque hebdomadis diebus ieiunare: quidam enim Dominicâ tantummodò prandent, alij nec Sabbatho, nec Dominicâ ieiunant. Reperiuntur nonnulli quintâ Sabbati ieiunium ſoluere, ſed qui Dominica non ieiunant; aliis verò per ſingulas hebdomadas diebus ieiunant, quadragenarium numerum non adimplent; ſiquidem quatuor dies minus in numerum veniunt: vnde fit, vt quadragenarium adimplere volentes, non ſex tantùm, verùm ſeptem hebdomadas ante Paſcha ieiunent, quamuis ſex hebdomadæ non quadraginta tantùm, verùm quadraginta duos dies contineant. Subtractis autem ſex Dominicis de quadraginta duobus, ſuperſunt triginta ſex dies quibus ieiunium celebratur: vt verò quadragenarius perficiatur quatuor dies hebdomada ſeptima ieiunatur. Hinc efficitur, vt hebdomadis ſeptimæ non ſex, ſed quatuor tantummodò dies ieiunetur, qui triginta ſex diebus ſuperadditi quadragenarium perficiunt. Qui verò nec Sabbatho, nec Dominicâ ieiunant, & tamen ante Paſcha quadrageſimam implere geſtiunt, neceſſe eſt, vt octauâ hebdomadâ ieiunium incipiant. Nam quinque tantùm diebus per ſingulas ſeptimanas ieiunare comprobantur, & octies quini quadraginta perficiunt, qui quadragenarius octo ſeptimanis lege præſcripta perficitur. Huic verò numero, ideſt duobus diebus Dominicæ & Sabbatho, quibus non ieiunatur, qui quintam Sabbathi ſuperaddere malunt, quadrageſimam ante Paſcha ieiunare non poſſunt, niſi nouem ieiunium hebdomadæ ſortiantur: tribus enim âblatis de ſeptem, Dominica videlicet, Sabbatho, & quinta Sabbathi, ſuperſunt quatuor dies per ſingulas hebdomadas ieiunij; & quaternarij nouies ducti triginta ſex, non quadraginta implere noſcuntur: & cùm quadraginta ieiunando dies non impleant, quadrageſimam tamen implere ſe dicunt.

Hac de causâ Græci non habent quid Romanis obiiciant ſuper ſeptimanarum diſparilitate, quoniam quòd illi

in octo hebdomadibus faciunt, per ſingulas hebdomadas quinis non amplius diebus ieiunantes, hoc tam Romana, quàm Occidentalis Eccleſia, ſex hebdomadibus perficere noſcuntur; ſuperadditis quatuor diebus hebdomadis ſeptimæ. Nam ſi octo hebdomadarum ſex diebus Græci ieiunarent ſicut faciunt Romani, vel omnes ferè Latini, non in quadrageſimam, ſed multò ampliùs ante ieiunarent: octies enim ſeni quadraginta octo perficiunt. Qua de re videant Græci, ſi tot diebus ante Paſcha ieiunant, quam ſequantur authoritatem. Nec Saluator enim, nec Helias, nec Moſes hunc ieiunando numerum ſeruauère. Quòd ſi ieiunij ſui ſummam quadraginta diebus perficiunt, vt à nouo veteríque Teſtamento non diſcrepent, nihil quòd regarguant in Occidentalibus reperiunt, quoniam tot diebus ante Paſcha, quot & ipſi ieiunant.

Quòd ſi ieiunium eſt humilitatis executio, ſecundum illud quod Pſalmiſta confitetur: ***Et humiliabam***, inquiens, ***in ieiunio animam meam***. Plures quàm Conſtantinopolitani tam Romani quàm Occidentales hebdomadas ieiunant: Siquidem cantica ſolemnia, videlicet alleluya, ſeu Martyrum ſolemnitates, nouem ante Paſcha ſeptimanis Occidentalis Eccleſia nequaquam ſolemni more frequentat, ſed ab omni celebri glorificatione, quam per totius anni ſpatium frequentare conſueuit, ſeſe continet, vt tantò glorioſiùs in die Reſurrectionis exultet, quantò diutiùs ſemet humiliando ſanctum Paſcha præuenire curauit. Nam & filiis Iſraël Dominus per Moyſem mandauit poſt vituli fabricationem vt ornatum ſuum deponerent, vt ſciret Dominus quid eis faceret: non quòd ignorauerit idololatriæ culpa quâ feriri pœna debuerit, ſed quòd ex humilitatis afflictione præuaricator populus oſtenderet quemadmodum reatum præuaricationis agnoſceret, qualíque ſatisfactione quod deliquerat expurgare maluiſſet. Quid ergo ornatum populi, quem deponere iubetur, accipere debemus, niſi lætitiæ ſplendorem, quo lætari conſueuerat priuſquàm idololatriæ culpam contraxerit? ſic igitur vel Romana, vel Occidentalis Eccleſia, ornatum ſuum deponit ſemet humiliando, quando feſta lætitiæ vel hymnorum gaudia, quibus

*Pſal.* 34. 16.

totius anni ſpatio conſueuerat exultare, dimittit, & humilitatis habitum ſumens exultationis gloriam deponit; quatenus humilitatis habitu faciem Domini præueniens Paſchalia feſta exultationis gaudio ſuſcipiat.

Non habent igitur Græcorum Imperatores vnde meritò culpare queant vel Romanos vel Occidentales, ſi non tot hebdomadas ante Paſcha quot illi ieiunant, quoniam dierum numero quadraginta ieiunando coæquantur. Quòd ſi ieiunium humilitatem ſignificat, & humilitas eſt depoſitio lætitiæ, afflictionis forma, mœroris habitus, iocunditatis remotio, iure quidem dicuntur Romani vel Latini Conſtantinopolitanis plus ieiunare, quoniam nouem hebdomadibus ſemet humiliando Paſcha præueniunt, licet illud ſit præcipuum. Vnde Reprehenſores Romanorum ſeſe debent redarguere, ſi tamen diſciplinæ legibus cupiunt eſſe ſubiecti, quòd conſuetudo ieiunandi ante ſanctum Paſcha cunctis Eccleſijs non ſit vniformis, nec vllâ diuinorum mandatorum lege conſtringuntur ad iſta; ſed vnicuique licitum ſit Eccleſiæ ſuorum ſequi Maiorum conſuetudinem. Quod ſi nouiſſent non tam procaces in reprehenſione viderentur eorum, maximè qui quod exercent Apoſtolico quidem inſtituuntur Magiſterio & rationis ſatis honeſtæ conſideratione.

Quare nonnulli Occidentalium 36. dies ieiunant.

Ieiunant denique Romani ſex ante Paſcha ſeptimanas continuatim, præter Dominicam, quâ ieiunium ſoluunt. Vnde ſi ieiunantes triginta ſex dies quatuor minus à quadraginta complere noſcuntur, cauſa cur ita faciant piè conſiderare volentibus & honeſta ſatis eſt, & in euidenti poſita. Siquidem annus ſolaris trecentis ſexaginta quinque diebus peragitur; horum dierum decimam ſi aſſumas, triginta ſex dies habebis: iubemur autem laborum decimas noſtrorum offerre Domino. Non igitur immeritò decimas etiam dierum illi offerimus, vt qui totius anni ſpatio nobis viximus, anni decimas illi offerendo dierum, Domino viuamus; vt delicta quæ per totum annum admiſimus nobis viuendo, purgemus per hos Domino dies ſeruiendo.

Quadrageſimus dierum numerus myſticè explicatur.

Sed quia perpauci ſunt in Occidente qui non quadraginta dies ante Paſcha ieiunando compleant, hinc etiam

cauſa reddenda eſt, quâ factum eſt, vt quadraginta dierum numero ſint contenti. Sepoſitâ igitur authoritate vel Euangelica vel Legali, quâ docemur euidenter quadraginta dies nos ieiunio fore mancipandos; ſiquidem ſunt decem præcepta legis quibus ſeruire præcipimur, ſecundum inſtituta veteris Teſtamenti, & quatuor Euangelia, quibus in nouitatem vitæ deducimur. Quater etenim deni quadragenarium perficiunt; & vnuſquiſque Domino ſeruiens ad perfectionis ſummam veniſſe cognoſcitur, ſi legale decalogum Euangelij perfectione suppleuerit. Conſtat etiam homo quatuor, ſicut Mundus elementis. Et quoniam decalogum legis per multa tranſgredimur, neceſſe eſt vt quater decies nos affligendo delictorum veniam conſequamur.

Hæc igitur cauſa eſt cur placuerit Romanis ſeu Latinis ieiunare quadraginta dies ante Paſcha; quæ cùm religioſa, tum fore myſtica comprobatur, ſicut ſuperiùs oſtenſum eſt: eſt igitur & hæc reprehenſio ieiunandi ſuper hebdomadarum numerum ante Paſcha & iniuſta, & nullo rationis pondere ſuffulta: quapropter pro nihilo ducenda, niſi quòd caritas, quæ omnia ſuffert, cogit reſpondere talibus, quæ præter rationem obiecta deprehenduntur; quatenus cognita ratione, reprehendere non audeant quod honeſtatis iure religioniſque decore obſeruari cognouerint, & ad vnitatis concordiam pacifici redeant, à qua deuiaſſe ſtulta præſumptione non timuerant.

## CAPVT V.

IAm videamus quod de barbæ tonſione Clericos culpare non tantùm Romanorum, verùm omnium Occidentalium Chriſti Eccleſiarum non verentur. Quæ tam leuis agnoſcitur, vt nihil ei reſponderi meritò decerneretur, ne forſitan talium leuitati pares, vel certè leuiores æſtimentur, qui nullam habenti rationem obiecto reſpondere potiùs, quam contemnere delegere. Quid enim refert ad iuſtitiæ non tantùm perfectionem, verùm etiam inchoationem barbæ detonſio, vel conſeruatio? Dicant ergo redarguen-

De barbæ ſeu capitis tonſione agitur.

tes quid hinc vel in nouo vel in veteri Teſtamento præceptum reperiatur: &, vt plus inferam, quid in Apoſtolorum ſcriptis, vel Eccleſiaſticorum conſtitutis Magiſtrorum hinc eſſe determinatum inſinuare poſſunt? Eſt enim iſtud, ſicut & reliqua multa, ſingularum conſuetudini derelictum Eccleſiarum, vt pro reſpectu Maiorum capitis comam, ſiue barbam, vel nutriant, vel tondeant. Alijs ſiquidem mos ineſt barbam ſeu caput tondere: nonnullis verò barbam quidem non tondere, caput verò crine totum nudare: nonnullis autem placet faciem pilis omnibus ſpoliare, verticem capitis capillorum tonſione detegere, relictâ capillorum parte quæ inter nudati verticis partes & tempora conſiſtit. At verò quidam barbam non attondent, caput verò ex parte tondent, & detonſum ex parte relinquunt. Eſt quidem iſte Clericorum habitus non vniformis cunctis Eccleſijs, ſed pro conſuetudine Maiorum varius atque diuerſus; nec hinc aliquando inter Eccleſias vel Occidentales, vel Orientales contentio nata eſt, ſed tenuerunt ſingulæ quod ſuis à Maioribus ſuſcepêre; vel quod Prouinciarum vſus potiùs approbauit.

Redarguit Apoſtolus Paulus Corinthios quòd viri quidem vel comam nutriebant, vel capita velabant; mulieres autem nec capita velabant, nec comam nutriebant. Quæ conſuetudo iure reprehenditur ab Apoſtolo; quoniam etſi Corinthijs videbatur probabilis, naturæ tamen apparebat inconueniens. Et cur id reprehenderit, cauſam euidenter
1. *Cor.* 11. 7. oſtendit, dicens: *Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt.* Cur autem mulier debeat vel comam nutrire, vel caput velare, cauſam ſimiliter
*Ibid.* v. 10. edocet, dicens: *Debet mulier poteſtatem habere ſuper caput propter Angelos.* Hinc igitur conſiderent Clerici qui barbam quidem nutrientes, at verò caput penitus capillis omni ex parte nudant, & vel vim frigoris vel caloris ferre non valentes, vel potiùs huiuſmodi deturpationem habitus vtcumque celare volentes, capita veſte cooperiunt, an contra præceptum Apoſtolicum venire comprobentur. Siquidem negare non poſſunt contra ſententiam Pauli ſe facere dicentis: Omnis vir orans, vel prophetans velato

capite,

capite, deturpat caput ſuum.

Non iſta dicimus quo forſan talem conſuetudinem reprehendere malimus: ſcimus enim & huiuſmodi habitum humilitatis eſſe indicium; ſed vt moneamus Græcorum Imperatores è vicino habere quod poſſint vel redarguere, vel emendare; nec longè poſitos vel Romanos vel Latinos leuiter reprehendant; qui ſi radant barbam, comam tamen nec nutriunt, nec caput vel prophetantes, vel orantes velant: licet habeant in ſanctarum authoritate ſcripturarum vnde ſuam conſuetudinem optimè defendant. Et in veteri quidem Teſtamento Nazaræis conſuetudo manebat, vt conſecrationis tempus adimplentes caput & barbam raderent, & in ignem ſacrificij ponerent: hoc ſignificantes, quòd non ſolùm actus, verùm etiam omnes cogitatus ſuos Domino conſecrarent. Hinc Hezechieli Prophetæ ſermo diuinus loquitur: *Et tu fili hominis ſume tibi gladium acutum radentem pilos, aſſumens eum duces per caput tuum & barbam tuam.* Fuerat enim ſacerdos non extranei generis, ſed de ſacerdotali germine procreatus: vnde ſecundùm conſuetudinem Nazaræorum radere mandatur & caput & barbam. In Apoſtolorum actibus quoque ſcribitur, Priſcam & Aquilam Iudæos in Chriſtum credentes, in Cenchris caput ſibi totondiſſe: habebant enim votum, ſicut conſequenter ſcriptura ſignificat. Et in Hyeroſolymis Seniores Apoſtolo Paulo loquuntur: *Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe: his aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis vt radant capita, & ſcient omnes quia quæ de te audierunt falſa ſunt, ſed ambulans & ipſe cuſtodiens legem.* Et paulò pòſt: *Tunc Paulus aſſumptis viris poſtera die, purificatus cum illis intrauit in Templum, annuntians expletionem dierum purificationis.* Hunc morem ſequentes Clerici Romanorum, vel cunctarum fere per Occidentem Eccleſiarum, barbas radunt, & capita tondent, formam accipientes tam ab eis qui in veteri Teſtamento Nazaræi dicebantur, quàm ab eis qui in nouo Teſtamento talia feciſſe leguntur. Sed non penitus capillis capita nudant, verùm pro parte; ſignificantes tali ſchemate tam regale decus, quàm inſignę Sacerdotale. Siquidem Regibus decus

*Hezech. 5. 1.* — *Act. 21. 23.* — *Ibib. v. 26.*

R

eſt proprium coronas in capite ferre. Pontifices autem in Templo thiaras vertice portabant: & thiara quidem hemiſpherij gerit ſimilitudinem; corona verò circuli gerens figuram caput aſſolet ambire. Loquitur Beatus Petrus Apoſto-
1. Petr. lus Credentibus: *Vos autem eſtis genus electum, regale ſa-*
2. 9. *cerdotium.* Quod ſignificare volentes Clerici Romanorum, ſiue Latinorum, in verticis nudatione thiaræ ſimilitudinem figurant, per quam Sacerdotale decus inſinuant. Porrò reliqua pars capillorum caput ambiens, neque tamen verticem contingens, ſpeciem coronæ repreſentat, quâ regalis dignitas oſtentatur. Sic vtraque hac ſpecie regale ſacerdotium deſignatur.

Chriſtus etiam Rex & Sacerdos exprimitur; Propheta teſtificante: *Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter.* Item: *Reges eos in virga ferrea.* Quòd autem Sacerdos ſit, Pater Filio teſtificatur, dicens: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Igitur ſiue Chriſti Sacerdotium atque Regale ſolium Clerici Latinorum ſignificare volentes, huiuſmodi ſchema capite geſtant: ſiue quòd omnis Chriſtiana natio Regiâ ſimul atque Sacerdotali dignitate præemineat, tali ſpecie deſignant. In faciei verò denudatione cordis oſtendunt puritatem, illud innuentes Apo-
2. Cor. 3. ſtolicum, vbi ait: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini*
18. *ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur.* Facies enim capitis faciem cordis inſinuat; ſicut enim caput arx eſt cordis, ſic mens hoc loco, quæ cor appellatur, animæ culmen exiſtit: debet enim facies cordis cogitationibus terrenis iugiter ſpoliari, qualiter puro ſinceróque conſpectu gloriam Domini poſſit ſpeculari, & in eam per contemplationis gratiam transformari.

Beatus quoque Petrus Apoſtolus, nec non & alij plures tam de numero Apoſtolorum, quàm etiam de Chriſti diſcipulorum, leguntur & barbas & capita raſiſſe. Siquidem hoc egiſſe Petrum ipſius hodiéque teſtantur imagines, quæ tali ſchemate pictorum arte formantur. Nec propterea Græcorum veriti ſunt reprehenſionem vel Apoſtolus, vel reliqui Chriſti diſcipulorum, quibus non diſplicuit iſtiuſmodi habitum ſibi aſſumere. Et cùm nec ante legem, nec poſt Euan-

gelium hactenus quæſtionem hanc aliquis intenderit, videant cur Græcorum Imperatores reprehendere moliantur, quod reprehenſionis calumniæ ſubiacere nequaquàm meritò poſſit. Si enim barbam tondere peccatum eſt aliquod, vel diuinæ legis vlla tranſgreſſio, dicant cur Propheta Domino iubente barbam raſerit; cur Nazaræis iſte mos extiterit; cur denique Apoſtoli hanc conſuetudinem non exhorruerint. Sed huic oppoſitioni ſuperſedeamus, quoniam nec rationis virtute nixam, nec grauitatis eam aliqua dignitate ſuffultam conſpicimus: & niſi minus prudentibus ſubripi poſſe arbitraremur, nullam ex hoc fieri reſponſionis diſputationem iuſtiùs decerneretur.

---

## CAPVT VI.

NVnc illud conſiderandum quod obijciunt, Romanos nuptias damnare, quoniam Preſbyteris vxores ducere non ſolùm non conſentiunt, verùm penitus interdicunt. Quamuis in cæteris nimiùm ſuperſtitioſi videantur obiectis, in iſto tamen vel ſtupendi, vel dolendi plurimùm videntur. Stupendi quidem ſi tam ſunt à ſapientiæ lumine remoti, quò non intelligant Romanos in hoc facto non ſolùm non culpabiles apparere, verùm etiam prædicabiles enitere. Nam continentiæ bonum & caſtitatis inſigne tam conſtat eſſe præclarum, vt etiam Gentilibus ſit admirabile; & in omni ordine cùm ſit prædicabile, tunc præcipuè in Sacerdotibus, ac reliquis ſacri Altaris Miniſtris; quos cùm reliquæ virtutes faciunt illuſtres, illuſtriores tamen reddunt ſanctimoniæ ſplendor, & caſtitatis decus egregium. Dolendi verò ſunt, ſi talia cùm nouerint, aduerſus conſcientiam propriam nitentes, reprehendere non verentur quod laudabile fore non ignorant. Timere námque debuiſſent quod per Iſaïam loquitur Spiritus Sanctus: *Væ eis qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

Cælibatus Clericorum propugnatur aduerſus Græcos.

*Iſay. 5. 20.*

Quemadmodum ergo conſequens eſſe decernunt, vt Romani damnare nuptias iudicentur, ſi penes illos Epiſcopi

ſeu Preſbyteri matrimonia non ſortiuntur: ergo ſi propterea nuptiarum damnatores habendi ſunt, eidem ſententiæ ſubiacebunt Patres tam veteris quàm noui Teſtamenti. Helias Propheta, cuius ad imperium cœlum reſeratur & clauditur, quique miniſterio Angelico ſuſtollitur ad cœlos, non duxit vxorem. Hieremias vates in vtero ſanctificatus, virginitatis bonum, & caſtimoniæ puritatem matrimonio prætulit. Daniel vir deſideriorum appellatus, magis continentiam quàm coniugalem copulam delegit. Nec tamen iſti nuptias damnauêre, quamuis nuptiarum fœdera non habuerint. Saluator de Virgine naſci maluit; vt tamen ſacrum coniugium approbaret nuptiis intereſſe non renuit. Ioannes amoris priuilegium à Chriſto promeruit, quoniam plùs Chriſti diſcipulatum, quàm nuptias elegit. Petrus Apoſtolus, antequam Chriſtus eum in Apoſtolatus dignitatem ſubrogaret, matrimonium non ſpreuit, Apoſtolatus autem dignitate ſublimatus, & in Euangelicam prædicationem deſtinatus, etſi coniugem non repulit, opus tamen coniugale declinauit. Quod etiam cæteros Apoſtolos feciſſe non dubitandum. Attamen iſtos nemo ſanus dicet damnaſſe coniugia, licet continentiæ ſanctimoniam fuerint amplexati.

Porrò Romani quemadmodum culpantur nuptiarum fœdera damnare, quandoquidem apud eos nuptiæ celebrentur, & ex legitimo matrimonio filij procreentur? Scribit Beatus Apoſtolus Paulus Corinthijs, dicens: *Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum: ſed vnuſquiſque habet proprium donum ex Deo; alius quidem ſic, alius verò ſic.* Vnde verò dicebat quod vellet omnes homines eſſe ſicut ſeipſum, paulò ſuperiùs aperit, vbi coniugatis præcepta ſanxit inuicem ſibi quemadmodum deſeruirent, ſui corporis poteſtatem tam vir quàm fœmina non habendo, ſed ex alterius permiſſione ſeruando. Vnde in concluſione ſic intulit: *Hoc autem*, inquiens, *dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium.* Cui protinus ſubiecit: *Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum*, & reliqua. Quibus manifeſtè ſignificat ſe cœlibem eſſe, nec vxoris copulâ detineri. Hinc alibi ſcribit; *An non habemus poteſtatem ſororem mulierem*

*1. Cor. 7. 6.* (margin, beside "tur, & ex legitimo matrimonio")

*1. Cor. 7. 6.* (margin, beside "Hoc autem")

*1. Cor. 9. 5.* (margin, beside "alibi ſcribit")

*circumducendi?* In qua re ſocium ſibi Barnabam fore non abnegat, dicens: *An ego & Barnabas hanc poteſtatem non habemus?* Et tamen iſta cùm Beatus Apoſtolus de ſe profiteatur, nequaquam nuptias condemnat, de quibus & præcepta coniugatis dedit, & incontinentes hortatur, vt ſi ſe non continent, nubant. Adeò námque tam Saluator quàm Beatus Paulus matrimonij pacta non reprobant, vt ſtatuant vxorem à viro non diſcedere, nec virum vxorem relinquere, niſi causâ fornicationis: quòd ſi diſceſſerint, innuptos manere. *Ib. v. 8.*

Attamen continentiam perſuadere deſiderans Paulus, ſic eiſdem Corinthiis ſcribit: *Hoc itaque dico, fratres, tempus breue eſt; reliquum eſt vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non poſsidentes; & qui vtuntur hoc Mundo, tanquam non vtantur: prӕterit enim figura huius Mundi.* Qui ſuperiùs incontinentibus nubendi licentiam dederat, tanquam infirmis ſalutis remedium porrigens, dicit; *Melius eſt enim nubere quàm vri.* Nunc præcipit fræna luxuriæ cum propria quoque vxore cohibere. Quid eſt enim aliud quod dicit, *Qui habent vxores, tanquam non habentes ſint*, niſi dicere: libidinis laſciuiam à propriis etiam vxoribus reprimere, & amori magis filiorum, quàm carnis deſiderio ſeruiendum? Propter quod dixerat ſuperiùs: *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Sed quoniam hæc virtus non omnibus adeſt; *Propterea dico, propter fornicationem autem vnuſquiſque, ſuam vxorem habeat; & vnaquӕque ſuum virum habeat.* Quod hoc loco infirmitati conceditur, poſteriùs reſecare geſtiens, ait: *Qui habent vxores tanquam non habentes ſint.* Monens non ſemper infirmitati deſeruiendum, verùm caſtimoniæ ſanctitati conſueſcendum; quoniam præterit figura huius mundi. Figura fuit mundi carnalem poſteritatem quærere, & filiorum progenie gaudere, turbáque propinquorum exultare: At verò quoniam mundus in extremo poſitus finem præſtolatur; &, vt ait Beatus Ioannes, *Nouiſsima hora eſt*; non carnalis propago, ſed ſpiritualis magis debet appeti ſucceſſio: *Vt qui viuunt, iam non ſibi*

*1. Cor. 7. 29.* — *1. Cor. 7. 9.* — *1. Cor. 7. 1.* — *1. Cor. 7. 2.* — *1. Cor. 7. 29.* — *1. Ioan. 2. 18.* — *2. Cor. 5. 15.*

*viuant, ſed Chriſto qui pro eis mortuus eſt, & reſurrexit.* Propterea dicit flentes fieri debere tanquam non flentes, vt huius mundi ruinam atque tribulationes æternorum ſpe gaudiorum conſolentur. Similiter gaudentes in ſæcularibus temporaliter commodis, fiant tanquam non gaudentes; vt temporalis boni gaudia contemnentes propter ſui fragilitatem, atque permutationem, de æternis potiùs gaudeant & exultent; quatenus gaudia perennia conſequi præualeant. Similiter ementes non hîc poſſidere concupiſcant, ſed poſſeſſionem ſuam in cœleſtibus eſſe deſiderent, cum Pſalmiſta loquentes: Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Sic qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, vt in tranſitu ſit eis, non in deſiderio; & in via, non in patria; & tanquam ex latere reſpiciatur, non vt amore tenendi, ſiue fruendi, poſſideatur. Et propterea
1. Cor. 7. 32. conſequenter ait: *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe: qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt huius mundi, quomodò placeat vxori, & diuiſus eſt: & mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi quomodò placeat viro.*

Videant itaque Græcorum Principes, Romanos redarguere nitentes ſuper continentia Sacerdotum, Miniſtros altaris, in qua ſorte conſtituere diſponant; an eos velint eſſe ſine ſollicitudine, quod vult Apoſtolus, an certè ſollicitudinibus implicari mundi, quod non optat Apoſtolus. Si enim ſine vxore ſunt à ſollicitudine mundi liberi, eorum ſollicitudinem gerunt quæ ſunt Domini, quærentes omni tempore Deo complacere; Apoſtolicum illud meditantes:
Coloſſ. 3. 17. *Omnia quæcumque facitis, in nomine Domini ſemper facite.* Si verò cum vxore degerint, neceſſe eſt mundi ſollicitudinibus eos implicari, & quærere iam quomodò placeant vxori,
Pſal. 118. 57. non Deo: & huiuſmodi quicumque ſunt, diuiſi ſunt, quoniam in terra amorem vxoris, à moréque Dei medij conſi-
Thren. 3. 24. ſtunt, non valentes dicere cum Propheta: *Portio mea Dominus: dixi cuſtodire legem tuam.* Neque cum Beato Hieremia,
1. Cor. 7. 34. qui ait: *Pars mea Dominus dixit anima mea: propterea præ-*

*ſtolabor eum.* Dicit Apoſtolus: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu.* An igitur decet Domini Sacerdotes, & altaris Miniſtros, mulieribus innuptis & virginibus eſſe inferiores, vt illis cogitantibus quæ ſunt Domini, ſanctimoniam tam corpore quàm ſpiritu conſeruando; iſti cogitent quæ ſunt mundi, ſanctitatem corporis & ſpiritus reſpuendo? Vtriuſque námque ſanctimoniâ priuantur, qui cogitationem habent eorum quæ ſunt mundi, placere vxori geſtientes: quoniam, ſicut dicit Apoſtolus; *Quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodò placeat viro.* Ait Saluator duobus dominis neminem poſſe ſeruire. Ergo vel Epiſcopi, vel Preſbyteri, cogitantes debitum ſoluere vxori, cogitare nequeunt ſeruitutis debitum Domino ſoluendæ. Et cùm Clerici dicantur, quia ſint Domini ſors (ſic enim nomen ipſum ſonare deprehenditur) & eorum portio non alia ſit, quàm Dominus; Sacerdotes vxori ſeruientes, & ea quæ ſunt mundi cogitantes, ſortem Domini, quâ ſpecialiter ei cohærere debuerant, reſpuere; nec iam eorum poſſeſſio ſolus eſt Dominus; quoniam mundo per meditationis aſſiduitatem cohærendo, Domino cohærere nequeunt. Mens námque cogitationibus ſuis mundum amplexans, & mundo inhærens, Dominum complexari, & illi inhærere nullo modo præualet. *Ibid.*

Propter quod mirandi Græcorum Principes, quòd reprehendere ſtudeant Domini Sacerdotes à complexu mulierum longè ſe facientes, vt nulla neceſſitate detineantur à mundo, ſed mundum reſpuentes liberi poſſint iugiter inhærere Chriſto. Quantum verò coniugale vinculum conferat impedimenti Dominum iugiter obſecrandi, Beatus Paulus inſinuat, cùm conſequenter dicit: *Porrò ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis inijciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Liquidò námque dicens iſta, demonſtrat vxori ſeruientes facultatem nequaquàm habere iugiter Dominum obſecrandi, verùm ad tempus tantummodò. Videant igitur iſti nuptiarum cenſores, quales habere velint Sacerdotes; vtrum eos qui ſanctimoniæ ſeruantes puritatem, facultatem habent ſine impedimento Dominum *Ibid. v. 35.*

ante clericatum legitimè ductas vxores ſi cognouiſſent, deponendos fore cenſuerunt. Vnde mirandum Græcorum principes in Romanis redarguere quod in Theſſalonicenſibus patienter concedunt. Quòd ſi moderno tempore ſuæ fortaſſis ſuperſtitioni præbuere conſenſum quolibet modo teneant perſuaſos, nouerint tamen Maiorum talem ſuorum extitiſſe conſuetudinem,

Sed veniamus ad Eccleſiaſtica tandem decreta, quò cognoſcamus quid decernere ſuper his maluerint. In Nicæno Concilio ſub Conſtantino Imperatore primo per trecentos octodecim Epiſcopos ſic decernitur: [ Interdixit per omnia magna ſynodus, non Epiſcopo, non Preſbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem; niſi fortè matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas quæ ſuſpiciones effugiunt. ] Audiant hæc Conſtantinopoleos Imperatores, & iudicent, an debeant iſti gradus, ſuper quibus hoc capitulo decernitur, matrimonia ſortiri, quibus non licet mulieribus cohabitare, niſi ſolummodò perſonis illis, quas nulla ſuſpicio poſſit commaculare. Nam quiſquis vxorem duxerit, non poteſt vt præter vxorem alias etiam mulieres in domo non habere, quibus vxoria neceſſitas, & cura domeſtica ſuppleatur. Vbi verò cunctarum interdicitur ſubintroductio fœminarum, præter omninò perſonas quæ careant omni ſuſpicione, manifeſtum eſt quòd interdicatur etiam vxoria pariter copula, quæ nullo modo poteſt fieri ſine reliquarum acceſſione feminarum.

*Cælibatum Clericorum legibus Eccleſiaſticis aſſerit Author.*

*Ca. 3. ex verſ. Dionyſij Exig.*

In concilio Neocæſarienſi ſic ſtatuitur: [ Preſbyter ſi vxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetrauerit, ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. ] Quod hi canones decernunt, hactenus & Eccleſia Romana & omnes Occidentales ſeruare ſtuduerunt, ſcientes cunctis eſſe ſeruandum, quod patet eſſe religioſum, & diuinis cultoribus dignum. Videant Græci, ſi quod ſtatutum eſt, tenere contendunt; quòd ſi faciunt, fruſtra Romanos redarguunt, quos ſibi pares in Eccleſiaſticis ſeruandis Conciliis omnino perſpiciunt. Quòd ſi conſtitutum hoc licenter præuaricantur, Eccleſiaſticarum

*Ca. 1. ex eiuſdem verſione.*

conſtitutionum rei deprehenduntur : & dum in Oriente fuerit hoc conſtitutum, & nimirum ſeruetur ab Orientalibus, quod pro Eccleſiæ diſciplina probatur eſſe ſancitum, mirum cur in Occidentalibus culpare nituntur, quod apud Orientales ſeruare non dubitant. Quòd ſi leges Eccleſiaſticas ignorant, quis neſcit fore meritò contemnendos, quos non ſapientiæ grauitas, ſed ignorantiæ leuitas ad loquendum propellit.

Seu Concil. Africano an. 414. Can. 37.

In concilio Carthaginenſi : [ Præterea, cùm de quorumdam Clericorum, quamuis erga vxores proprias, incontinentia referretur ; placuit, Epiſcopos, & Preſbyteros, & Diaconos ſecundùm priora ſtatuta, etiam ab vxoribus continere. Quòd niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico remoueantur officio. ] Præſenti capitulo non ſolùm præfati gradus vxores ducere prohibentur, verùm à propriis, quas priuſquàm ordinarentur habuere, continere præcipiuntur: quòd ſi non fecerint, deponi iubentur: conſentitur in hoc decreto tam Nicæno quàm Neocæſarienſi Concilio : nam vtrumque præcipit preſbyteros ab vxoribus arceri. Qua de re videant Imperiales reprehenſiones, qualiter iuſtum ſit contra decreta Maiorum preſbyteros vxores ducere, quibus inhibetur propriis, quas ante ordinationem duxerant, abſtinere. Quas leges ſi ſeruare maluerint, cognoſcant quòd iniuſtè Romanos redarguant : quòd ſi noluerint, etiam cum Romanis totius Affricæ prouinciales Epiſcopos reprehendant, & cum his etiam ſuos Orientales, qui conſtituta Maiorum ſeruantes Epiſcopos, preſbyteros, & diaconos viuere continenter omninò decernunt, niſi ſuorum delegerint fore decretorum tranſgreſſores.

Verbis aliquantò diuerſis lex iſta exprimitur Nouell. conſt. Coll 1. tit. 6 Nou 6. cap. 1.

In Libro conſtitutionum Iuſtini Imperatoris ita decernitur capitulo vigeſimo quarto. [ Oportet autem eum qui Epiſcopus ſit, neque vxorem habere, neque concubinam, neque liberos, ſeu legitimos, ſeu legibus incognitos. Et ſi quis contra hæc fecerit, & is qui factus eſt, & is qui eum fecit, Epiſcopatus expellatur honore. ] Videant nunc Græcorum Imperatores ; qui Romanos damnare nuptias calumniantur, eo quòd non Epiſcopos, non preſbyteros, non diaconos, vxores ducere concedunt, quo in loco velint

habere ſuas leges, ideſt à ſuis Maioribus inſtitutas. Ecce Iuſtinus Romanorum Imperator legibus decreuit eum qui Epiſcopus futurus ſit, neque vxorem habere, neque concubinam: vos autem è contrario conſtituitis, vt tam Epiſcopi quàm preſbyteri matrimonij iura ſortiantur. Leges à Maioribus veſtris conſtitutæ, qui hoc fecerint, gradus ſui præcipiunt honore priuare; vos autem illos, qui non fecerunt, culpatis nuptias condemnare, nec in veſtram eos vultis recipere communionem. Apparet igitur tam Eccleſiaſticis legibus, quàm veſtris ſanctionibus, vos repugnare: quapropter duplici reatu vos culpà conſtringitis, veluti tranſgreſſores tam diuini & humani iuris, quàm Eccleſiaſticæ conſtitutionis. Preſbyteris autem & diaconis; & aliis in Clero ſcriptis, non habentibus vxores ſecundùm diuinas regulas, interdicimus & nos mulierem habere in ſua domo, exceptà matre, & filiâ, & ſorore, & aliis perſonis quæ omnem querelam effugiunt. Si quis autem aduerſus iſtam obſeruationem mulierem in ſua domo habuerit, quæ poteſt ſuſpicionem inferre turpitudinis, & ille à Clericis ſuis audierit, quod cum tali muliere non debeat habitare, & noluerit eam ſua domo repellere; vel accuſatore emergente probatus fuerit inhoneſtè cum tali muliere verſari; tunc Epiſcopus ſecundùm Eccleſiaſticos canones Clero eum repellat, curiæ ciuitatis cuius Clericus eſt tradendum. Superior lex ſpecialiter ſuper Epiſcopi perſona decreuerat, licet pariter preſbyterorum, Diaconorúmque perſonas comprehenderit. Quod enim Epiſcopo non conceditur, miniſtris conſequenter altaris, & myſteria Dominici corporis & ſanguinis contrectantibus, pariter interdicitur. Quòd ſi non illic ad liquidum de Preſbyterorum Diaconorúmque cauſa decernitur, præſens ſanctio dubietatis omnem caliginem remouere cognoſcitur, interdicens manifeſtè non ſolùm Preſbyteris, & Diaconibus, ſed etiam Subdiaconis, & aliis quibuſcumque in Clero matrimonium interdicitur, vt in ſua domo præter matrem, & eas perſonas quæ ſuſpicione turpitudinis careant, habitare nullo modo permittant; prævaricatores autem ſi conuicti fuerint Clero depelli decernit, & ad ignomi-

Iuſtinian. vbi ſupra. Nouel. 123. cap. 29.

niæ pœnam tales curiæ mancipandos eſſe iubet officiis.

Non credimus quòd Eccleſiæ Græcorum talia de preſbyterorum connubiis ſentiant, qualia Conſtantinopolitani principes ſentire comprobantur. Abſit igitur vt aduerſus Eccleſiaſtica conſtituta venire præſumant, & ea reprehendere conentur, quæ conſtat ab Eccleſijs ſeruata, & iure perpetuo cuſtodita. Quòd ſi poteſtates ſæculi ſua præſumptione talia redarguunt, qualia prohibent & condemnant, & Eccleſiaſticæ leges & humanæ, mirum cur non animaduertunt quòd eorum ſanctionem non ſolùm Occidentalis Eccleſia condemnet, verùm etiam Orientalis non recipiat, niſi fortaſſis tyrannidis crudelitate fatigata quædam pars in Oriente ſuſceptura ſit; ſed terrere debet eos ſententia Domini dicentis: *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Verùm fixa ſtat ſententia Saluatoris loquentis ad Petrum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

*Matt.* 19. 6.

Item in eodem libro: [Nullus Epiſcopus cum muliere penitus habitet; ſin autem probatus fuerit hoc non obſeruaſſe, Epiſcopatus honore deijciatur; quia ipſe ſe indignum Sacerdotio oſtendit.] Dicant igitur glorioſi principes Græcorum quâ præſumptionis audaciâ freti contra conſtituta Maiorum, contra leges Eccleſiæ, contra conſuetudinem hactenus obſeruatam venire non verentur, Romanos atque Latinos reprehendentes, quòd Epiſcopis, preſbyteris, Leuitis, atque Subdiaconis, vxores ducere non concedunt. Ecce enim imperialibus coarguuntur legibus, quæ cùm pro Romanis atque Latinis ſanciant, eos qui contraueniunt proculdubiio condemnant. In veteri teſtamento Tabernaculo, ſiue Templo, deſeruientes Leuitæ, ſiue presbyteri, vxoribus non appropinquabant, nec ſancta vel ingredi vel contingere præſumebant; niſi ſanctificarentur: & vos dicitis quia Sacerdotes, quibus officium eſt corporis & ſanguinis Domini myſterium quotidie celebrare, nec à ſacris aliquando recedere, quòd vxores ducere debeant, nec inter Laïcos & ſacri altaris Miniſtros vllam differentiam conſiſtere. Quòd ſi requiratur à vobis vnde nata fuerit opinio talis,

Ibid. in fine eiuſdem cap.

non aliam proculdubio monſtrare poteſtis authoritatem, quàm imperitiam atque iactantiam, de quibus leuitatis naſci ſolet audacia.

## CAPVT VII.

NVnc ad illud veniamus quod obijcitur, quia penes Romanos Baptizatorum frontes Presbyteri chriſmate non liniunt. Quod obiectum, ſicut & reliqua, magis leuitate quàm ratione propoſitum eſt: ſiquidem Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſequentes iſta proponunt, non aliquam diuinæ legis authoritatem. Quamuis vt hoc fiat & apud Romanos, & apud Occidentales omnes tam ex Euangelio, quàm ex Apoſtolorum actis eſſe conſtat aſſumptum. Confirmationis Sacramentum à Preſbyteris cōferri poſſe contendunt Græci.

Conſtat námque Spiritus Sancti gratiam per vnctionem frontis ex chriſmate ab Epiſcopis donari, quod nulli præter Epiſcopos eſſe conceſſum Euangelica teſtatur authoritas. Reſurgens etenim Dominus, & diſcipulis apparens, inſufflauit & dixit eis. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ergo ſi remiſſio peccatorum per Spiritum Sanctum contribuitur, & hoc munus Apoſtolis ſpecialiter conſtat eſſe donatum; iure ſolis Epiſcopis hæc gratia reſeruatur quos in Eccleſia conſtat Apoſtolorum ſucceſſionem, & miniſterium ſortitos. Moyſen quoque legimus in Exodo Aaron & filios eius in ſacerdotale miniſterium chriſmate ſancto perunxiſſe. Deinde Reges & Sacerdotes oleo ſancto perunctos in veteri Teſtamento per Pontifices extitiſſe; quos conſtat geſſiſſe figuram veri Regis atque Pontificis Domini noſtri IESV Chriſti; cui Pſalmiſta præcinit, dicens: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

Hos refellit Author.

*Ioan.* 20. 22.

*Exod.* 30. 30.

*Pſal.* 44. 8.

Conſtat autem omnem Eccleſiam corpus eſſe; Chriſti etenim, videlicet Regis & Sacerdotis, vnde omnes Chriſtianigenus ſumus Sacerdotale & Regale; propter quod poſt lauacrum vngimur, vt Chriſti nomine cenſeamur; & non niſi per Pontifices, à quibus Reges & Sacerdotes vnge-

bantur in lege. In Actis habes etiam Apoſtolorum : *Quia cùm audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis , quia recepit Samaria verbum Dei , miſerunt ad eos Petrum & Ioannem.*
Act. 8. 14. *Qui cùm veniſſent , orauerunt pro ipſis , vt acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini* IESV. *Tunc imponebant manus ſuper illos , & accipiebant Spiritum Sanctum.* Vide quia primùm baptizati fuerant in nomine ſanctæ Trinitatis , quod eſt in nomine Domini IESV ; ſiquidem totius Trinitatis inuocatio in nomine Domini IESV continetur. Nec tamen adhuc acceperant Spiritum Sanctum. Poſteà verò manus imponentibus ſuper eos Apoſtolis, acceperunt Spiritum Sanctum. Quæ forma ſeruatur hodièque in Eccleſia, vt baptizentur quidem fideles per presbyteros , gratia verò Spiritus Sancti per impoſitionem manuum tribuatur ab Epiſcopis: quod tunc fit , quando frontes baptizatorum chriſmate ſancto liniuntur ab Epiſcopis.

Act. 19. 1. Item in eiſdem Actis : *Factum eſt autem cùm Apollo eſſet Corinthi , & Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum , & inueniret quoſdam diſcipulos; dixit ad eos: Si Spiritum Sanctum accepiſtis credentes ? At illi dixerunt ad eum; Sed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audiuimus. Ille verò ait, In quo ergo baptizati eſtis? qui dixerunt in Ioannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus eſſet poſt ipſum vt crederent, hoc eſt in* IESVM. *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini* IESV. *Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus , venit ſuper eos Spiritus Sanctus ; & loquebantur linguis , & prophetabant.* Et hic vides quia Paulus non baptizauerit eos , ſed iuſſerit baptizari. Baptizatis autem manus Paulus impoſuit ; & ita demum venit ſuper eos Spiritus Sanctus. Docemur igitur baptiſmi gratiam per presbyteros poſſe contribui , donum verò Spiritus Sancti , quod tribuitur per manuum impoſitionem, quando frontes Baptizatorum chriſmate ſancto liniuntur, non niſi per Epiſcopos poſſe promereri.

Quî differt ſacerdos ab Epiſcopo.

Et re vera inter Sacerdotes & Epiſcopos differentia non parua conſiſtit. Sacerdotes námque , ſicut reliqui gradus Eccleſiſtici, per Epiſcoporum miniſterium conſecrantur ; ac

Epiſcopi non à Sacerdotibus benedicuntur. Ipſi quoque ſanctum chriſma ſanctificant , & oleum conſecrant : omníſque gradus Eccleſiaſticus illorum diſpoſitione peragitur. Quod conſiderantes Eccleſiaſtici viri , ſtatuerunt, vt frontes Baptizatorum non à Presbyteris, ſed ab Epiſcopis chriſmate ſancto linirentur ; vt per eos Spiritus Sancti gratia conferretur. Sicut de ſancto Silueſtro in geſtis Apoſtolicis legitur, vbi ſic ſcriptum inuenitur: [ Hic conſtituit, vt chriſma ab Epiſcopo efficiatur ; & priuilegium ſit Epiſcopis , vt Baptizatos chriſmate ſancto conſignent, propter hæreticam inſimulationem.] Hinc etiam Innocentius Papa in ſuis Decretalibus hoc modo decernit. [ De conſignandis infantibus manifeſtum eſt, non ab alio quàm ab Epiſcopo fieri licere. Nam Presbyteri , licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. ] Hoc autem Pontificibus ſolis deberi , vt vel conſignent, vel Paraclytum Spiritum Sanctum tradant , non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat , verùm illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Ioannem eſſe directos, qui iam baptiſatis tradant Spiritum Sanctum. Nam Presbyteris ſeu extra Epiſcopum , ſeu præſente Epiſcopo ; cùm baptizant, chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum ; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare , quod ſolis debetur Epiſcopis cùm tradunt Spiritum Paraclitum. Hinc omnes Occidentales Epiſcopi Maiorum ſequentes inſtitutionem ſumpſere conſuetudinem, vt frontes baptizatorum chriſmate liniendi non presbyteris concedant , ſed priuilegium ſibi reſeruent : non autem ipſum chriſma ( quod mentiuntur Græci ) de fonte conficiunt , ſed ex ſucco balſami , vel oliuæ liquore : quod fit non ſolùm à Græcis , verùm ab vniuerſis Chriſti Eccleſijs.

Lib. Pontificali Damaſi Papæ.

Epiſt. 1. cap. 3.

---

## CAPVT VIII.

SEd criminantur iſtud falsò, ſicut & de agni conſecratione ; nec non quod arguunt, Leuitas Epiſcopos fieri, presbyterij gradu non priùs accepto ; non reputantes quòd

in cæteris ſibi demant authoritatem fidei, quandoquidem in iſtis tam euidenter mentiuntur: non verentes quod Spiritus Sanctus loquitur: *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.* Et, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et in Salomone: *Falſus teſtis non erit impunitus.* Quòd autem redarguunt Leuitam Epiſcopum conſecrari, curnon contra ſe dictum aduertunt, qui de Laïcis ſubitò tonſis faciunt Epiſcopos, contra regulas Eccleſiaſticas, & Imperialia decreta? Siquidem prohibet Apoſtolus neophytum Epiſcopum fieri. Iuſtinus quoque Imperator in Eccleſiaſticis conſtitutionibus, ita decernit: [Neque ex laïco ſtatim ad Epiſcopatum aſcendere licet: neque Clericatus honorem ſimul habuiſſe ſufficit. Oportet autem eum qui Epiſcopus fit, neque vxorem habere, neque concubinam, neque liberos, neque nepotes ſeu legitimos, ſeu legibus incognitos. Et ſi quis contra hæc fecerit, & is qui factus eſt, & is qui eum fecit, Epiſcopatus expellatur honore. Nec liceat pecuniæ datione Epiſcopum fieri. Eſſe autem oportet eum qui Epiſcopus fit vel Monachum, vel Clericum: ita tamen vt non minùs ſex menſibus appareat eum in clericatu fuiſſe, &c.] Videmus non ſolùm Eccleſiaſticis, verùm etiam Imperialibus obuiari conſtitutionibus, vt ex Laïco ſtatim ad Epiſcopatus honorem aliquis aſſumatur, cùm debeat priùs in Eccleſia probari, & ſecundùm Eccleſiaſtica conſtituta doceri; quatenus viâ regiâ per graduum ſucceſſionem conſcendens, dignus inueniatur ſummi culminis apicem obtinere. Verùm Græcorum Imperatores tam diuina quàm humana iura tranſgredientes, faciunt ſibi de Laïcis ſubitò tonſis Epiſcopos, & eos qui nondum minimi gradus honorem digni percipere fuerant, ſummi culminis vertice ſuſtollunt: & talia gerentes non verentur Chriſti Eccleſiam calumniari, falſa pro veris loquentes; pro nihilo ducentes quod Saluator ait in Euangelio: Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria collo eius, & demergatur in profundum maris. Vt pœna mortis in eos vindicet, & fluctibus perditionis abſorbeantur, quos caritas timori ſancto non fecit eſſe ſubiectos.

*Pſal. 5. 7.* *ibid.* *Prouerb. 19. 9.* *1. Tim. 3. 6.* Nouella 6 cap. 1. ſub init.

Sed

Sed vnde talis innata ſit præſumptio, vt Romanam non vereantur Eccleſiam falſis oppetere criminationibus? Nimirum inde quòd ſui menſuram ignorantes ſtatus, ambiunt ſibi vindicare principatum, quem nec Chriſtus eis, nec Apoſtoli, nec Eccleſiarum Magiſtri, nec vlla conſuetudo contribuit, ſed illius imitatores effecti, qui dicebat in corde ſuo: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſuper ſydera cæli exaltabo ſolium meum: ponam ſuper altitudinem montium in lateribus Aquilonis ſedem meam. Ero ſimilis Altiſſimo.* Quid enim iſti Græcorum Principes aliud altitudine cordis ſui dicunt, qui Eccleſiæ ſibi principatum vſurpant & Apoſtolorum ſublimitatem (quos Iſaias Propheta nubes volantes appellat) ſibi vindicant: cupientes ſolium ſuæ dignitatis ſuper aſtra cœli componere, ideſt omni Sanctorum cætui præferre, & Patriarcharum venerationem vſurpare; quatenus omni Eccleſia ſibi ſubiecta Chriſto ſimiles efficiantur: cùm nulla Maiorum authoritas hoc eis contribuat, nec Eccleſiaſtica iura concedant, verùm nec humanæ leges aſcribant? Quæ cuncta ſibi vindicare velle potiſſimùm comprobant, quòd Patriarcham Conſtantinopolitanum præponere Romano Pontifici geſtiunt, & vrbem Conſtantinopolim Romæ præferre conantur, tanquam ſui iuris exiſtat leges Eccleſiaſticas immutare, & Regnorum apicem diſponere.

*Iſay. 13. 14.*

Romano Pontifici Patriarcham Cõſtantinopol. præferre conabantur Imperatores.

Meminiſſe tamen debuerant Chriſtum totius Eccleſiæ caput exiſtere, & ei Patrem per Prophetam dixiſſe: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Ipsúmque fore lapidem abſciſſum de monte ſine manibus, qui confregerit, & in pulverem redegerit vniuerſa regna mundi. Ipsúmque Petro dixiſſe: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues Regni cælorum.* Paulum quoque teſtificantem: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes.* Quos ambos Eccleſiæ principatum à Chriſto poſitos, & Romæ directos, cùm Eccleſiaſtica veritas, tum ipſius paſſionis monſtrat authoritas. Illuc námque ambo principes ſunt directi, vbi principatus eminebat mundi: quatenus Ro-

*Pſal. 2. 8.*

*Matt. 16. 18.*

Eccleſia Romana dignitate omnes alias præcellit.

mana ciuitas ſicut imperiali potentiâ totum ſibi ſubiecerat orbem, ſic Religionis culmine, & Apoſtolatus dignitate, totius mundi Regnis præſideret. Et ſicut voluit Saluator Hieroſolymam natiuitate ſua, doctrinâ, miraculis, morte, ſepulturâ, reſurrectionéque reddere ſublimem, ſic etiam delegit Romanam vrbem Apoſtolorum Principum ſanguine, ſepulchro, memoriâ, doctrinâ, reddere glorioſam: vt quoniam Chriſtus Hieruſalem cœleſtis in dextera Patris conſidens, Rex & Dominus honoratur Angelorum & Sanctorum omnium famulatu; ſic Petrus & Paulus Hieruſalem peregrinantis obtineant Principatum, ſubiectis ſibi per totius orbis latitudinem Chriſti Eccleſijs.

Hoc ita fore & antiquitas ipſa comprobat, & literarum monimenta confitentur. Siquidem Socrates in hiſtoria Eccleſiaſtica ſcribens de Arrianis, qui in Antiochia Syriæ ſynodum collegerant ad ſubuerſionem, atque deſtructionem Nicæni concilij, & condemnationem Athanaſij: poſtquam commemorauerat Præſules, quorum authoritate ſynodus collecta fuerat, ſubiunxit: [Sed neque Iulius interfuit maximæ Romæ Præſul, neque in locum ſuum aliquem deſtinauit; cùm vtique regula Eccleſiaſtica iubeat non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.] Ecce fuit hic Græcus Hyſtoriographus, nec tamen Conſtantinopolim dicit tantâ pollere authoritate veluti Romam; teſtificans ſine Romani Pontificis vel aſſenſu vel iuſſione nulla poſſe Concilia celebrari.

Socrat. lib. 2. cap. 13. med. ſed aliis verbis ſenſum exprimit.

In concilio Sardicenſi tali modo ſancitur: [Placuit, vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & omnes iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint: ſi appellauerit qui deiectus videtur, & confugerit ad Beatiſſimum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, & voluerit ſe audiri: ſi iuſtum putauerit, vt renouetur examen, ſcribere Epiſcopis dignetur Romanus Epiſcopus his qui in finitima & propinqua altera prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnia requirant, vt iuxta fidem veritatis omnia definiant. Quòd ſi is qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo Preſbyteros mittat, erit in poteſtate ipſius quid

Cap. 7. ex interpretat. Dionyſij Exig.

velit, & quid æſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, vt habeant etiam authoritatem perſonæ illius à quo deſtinati ſunt, erit in eius arbitrio. Si verò crediderit ſufficere Epiſcopos prouinciales, vt negotio terminum imponant, faciat quod ſapientiſſimo concilio ſuo iudicauerit.] Hoc Concilium ab Orientalibus Epiſcopis in Aſiæ prouincia geſtum, taliter de Romani Pontificis dignitate decreuit ſub Romano Imperatore Conſtantino Magno, qui ciuitatem Conſtantinopolim ædificauit, voluítque Iuniorem Romam vocitari. Num de Conſtantinopolitano Patriarcha tale quid ab Epiſcopis legitur conſtitutum? Cernimus omninò Romani Pontificis authoritatem ſuper cunctas Eccleſias Chriſti præeminere, vt omnes Epiſcopi illum habeant Caput, & ad eius iudicium pendeat quidquid in Eccleſiaſticis negotiis diſponitur; vt ex eius arbitrio vel maneat conſtitutum, vel corrigatur erratum, vel ſanciatur quodcumque fuerit innouandum.

Teſtatur & hoc Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, qui in hiſtoria de Vita Siluestri ſic ait: [Quarta die Imperator Conſtantinus priuilegium Eccleſiæ Romanæ Pontifici contulit, vt i toto orbe Romano Sacerdotes ita hunc Caput habeant, vt iudices Regem.] Quæ res ex Conciliorum geſtis approbatur: ſi quidem omne Concilium vel quod in Oriente, vel quod in Affrica geſtum eſſe dignoſcitur, vel Romani Pontificis vicarios ſemper habuit præſidentes, vel eius authoritate literarum, quæ fuerunt decreta firmitudinem acceperunt. Si quidem Concilium Nicęnum, omnibus Chriſti Eccleſijs venerandum, Victorem & Vincentium Preſbyteros vrbis Romæ, Romani Pontificis vicem agentes, in Epiſcoporum ſubſcriptione primos poſuêre ſtatim poſt Oſium Epiſcopum ciuitatis Cordubenſis prouinciæ Hiſpaniæ, qui fuerat illuc à Romano Pontifice directus, quoniam ipſe venire ſenectute præpediente non valuerit. Sic reliqua Concilia primo in loco ſemper habuêre Romanos Pontifices, vel eorum Legatos, tanquam Apoſtolorum vicarios. Et re vera omnes Orientales Eccleſiæ, ſimul & Occidentales, Romanæ ciuitatis Præſulem ſemper quaſi Caput Epiſcoporum venerati ſunt, & ad eius ſententiam reſpexerunt, & de rebus dubiis

Vita MS. ſupra citata.

quæcumque decreuit eius iudicium ſuſtinuerunt, illiúſque decreto paruerunt. Quæcumque Concilia eius ſententia roborata ſunt, rata manſerunt; quæ verò damnauit, pro nihilo reputata fuerunt, nec authoritatem vllam habere potuerunt]

Quæ licet antiquorum monimentis Patrum vera eſſe quæ dicimus approbentur, vnius tamen Romani Pontificis placet literis oſtendere quæ loquimur. Nam cùm Flauianuus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui Eutichen Archimandritam Conſtantinopolitanum malè de Incarnatione Dominica ſentientem damnauerat, ipſe quoque fuiſſet à ſynodo, quæ Ephesi collecta eſt, contra regulas Eccleſiaſticas damnatus, Romanum hac de cauſa Leonem Pontificem interpellaſſet, ſcripſit Theodoſio Imperatori ſynodum retractandam, & ea quæ prauè conſtituta fuerant caſſanda. Quod cùm ſub Theodoſio Imperatore fieri non potuit, morte præueniente, ſub Principibus Valentiniano & Martiano, qui Theodoſio Patri ſucceſſerant, actum eſt. Quorum literæ ad Leonem venerabilem Epiſcopum Romanæ vrbis miſſæ, taliter habentur: [Victores Valentinianus & Martianus, glorioſi Triumphatores, ſemper Auguſti, Leoni Reuerendiſſimo Archiepiſcopo glorioſæ ciuitatis Romę. Ad hoc maximum Imperium venimus Dei prouidentiâ, & * Senatûs excellentiſſimi, cunctæque militiæ. Vnde pro reuerenda & Catholica Religione Chriſtianorum fidei, cuius auxiliis virtutem noſtræ potentiæ confidimus gubernari, tuam ſanctitatem principatum in Epiſcopatu diuinę fidei poſſidentem, ſacris literis in principio iuſtum credimus alloquendam, inuitantes atque rogantes, vt pro firmitate & ſtatu noſtri imperij, æternam diuinitatem tua ſanctitas deprecetur, vt & tale propoſitum & deſiderium habeamns, quatenus omni impio errore ſublato per celebrandam ſynodum, Te authore, maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei catholicæ fiat.]

Ante Cōcil. Calchedon. epiſt. 33. al. * electione.

Item in ſecunda, poſt ſalutationem & præfationis allocutionem ſcribitur ſic: [Supereſt, vt ſi placuerit tuæ Beatitudini his partibus aduenire, & ſynodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur; noſtris vtique deſideriis veſtra ſanctitas ſatisfaciet, & ſacræ Religioni quæ vtilia ſunt,

Ibid. epiſt. 34.

decernat. Si verò hoc oneroſum eſt, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipſum nobis propriis tua ſanctitas literis manifeſtet; quatenus in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam, & Illyricum, ſacræ veſtræ literæ dirigantur; vt ad quemdam definitum locum omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant conuenire; & quæ Chriſtianorum religioni atque Catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundum Eccleſiaſticas regulas definierit, ſua diſpoſitione declarent.] His literis Romanorum Imperatorum non oſtenditur, quòd Patriarcha Conſtantinopolitanus Romano Pontifici Prælatus habeatur; verùm quòd Romanus Pontifex principatum obtineat Epiſcoporum, cuius arbitrio debeat colligi ſynodus, & quæ ſunt tractanda per eius diſpoſitionem debeant ordinari.

Teſtantur etiam literæ Valentiniani Imperatoris ad Theodoſium Patrem Auguſtum, quam dignitatem, atque honorem Romanus Pontifex ſuper omnes Epiſcopos debeat obtinere: quæ ita ſe habere noſcuntur: [Domino Theodo- Ibid. epiſt.
ſio, glorioſiſſimo, victori, ac triumphatori præcellentiſſimo 25.
Imperatori & Patri, Valentinianus victor glorioſus, ac triumphator, ſemper auguſtus & filius. Cùm veniſſem in vrbem Romam ob diuinitatem placandam, ſequenti die ad Baſilicam Apoſtoli Petri proceſſi, & illic poſt venerabilem noctem diei Apoſtoli, & à Romano Epiſcopo, & ab aliis cum eo ex diuerſis prouinciis congregatis, rogatus ſum ſcribere veſtræ manſuetudini de fide, quæ cùm ſit conſeruatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata: quam nos à noſtris Maioribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis Beato Apoſtolo Petro intemeratam noſtris temporibus conſeruare, quatenus Beatiſſimus Romanæ ciuitatis Epiſcopus, cui principatum ſacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat & facultatem de fide & Sacerdotibus iudicare, Domine ſacratiſſime Pater, & Venerabilis Imperator: hac enim gratia ſecundùm ſolemnitatem Conciliorum & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellauit, propter contentionem quæ orta eſt de fide.] Galla quoque Placidia, mater Auguſti, literas eadem pro

Ibidem epiſt. 26. poſt init.

re filio dirigens Auguſto, inter cætera ſic ait: [ Non modicum detrimentum eſt ex his quæ geſta ſunt; vt fides, quæ tantis temporibus regulariter cuſtodita eſt à ſacratiſſimo Patre noſtro Conſtantino ( qui primus imperio ſplenduit Chriſtianus ) nuper turbata ſit, ad arbitrium vnius hominis, qui in ſynodo Epheſinæ ciuitatis odium & contentiones potiùs exercuiſſe narratur, militum præſentiâ & metu * appetens Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopum Flauianum, eo quòd libellum ad Apoſtolicam ſedem miſerit per eos qui directi fuerant in concilium à Reuerendiſſimo Epiſcopo Romæ, qui ſecundum definitiones Nicæni Concilij conſueti ſunt intereſſe, Domine ſanctiſſime fili, Venerabilis Imperator. Hac itaque gratiâ, tua manſuetudo tantis turbis reſiſtens, veritatem immaculatam Catholicæ fidei ſeruari præcipiat, vt ſecundùm formam & definitionem Apoſtolicæ ſedis, quam etiam nos tam quam præcellentem ſimiliter veneramur, in ſtatu ſacerdotij illæſo manente per omnia Flauiano, ad Concilij & Apoſtolicæ ſedis iudicium tranſmittat; in qua primus ille, qui cœleſtes claues dignus fuit accipere, principatum Epiſcopatus ordinauit. Decet itaque nos huic maximæ ciuitati, quæ Domina omnium eſt, in omnibus reuerentiam conſeruare. Diligentiùs autem hoc prouidete, ne quod priſcis temporibus noſtra generatio cuſtodiuit, ſub nobis imminui videatur, & per præſens exemplum ſchiſmata generentur inter Epiſcopos, ac ſanctas Eccleſias.] Apparet igitur ex his Romanum Pontificem nunquam fuiſſe ſubiectum Patriarchæ Conſtantinopolitano, quin potiùs vbi neceſſitas poſtulauit, eum Apoſtolicam ſedem expetijſſe, & ſecundùm eius iudicium ſuam terminum habere cauſam popoſciſſe; quandoquidem ſit Romana ciuitas omnibus imperij Romani ciuitatibus honorabilior, & Romanus Pontifex principatum obtineat Sacerdotij ſuper omnes Epiſcopos; vt pote cùm ſit ciuitas hæc Domina omnium, & illi ciuitati quiſquis præfuerit Epiſcopus ex antiquitatis conſtitutione Princeps omnium habeatur Eccleſiarum.

al. * impetens.

Leonis papæ epiſt. 46.

Hac igitur authoritate Leo venerabilis Romanæ ciuitatis Epiſcopus fretus, ſcripſit Anatholio Epiſcopo Conſtantinopolitano, quam formam concilij tenere debuiſſet, damnans

do Neſtorium, & Eutichem; ita ſcribens: [ Licet ſperem dilectionem tuam ad omne opus eſſe deuotam, vt tamen efficacior tua fieri poſſit induſtria, neceſſarium & commodum fuit, Fratres meos Licentium Epiſcopum & Baſilium Preſbyterum (vt promiſimus) deſtinare, quibus tua dilectio ſocietur, vt nihil in his quæ ad vniuerſalis Eccleſiæ ſtatum pertinent, aut dubiè agatur aut ſegniter: cum reſidentibus vobis, quibus executionem noſtræ diſpoſitionis iniunximus, ea poſſint agi cuncta cum moderatione; vt nec beneuolentiæ partes, nec iuſtitiæ negligantur, ſed abſque perſonarum acceptione diuinum in omnibus iudicium cogitetur.] Et nonnullis interpoſitis: [ Et quia Euangelica & Apoſtolica fides omnes expugnat errores, & ab vno latere Neſtorium deiicit, ab alio Eutichen & participes eius elidit, hanc regulam mementote ſeruandam; Vt quicumque in illa ſynodo, quæ nomen ſynodi nec habere poterit, nec meretur, & in qua maleuolentiam ſuam Dioſcorus, induſtriam autem Iuuenalis oſtendit, * ſatisfactioni eorum pax fraterna præſtetur: ita vt non dubiis profeſſionibus Eutichen cum ſuo dogmate, & cum conſortibus ſuis, anathematis * conſecratione condemnent. De his autem, qui in hac cauſa grauiùs peccauerunt, & ob hoc ſuperiorem ſibi locum in eadem infœlici ſynodo vindicarunt, vt humilium fratrum ſimplicitatem arrogantiæ ſuæ præiudiciis aggrauarent: ſi fortè reſipiſcant, & * facti ſui defenſionem caſſantes in condemnationem proprij conuertuntur erroris, horum ſatisfactio talis accedat, quæ non refutanda videatur, ſed maturioribus Apoſtolicæ ſedis conſiliis reſeruetur; vt examinatis omnibus atque perpenſis, ipſis eorum agnitionibus, quid conſtitui debeat, æſtimetur. Neque priùs in Eccleſia, cui te Dominus voluit præſidere, cuiuſquam talium (vt ad te iam ſcripſimus) nomen ad altare recitetur, quàm quid de eis conſtitui debeat, rerum proceſſus oſtendat.] Et poſt pauca: [ Annitere itaque, Frater cariſſime, vt quæ Eccleſiæ Dei congruunt, fideliter & efficaciter cum his fratribus conſtanter, quos idoneos authores elegimus, exequaris. ] Monſtratur his literis Romanum Pontificem præeſſe Patriarchæ Conſtantinopolitano, cuius vices ſuas in ſynodo

** Pauca hic præter miſit Author.*

al. * execratione.

al. à facti ſui ceſſantes.

omnes relinquunt, nemini quidem honor perire debeat, ſed illis qui pro fide laborauerunt, cum omni priuilegio oporteat eis propriam reformare. Prioris autem Epheſinæ ſynodi, cui ſanctæ memoriæ Cyrillus Epiſcopus tunc præſedit, contra Neſtorium ſpecialiter ſtatuta permaneant: ne tunc damnata impietas * demum ſibi in aliquo blandiatur, * quâ Eutiches iuſta execratione percellitur. Puritas enim fidei atque doctrina, quam eodem, quo ſancti Patres noſtri, ſpiritu prædicamus, & Neſtorianam & Eutichianam cum ſuis Authoribus condemnat pariter & perſequitur prauitatem.] al. * ideò. al. * quia.

Aduertimus certè Romanæ ſedis Pontificem nec ſupponi, nec conferri, ſed præferri Conſtantinopolitano Patriarchæ; quandoquidem Calcedonenſem ſynodum videamus eius permiſſione fuiſſe collectam: cuíque præſidere maluit per ſuos Legatos; cuíque etiam formam dedit propriis literis quid de ſecunda ſynodo Epheſi collecta foret ſtatuendum: quid quoque de his qui fuerant in ea propter fidei veritatem ſedibus propriis expulſi, & in exilia deportati; nec non & ex ijs qui minis atque terroribus compulſi contra fidem iudicium protulerunt, atque conſenſerunt, ſi reuerti ab errore mallent, & veritatem fidei profiteri: ſynodum quoque primam Epheſinam per Beatum Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum factam ſtatuit omnibus modis ſeruandam, condemnans tam Neſtorium quàm Eutichen de Incarnatione Domini noſtri IESV Chriſti prauè ſentientes. Quibus omnibus euidenter inſtruimur non ſolùm Conſtantinopolitano, verùm cunctis Orientalibus Epiſcopis Romanum Pontificem honore prelatum, veluti qui cunctorum ſollicitudinem plenam habere debeat Epiſcoporum, & cui ſpecialiter incumbat pro cunctis Eccleſijs peruigil ſollicitudo.

Vt autem euidentiùs appareat quantò Romanus Epiſcopus honore precellat ſupra cunctos qui per Orientem habentur Epiſcopos, ex epiſtola Beati Leonis Epiſcopi vrbis Rome, Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi directa, placuit oſtendere: cui ſalutatione premiſſa ſic loquitur: [Quanta fraternitati tue à Beatiſſimi Petri Apoſtoli authoritate com- Leonis Papæ epiſt. 84. initio.

miſſa ſunt, & qualia etiam noſtro tibi fauore ſint credita; ſi vera ratione perſpiceres, & iuſto examine ponderares, multùm poſſemus de iniunctę tibi ſollicitudinis deuotione gaudere: quoniam ſicut præceſſores mei pręceſſoribus tuis, ita ego dilectioni tuę priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui; vt curam quam vniuerſis Eccleſijs principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adiuuares, & longinquis * à nobis Prouinciis pręſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes. Si quidem continenti opportunóque proſpectu promptum tibi eſſet agnoſcere, quid in quibuſque rebus vel tuo ſtudio componeres, vel noſtro iudicio reſeruares. Nam cùm maiora negotia & difficiliores cauſarum exitus liberum tibi eſſet ſub noſtra ſententię expectatione ſuſpendere, nec ratio tibi nec neceſſitas fuit, in id quod menſuram tuî excederet, deuiandi: abundant enim apud te monitorum ſcripta noſtrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter inſtruximus; vt commendatas tibi Chriſti Eccleſias per exhortationem caritatis ad ſalubritatem obedientię prouocares:] Et poſt alia iſtiuſmodi redargutionibus conqueſta, iterum infert: [Et dum dominari magis quàm conſulere ſubditis quęrant, placet honor, inflat ſuperbia, & quod prouiſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam. Quod vt neceſſe habeamus ita dicere, non de paruo animi dolore procedit: meipſum enim quodammodo trahi in culpam ſentio, cùm te à traditis tibi regulis immodicè diſceſſiſſe cognoſco: Qui ſi tuę exiſtimationis parum diligens eras, meæ ſaltem famæ parcere debuiſti; ne quæ tuo tantùm facta ſunt animo, noſtro viderentur facta iudicio. Relegat fraternitas tua paginas noſtras, omniáque ad tuos miſſa Maiores Apoſtolicæ ſedis præſulum ſcripta decurrat, & vel à me, vel à præceſſoribus meis inueniet ordinatum, quod à te cognouimus eſſe præſumptum. Venit námque ad nos cum Epiſcopis Prouinciæ ſuæ frater noſter Atticus, veteris Epiri Metropolitanus Antiſtes, & de indigniſſima afflictione quam pertulit, lacrymabili actione conqueſtus eſt coram aſtantibus Diaconibus tuis, qui querelis flebilibus eius nihil contra referendo ea quæ nobis ingerebantur fide non carere

*al.* * ab Apoſtolica ſede.

Ibidem.

monſtrabant. Legebatur quoque in literis tuis, quas ijdem ad me Diaconi tui detulerunt, quòd frater Atticus Theſſalonicam veniſſet.]

Et poſt alia: [Vnde deplorationibus ſupradicti verba epiſtolæ tuæ teſtimonium præbuerunt, & per hoc, quod non eſt tacitum, nudatum eſt illud quod ſilentio fuerat adopertum: aditam ſcilicet Illyrici præfecturam, & ſublimiſſimam inter mundanos apices poteſtatem in exhibitionem inſontis Antiſtitis incitatam, vt miſsâ executione terribili, quæ omnia ſibi officia publica ad effectum præceptionis adiungeret, à ſacris Eccleſiæ adytis, nullo vel falſo inſimulatus crimine, extraheretur Sacerdos, cui non ob moleſtiam ægritudinis, non ob ſæuitiam hyemis darentur induciæ, ſed iter aſperum & periculis plenum per inuias niues agere cogeretur. Quod tanti laboris, tantique diſcriminis fuit, vt ex his qui Epiſcopum comitati ſunt quidam defeciſſe dicantur. Multùm ſtupeo, Frater Cariſſime, ſed & plurimùm doleo, quòd in eum (de quo nihil ampliùs indicaueras, quàm quòd euocatus adeſſe differret, & excuſationem infirmitatis obtenderet) tam atrociter & tam vehementer potueris commoueri; præſertim cùm ſi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat quid ad tua conſulta reſcriberem. Sed vt video bene de meis moribus æſtimaſti, & quàm ciuilia pro conſeruanda Sacerdotali concordia reſponſurus eſſem veriſſimè præuidiſti, & ideò motus tuos exequi ſine dilatione properaſti, ne cùm moderationis noſtræ aliud diſponentia ſcripta ſumpſiſſes, faciendi id quod factum eſt licentiam non haberes. An fortè aliquid tibi facinus fratris innotuerat, & Metropolitanum Epiſcopum noui apud te criminis pondus vrgebat? At hoc quidem alienum ab illo eſſe etiam tu nihil ei obiiciendo confirmas; ſed etiam ſi quid graue intolerandúmque committeret, noſtra erat expectanda cenſura; vt nihil priùs ipſe decerneres, quàm quid nobis placeret, agnoſceres. Vices enim noſtras ita tuæ credidimus caritati, vt in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis Vnde ſicut multùm nos ea quæ à te piè ſunt curata lætificant, ita nimiùm ea quæ perperam ſunt geſta contriſtant. Et neceſſe eſt, poſt multarum experi- Ibidem.

menta cauſarum ſollicitiùs proſpici, & diligentius præcaueri; quatenus per Spiritum caritatis & pacis omnis materia ſcandalorum de Eccleſijs Domini, quas tibi commendauimus, auferatur, præeminente quidem in illis Prouinciis Epiſcopatus tui faſtigio, ſed amputato totius vſurpationis exceſſu. Igitur ſecundùm Sanctorum Patrum canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, Metropolitanos ſingularum Prouinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ ſibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus; ita vt à regulis præſtitutis, nullâ aut negligentiâ, aut præſumptione diſcedant, ] & cætera, quæ ſtatuit Theſſalonicenſi Epiſcopo in Eccleſiaſticis negotiis conſeruanda.

Quibus videmus nequaquàm Conſtantinopolitanum Epiſcopum Eccleſijs Chriſti, niſi tantùm ſuæ Dioceſeos, eſſe prælatum, ſed Romano Pontifici huius ſollicitudinis curam antiquitus eſſe commiſſam, ad quem omnes Eccleſiæ Chriſti reſpiciant; & cuius ſit officij de ſingulis Eccleſiaſticis rationibus diſponere, eámque tenere ſingulas Prouincias Eccleſiaſticarum cauſarum formam, quam Pontifex Romanus vel conſtituerit, vel conceſſerit; quod approbant Pontificum decreta Romanorum, omnibus Chriſti Eccleſijs tam per Orientem quàm per Occidentem poſitis directa, quæ veluti leges Eccleſiaſticorum negotiorum & obſeruantur ab omnibus & ſuſpiciuntur Eccleſijs. Quis autem ferat vt Conſtantinopolitanus Patriarcha cunctis Chriſti præferatur Eccleſijs, quod nec antiquitas ei contulit, nec vlla decreta Maiorum conſtituunt, nec rationis habetur vel Eccleſiaſticæ vel humanæ iure firmatum; niſi fortè putant Græcorum Imperatores moderni, non illi Romanorum, quorum Imperium totius orbis Prouincias diſponebat, hoc ſibi licere, quod illis non licuit: & Eccleſiam Romanam, quam illi tanquam matrem venerati ſunt, pro libito ſuo diſponere, & authoritatem quam beato Petro tam Chriſtus, quàm omnis Eccleſia, totiúſque mundi principatus contulit, immutare poſſe; quandoquidem ciuitatem Romam, quæ cunctarum Principatum Eccleſiarum obtinet, ab imperio ſuo vident remotam, & omnem Occidentem ſibi ſu-

blatum, Affricámque, & Orientem pene cunctum, præter pauciſſimas Europæ Aſiæque Prouincias, & paucarum ambitus inſularum.

Quam autem reuerentiam Conſtantinopolitanus Pontifex obtinere debeat, non ſuo merito, ſed quia ſecunda vocitata ſit Roma, teſtatur Iuſtiniani pragmaticum Imperatoris, quod ita fertur: [ Papa Romanus prior omnibus Epiſcopis & Patriarchis ſedeat, & poſt illum Conſtantinopolitanæ ciuitatis Archiepiſcopus. ] Non hîc præferur neque confertur Papæ Romano, ſed ſupponitur Patriarcha Conſtantinopolitanus. Conſiderandum quoque, quòd honor ſedis illi contribuitur, poteſtatis autem culmen nullatenus confertur. Item in hiſtoria Socratis ſic ſcribitur: [ Tunc etiam regulam prætulerunt, nimirum Epiſcopi qui Nectarium Conſtantinopoli conſtituerunt vt eſſet Epiſcopus, vt Conſtantinopolitanus Epiſcopus haberet honoris priuilegia poſt Pontificem Romanum, eo quòd ſit noua Roma. ] Sed neque poteſtatis hîc priuilegia donantur illi, quæ Pontifici manere Romano comprobantur. Vnde igitur authoritatem Græcorum Principes accipiunt, vt Conſtantinopolitanum Epiſcopum omnibus Eccleſijs præferant? Antiquitas eis nulla ſuffragatur, ſynodorum decreta nulla, Imperatorum pragmatica nulla, quæ licet etſi aliqua monſtrarentur, authoritatis pondus obtinere nequirent ſine Romani Pontificis aſtipulatione: cuius tantæ manet antiquitate tribuente poteſtatis ius, vt ſine permiſſionis illius authoritate nec Conſtantinopolis, nec vlla ciuitas Orientalis vel Occidentalis obtinere priuilegia valeat poteſtatis, niſi quæ fuerant à Romano Pontifice vel conceſſa vel roborata: ipſi verò maneat poteſtas atque ſollicitudo omnium Eccleſiarum concedendi, vel diſponendi quæcumque Eccleſiaſticis vtilitatibus ſecundùm Eccleſiaſticas regulas probata fuerint deſeruire: Quod multis approbatur ſcripturarum monimentis per vniuerſas Eccleſias à Romano Pontifice deſtinatis.

Nouel. 131. cap. 2.

Lib. 5. cap. 8.

Vnde Acacius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ad Simplicium Epiſcopum vrbis Romæ ſcribens, ſic ait: [ Domino ſancto Patri Archiepiſcopo Simplicio Acacius. Sollicitudinem omnium Eccleſiarum ſecundùm Apoſtolum circum-

Inter Cōcilia poſt epiſt. 8. Simplicij.

ferentes, nos indeſinenter hortamini, quamuis ſponte vigilantes & præcurrentes; ſed vos diuino zelo ſollicitos demonſtratis, ſtatum Alexandrinæ Eccleſiæ certiùs requirentes, vt pro paternis canonibus ſuſcipiatis laborem; piiſſimo ſtillantes ſudore pro his, ſicut ſemper eſt approbatum,] & reliqua. Cognoſcimus quòd Acacius Pontifex Conſtantinopolitanus Romanum Pontificem teſtatur omnium Eccleſiarum ſecundùm Apoſtolum ſollicitudinem circumferentem, & hanc ei ſemper adeſſe ex antiquitate ſuperimpoſitam: quod dicens, ſibi nullo modo contribuit omnium Eccleſiarum procurationem: nouit enim hoc à ſuo longè remotum officio, nec vſurpare ſibi præſumit, à quo ſe procul abeſſe non ignorat. Cui Acacio, cùm contra regulas Eccleſiaſticas deprehenſus fuiſſet egiſſe, quod ſibi nulla ratio iuſta facere conceſſiſſet, Felix Epiſcopus Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ vrbis Romæ, ſic ſcribit: [Multarum tranſgreſſionum reperiris obnoxius, & in venerabilis concilij Nicæni contumelia ſæpe verſatus, alienarum tibi Prouinciarum iura temerariè vindicaſti. Hęreticos & peruerſores, atque ab hæreticis ordinatos, & quos ipſe damnaueras, atque ab Apoſtolica Sede petiſti damnari, non modò communioni tuæ recipiendos putaſti; verùm etiam Eccleſijs aliis, quod nec de Catholicis fieri poterat, præſidere feciſti, atque honoribus, quod non merebantur, auxiſti.] Et cùm multa de tranſgreſſionibus illius ſcripſiſſet, in concluſione ſic intulit: [Habe ergo cum his quos libenter amplecteris, portionem,* & ſententia præſenti, quam per tuæ tibi direximus Eccleſiæ Defenſorem, ſacerdotali honore, & communione Catholica, nec non etiam à fidelium numero ſegregatus, ſublatum tibi nomen & munus miniſterij Sacerdotalis agnoſce, Spiritus Sancti judicio, & Apoſtolica per nos authoritate damnatus, nec iam anathematis vinculis exuendus.] Num modò conuincitur Romanus Pontifex Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubiectus, per quem de ſuis tranſgreſſionibus non leuiter redarguitur, & anathematis ſententia condemnatur? Immenſum fiet ſi cuncta congeſſerimus, quibus Romanus Pontifex approbatur Conſtantinopolitano Pontifici fore prælatus. Sed ſufficiant quæ poſita

Epiſt. 6. init.

al. * ex.

ſunt, quibus euidenter oſtenſum eſt, Conſtantinopolitanum Patriarcham Eccleſijs Chriſti nullatenus omnibus præferendum, ſed ſui menſurâ honoris eſſe debere contentum; ne contra Nicæni concilij decreta faciens honoris proprij damna ſuſtineat.

Egimus velut potuimus reſpondentes ad ea quæ nobis ſcripta miſiſtis. Quæ ſi placuerint, Deo gratias agimus: ſin verò diſplicuerint, veſtræ correctioni cenſuram præſtolamur.

*Explicit liber quartus.*

# RATHERII,
## EX MONACHO LEOBIENSI ORDINIS S. BENEDICTI, VERONENSIS EPISCOPI.
# OPERA.

## VOLVMEN PERPENDICVLORVM Ratherij Veronenſis, vel viſus cuiuſdam appenſi cum alijs multis in ligno latronis.

### *AD HVBERTVM PARMENSEM EPISCOPVM:*
### *DE CONTEMPTV CANONVM.*
### PARS I.

D*Omino venerabili in Chriſto* HVBERTO *Compræſuli Ratherius peccator.*

Fruſtra Oratoris, Vrbanitati, reor, non incogniti veſtræ, iuxta ſententiam illius niti: Neque aliud fatigando niſi odium quærere*, extremæ dementiæ. Ipſe quoque, qui id agere non deſino, licet conſentiam eſſe, inſurgente contra me olim rebellium Clericorum veſania, nec aliquid illius mihi (ſuper quo cuidam dictum eſt; *Paſce oues meas.*) Officij, vſque ad expulſio- *Ioan.* 21. 17.

X

nem publicam relinquente, præter Chriſmatis confectionem, & chriſmandi quidlibet poteſtatem: ſubiecta pro copia recordationis dedi operam, pauca licet, quantum ad rem, ex ſanctis Canonibus hìc, inaniter quamuis alibi etiam deplorata, congerere. Quæ poſtquam, Domine, creueritis, intentionem pariter, pro qua tantum aggreſſus fuerim laborem, par erit agnoſcere, & quo vſque profuerit, cenſuiſſe. Eſt autem Næniarum huiuſmodi iſtarum exordium.

In edit. cap. 40. ſeu 41. *In Canonibus Apoſtolorum Cap. Legitur* XXXVIIII. [Omnium Eccleſiaſticorum negotiorum curam Epiſcopus habeat; & ea velut Deo contemplante diſpenſet.] Item: [Præcipimus vt in poteſtate ſua Epiſcopus res Eccleſiæ habeat. Si enim animæ hominum pretioſæ illi ſunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita vt poteſtate eius indigentibus omnia diſpenſentur per Preſbyteros & Diaconos; & cum timore, omníque ſollicitudine miniſtrentur. Ex his autem, * quæ indiget ad ſuas neceſſitates, & ad peregrinorum fratrum vſus & ipſe percipiat, vt nihil ei poſſit omninò deeſſe. Lex enim Dei præcipit; vt qui altario ſeruiunt, de altario paſcantur, quia nec miles ſtipendiis propriis contra hoſtes arma ſuſtollit. Item: Nihil abſque licentia Epiſcopi agendum:] *Ex epiſtola Clementis Papæ:* [Cunctis fidelibus, & ſummopere omnibus Preſbyteris & Diaconibus, ac reliquis Clericis attendendum eſt, vt nihil abſque licentia proprij Epiſcopi agant. Non vtique Miſſas ſine eius iuſſu quiſque Preſbyterorum in ſua Parrochia agat, non baptizet, nec quicquam abſque eius * permiſſo agat. Similiter & reliqui populi, maiores ſcilicet ac minores, per eius licentiam quicquid agendum eſt agant: nec ſine eius permiſſo à ſua Parrochia abſcedant, nec in ea aduentantes morari præſumant. Animæ verò eorum ei creditæ ſunt: ideò eius conſilio omnia agere debent, & eo inconſulto nihil.] Item *Concil. Antioc. Titul. VIIII.* [Vnuſquiſque enim Epiſcopus habeat ſuæ Parrochiæ poteſtatem, vt regat iuxta reuerentiam ſingulis competentem, & prouidentiam gerat omnis poſſeſſionis, quæ ſub eius eſt poteſtate.] *Item cap. XXIIII.* [Quæ ſunt Eccleſiæ, ſub omni ſollicitudine & * conſtantia bona, & fide, quæ in Deum eſt,

*al.* * quibus.

1. *Cor.* 9. 4.

Cap. 38. ſeu 40.

Epiſt. 3. ſub. med.

*al.* * permiſſu.

*al.* * conſcientia.

qui cuncta conſiderat iudicátque, ſeruentur. Quæ etiam diſpenſanda ſunt iudicio & poteſtate Pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ quæ * intra Eccleſiam congregantur. *Item. cap. xxv.* Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ad diſpenſandam erga omnes qui indigent, cum ſumma reuerentia, & timore Dei. Participet autem & ipſe, quibus indiget, ſi tamen indiget, tam * ſuis, quàm Fratrum qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſarijs vſibus profuturus, ita vt in nullo qualibet occaſione fraudentur iuxta ſanctum Apoſtolum dicentem. *Habentes victum & tegumentum, his contenti ſimus.*]

*al.* * in Eccleſia.

*ad.* * in.

1. *Tim.* 6. 8.

*Item decretis Papæ Gelaſij, tit. xxvii.* Sicut Sacerdotis intererit, integram miniſtris Eccleſiæ memoratam dependere quantitatem, ſic Clerus vltra delegatam ſibi ſummam nihil inſolenter nouerit explendum. *Item in Can. Gangrenſi cap.* vii. *vel.* viii. Si quis oblationes Eccleſiæ baptiſmalis extra eam accipere vel dare voluerit, præter conſcientiam Epiſcopi, vel eius cui hæc officia commiſſa ſunt, nec cum eius hoc ſit conſilio, anathema ſit. *Item.* Si quis dederit oblata Eccleſiæ præter Epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandum, & qui dat, & qui accipit anathema ſit. *Item in Canone Calcedon. Cap.* xxvi. Quoniam quidam præter diſpenſatores Epiſcoporum facultates Eccleſiaſticas tractant, qui hoc fecerint canonicis correptionibus caſtigentur. *Item cap.* viii. *De Clericis qui ſunt in Ptochijs, Monaſterijs, atque Martyrijs, quæ ſub poteſtate Epiſcoporum vniuſcuiuſque Ciuitatis exiſtunt.* Clerici qui præficiuntur Ptochijs, vel qui ordinantur in Monaſterijs, & Baſilicis Martyrum ſub Epiſcoporum, qui in vnaquaque Ciuitate ſunt, ſecundùm ſanctorum Patrum traditiones, poteſtate permaneant, nec per contumaciam ab Epiſcopo ſuo diſſiliant. Qui verò audent euertere huiuſcemodi formam quocumque modo, nec proprio ſubijciuntur Epiſcopo; ſi quidem Clerici ſunt, Canonum correptionibus ſubiacebunt; ſi verò Laïci vel Monachi fuerint, communione priuentur. *Item ex epiſtola Papæ Vrbani cap.* ii. Res Eccleſię Collatę * in ditione erant antiquitus Epiſcoporum, qui locum tenent in Eccleſia Apoſtolorum, & ſunt vſque adhuc, & futuris de-

In edit cap. 29.

Variat lectio in editis.

*al* * inditione ſingularum parrochiarum, Epiſcoporum erant &c.

bent eſſe temporibus. *Item.* De Xenodochijs & Monaſte-rijs tam Monachorum, quàm Sanctimonialium *ex Decretis Concilij Eugenij Papæ cap.* XXIIII. Itemque ijſdem verbis quarti Leonis Papæ Cap. ſimiliter XXIII. Per ſollicitudinem Epiſcoporum hæc quorum Diœceſeos exiſtunt, ad eaſdem vtilitates quibus conſtituta ſunt, ordinentur; vt debiti panes, atque cætera petentibus reuertantur, qualiter Deo vacantes inopiâ vel neceſſitatibus nullatenus occupentur, ſed omni expulſa cura, puris in Dei ſeruitio valeant mentibus permanere.

Hæc dum inconſultiùs, vt pote inutiliter garriens delatrarem, mecum ita cœpi rurſus rixari. Sed quid ritu ſtultiſſimorum quorundam mille hoc aſtruere teſtimoniis, cùm ſufficiat vnum, laboro. Interroga enim quemlibet vnde mos inoleuerit ille, vt Paſtores vocentur Eccleſiæ Præſules? Nonne poſt typicam illam Patriarcharum paſcendi greges conſuetudinem, & Prophetarum ad noſtrum id ſæculum ſpiritaliter retorquentium vocem, ſummus ille Paſtorum Princeps occurrit, & ait: *Ego ſum Paſtor bonus.* Et vt qui Paſtor
*Ioan.* 10. 11. eſt gregis dominici, conſequenter eundem Epiſcopum noueris eſſe, audi ex voce dicentis: *Eratis ſicut oues errantes,*
1. *Pet.* 2. 25. *ſed conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Eum quem in ordine ſequitur idem quem Epiſcopum inſtituere dicam, vt ita geſtiens an ſe plus cæteris diligat, ſollerter interrogat. Nimirum vt aſtruat, quia præcipua poſcendi rationabilem gregem norma, vis eſt caritatis, dilectio videlicet Dei, & eiuſdem ſibi à Deo commiſſi dilectio proximi. Qui cùm ter interroganti ter ſe illum diligere ipſo profiteretur ſciente, ait ter illi Dominus quoque: *Paſce oues meas.* Quod fuit vtique dicere: Eſto Paſtor ouium intellectualium, id eſt, Epiſcopus credentium populorum. Paſtio ſanè illa vtrum vniformis an ſit multiformis, corporalis an animalis, ſiue vtrumque, non à me quilibet præſtoletur audire; interroget Doctores illos præcipuos qui ſuper Euangelia ſanctos ediderunt ſine mendacio libros. Si verò corporum aliquam ad eos curam, qui illius, cui primùm hoc dictum eſt, tenent in Eccleſijs vicem, conſentiunt pertinere, monſtrent qualiter corpora-

liter ſibi commiſſos quis valeat paſcere, ſi vnde eos debeat paſcere, non permittitur ſaltem cognoſcere. Et cùm de oblationibus & decimis fidelium viuere tabernaculi custodes debeant Domini, hoc eſt Eccleſiæ Clerici, ſi neſcit Epiſcopus quot decimani, quot manſi, quot modia tritici, quot congia vini, tantis, vel tantis ſufficiant Clericis ad victum vtique & tegumentum, nonne conuincitur aut non eſſe Paſtor, aut certè inſipiens exiſtere Paſtor, qui neſcit & vtique vbi illa ſint paſcua, vbi pecora conducere debeat ſuæ præuiſioni commiſſa, & vt ad noſtra, id eſt, prô nefas! ſecularia redeam, cùm rariſſimè videas gratis aliquos aut timore, aut confœderari amore, vnde te verebitur, cui nihil vales auferre? Vnde amabit, cui nihil potes conferre? Si ergo ad Epiſcopum nihil de rebus pertinet, quibus Clerici viuere debent, aut ipſe eis non debet, vt animalem ita & corporalem dare in tempore tritici menſuram, & ſicut Actus continent Apoſtolorum, non diuiduntur ſingulis ab Epiſcopo, vel quolibet alio ab eodem ad id officium inſtituto, prout cuique opus eſt, ſed ipſi Clerici diuidunt inter ſe provt quilibet eorum potentior eſt, & non iuxta conſuetudinem aliarum Eccleſiarum, omnibus Eccleſiæ Clericis, ſed iuxta propriam voluntatem ſolis Diaconibus & Preſbyteris debent, * qui Veronenſi Eccleſiæ collata ſunt, cedere, vt ditati videlicet habeant vnde contra Epiſcopum ſuum valeant rebellare, & vt dominentur cæteris, & ad ſui auxilium per poteſtatem poſſint eos cùm volunt compellere, & iuramentum alteri, quem illi ſcilicet attraxerint Epiſcopo fidelitatis feciſſe iubere, & ſi non obedierint de Eccleſia eos eijcere poſſe, vt habeant quoque vnde filijs vxores, filiabus acquirant maritos, vineas & campos, poſtremò vnde mammonæ iniquitatis valeant deſeruire; Subdiaconi, Acolyti, & cæteri in ordine Clerici, quid debent agere vnde viuere, pro qua re militare Eccleſiæ, excubias cuſtodire, flagella pro diſcendis litteris ſaltem perferre, cùm interroganti Apoſtolo atque dicenti: *Quis enim militauit ſuis ſtipendijs vnquam*? Adhuc nemo reſponderit ille, vel ille. Quamquam & illis, pro quibus litigo, non omninò iſta mea placeat contra contemptores in hoc Canonum rixa;

*ſ.* * quæ.

1 *Cor.* 9. 7.

quid duabus agunt tamen pro cauſis? Vnâ ſcilicet, vt hac occaſione ſe poſſint à ſeruitio Dei retrahere: alterâ, quâ ſe quilibet illorum ſperat tantùm victurum, vt quod modò patitur ab iſtis, hoc ipſe inferat aliis: qua vtique ſpe mille illorum decepti, & in hoc ſeculo maximam pertulêre indigentiam, & in alio verendum ne fortè gehennam: Nam cùm totius fraudis & perfidiæ illorum hinc ſumat ſcaturiginem inſania, quid non diſſimiles videlicet illis, de quibus dictum eſt; *Qui relinquentes mandata Dei tenerent traditiones hominum.* Lege penitus canonica floccipenſa, conſuetudines teneant anteceſſorum ſuorum, Reges vtique aut interficientium, aut excæcantium. Epiſcopos aut ignominioſè viuere compellentium; aut ſi hoc perpeti vt noſter iſte quiuis illorum patienter nequiuit, * ſcariotico iure vt ab aliis pateretur, quid ipſi intulerant, fraudulentiſſimè facientium. Quis eorum conſuetudines ſacris præferat legibus, niſi quem Ioſaphat Regi non terret illata huiuſmodi ſententia, dicentis: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia coniungeris*, &c. Illud quoque Apoſtoli: *Non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt.*

* ex lege qua è numero militum quis expungitur, ſiue exautoratur.

2. *Par.* 19. 2.
*Rom.* 1. 32.

HIERONYMI quoque: Defendens iniquum deſtruatur; & pœna ſimili damnetur, conuenit defenſus & defenſor. Item. Ne defendas iniuſtè vt fias alligatus iuſtè, & ſubiectus pœnæ alienæ; qui enim percutit malos in eo quod mali ſunt, miniſter Domini eſt. *Item*: Homicidas & ſacrilegos punire non eſt effuſio ſanguinis, ſed miniſterium legum.] Nota verò quòd non dixerit interficere, ſed punire, vigilanti vtique vſus ſermone; ſic enim alter. *Tunde*, ait, *latera filij tui dum infans eſt: ad interfectionem autem illius ne ponas animam tuam. Dimitte*, ait cuidam Dominus, *mortuos ſepelire mortuos ſuos*: Quod enucleare geſtiens ait veriloquus expoſitor: Mortuus mortuum ſepelit cùm peccator peccatorem defendit, & ne ad emendationem reuiuiſcat, falſitatis congerie obruit. *Væ*, ait per Prophetam his etiam Dominus, *qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus.* Qui ſunt verò illi niſi de quibus alibi dicitur: *Væ qui dicitis bonum malum; & malum bonum.* Cauillator è contra. *Quamdiu Apoſtolus gentium ſum*, ait Doctor

*Eccli.* 30. 12.
*Matt.* 8. 22.
*Ezec.* 13. 18.
*Iſay.* 5. 20.

egregius, *miniſterium meum honorificabo.* Tu è diuerſo quàm egregiè miniſterium tui iſtius honorifices conſidera Prçſulis, qui eum menſurare triticum & vinum, nummos Clericis diuidere, & reliqua ritu Sardanapali illius debere contendis, qui cùm Rex maximi ac famoſiſſimi illius imperij foret, immò eſſe deberet, penſa inuentus eſt ancillis diuidere. Cui è contra ipſe reſpondeo: Quia ſi interiori percepiſſes quæ aſtruendi ſunt, causâ iſthîc prçmiſsâ, intuitu, perpendere vtique valuiſſes integro ſtatu Pontificalis honoris paſcendi gregem Dominicum depictum hîc decentiſſimè modum. Per Preſbyteros enim & Diaconos, ſi tamen fideles inueniri poterunt, hçc ab Epiſcopo fieri oportere, non per ipſum Epiſcopum, monſtrata ſunt: quamquam & ſi neceſſitas hçc eum exequi per ſeipſum compelleret, ſuperbia non perhiberet; nequaquam huiuſmodi in facto illum qui dixit, offenderet: *Qui voluerit inter vos maior fieri, ſit omnium ſeruus.* Sed non dedignetur talium quis actus Apoſtolorum, & Doctoris gentium Epiſtolas, relegere. Illic poſitum nempe inueniet apertiſsimè qui hoc præcipere, qui debeant facere. Paſsionem quoque Beatorum Sixti atque Laurentij reuiſere Martyrum. In qua vtique vnus eorum introducitur alteri dixiſſe: [ Accipe & diſtribue facultates Eccleſiæ. ] Alter diſtributis fideliter eiſdem cantatur donaſſe. [ Noli me derelinquere Pater Sancte, quia theſauros tuos iam expendi. ] Nota igitur & cape ſi vales, quòd vnus eorum dixerit facultates Eccleſiæ, alter theſauros tuos. Ille ſcilicet theſauros eoſdem aſſeuerans Eccleſiæ fuiſſe Pontificis, iſte, vt verbi gratia quod vxoris mariti, quod mariti vxoris. Quòd ſi te huiuſmodi vocabulorum ſcandalizat prælatio, audi exempla Euariſti Papæ aliquid ſimile. [ Eccleſiæ, inquit, non licet dimittere Epiſcopum ſuum, vt alterum, viuente eo, accipiat, ne fornicationis vel adulterij crimen incurrat. Nam ſi adulterata fuerit, id eſt, ſi ſe alteri Epiſcopo iunxerit, aut ſuper ſe alterum Epiſcopum adduxerit, aut eſſe fecerit, vel deſiderauerit, aut per acerrimam pœnitentiam ſuo reconcilietur Epiſcopo, aut innupta permaneat. ] Nupta verò quid eſt, niſi maritata? Innupta quid, niſi marito non data? Ex his ergo

Epiſt. 1. ſub init.

in hoc veraciſsimi Papæ verbo virum & vxorem , ſpiritalis tamen non carnalis connubij lege, Epiſcopum fore , & ſibi delegatam Eccleſiam, ſi cætera non attendiſti, vales agnoſcere , & quæ ſunt iſtius , illius & eſſe , ſi tibi non deſunt illæ quas Dominus requirebat aures ſpiritalitatis, eiuſdem iure perpenſo, notare. Quod & ſeculi promulgatæ antiquitus leges , niſi fallor , videntur aſtruere. Quid enim ad Epiſcopum immunitatum compoſitio pertineret , niſi ſuum illud contra quod iniuſtè quid actum eſt , ſiue, vt illic legitur, aliquid mali factum eſt , foret. Reſipiſce ergo , ceſſa tandem aliquando contra ius fáſque nitens veſana loquacitas, & quod iuſtè reſpondeas minimè inuento, digitum ori appone ſacrilego.

Iſta dum alter vt Chremes tumido iratiſſimus ore delitigo, cœpi intra ſecreta cordis conari, ſi fortè inuenire valerem, generalis vnde contigerit canonum iſte diuinitus promulgatorum adeò ſolibus iſtis contemptus , vt neminem inuenire eorum valeam curatorem. A viliſſimo vtique Eccleſiæ vſque ad præſtantiſſimum, à ſtultiſſimo vſque ad illum qui ſapientiſſimus affectat vocari , à Laïco vſque ad Pontificem, prô nefas! Summum. Quæ dum gemebundus deplango, neque cauſam aliam prorſus inuenio, conſideratis vſque ad defectum animi omnibus, illa occurrunt , quæ poſt Euangelica, in quibus ſpecialiter ipſe contemnitur Chriſtus , præcepta , interminationes , & opera. Vt videlicet illud eſt, quod ſupra intuli conquerens , mihi à Clericis præcipuè

*Ioan.* 21. 17. contradici: Id eſt, *ſi diligis me paſce oues meas*. Cùm vtique non probatur Paſtor animarum exiſtere, qui Chriſtum conuincitur non amare. Amare verò cum negatur, qui præcepta illius non ſequitur, cùm in Euangelio dixiſſe idem legá-

*Ioan.* 14. 21. tur: *Qui audit verba mea , & facit ea , ille eſt qui diligit me.* Interminationes verò malorum ſi referre vniuerſas contendo, totum neceſſe eſt Euangeliorum volumen reuoluam, illum præcipuè locum, vbi in Scribas & Phariſæos, atque hypocritas inuehitur; quorumdum ſcelera carpit; omnibus Pſeudopræſulibus ( iſtius quoque temporis , miniſterium fateor imitari eos niſi deſinant ) contradicit. Opera verò illa ſunt,

*Ioan.* 2. 15. quæ & præſens facto de reſticulis monſtrauit flagello: &

cùm nuptias filij intrat irus Rex per ſignificationem aſſeritur; & eum quem non indutum veſte nuptiali inuenerit, poſt redargutionem ligatis pedibus & manibus mittendum in tenebras exteriores, id eſt gehennam, teſtatur. Omnem catalogum falſorum Pontificum maximè damnaturus probatur, qui ſcilicet ſine caritate, id eſt dilectione Dei, & amore ſibi ad regendum commiſſi populi putauerunt ad ſe pertinere: quod illi primò propter eandem caritatem fuit conceſſum hoc: *Paſce oues meas*: cùm illic præmiſſum fuerit; *Si diligis me*, quod vtique conuincuntur iſti non feciſſe: Ac per hoc non Paſtores, ſed lupi & hypocritæ potius extitiſſe. *Matt.* 22. *Ibid.*

Poſt iſta igitur tam ardua, tam facere nolenti contraria & impoſſibilia, prætermiſſis quæ in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis habentur, & perinutiliter ab eiſdem leguntur; quale eſt vtique illud *Væ? Quid cogitatis inutile?* & Væ & Væ multotiens Paſtoribus Iſraël; & illis atque illis. Et, *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*. Et, *Maledictus qui opus Domini fecerit negligenter*. Et illis atque illis, quæ omnia ſui offerent, ſed nolentibus impoſſibilitatem adeſt Apoſtolus, Cato veluti rigidus alter, & quaſi omnigenam adimere geſtiat affectandi Epiſcopatum audaciam, proclamat: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*. Et quod amplius impoſſibile: *Inreprehenſibilem eſſe vnius vxoris virum &c.* Quæ hodie aure leguntur ab eiſdem ſurdiſſima & obduratiſſima. Quàm auſteram indicibiliter eligendi Epiſcopum regulam illi nullo modo leuigare curarunt, qui non ſemel ſanxerunt: *Ne bigami eligantur vel recipiantur ad Clerum*. Si non verò ad Clerum, quomodò ad Sacerdotium? O verò vtinam nec natus, nec viſus, nec auditus, nec dictus, ex iiſdem fuiſſet Centigamus, proh pudor! immò in finitimo* & hoc vllus. Quorum multitudo, id eſt, trecentorum decem & octo in ea Congregatorum caterua, ipſo quaſi ſtatu loquendi perterrefacere videatur vti audientium vniuerſitatem; ipſo Deo decreuit, vt Hiſtoria prodit, præſente: [ Interdicit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Preſbytero, non Decano, non alicui omninò, qui in Clero eſt, licere, ſubintroductam habere mulierem, niſi fortè matrem aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas quæ ſuſpiciones effugiunt. ] Rigidus

*Mic.* 2. 1. *Matt.* 23. 13. *& ſeq.* *Pſal.* 118. 21. *Ierem.* 48. 10. *Tit.* 1. 7. 1. *Tim.* 3. 2.

* Nonnihil hic deeſſe videtur.

Nicæn. cap. 3.

In vita c. 26. verò Auguſtinus: [ Nolo, ait, ſoror mea mecum ſit; quoniam illa quæ cum ſorôre mea eſt, ſoror mea non eſt. ] Dicente igitur ſcriptura; *Quia impius cùm venerit in profundum malorum, contemnit.* In profundo transgreſſionis tantorum iacens. Et Pſalmiſtam audiens clamantem: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*; ſe autem ſentiens cuſtodire nec parum, ſi deſperatione obduratur, mirúmne tibi videtur, præſertim ſi Iacobi moderari neſciat ſententiam dicentis: *Qui in vno offenderit, erit omnium reus.*

*Prouerb.* 18. 3. *Pſal.* 118. 4. *Iacob.* 2. 10.

Ecce cauſa, ecce occaſio, quam ſæculi prætendunt amatores, Canonum transgreſſores, impoſſibile fore dicentes, vt omnia quæ in Canonibus leguntur, obſeruentur, atque adeò plerique deſperationis Dæmone acti inſanientes (vt nuperrimè hiſce auribus hauſerim quemdam Epiſcopalis ordinis) refellendi omnes ſcripturas gehennam promittentes intuitu, de ipſo Euangelio dixiſſe quod in pelle ouina ſcribitur, idem & legitur; quaſi vt veritas ita poſſit in Euangelio & mendacium contineri. Nam & ego ipſe quondam cùm Imperiali præcepto vrgeremur Gardam obſidere Caſtrum, & Epiſcopi, & Clerici iſtius Prouinciæ, non quidem religionis amore, ſed laboris, obtenderent odio ſui, hoc ordinis minimè fore, petulanti, vt ſæpe reſpondi, ſermone: Vt non permittunt Canones Clerico pugnare, ita nec ſtuprare. *Væ* enim, ait quidam mentiri neſcius, *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia decimatis mentham, & anetum, & cyminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt Legis, iudicium, & miſericordiam & fidem.*

*Matt.* 23. 23.

Cùm quodam etiam de intronizatione Leodici dum contenderem mea, conanti mihi auctoritate illam tueri ANTHERI Papæ. * Ille inſtabat, Capitula iſta duo Sardicenſis Concilij opponendo 1. [ OSIVS Epiſcopus dixit: Non minùs mala conſuetudo, quàm pernicioſa corruptela, funditus eradicanda eſt: Ne cui itaque liceat Epiſcopo de ciuitate ſua ad aliam tranſire ciuitatem. Manifeſta eſt enim cauſa qua hoc facere tentant, cùm nullus in hac re inuentus ſit Epiſcopus qui de maiore ciuitate ad minorem tranſiret. Vnde apparet auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſeruire, & vt dominationem agant, ambire. Si omnibus placet huiuſmodi pernicies ſeueriùs & auſteriùs vindicetur, vt

* Epiſt. ſub init.

nec laïcam communionem habeat qui talis eſt. Reſponderunt vniuerſi, Placet. ] II. Item de hiſdem Epiſcopis, vt ſi per ambitionem ſedem mutauerint, nec in exitu communionem laïcam conſequantur. [ OSIVS Epiſcopus dixit: Etiamſi talis aliquis extiterit temerarius, vt fortaſſis excuſationem afferens, aſſeueret, quòd populi litteras acceperit; cùm manifeſtum ſit potuiſſe paucos præmio & mercede corrumpi eos, qui ſinceram fidem non habent, vt clamarent in Eccleſia & ipſum petere viderentur Epiſcopum. Omnimò has fraudes damnandas eſſe arbitror, ita vt nec laïcam in fine communionem talis accipiat. Etſi vobis omnibus placet, ſtatuite. Synodus reſpondit: Placet. ] Anxiari ego, nec auaritiæ cauſa vel ſuperbiæ me intronizatum fateri, ſed pulſum à propria ſede, neceſſitate coactum adijſſe tunc temporis pijſſimum nunc Cęſarem, glorioſiſſimum illum ſuper hoc conſuluiſſe Præſulum Concilium. Illos verò miſericorditer me elegiſſe, & populi aſſenſu coniuncto fraternaliter inthronizaſſe; vtilitatis etiam occaſione quod illorum ſit prætenderam. Cumque nec talibus illi ſimilitudinem imponere valuiſſem auditu * quondam comperiens ignarus vtrum veraciter, licet eum fore vxorium, ampullatus poteſtate, licet non actu, hunc ei reddidi anapeſtum. In Canonibus Apoſtolorum ( ſi tamen eos vt apocriphos non reſpuis. ) Tit. Legitur XVII. & Concil. Laodicenſi. Tit. I. In Decretis Papæ Syricij, Tit. XI. In Decretis Innocentij Papæ, Tit. XI. & XII. & XIII. necnon & XXXVIII. in Decretis quoque Papæ Leonis Tit. II. Præcipitur vt bigami non admittantur ad Clerum: & miſerum me, ſi non ad Clerum, quomodò ad Sacerdotium? cùm non oporteat in nuptiis bigami ſaltem prandere Preſbyteros, Concilio ſic Neocæſarienſi dicente. Cap. VII. [ * Preſbyterum in nuptiis bigami prandere non conuenit; quia cùm pœnitentia bigamus egeat, quis erit Preſbyter, qui propter conuiuium talibus nuptiis poſſit præbere conſenſum? ] De multinubis verò quid in Canone eodem legatur, inquire Tit. III.

*f.* * quodam.

Ex interpret. Dionyſij Exigui.

*al.* * Preſbyteris.

Cùm alia atque alia reſpondere geſtiens ritu garriret lymphatico & inflatus heſterno venas, vt ſemper ioco ad tabulas inſuper luderet alearias; ſtomachatus iterum ego; Ni

Canones Apoſtolorum cum ipſis reſpueres Apoſtolis, dicerem tibi in Canonibus contineri eiſdem Tit. XLII. & XLIV. Quòd Epiſcopus, Preſbyter, & Diaconus, aleator & ebrioſus, vt tu, eſſe non debeat; & ſi fuerit, aut deſinat, aut deponatur. Quòd non licuerit quoque tibi à tua Eccleſia plus tribus hebdomadibus deeſſe, Conc. Sardicenſi Tit. XV. qq. Vtrum liceat etiam tibi, vt à maioribus ad minora veniam, Canes ad venandum, vel accipitres ad aucupium, quibus vtique abundas, habere, pariter vide. Et ſi liceat tibi ſæcularia negotia, id eſt cauſas aliquas ſæcularibus ſolummodò exercendas, conſidera, tam in Apoſtolo, quàm in Canonibus, exercere: & ſapientiorum te fraternalem clementiam reprehendere deſine. Et iſta quidem à me dicta, ſeu potiùs cogitata ſufficiant.

Audita verò vt referam, comperi ipſe eiuſdem Ordinis duos, vnum lorica, alterum amica pro tempore vtentem, alterutrum verò ſe reprehendentem. Sed vni Canon reſpondebat Apoſtolus: [ Epiſcopus, Preſbyter, & Diaconus, qui in quacunque ſeditione arma tulerit, ab omni cætu Chriſtianorum deponatur. ] Alteri verò Canon: [ Epiſcopus, Preſbyter & Diaconus ſi vxorem duxerit, pellatur: ] Expertus ſum talem qui ante ordinationem adulterium perpetrauit, poſteà quaſi continenter vixit; Alterum qui poſt ordinationem vxorem duxit: & iſte illum, ille iſtum carpebat. Quibus tamen ambobus Doctor Gentium, quaſi vni licet, clamabat: ( iſti vtique propter inanem continentiæ ſuæ iactantiam; alteri propter ductum vxoris illicitum ) *Ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te expectat.* Tu verò *thezauriſas tibi iram in die iræ & retributionis iuſti iudicij Dei.* Iſti: *Noli altum ſapere.* Propter præſentem vtique continentiam, nec aliqua ſatisfactione probabiliter deletam, quamuis omiſſam. Alteri vero: *Neque adulteri Regnum Dei poſſidebunt.* Et potuit fieri, vt iſtiuſmodi ambo ſimul educati, pariter edocti, in pubertate extiterint alterutra cognitione laſciui, ac ſine examinatione ad Præſulatum cùm fuiſſent prouecti, vnus eorum affectauerit mulieroſitatem: alter belligerationem. Nemo illorum nec nominandi. Forſitan vſus abdicauerit turpiſſimam fœditatem. Quibus Canon vno Capitulo diſtinctim

Conc. Tolet 4. c. 44
Cóc. Neocæl. c. 1.
*Rom. 2. 4.*
*Ibid. v. 5.*
*Rom. 11. 10.*
*1. Cor. 6. 9.*

propria tribuit, cùm iſti dicit: [ Preſbyter qui poſt ordinationem vxorem duxerit, deponatur. ] Alteri verò: [ Ampliùs autem pelli debet, ſi adulterium perpetrauerit. ] Ambos verò condemnat vno capite, id eſt, IX. *Ex Niceno Concil.* ita: [ Si quis ſine examine ſunt prouecti, vel cùm diſcuterentur, peccata ſua confeſſi ſunt, & homines contra Canones commoti manus confeſſis imponere tentauerunt, tales Regula non admittit: quia quod irreprehenſibile eſt, Catholica defendit Eccleſia. ] Item *Concil. Neocæſarienſi*, Cap. IX. [ Preſbyter ſi confeſſus fuerit quòd ante ordinationem corporali peccato deliquerit, oblata non conſecret, manens in reliquis officiis propter ſtudium bonum. ] Maxima, fateor, legis auſteritas. Miſerum enim me. Quid, ſi poſt ordinationem continenter vixerit, non poterit ſaltem propter ſtudium bonum placendi, vtique Deo, oblata ſacrare?

Concil. Neocæſ. c. I.
Ibid.

Secundus tamen dupliciter conuenitur, cùm præter ſuperius hoc ſe ſentit condemnari capite: [ Epiſcopus, Preſbyter, & Diaconus, qui in quacumque ſeditione arma ſumpſerit, ab omni cœtu Chriſtianorum deponatur. ] Iſtud autem quod ex omnibus leuioribus, vt videlicet illud eſt, de alea, ebrioſitate, aucupio, atque venatu, ducitur hodie leuiſſimum, vt quaſi propter fidelitatem ſui Senioris malit Preſbyter loricatus præliari, quàm periurus vocari; cùm tamen periurium grauiſſimâ pœnitentiâ, iſtud verò nullâ expiari dicatur. Fortè verò ex iſto hîc prælibatorum numero, id eſt, quorum alicui ſcilicet dixiſſe, cùm non dixerit, viſus eſt Dominus: *Si diligis me paſce oues meas*. Cùm vtique illum minimè probentur diligere, quos repellere potiùs, quàm eligere videtur Apoſtolus à Sacerdotio, cùm dicit: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*. Vel expreſſiùs: *Inreprehenſibilem, vnius vxoris virum*. Quem cohors illa Chriſti militum veluti quemdam ſequens ſigniferum, præcipit, vt non bigami admittantur ad Clerum. Si non bigami verò, qualiter multigami? Si non ad Clerum, quomodò ad Sacerdotium? Pone tamen quemlibet eorum fortè bigamum ante Clericatum, fortè in Clericatu extitiſſe laſciuum; Inde poſt Sacerdotium multinubum, bellicoſum, periurum, venatibus, aucupiis, aleæ, vel ebrioſitati obnoxium, expeti qualibet occaſione

Conc. Tolet 4 c. 44.
*Ioan*, 21. 17.
*Tit*. 1. 7.
1. *Tim*. 3. 2.
Can. Apoſt. 16 ſeu 17 Innocent 1. ep. 2. ad Victricium c. 6. & epiſt. 3. ad Feliicem c. 2.
Concil. Gerund. c. 8.

ad Apoſtolicatum Romanæ illius Sedis, vbi ſcilicet ſolet conſuetudinaliter ordinandus moneri: *Vide ne aliquam promiſſionem tui Electoribus feceris. Scito quia Simoniacum & contra Canones eſt.* Iſte igitur ſi in legalitate publica (Osio illo ſupra taxato, cum omnibus ſibi ex eodem Concil. *Placet, Placet*, condemnantibus viriliter reſiſtente) fortè fuerit in Apoſtolica ſede locatus, quod vtique patienter vt plurima permitteret, valet longanimis Deus. quem ſi ego adiero veluti iniuriatus ad iuris miniſtrum, & ille niſus iniurias vindicare meas, immò talia prohibentis Dei & ſanctorum Euangeliorum, Apoſtolorum, Apoſtolicorúmque Virorum, Canonum, & Decretorum, ei Apoſtolicæ auctoritatis miſerit litteras; nonne ille, qui me tam ſacrilegè iniuriauit, ſed non adeò vt iſte Deum, & omnia iura tam diuina quàm humana? Si quidem ille me homunculum vnum, iſte totum penitus mundum; ille vnam adulterauit Eccleſiam, iſte eamdem, & omnes per vniuerſum orbem diffuſas: Vt dixi verò, ſi mei cauſa aliquid ei durius ſaltem mandauerit, nonne illicò ille poterit ei reſcribere illud de Euangelio: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras.* Et quod pyrata quidam ſuper Gangem fluuium Alexandro Magno reſpondiſſe narratur; quem captum cum Rex toruo reſpiciens vultu ita fuiſſet alloquutus: Latro peſſime quid nos non ſinis quieſcere? Ille magnum cœpit cachinnum emittere. Miratus oppidò Rex cum ſibi aſtantibus: Rides, ait. Ille: Et equidem iuſtè. Rex item. Quare? Quia tu cum ſcis, ait, fur furum, prædo maximus, omnium latro atrociſſimus, ab ipſo oceano in fines Orientis qui omnia depopulaſti Regna latronum vniuerſorum conductor, me latronem appellas, qui cum vna monoxyllula dorſo meo aduectâ, & in flumine miſsâ, parum quid ab iſto littore rapio, id eſt, aut clamidem alicuius, aut tantummodò frenum. * Rixu Rex cum omnibus emoriri, & ſapientiſſimè locutum fateri. Sed non faciet, non mittet ei litteras, quidlibet durius continentes; non damnabit, non excommunicabit pro tali facto aliquem; pares enim animos diſparilitas non diuidit voluntatum, cùm ſimilitudo deſideriorum æqualitatem gignat ſemper effectuum, & humanæ

*Matt. 7. 3.*

f. * Riſu Rex cœpit cũ omnibus emolliri,

amicitiæ pares animos, & non diſſimiles expectant voluntates. Scriptum eſt enim de talibus in deſcriptione membrorum capitis Diaboli, vel vaſis illius Antichriſti: *Membra carnium eius adhærentia ſibi.* Sub ſquammarum quoque ſpecie de ſatellitibus eius vna vni coniungitur, * & ne ſpiraculum incedit per eas. Vniuerſorum quippe nequitia quò ſibi congruentiùs iungitur, eò contra Dei iuſtitiam fortiùs armatur: [ Nam ( vt Beatus ait Gregorius ) ſicut multùm nocet, ſi vnitas deſit bonis, ita valde eſt noxium ſi non deſit malis.] Quod probatum eſt in cauſa Pauli Apoſtoli; quem cùm vnanimiter tam Phariſæi quàm Saducæi fuiſſent aggreſſi; ille diuiſione in eis miſsâ, dicendo: *Viri fratres, ego Phariſæus ſum*: & à Phariſæis eſt adiutus, & à Saducæorum impugnatione defenſus: diuiſâ vtique turbâ, quæ eum præmebat vnita, illæſa Pauli exiit innocentia.

*Iob.*41.14 *f.* * Æmæ

Moral. in Iob. lib. 34. c. 4.

*Act.*23.6.

Eſt & alia in hac re auxilij mei diffidentia, Domini vtique vbi habetur ſententia: *Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat.* Quis verò ille eſt fur niſi ille, de quo idem ait: *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille eſt fur & latro?* Quod eſt verò oſtium, niſi de quo canit Pſalmiſta: *Etenim benedictionem dabit Legiſlator*: qui de ſe vtique profitetur: *Ego ſum Oſtium?* Qui tunc benedictionem ſolummodò Pontifici ordinando largitur, cùm per legem à ſe latam eligitur. Ouile verò ipſam Congregationem Fidelium eſſe; *Paſce oues meas*, Petro innuit dictum. Aliunde verò eſt aſcendere, non legaliter introire. Aſcendiſſe verò potiùs, quàm intraſſe conuincitur ille, de quo in Canonibus dicitur: Si quis Poteſtatibus ſæcularibus vſus per eas Eccleſiam obtinuerit, deponatur; & ſegregentur qui ei communicant.

*Ioan.*10.10. *Ibid.*1. *Pſ.*83.8. *Ioan.*10.9. *Ioan.*21.17.

Conſideret igitur prudentia illa veſtra, Domine, quæ, vt fertur, vniuerſali eſt digna præferri viſa Eccleſiæ. Conſideret, inquam, anne ſit iſte euidens aſcenſus, cùm dicitur talis ſæcularibus poteſtatibus vſus; ſed deponi illius iudicatur iudicio, qui ait in Euangelio: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* Nota verò quòd non dicitur, Omnis qui exaltatur, humiliandus, ſed is qui ſe ipſum exaltauerit, id eſt, extulerit, vel dignum æſtimauerit ipſe. Aliunde verò eſt aut ritu ſimo-

*Luc.*14.11.

niaco, aut quauis alia inlegalitate aſcendere. Fur verò vocatur ob ingenium; latro propter vim atque rapinam. Quid verò iure quilibet talium idem naturaliter debeat agere, promptum cuilibet eſt iterum eadem auctoritate dignoſce-
*Ioan.*10. 10. re. Ait enim: *Fur non venit, niſi vt furetur; & mactet, & perdat.* Quid verò furatur? Verba legis primitus Dei occultando vtique, nec decretaliter proferendo. Inde res Eccleſiæ alterius debitas iuri. Mactat verò animas, dia-
*Act.*10.13 bolico ventre condendas; vt è contrario alteri dicitur: *Surge Petre, macta, & manduca,* id eſt, à Paganitatis vita exime, & in Chriſtianitatis ventre reconde. Perdit verò, quem potiùs quàm ſeipſum primò, hinc demum ſequaces? Talem ergo, qui vt adiuuetur, adierit, ne ab ipſo ei potiùs noceretur ſuadeo, viderit. Manſuetioris enim huiuſmodi ſi fortè eſt animi, ſi apud illum Eccleſiæ eſt alicuius, aut vxoris accuſator, inuaſor; idem & ſe remi-
*Ioan.*8. 7. niſcens feciſſe, timet audire: *Qui ſine peccato eſt veſtrùm primus in illam lapidem mittat.* O quàm verò non eſt ſine peccato, qui Gieziaca eſt lepra percuſſus; qui cum Simone Mago damnatus; qui multigamus; qui cùm omnes mulieres Diœceſis ſuæ ipſius ſpiritales ſint filiæ, cuiuſlibet fortè earum corruptione pollutus; qui multimodè à ſanctis Canonibus redargutus, nec vllo modo correctus. Is verò ſi veretur corripere minuſculè aliquem criminoſum, cenſéſne eum reprehendendum? O maior tandem perlepidè Flaccus cantitat noſter:

*O maior tandem parcas inſane minori.*

Quale eſt autem illud, quòd talis nec Deum ipſum Dominum vocare ipſius aſtipulatione permittitur, ipſo dicente:
*Luc.*6.46 *Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ*
*Malac.* *dico.* Vel Deum eodem per Prophetam ita conquerente: *Si*
1.6. *Deus ego, vbi timor meus?* Neque patrem proſequente: *Si*
*Ibid.* *pater ego, vbi amor meus?* Eius præcepta vel annunciare cùm
*Pſal.* 49. Pſalmiſta compeſcatur monſtrante: *Quare tu enarras iuſti-*
16. *tias meas?* Nihil quoque ſanctificare valere ſcriptura ita te-
*Num.* 19. ſtante: *Quod tetigerit immundum, immundum erit.* Cùm verò
22. Sacerdos à ſacro & dato compoſitum geſtare videatur vocabulum, miſerum me! ſacrum quomodò fieri, vel ſaltem valet putari,

putari, quod eſt immundum, mundum verò quod tetigerit immundus, contra aſſertum illius qui eſt ſingulariter mundus, & ſine quo nemo eſt mundus, quomodò valet ſaltem putari? Hîc tamen ſuffragari videtur quod Baptiſta Domini ſibi teſtatur diuinitus intimatum, id eſt, ***Super quem videris*** *Ioan.1.33.*
***Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto***; id eſt, qui baptizatis tribuit Spiritum ſanctum. Quid tamen faciemus, ſi de illo ſingulariter hoc eſt dictum myſterio, fac tamen de omnibus hoc, & dicatur qualiter conceditur hoc cuilibet alteri miniſtrare, cui non ceditur inde guſtare. Habes enim Apoſtolum ita dicentem: ***Qui manducat & bibit corpus & ſanguinem Domini*** *1. Cor. 11.*
***indignè, iudicium ſibi manducat.*** Indignè verò illum ſancti *29.*
definiunt Doctores Euchariſtiam accipere; qui eo tempore præſumpſerit communicare, quo deberet pœnitentiam agere, quod ſcilicet conuincitur parui pendere, qui quod ſequitur ſurda percipit aure, id eſt, ***Si nosmetipſos iudicaremus,*** *Ibid. v. 31.*
***non vtique iudicaremur.*** Dum enim in præſenti nobis nimium parcimus, ne nobis in futuro vel parum parcatur efficimus.

Ecce vnde contemptus iſte generalis emerſerit hodierni ſæculi Canonum, immò Euangeliorum, & omnium Domini præceptorum, cùm videlicet quis autumat nil ſibi prodeſſe; ſi obſeruet minora, qui ſe nouit contempſiſſe maiora. Quid enim hac lege affert, ſi non habeat quis canes ad venandum, & abundet meretricibus ad ſtuprandum? Si ad ſui & aliorum defenſionem non capiat arma; & ad ſui multorúmque perditionem criminoſa committere non deſinat facta? Si non percutiat fideles delinquentes (quod & Canonibus interdicitur) pugno vel baculo, & adulterinæ abſolutionis, ligationis, vel certè benedictionis flagello, aut peſſimorum actuum interficiat illos exemplo? Cùm verò Scripturarum vbique taciturnitas vituperetur, * aſſerto ad id or- *f. * aſſertio*
dinatorum officij, prædicatio verò in tantum iubeatur & laudetur, vt etiam omnibus, id eſt, nec ſæcularibus exceptis, per Prophetam dicatur: ***Qui audit, dicat, veni.*** Et per *Apoc. 22.*
Iacobum Apoſtolum: ***Si quis errauerit à veritate, & conuer-*** *17.*
***terit, quis eum ſcire debet? quoniam qui conuerti fecerit pecca-*** *Iacob. 5.*
***torem ab errore viæ ſuæ, ſaluat animam eius à morte, & operit*** *19.*

*multitudinem peccatorum ſuorum.* Vbi ſcilicet nullus excipitur, ſed qui hoc fecerit, tali remuneratione ditandus, aſſerit, vt & animæ fratris ſalutem operatus, & ſuæ conſecutus; dicatur. Et alia atque alia probent exempla, Dominum non modò iubere verba & iuſtitias ſuas enunciari, ſed & facientibus præmia polliceri: non facientes verò vehementer redarguere, & ab eis illorum ſanguinem, id eſt, peccata, vel animas requirendas, quos non monendo correxerunt, minari. Quale illius exiſtere, vel quantum poſſit penſemus delictum, quem ad enunciandas iuſtitias ſuas computat tam eſſe, vt increpatione compeſcatur, indignum. Ne igitur ſuſpenſi erremus, quæ ſequuntur cernamus, & cauſam illicò

*Pſal.* 49. 17. inuenimus: *Tu vero*, ait, *odiſti diſciplinam*, quam non obſtat legem intellexiſſe canonicam, *& proiecisti ſermones meos poſt te*, id eſt, tuum iudicium, conſuetudinem, vel arbitrium

*Ib.* v. 18. præpoſuiſti legi meæ, & quomodo? *Si videbas*, inquit, *furem*, *currebas cum eo*, id eſt, non obſeruabas quod per Apoſtolum mandaueram, id eſt, manus nemini citò impoſueris,

*Ibid.* neque communices peccatis alienis. *Et cum adulteris portionem tuam ponebas.* Eos videlicet defendendo, & priuilegium eis, quod vtique nunquam expertus fuiſſem, vt in adulterio

*Ib.* v. 19. eodem firmiter valerent durare, præbendo. *Os tuum abundauit malitia*: auctoritates ad hoc falſiſſimas, quod vtique

*Ibid.* tibi liceret, quod nunquam alicui licuit, congerendo. *Et lingua tua*, hoc aſtruendo, *commiſcuit dolos Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris*, vtique Coëpiſcopum legaliter inſtitutum; aut quemlibet Chriſtianum; *filium* ſcilicet *matris tuæ*, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ, cui vtique nullum maius poni valet ſcandalum; quàm vt adulterum ſortiatur Epiſcopum, & loco Paſtoris accipiat lupum.

Hæc cùm faciunt homines, non ad vtilitatem audientium annunciant Iuſtitias Dei, ſed ad perditionem verba Domini, ſiniſtrâ ſcilicet interpretatione corrumpentes, & renitentem ad ſe ſcripturam trahentes; faciunt illi, & tacet Deus, id eſt, nullum eis contradictorem aduerſari permittit. Sed audiant quod ſequitur, & poſteà talibus relictis ſacrificio laudis honorificent Deum: Verba ſcilicet legis Dei amplectenda, tremenda, atque ſequenda, primùm exemplis,

deinde verbis, annunciantes. *Illic* enim, id eſt, in ſacrificio laudis Dei *iter eſt ad ſalutare Dei*, id eſt IESVM Chriſtum Dominum noſtrum perueniendi, ac nimirum in laudibus Dei, quas paginæ continent Scripturarum, inuenimus quid ſequi, quid agere, quid debeamus cauere ac ſperare. Securus ergo quilibet, quamuis peccator, Dei iuſtitias enarret, ſi non diſciplinam Dei, quæ eſt vtique promulgatio Canonum, odit, ſi ſuam conſtitutionem præceptis non antepoint illius; ſi furem ipſo intuens demonſtrante, non currit cum eo, id eſt non conſentit ei, vel defendit eum: Si cum adulterantibus Verbum Dei, & Canonum ſcita contemnentibus, partem ſuam non ponit; ſi os eius non abundat malitiâ contra rectitudinem legis loquendi, & lingua ipſius non miſcet dolos quemlibet decipiendi; ſi ſedens in Cathedra iudicandi aduerſus fratrem non loquitur ſuum, nec aliquod ei apponit in via Domini offendiculum. Nam ſi fecerit talia quiuis, taceat, illi quanquam Dominus, id eſt, tacere, contradicere, aut neſcientes, aut non valentes, aut non oſos, permittat. Ne æſtimet propterea quòd ei ſit ſimilis in voluntate, id eſt, ipſius facta approbet Dominus. Arguetur enim quandoque, & ſtatuentur opera & intentiones illius contra faciem eius. His tamen, tam in nutantem, præter alia & alia quæ hinc dici poſſunt, conſtantibus, ſciendum neminem, ideò ab enarrandis iuſtitiis Dei compeſci, vt ſileantur; ſed vt & ſincerè dicantur, & ab eo narrentur, qui eas diligit, & cuſtodire pro poſſe contendit. Cùm enim quotidie audiamus: *Dixit* IESVS *diſcipulis ſuis*. Ille veraciter eſt diſcipulus IESV, & illi loquitur IESVS, qui diligit diſciplinam IESV. Nam cùm de talibus ipſe dicat. *Qui eſt ex Deo, verba Dei audit*. De cæteris quid ſentiat, ſubdit: *Propterea* *Ioan.* 8.
*vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* 47.

Quàm verò iſta de Pſalmo hîc prælibato, longè ſint ab eo qui nulla ſuffultus eſt poteſtate; vel quàm propria illi qui plurima præeminet auctoritate, Lector prudens valet aduerre; qualis eſt vtique ille, qui reus forſitan talium, Apoſtolicæ dignitatis occupare non formidat, vt iam contigit, pro nefas! editum. Cui enim nec ordinationis legalitas, nec conuerſationis ſuffragatur honeſtas, & illi magis congruens

mentis & corporis deeſt integritas, ſi prædicationis illi interdicitur, non mireris, auctoritas, cùm & miniſtrandi Domino interdicatur illi poteſtas. *Loquere enim* (ait Dominus Moyſi) *ad Aaron fratrem tuum; & dices ei: Homo Sacerdos de ſemine Aaron qui habuerit maculam, non offeret panes Domino Deo ſuo; nec accedet ad miniſterium eius.* Subiungénſque: *Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi paruo vel grandi aut torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, ſi * ponderoſus.* Cuiuſmodi igitur ſtuporis inſenſibilitate, vel amentiâ, illius obdurentur præcordia, conſideret prudentiſſima Vrbanitas veſtra, qui intelligens, iſta omnia moraliter Gregorio ac ſpiritualiter exponente, non viſceratim compungitur ſibi præcipuè ſi aliquid horum in anima cernit ineſſe. Cui verò omnes hæ peſtes dominantur, à Sacerdotio, aut affectando aut retinendo, ſi non compeſcitur, quid de eo veſtræ Dominationi videtur? Si enim cæcus mente quilibet eſt, ſi per imbecillitatem animi claudicat, & viam vitæ ambulare greſſu non valet æquali, quamuis videat illam: ſi paruo naſo, id eſt, diſcretione modica, bona malis coæquat, aut forſitan præfert: Si grandi quidem, ſed torto eſt naſo, id eſt, ſi diſcernendi ſubtilitate nullatenus pollet, vt fraudulentus adeò ſit, vt * bauſiator vulgo dicatur. Si fracto pede vel manu de virtute in virtutem, vt illi qui viſuri ſunt Deum Deorum in Sion, ambulare, vel bonæ operationis nil efficere valet. Si gibbo terrenæ ſollicitudinis nimiùm preſſus, his ſolummodò quæ calcantur, intendit incuruare, vt tranſeamus Dæmones, cuius animæ dicere non deſiſtant miſerrimè, ab his vtique, quæ agenda fuerant, mente cernendis. Si albugine obcæcatur ſuperbiæ, ſapientem ſe vtique aut iuſtum æſtimans fore. Si carnalis petulantiæ ſcabies illi iugiter dominatur. Si impetigini auaritia eum poſſidet ſimilis, quia cùm animam immaniter dehoneſtet, ſi adipiſcitur in terra quod cupit, nullum de eo ſentit, quod in cœlo perdit, dolorem. Si genitalium adeò deuaſtetur laſciuia, vt etiam cùm non exercet illam opere, ab hac non recedens cogitatione ponderoſi nunquam ritu quieſcat offerre panes Domino, qualiter præſumit, qui prohiberi ſe ab eo, cui debent offerri, quotidie audit.

*Leuit. 21. 17.*

*Ibi. v. 18.*

al. * hernioſus

Paſtoral. curæ part. 1. cap. vlt. ſub init.

* *Hac voce intelligi puto virū duplici animo.*

Omiſſis enim cæteris, tres tantùm de iſtis reprobationum cauſis, hîc vti ponere non ſit onerosum. Si albuginem ſaltem habet in oculo, ſi iugem in corpore ſcabiem, vel ſi eſt ponderoſus, nonne ſatis eſt reprobatus? Iſta enim tria cùm vtrumque, id eſt, & ſpiritalem cui reſiſtit Deus ſuperbiam, & corporalem, cuius ignis ſuccenſus eſſe in furore Domini dicitur, ſignificent corruptelam, quem non conturbent in ſeſe recognita quem non perterrefaciant audita. De his enim duobus Beato Iob de Diabolo dicitur: *Sub vmbra dormit in ſecreto calami, & locis humentibus.* Vni eorum reſiſtere, vt diximus, dicitur Deus, alterius ignis in ipſius aſſeritur furore ſuccenſus. Vnum illorum ex Archangelo fecit diabolum, alterum ex eo, qui filius per gratiam exiſtendo patrem ipſius præcepto appellare promptiſſimè debuerat Deum, ob vitæ immunditiam filius appellatur Diaboli. Vtar vt hic auctoritate Zenonis Beati, in ſermone videlicet quem de Iuda Patriarcha; & Thamar nuru ipſius, more ſuo luculentiſſimè fecit, dicentis: Omnium corruptè viuentium Diabolus Pater eſt. Et ô quàm non manducat verendum carnem Domini, nec bibit eius ſanguinem, in quo Diabolus per tria iſta vitia, hoc eſt, ſuperbiam, hypocriſim, atque luxuriam requieſcit, licet communicare cum fidelibus videatur, Domino dicente: *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Cùm & per conuerſionem ita hoc poſſit reſolui: Qui in me manet & ego in eo, ipſe manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum. In quo enim Deus manet, & ipſe in Deo, quomodò in eo Diabolus dormire poſſit, non video. Dormit verò in eo, qui per hypocriſim vel elationem vmbroſus & vacuus, per luxuriam exiſtit humectus. Quid ergo manducat, quando communicat, Iudicium? ſi reſpondes, Apoſtolo conniues, & intelligere me pariter commones, quia pro eo iudicabitur, id eſt, damnabitur; quia cùm indignus exiſteret, Chriſti eſt auſus carnem manducare, & ſanguinem bibere; ac propterea quod debuerat illi fore ſaluatio, eſt factum damnatio. De ſubſtantia verò corporali quam ſumit, cùm ſit mea nunc quæſtio, mihi nunc quoque ipſi loquar, ita ſuccumbo; cùm ſit enim dignè ſumenti vera caro, panis li-

*Iob. 40. 16.*

*Locū iſtū in edito ſermone non reperi.*

cet quod olim fuerat, videatur, & Sanguis, quod vinum; indignè ſumenti, id eſt, non in Deo manenti, quid ſit, ne
Eccli. 3. 22. dum dicibile, incogitabile fateor mihi, & *Altiora te ne quæſieris, & profundiora te ne ſcrutatus fueris;* dictum putare hinc quoque mihi.

Sed audiamus quid inde quidam, id eſt, Ioannes dicat Chryſoſtomus: Forſitan enim coniectare hinc aliquid poterimus: Nemo, inquit, ſit Iudas in menſa. Hoc ſacrificium cibus eſt ſpiritalis: Nam ſicut corporalis cibus cùm ventrem inuenerit aduerſis humoribus occupatum, amplius lædit, magis nocet, nullum præſtat auxilium; ita & iſte ſpiritalis cibus, ſi aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, non ſuâ naturâ, ſed vitio accipientis. Pura igitur mens in omnibus, pura cogitatio, quia & ſacrificium purum
Tract. 61. in Ioan. fine. eſt. Sanctam igitur animam tali ſacrificio præparemus. Auguſtinus quoque: [Quod accepit Iudas bonum fuit, ſed ma-
* Tract. 61. ſub init. al. * Quid ergo miraris &c. lo ſuo bonum accepit. * Non ergo mirum ſi datus Iudæ Panis Chriſti, per quem manciparetur Diabolo, cùm videas èconstrario datum Paulo Angelum Diaboli per quem proficeret in Chriſto?] Hoc itaque mihi ſenſu videtur idem eſſe hoc ſacrificium bono, quod malo, digno, quod indigno; ſed non idem præſtare. Digno videlicet, quia vitam, indigno, quod tribuit mortem: digno quod gratiam, indigno quod iram,
Ioan. 6. 57. ita enim & continet pſalmus: *Adhuc*, inquiens, *eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* De manna vtique referens faſtidito; quod intelligi minimè obſtat de Sacrificio Domini indignè accepto, cùm & Iudæ hoc demonſtret perditio & in ſermone Domini aliquid ſubintelligi oportere: hoc eſt, *Qui manducat carnem meam*, dignè, *& bibit meum ſanguinem* dignè, *in me manet & ego in eo.* Quòd ſi ita eſt, videndum quibus dicatur: Venite ad Bethel, id eſt, domum Dei, & impiè agite, & ſacrificate de fermentato laudem. Nam de dignè oblato ſacrificio, quòd caro ſit, nihil hæſito, Chriſti Apoſtolus attamen cùm
1. Cor. 5. 8. & de eo dixiſſet: *Itaque epulemur*, ſubiunxit, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ.* In quibus nimirum verbis omnis maliuola extruditur, tam à ſumpturis, quàm & porrecturis corpus & ſanguinem Domini,

intentio. Cùm vero illa ſpecialiſſimè oratione conſecretur oblatio populo porrigenda, vbi Deo dicitur: *Pater noſter qui es in cœlis.* Qui filius corruptè viuendo extat Diaboli, vt Zeno ſanctus affirmat, quid cogitet, quantum ſe metiatur, alij committo perpendere, nam non ſufficio ipſe. Conſiderari ſanè in Pſalmo valet facillimè, quàm in his duobus, id eſt, ſuperbia atque luxuria, alterum ex altero pendeat, cùm Pſalmiſta expoſtulat: *Non veniat*, inquiens, *mihi pes ſuperbiæ*: Hoc eſt, non conculcet in terra vitam meam iactantiæ Dæmon, terrena me ſolùm ambire ſuadens: Vbi & ſequitur: *Et manus peccatoris non moueat me.* Spiritus vtique fornicationis, qui vbi cœnodoxiæ ſpiritus cor Religioſi cuiuſlibet occupauerit, ſtatim corpus illius libidinis agitat motu. Commotus igitur cur operetur iniquitatem, monſtratur, dum ſubditur: *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.* Vbi in ſuperbiam primùm, hinc demum in luxuriæ voraginem. Et quare? *Quia expulſi ſunt*, inquit, vnde? à gratia Dei; & ideò *non potuerunt ſtare*, indigniſſimi Euchariſtiam facti guſtare, Domino taliter intercedente: *Quicunque manducauerit de carne ſacrificij*, quod eſt Domini, *& immunditia eius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo.*

*Matt. 6. 9.*

*Pſal. 35. 12.*

*Ibid.*

*Ibid. v. 13.*

*Ibid.*

*Leuit. 7. 20. & 21.*

Sed cùm ſcriptum ſit, *Quia nihil in terra ſine cauſa fit.* Cauſam ipſam non difiteor videre, videor plerumque ita poſſe contingere. Pone quemlibet Nobilium Scholis tradi (quod vtique hodie magis fieri ambitu videtur epiſcopandi, quàm cupiditate Domino militandi) Ecce pes vnus ſuperbiæ, Parentum ſcilicet elata voluntas. Is cùm adoleſcere cœperit, aut de ipſa nobilitate, aut de quouis intellectus acumine, aut fortaſſis pulchritudine corporis, aut quia ſit ei (vt de quadam refert Hieronymus) Cygneo canore vox forſitan dulcior, incipit inſoleſcere. His igitur Dæmonicis ſuperbiæ pedibus conculcatus eneruatur, & propter iactantiam, vt ille primus in aërem craſſiorem, ita iſte in laſciuiam proſternitur turpiorem. Hinc demum non tam bigamus, quàm multigamus effectus, ſine examinatione prouehitur ad Sacerdotium, quod occaſio ſequentium omnium vſque

*Iob. 5. 6.*

ad perditionem animarum eſt profectò malorum. Cùm
enim hi ex ſæcularibus, qui non penitus ſunt litterarum ex-
pertes, ſecunda in Pentecoſte feria audiunt dixiſſe IESVM
Diſcipulis ſuis; (vtique & illis qui tunc erant, & iſtis qui mo-
dò non eius diſciplinam, doctrinam ſcilicet, correctionem,
*Ioa.* 10. 1. necnon & interdicta odio habent) *Qui non intrat per oſtium*
*in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Nec
mentiri non potuiſſe non ignorant Veritatem; non conſe-
qui quoque, vt qui fur eſt, eſſe poſſit pariter Paſtor. Ouile
verò intelligunt eſſe Eccleſiam, quæ vtique oues continet
illas, quæ erunt in iudicio ad dexteram ſtatuendæ, quamuis
& illic mixti ſint iis qui ad ſiniſtram erunt locandi, quibus
& perpetuum nunquam deerit væ, Paſtorem legalem, Epiſ-
copum; furem, Pſeudopræſulem; quid de eius curant pro-
uiſione, quem cognoſcunt non patremfamilias poſuiſſe, ſed
ipſum latrocinaliter ſe impoſuiſſe? Quid de eius benedictio-
ne, quem ſciunt maledictum eſſe, Gregorio teſtante, quia
benedictio illi in maledictionem vertitur, qui ad hoc vt fiat
hæreticus promouetur. Cuiuſmodi verò ſectæ Hæreticus?
Illius vtique illius, cuius auctore legimus Petrum dixiſſe;
*Act.* 8. 20 *Pecunia tua tecum ſit in perditione; eò quòd æſtimaſti donum*
*Dei pecunià poſſideri.* Cùm verò communicans hæretico,
ſit & ille hæreticus, quid rogo faciendum, quid cogitan-
dum, quid æſtimandum de talibus? Excommunicatio ve-
rò illorum quàm poteſt ab illo timeri, qui excommunica-
tos eos non ſemel, ſed millies canonicis non neſciunt le-
gibus? Conſecratio quantum amplecti, dicente Domino:
*Quod tetigerit immundum, immundum erit?* Damnatio quan-
*Leuit.* 5. 2. tum vereri, ſuadente Chriſto: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm*
*primus in illam*, hoc eſt, meretricem, *lapidem mittat?* Nam
*Ioan.* 8. 7. iſti ſunt præcipuè qui meretriculas iubent ad ſtipites exco-
riandas ligare.

Memini me in Rheno bicorni tantum pertuliſſe quondam
pauorem, cumulis vtique ad inſtar collium ebullientibus flu-
ctuum, vt Euxino freto maius habuiſſe putauerim nullum, ſed
nautas fiducià peritiæ nauigandi iocari vidiſſem, metu amiſ-
ſo, audaciam ſumpſiſſe non modicam. Hoc itaque, vt vti
hìc

hîc non incongruum iudicetur exemplo, ſi ſæculares ad tanta diuini terroris quæ iſthic depinxi tonitrua, qui legentes intelligere nos negare non poſſumus, vidiſſent expergiſci, vtcunque nihilominus & illi timerent. At cùm nos videant ridendo ea quoque legere ſæpe, & tam obſtinatè aduerſum talia, támque audacter reſiſtere, & rebellione contra Deum publicâ obdurari, ſi illi talia non curant mirúmne alicui poteſt videri? Illi nempe quid dicatur, nedum intelligant, vtrum verè dicatur ignorant. Vnde & excommunicationes noſtras cum abſolutionibus parui ducunt, quia quantum intelligere poſſunt, & nos à ſanctis Canonibus excommunicatos cognoſcunt, & ligatum neminem ligare vel abſoluere poſſe arbitrio proprio comprehendunt. Ad prædicandum ſanè cùm inaniter peruenitur, quamuis dixiſſe Dominus recolatur: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciant nolite facere.* *Matt.* 23. 3.
Apoſtoli tamen exaggerando ſermonem quid dicere poſſint, non ſibi credunt deeſſe: *Qui prædicas non furandum* ſpoliando pauperes, vt locupleteris, peiùs omninò furaris. *Qui dicis non mœchandum* vllo modo, mille modis id actitando peiùs mœcharis multinubus, dum quoque non eſſe vereris. *Rom.* 2. 21. *Ib. v.* 22.
Quid tamen inde proueniat, non à me diſcere quiuis expoſtulet. Gregorium audiat: Cauſa, inquit, ruinæ populi Sacerdotes mali. Qui vtique, niſi eos contemnerent Canones, immò niſi Prophetica, Euangelica, & Apoſtolica pro nihilo ducerent dicta, nullus ſæcularium tam ea parui duceret veſaniâ, ſed omnes à nobis tam ſtudiosè venerata omnino cognoſcerent veneranda. Venerarentur verò à nobis vtcunque ſi diligerentur. Diligerentur autem ſi non illa tam ſancita fuiſſent auſterè, quæ contraria ſunt libidini ac luxuriæ maledictæ, cuius deteſtationem nemo litteratus, etiamſi velit, permittitur ignorare: omnes verò eam odiſſe, voluptatem verò ipſius diligere, quamuis gehennæ ſuſpectu multi eam cauere, ac per hoc aduerſarium nobis ſermonem diuinum in via præſentis temporis, Chriſto teſtante, exiſtere: Sed velimus nolimus ipſos legis Dei, quos modò tam obduranter odimus, atque contemnimus, liberos habebimus Iudices ipſos accuſatores, quos haberi oportuerat defenſores. Scriptum eſt enim: *Iudicium ſedit, & libri aperti* *In* 1. *Reg. cap.* 2. *v.* 23. *Dan.* 7. 10

*ſunt:* quod quamuis & de conſcientiis ſingulorum valeat intelligi, ſciendum verò quod in libris continetur. Omnes iudicandos monſtrat Propheta alius, dicens: *Conuerſus ſum & leuaui oculos meos, & vidi; & ecce volumen volans, & dixit ad me: Quid tu vides? Et ego dixi: Ego video volumen volans; longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. Et dixit ad me: Hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ; quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur: & omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur, & educam illum, dicit Dominus exercituum. Et veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & conſumet eum & ligna eius, & lapides eius. Audite* (ait alius, vt ad alia tranſeam) *Audite hoc Sacerdotes, & attendite, quia vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi.* Quid intelligi lucidiùs, quid quęſo apertiùs poteſt? Speculatorem quippe eſſe oportere Pontificem, qui dicit, innuit: *Speculatorem te poſui, ait Dominus exercituum, domûs Iſrael.* Vnde & Epiſcopus græcè, ſuperintendens dicitur latinè. Qui ſi hoc agere aut neſcit, aut negligit, aut, quod eſt grauius, non iuſſus præſumit, laqueus ſpeculationi, id eſt Epiſcopali Ordini, & cauſa perditionis dubio procul efficitur, maximè ſi non inſcius ſed conſcius id operatur, ait enim de talibus Apoſtolorum præcipuus: *Melius illis fuerat non cognoſcere viam veritatis, quàm poſt cognitionem retrorſum conuerti ab eo quod traditum eſt illi ſancto mandato.* Quod adſtipulans ego, viſceratim (quid alij de ſe ſentiant illorum intereſſe dimittens) cum eo, qui ante me idem deprompſit, exclamo: *Vtinam non fuiſſem vir habens ſpiritum, nec ad me ſermo factus fuiſſet Domini.* Quid enim mihi aptè viuenti ſermo Domini, niſi perſpicuè contra illum rebellionis indicium, & perditionis eſt cumulus meæ. Cùm enim ille bonis pręmia, à malo verò recedentibus veniam promittat, neminem decipit, omnibus dicit: *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* Quem ſecutus Apoſtolus ait: *Omnes enim aſtabimus ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Quidam quoque nec minus verè, cuius tamen

*Zachar. 5. 1.* — *Oſee. 5. 1.* — *Ezec. 3. 17.* — *2. Pet. 2. 21.* — *Mich. 2. 11.* — *Matt. 16. 27.* — *Rom. 14. 10.*

dicta Veronenſes Cleronomi nolunt cantare: [ Ad cuius aduentum, inquit, omnes reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem: & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum. ] Subueniat, ſed rogandum tunc illi Chriſtus, qui illic poteſt vereri, *De ore tuo* & ſcriptis tuis *te iudico*, *ſerue nequam*, audire & ad ſe ipſum talpæ, ad cæteros caprearum, vſus viſu, increpari, fuiſſe, Amen. Symbolū S. Athanaſij. *Luc.* 19. 22.

## PARS SECVNDA.

VT prioribus ſanè poſteriora reſpondeant, Lectoris hìc aduertat perpenſio, nullam me meæ admirationi, ac ſtudioſiſſimæ indagationi aliam venire cauſam quiuiſſe, niſi Pſeudopontificum culpam tam generalis, prô dolor! Canonum diuinorum contemptùs: ipſam verò manu peccatoris id eſt, Diaboli, ob ſuperbiæ vindictam, per eneruitatem luxuriæ commotam, quæ in furoris Dei igne ſuccenſa ardet hodie in ſęculo, arſura vſque ad inferni nouiſſima, deuorans terram, vbi eſt plantata vinea Domini Sabaoth, cum germine bonorum operum, quem debuerat ferre: vel certè cuiuſlibet miſeri, dum illud ſcilicet comburendo temporaliter, ęternaliter vt comburi cum anima non ceſſet, ſibi redditam facit: vel certè terram cum germine deuorat, dum, vt alius dicit, ad perditionem omnia quęcunque egit bona ita perducit, vt nihil ei proſit ſi quid boni aliquando fecit; quod tamen de illa dictum libidinis arbitror perſeuerantia, de qua *computruerunt iumenta in ſtercore ſuo*, propheticâ conquerendo fatetur Deus ipſe loquelâ. Et montium, id eſt, Præſulum, fundamenta, id eſt, ipſa initia diſcendi legem Dei per peſtiferam comburens adeò laſciuiam, vt cùm opus fuerit, nemo ferè inueniri poſſit ad eligendum idoneus. Nemo, qui legaliter electo, prô nefas! manus imponat omnimodis dignus. Cúmque ſe ita res habeat, & quòd Canones ſancti pręcipuè deteſtantur, iſti maximè amplectantur; dum nolunt iſta cauere, cętera non verentur pro nihilo ducere. *Ioel.* 1. 17.

Hoc omnes Eccleſiæ filij contemplantes paruipendunt & ipſi omnia quæ in ſcripturis continentur, exemplis talium ſolummodò innitentes, pietatíque Dei vltra quàm ipſe promiſit ſeſe credentes: Iuſtitiam verò illius poſt dorſum ponentes. Ideóque ſine formidine ſuis voluptatibus, & mortiferis voluntatibus paſſim deſeruiunt omnes. Cùm verò lex Eccleſiaſtica tam nullipendatur, lex mundana cur tam timeatur, leuis reſponſio eſt. Quia videlicet magis timent homines amittere pecuniam, quàm perdere animam, plus verentur pœnam temporalem, quàm perpetuam damnationem.

Quærat & aliquis, cur præ cęteris gentibus baptiſmo renatis, contemptores canonicæ legis, & vilipenſores Clericorum ſint magis Italici? hoc fateor cauſa ſuperiùs ait relata. Quoniam quidem libidinoſiores eos, & pigmentorum venerem nutrientium frequentior vſus, & vini continua potatio, & negligentior diſciplina facit doctorum: vnde ad tantam conſuetudo, & maiorum eos exempla iam olim impulerunt impudentiam, vt ſolummodò barbiraſio, & verticis cum aliquantula veſtium diſſimilitudine nudo, & quod in Eccleſia cum negligentia agunt non parua: vnde tamen affectant magis placere mundo quàm Deo, à ritu diſtare eos videas laico. Inde præ ſe fateor illi eos contemnunt, & execrationi, vt dignum eſt, habent. Sic enim eis promiſit in perſona ſui ordinis, Heli vtique filiorum deteſtans inſolentiam, qui
1. Reg. 2. dixit: *Quicunque honorificauerit me, honorificabo eum; qui au-*
30. *tem contemnunt me, erunt ignobiles.* Per Malachiam quoque
Malac. 2. cùm de probis præmiſiſſet: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcien-*
7. *tiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus exercituum*
Ibid. v. 8. *Domini eſt.* De reprobis quid dicat videndum: *Vos autem*, ait, *receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege. Irritum feciſtis pactum Leui: propter quod & ego dedi vos contemptibi-*
Deut. 32. *les omnibus populis.* Et per alium: *Ipſi me prouocauerunt in*
21. *eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus ſuis. Et ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.* Subditque illam peſſimam hìc tactam non ſemel, vnde omnia iſta prodire iam diximus mala, ſcilicet ſortem:
Ib. v. 22. *Ignis* (qui vtique libidinis eſſe non ignorat) *ſuccenſus in fu-*

*rore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima; deuorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta*, id eſt, Chriſtianitatis initia, apoſtaſia ſequente, *comburet*. Nunc enim euidens talis eſt à Deo & fide percepta receſſio, cùm quis pręſente ipſo non timet talia contra illum committere, quæ ille minatur inextinguibili combuſtione vindicaturumſe itatenus fore, vt nihil ei boni quod geſſit vſque ad ipſum quod percepit baptiſma poſſit prodeſſe, maximè ſi non inſcius, ſed certiſſimus id actitat quiſque.

Didici nam, prô dolor! quendam (aliis eodem ipſiſſimo referente) quòd ferè ipſa eadémque quâ miſerrimus idem cantauerat horâ, cùm recoleret quoque in Iob Hiſtoria: *Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans.* Neque ignarus expoſitionis foret, prolatum reminiſcens etiam dixiſſe de Deo Apoſtolum: *Quòd omnia nuda & aperta ſint oculis eius, ad quem nobis ſermo*, id eſt, cui loquuntur ipſa etiam quæ cogitamus, nedum lateant quæ perpetramus: hoc ipſo lætifero igne ita ſuccenſum, vt illicebroſo libidinoſiſſimus tactu prurituі ſubſcalpentem concitari, in ſuimet interitum fecerit, vice reciproca voluptatem obſceni fluxus ad vnguem; minùs quidem turpiter quàm alij, ſi tamen in turpitudine tali aliquid poſſit, quod non ſit turpiſſimum, dici. Quid tali fuit quęſo matutinis illis laudibus interfuiſſe, niſi publicatio rebellionis, contra Deum, perſpicuè ſeruitio quod fecerat Domini incaſſum vadente? Melius incomparabiliter ſanè fuerat ei Matutinis neglectis dormiſſe, quàm tantum malum eiſdem peractis feciſſe. In tantum enim, teſte Gregorio, diſplicent Deo mala, vt nulla placeant ei mixta malis bona. Nedum nos putemus ſeductiſſima placere ea illi bona, quæ malorum ſequentium viciſſitudine fuerint compenſata: *Veſtimentum* enim, ait, *mixtum ſanguine erit in combuſtionem & cibus ignis.* Alius item: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Et ne de quibus dicat, hæſites, ſubdit: *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum. Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos. Et viſitabo ſuper eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei. Et comedent & non ſaturabuntur; fornicati ſunt & non ceſſauerunt; quoniam Dominum reliquerunt in non cuſtodiendo. Fornicatio* enim,

*Iob* 31. 12.

Moral. in Iob. lib. 1. cap. 3. Et in 7. Pſal. 1. verſ. 7.

*Iſay.* 9. 5.

*Oſee.* 4. 7.

*Ibid.* v. 8.

*& vinum, & ebrietas, auferunt cor*, id eſt, perimit rationem.
*Oſee.* 9.4. Itémque: *Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei. Sacrificia eorum quaſi panes lugentium; omnes qui comedent eum contaminabuntur; quia panis eorum animæ ipſorum.* Formidoloſa nimium Sententia! Sed ſi quis contendat Iudæorum Sacerdotibus hęc ſolummodò conuenire, audiat ſibi
*Rom.* 15. 4. repugnantem Apoſtolum ita: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Dicente verò de talibus eo-
*Rom.* 10. 15. dem Apoſtolo. *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur?* Si miſſi fuiſſent, & non potiùs permiſſi, id eſt, ſi legaliter aſſumpti, electi, ordinati, & quod ſibi competeret agerent, non ſolùm pro ſui, ſed etiam innumerabilium ſalute coronam perpetuam mererentur: Vt èçontra nunc ignominiam ſempiternam, cum vſura quoque indeficentium lugendi pœ-
*Mich.* 4. 10. narum. *Veniens ad Babylonem ibi liberaberis, & illic redimam te*, dicit, qui per alium loquitur Dominus dicens: *Frons*
*Ierem.* 3. 3. *meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Quæ vtinam duo nos infœliciſſimos commonefacerent, & cum Ioſia Rege ſciſſis veſtibus dicere quemlibet noſtrum ad reliquos face-
4. *Reg.* 22. 13. rent. *Ite, conſulite Dominum ſuper me, & ſuper populum meum & ſuper omnem Iudam*; quem intelligere poſſumus confeſſione Dei inſignem Catholicam Eccleſiam, de verbis voluminum iſtorum, Canonum ſcilicet & Decretorum, quæ con-
*Ibid.* tinentur in Archiuis Eccleſiarum. *Magna enim*, ait ille, *ira Domini ſuccenſa eſt contra nos, quia non audierunt Patres noſtri verba librorum iſtorum, vt facerent omne quod ſcriptum eſt in eis.* Vt Patres intelligas Eccleſiarum Pontifices. Quatenus ille ſaltem cuiuſlibet noſtrum reſpondere dignaretur:
*Ibid.* v. 18. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino, Auditis ſermonibus contra locum iſtum & habitatores eius. Quòd videlicet, fierent in ſtuporem & maledictum, & ſcidiſti veſtimenta tua & fleuiſti coram me. Et ego audiui dicit Dominus. Idcircò colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.*

Quorſum tamen hęc detrahendi auida ęmulorum ſi requirat inuidia? nimirum vt quod innoteſcere nequiuerunt præ-

miſſa, demonſtrent termino proxima: nempe vt pateſieret
quærenti vnde iſte, id eſt hodiernus præualuerit Canonum
Sanctorum tam vniuerſalis contemptus. Ad hoc peruentum
noſtra eſt inquiſitione atque indagatum, eorum contigiſſe
ſine dubio culpâ, qui cùm eos legant atque intelligant, pro
nihilo ducunt. Tum quare hoc faciant pariter eſt indaga-
tum: quia videlicet cùm illa quæ illi magnoperè interdi-
cunt, iſti libentiùs agant quæ percipiunt enixiùs, exequi
omnimodis nolunt. Quæ ſunt vtique illa duo? Doctorum
ſcilicet Eccleſiæ prohibita millies mulieroſitas, ſiue illece-
broſa non vniformis, Deóque magis deteſtanda voluptas,
& neglecta ipſorum Chriſto amabilis caſtitas. Quæ tria cùm
cætera quæ in libris continentur diuinis faciant omninò con-
temni, Contemptores ipſos iure-vicario à Deo monſtratum
eſt reprobari. Reprobationem verò ipſam pœnam ſubſequi
ſempiternam. Non verò pro ſuo tantùm peccato; ſed etiam
pro malo quo alios perdunt exemplo. Huius peſtilentiæ cùm
nullum poſuerim remedium, fateor me defeciſſe, niſi tria
ſuccurriſſent hîc præmiſſa memoriæ. Quæ ſunt vero iſta?
*Fornicati ſunt*, inquit Propheta, *& non ceſſauerunt.* Quod *Oſee* 4. 10
dum cum illo confero, vbi dicitur; *Peccaſti, quieſce.* Et cum *Eccli.* 21.
illo, vbi legitur: *Qui furabatur iam non furetur.* Videretur 1.
mihi aliquid fornicatoribus profuiſſe, ſi à fornicando ſtude- *Epheſ.* 4.
rent ceſſare. *Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*, dum 28.
Pſalmiſta Deo loquitur, quoque videtur mihi innuere, vt *Pſal.* 75.
cogitatione nequam derelictâ, quòd ſit enitendum, ne virus 11.
mortiferæ delectationis in effectum ſceleratæ prodeat actio-
nis, ſcabies vti peſſimâ, ſcilicet ab interioribus cutis. Eum-
que diem fore de nobis Deo ſolemnem, ſi prauam opus no-
ſtram non ſequitur voluntatem. *Veniens quoque ad Babylo-* *Mich.* 4.
*nem, ibi liberaberis*, dum lego, cùm quis de criminibus an- 10.
te actis confunditur, prodeſſe ei multùm mihi videtur. Ioſiæ
quoque Regis me multùm oblectat exemplum, dum illud
cum eo confero quod legitur in Pentateucho: *Qui timue-* *Exod.* 9.
*runt*, inquit, *verbum Domini de ſeruis Pharaonis, fecerunt* 20.
*confugere iumenta & pecora ſua in domo; & non cecidit ſuper*
*ea grando.* Illud quoque dicens; *Beatus homo qui ſemper eſt* *Prouerb.*
*pauidus: qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum: Vidiſti,* 28.14.

3. Reg. 21. 29. inquiens Dominus, Achab, *quomodo humiliatus eſt coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius.*

Quæ vtique meam releuare quantulumcumque non diffiteor deſperationem, quamuis nullam præbeant ſecuritatem. Non modicè nam me terret dum alibi lego; Quia ſicut non proficit plagato medicinæ alicuius impenſio, ſi adhuc ferrum in eo ſit; ita non prodeſt pœnitentia illius, qui peccatum, quod plangit, non deſerit, vt Balaam vtique compunctio, & Eſau conſternatio prodit. Hoc idem quoque ad

Ierem. 2. 36. ſtipulante Domino, dum dicit: *Quàm vilis factus es iterans vias tuas.* Gregorium quoque dixiſſe dum lego, vel audio:

Homil. 37. in Euang. Quòd ad magna pręmia perueniri non poſſit, niſi per magnos labores: & meos conſidero mores, ſi non perterreor, inſanire me fateor. Si enim ad magna prœmia non peruenitur, ad maxima ſupplicia quòd ſine dubio perueniatur, intelligi datur. Quid enim in cœlo, quod non ſit præmium magnum? Quid in inferno, quod non ſit maximum damnum, tribuitur? Quàm verò me dulciſſona oblectet illa Do-

Luc. 15. 7. mini, quâ dicitur, vox: *Gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore*: quàm ilicò terreat dum ſubiungit: *Pœnitentiam agente*; nequeo dicere. Dum enim quid ſit pœnitentia vel in Canonibus ſanctis, vel in eorum qui eam dignè fecerunt exemplis, conſidero, & ignauiam pariter meam attendo, væ, væ, væ, tantùm clamare compellor. Nam derelictis ſceleribus veriſſimum atque pijſſimum tenemus promiſſum di-

Zachar. 1. 3. centis: *Conuertimini ad me, & ego reuertar ad vos.* De his verò quæ relinqui non valent, quid cogitem, nedum dicam, dubius exto. Scriptum enim cognoſco de Deo: *Si concluſerit hominem, quis ei dicere poteſt; Cur ita facis?* De quo-

Iob. 18. 8. uis etiam talium: *Immiſit enim in rete pedes ſuos, & in eius maculis ambulat.* Quem vtique vtrum abſoluere dignetur

Apoc. 3. 7. ille (de quo canitur; *Qui aperit, & nemo claudit; claudit & nemo aperit*) necne, non eſt hominum in hoc ſeculo iudica-

Eccleſ. 9. 1. re. Scriptum eſt enim: *Neſcit homo vtrum odio, an amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Quæ tamen ſententia, vt peccatori deſperationem adimit, ita iuſto ſollicitudinem adijcit, ſi quid competit, agere non deſiſtit. Vt

ſcilicet

ſcilicet nemo in hac vita ſit ſine cura, ſed qui ſperat in Domino, ſperet, ita tamen vt quod ipſe promiſit, non aliud quidlibet inaniter ſperet; & qui gloriatur, non in ſe, id eſt opere ſuo, atque virtute, ſed ſi gloriatur, in Domino glorietur.

Sed iam nunc ſufficiant iſta, ſcaturigine contemptus canonicæ ſanctionis abundè monſtratâ. Nam ſtulti proprium eſſe, ſenſum totum effundere ſuum, aſſerto monſtratur ſcripturæ; ſimulque cauendum in ſyluam ne ligna ferre hortíſque ſitientibus in flumine vecors aquam mittere, iure vituperer ipſe. Quia verò meam inertiam vrbanitas quondam, ſi recolitis, quomodò orarem eſt dignata conſulere, veſtra, quid mihi ſit inſtanter orandum in veſtri libro * amici æquinomi, atque ad me perſequendum ſocij, inueniſſe confiteor meam modicitatem, Huberti, quod & iſthîc ponere operæpretium duxi. EXPLICIT.

* *De his quæ ſequuntur orationibus loquitur Author.*

## *Collecta.*

CONSPIRANTES Domine contra tuæ rectitudinis firmamentum, dexteræ virtutis tuæ proſterne: vt Iuſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur ſemper falſitas veritati. Per Dominum, &c.

## *Secreta.*

OBLATIS quæſumus, Domine, placare muneribus; & nos ab inimicis clementer libera noſtris. Per Dominum.

## *Poſtcommunio.*

HÆC nos Communio, Domine, & à cunctis exuat delictis, & ab inimicorum defendat potenter inſidiis. Per Dominum.

## *Concluſio deliberatiua Leodici acta, ſiue Clymax Syrmatis eiuſdem, qui cæterà non adeò parui.*

I. QVIA reſponſi commoditate omnibus ſatisfeciſſe, inexplicabilis labor cernitur eſſe, circuitione omni poſthabitâ, merè, & quo apertiùs potero, deliberatum inrefragabiliter quod habeo, noſſe dignantibus manifeſto. Rogaſſe, rogare, rogaturum me ſemper Deum vniuerſi nouerint, ne vnquam peccatis meis merentibus mihi contingat, aliquo vt mei commodo illectus, aut incommodo territus, pręſente & collaudante vniuersâ, cuius intererat, Eccleſiâ, publicè mihi commiſſum ouile ore proprio, lupo exponam.

II. Ne Dei ipſius ore damnatum furem & latronem; furem quia furto abſtulit mihi ſedem; latronem, vi & poteſtate, quia publica; maledictionem & lepram, quâ eos mortiferè decipit qui putant eum eſſe Epiſcopum, ſibíque communicantes commaculat; ab ordinandis manu extorſit, mei ceſſione atque ſilentio, in ouium mihi creditarum perniciem intra idem ouile credendo iniquitati vtique contegam.

III. Ne Mercenarij ipſe mihi nomen eundem fugiens importem.

IV. Ne furi cauendo furis nomen iure mihi vendicem ipſe.

V. Ne compaſtores atque conſamulos ciere:

VI. Ne canes domeſticos, latratu vt eum canonico perturbent, deſinam inſtigare.

VII. Ne cùm tam perſpicuæ atque ſacrilegæ inuaſionis adulterio portionem poſuiſſe meam, proſtitutâ eidem mihi commiſsâ conuincar Eccleſiâ.

VIII. Ne ſedens aduerſus fratrem, id eſt, vicinitatis affinitate coniunctum; Paſtoralitatis officio delegatum, natiuæ patriæ populum, cum peruerſo peruerſus ſuadendo vt fiat, loquar.

IX. Ne aduerſus filium Matris meæ, illius vtique, cuius & ego baptiſmate ſum filius, Eccleſię, plebem tam immane,

infantes ipſos latet quod minimè, ſcandalum ponam: Mei enim ipſius oblitus ſi fecero, taceat licet ſurdo, ſed mihi in præſentiarum, vt multis, proh dolor! hodie Deus non tacebit, vereor, cùm venerit manifeſtus, cùm vtique ignis in conſpectu eius ardebit, & in conſpectu eius tempeſtas valida erit.

X. Ne Nicolaitarum Sectam, odiſſe quam ſe ipſe profitetur Deus, incurram.

XI. Ne * Strudo-Camelontis exemplo, quos debueram ipſe fouere, conculcantibus iudicer expoſuiſſe. f.* Struthio

XII. Ne quibus abeſſe trimeſtri ſaltem non eſt conceſſum canonicè termino, eos abſentatu decepiſſe arguar continuò.

XIII. Ne ſputum meritò in faciem ab eadem Eccleſia accipiam, libellum prior ſi ei dedero repudij, repulſionis legitimę.

XIV. *Ne dimitte me ad vnam partem Sacerdotalem vt comedam bucellam panis*, eſt Prophetatum, quod olim dixiſſe prior ipſe diffamer. 1. Reg. 2. 36.

XV. Ne mille periurûm veſanus nulli ęſtimem caſum.

XVI. Ne excommunicationis lętifera peſtis vniuerſam quoque ſi occupet patriam, nullius, aut fortè minimi defendens fore periculi, nomen Dei in vanum conuincar aſſumere, vel, quod peius eſt, vt à multis aſſumatur, efficere.

XVII. Ne quod miſericorditer, fraternaliter, & caritatiuè, communi vtilitate, aut neceſſitate, quæ vtique in dies maius tantò capiet augmentum mundus in maligno poſitus, propinquante, quò ampliùs deteriorabitur fine, fieri non modò licere, ſed etiam oportere, ab his eſt canonicè conceſſum. In quorum cordibus Deus, in quorum labiis ſemper quia veritas fuerat Chriſti, mei (infelix ſi ceſſero) deſtruam exemplo.

XVIII. Ne hoc vnum miſeris, qui ſimiliter erunt, inualeſcentibus, vtique Antichriſti ipſius præconibus deſtituendi, ſuíſque ſedibus extruendi, patens taliter diuinitus aſylum, in mei ipſius intercludam miſer ipſe primitus periculum: *Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Quamuis & Babylon, quos inſequitur, confuſionis mundanæ, Hie-

ruſalem Cœleſtis hoc præcepto ſuffugium haud ignorem petendum præcipuè.

XIX. Ne conceſſum quoque eis eodem præcepto canonicè recuperandi in aliis, ſed vacantibus, qui minimè valent in ſuis Eccleſiis, aditum crudeliter obſtruam.

XX. Ne contradictor miſer ipſe, malle Deum miſericordiam, quàm ſacrificium, veniam.

XXI. Ne iudicio Præſulum, teſtimonio Decretorum, ſanctione Canonum, ſub præſentia totius Eccleſiæ, à legitimo Archipræſule conſenſu (qui vtique & requiritur) legibus Clericorum, publicè facta infirmari vllatenus poſſe decernam.

XXII. Ne clementiſſimum atque veraciſſimum pijſſimi Regis conceſſum aſſeram, aut ſaltem credere videar aut inconſtantem, aut quod eſt indecentius, fraudulentum fuiſſe.

XXIII. Ne benignitatis, quæ obtinuit, ingratitudinis obfuſcem caligine dignitatem.

XXIV. Ne inſtabilitatis ipſe eam cauterio notem.

XXV. Ne manum tantæ, quæ patrauit, auctoritatis condemnem.

XXVI. Ne mei ordinatorem tam infauſto aſſeram ordinatum, impropriè vt ita loquar, auſpicio, vt ipſo eodemque die, quo ordinatus poſt profeſſionem à ſe, moris vt eſt, factam, fuerat, canonicis quòd ſemper obediens foret præceptis, ſtatuiſſe eum aliquid canonicis contrarium legibus, accuſem; fauens vtique eorum veſaniæ, qui meam ſtultiſſimè reprehendentes, eodem die, eiuſdem & manu actam incardinationem, quibus potiùs obloquantur, ignorant.

XXVII. Ne conceſſum noſtris diebus illi ſuo atque nepoti, Primatum ſcilicet digniſſimo, diuinitus ſolùm neque fortuitò tam prædicabile ſæculis omnibus priuilegium, quo ſcilicet vter eorum die ordinationis propriæ alterum meruit ordinare, quod vtique in noſtro tantò eſt prędicabiliùs, quantò miſericordiùs, non laudando ipſe videar extenuare.

XXVIII. Ne Deum ipſum hominum ſubpoſuiſſe perſonis, eumdem ſibi, & longè inferiorum, ceſſiſſe illorum, inconuertibiliter nequitiæ eum confitendo; quódque conſultu canonicæ legis ipſe fecerat penitus diſſipaſſe, roborari, ſi

verò perperam eſt, quod patratum accuſem.

XXIX. Ne tantæ ſedis acta vbi hæc ſunt, nulli faciam dignitatem.

XXX. Ne Sancti Petri, Apoſtolorum vtique Principis, ante cuius ſacratiſſimum altare Paſtoralem accipere merui virgam, vilipendam orbi colendam vniuerſo infœliciſſimus reuerentiam.

XXXI. Ne pulpitum venerabile, cuius eodem die edito, ſpectanti aſſignatiſſimum populo, ignarus veluti eſſe cuius debeat honoris, contemnam:

XXXII. Ne concionantis, Archiepiſcopus quoque cùm fuerit, dignitatem:

XXXIII. Ne populi tam nobilis clamorem:

XXXIV. Ne præſtantiſſimi Cleri Hymnidicam ſignorum cum ſtrepitu laudem.

XXXV. Ne ipſius hymni inconſideratum linquam ſacratiſſimum quod ſonuit atque dulciſſimum melos.

XXXVI. Ne ſubſcriptionem ſeptem tam venerabilium Antiſtitum, duo quorum & Archipræſules fuerant, damnare cedens ipſe conuincar.

XXXVII. Ne perſonas, cùm Epiſcopi fuerint quoque, commiſſo qui me præfecerunt populo, vnus è quibus & Metropolita, vilipendere videar legatorum.

XXXVIII. Ne cum vulgata omnibus ſententia, verba Epiſcopi aut vera ſint, aut ſacrilega: relationem ipſorum, conceſſúmque pijſſimi præferebat in mei negotio Regis, appellare, aut credere audeam falſidicam.

XXXIX. Ne ſuſceptionem tam ſpontaneam, tam hilarem, tam deuotam, tam populoſam, tam clamoſam, laudibus tot (quia datus ei fueram) Chriſti refertam, plebis erga me deuotiſſimę, accepiſſe calumnier ingratè.

XXXX. Ne quod his quæ præmittuntur omnibus præſtare tantùm ſapiens quiſque cenſebit, cœlum à terra, ortus ab occaſu quantum diſtare videtur, tam prophanæ impietatis admittere audeam piaculum, vt inlegaliter cedens reſiſtere ſi datur, quos ſaluâ impari meritis qualitate, ab eadem, quâ me, conſtat antiquitus auctoritate à ſuis in alias ſedes certis pro cauſis tranſlatos, cum his qui mei incardinationem

accuſant, damnaſſe conuincar; qui tot probabiles, noſtratibus quoque exceptis, (nulla quoniam quidem vbi factum eſt eorum extitit mentio) Dionyſio licet rutilent anteſignano clariſſimo in Martyribus, Caſſiano Eduorum ſanctiſſimo, cum innumeris, quos aut ignorantia nobis occuluit, aut obliuio abſtulit, librorum noſcuntur teſtimonio fore.

*Ioan. 21. 17.* Petrus non quaſcunque, ſed cui ore proprio noſcitur, *Paſce oues meas*, ipſe Deus dixiſſe, inuictiſſimum eiuſmodi præceſſerat agmen: ſequuntur èueſtigio Fœlix, Euſebius, Perigenes, Gregorius Nazanzenus, Melitius, Doſitheus, Alexander, Reuerentius, Ioannes, Palladius. Item, Alexander, Theoſebius, Polycarpus, Ieropilus, Obtimus, Siluanus, Martinus Corſicæ, Ioannes Squillacenus quidam Terracinenſis. Fautores quorum exiſtunt, Calixtus Papa, Antherus Papa, Theologus atque noſter opinatiſſimus, ſi tamen de teſtimonio tantæ non dubitatur authoritatis Gregorius damnari, ſi damnantur, cum quibus fœliciſſimum iudico. At ſi paruipensâ tantorum taliúmque authoritate, vi publica expellor, interſit illatoris. Ego cuilibet, mihi indigentiſſimo vt fieri malo, quàm pepigiſſe fœdus cum morte & cum inferno, pacem iudicer feciſſe, eleemoſynæ aliquod ſuffragium porrigenti alicui, latrone illo exceptiſſimo, manum ingratus non retraho. Et, ô percæca filiorum veteris Adæ præcordia! O tam denſæ adhuc Ægypti palpari vt valeant tenebræ! Inter mille enim facinus qui quaſi videntur agnoſcere, conquerentium atque dicentium: Quàm graue peccatum eſt, quòd Epiſcopus ille deſtitutus ita videtur iniuſtè: Vix vnus inuenitur qui rectiùs diceret: Quàm graue ſcelus, quòd tam copioſus Chriſtiani nominis ita deceptus eſt populus. Cùm vtique mea deſtitutio leuari pane ſufficiat quotidiano. Illius verò nemo aduertere valeat quàm irrecuperabilis perditio. Poterat verò aduerti vtcunque, ſi cogitare aliquis refert, cuius ſcilicet dignaretur, vtrúmne alicuius mortalis incantatione, vel, vt ita dicam, benedictione, aliquis Eccleſiæ fieri valeat Paſtor, quem ille Paſtorum Princeps & Auctor, Paſtor ipſe Deus & Creator, damnando & reprobando furem vocitat & latronem. Aut quem valet benedicere, anathematis maledicto iure damnatus qui fuerit ipſe:

leuigare hæc qui volet, ſi valet, ſatagat mihi non grauiſſima fore.

Quadraginta igitur aduerbialibus his quondam, ni me ſupputatio fallit, cùm pro Epiſcopo Leodicenſi importuniſſimis ſuaſoribus obſtiterim Ratherius ego, remiſſiùs ſex & decem illis prioribus pro Veronenſi, prauigeris reſpondere Lector me nouerit compulſoribus; ſic præterea cum Iuda Scariothe illo (niſi pœnitentia ſubuenerit illi) damnatus, qui me hinc fatigauerit ampliùs, canonicæ ſanctionis cenſurâ, necnon & Imperiali Cæſaris pijſſimi poteſtate, prorſus exceptâ.

---

## *QVALITATIS CONIECTVRA cuiuſdam.*

COGOR per omnes actus, ſermones, intentiones inſuper meas, oſorum cauillationibus reſpondere, quaſi ego ſim vtique ſolus qui non debeam ad illud ſupremum Iudicium, vbi omnia hîc incorrecta ſunt ventilanda, venire, ſed de omnibus in hoc ſæculo rationem hominibus reddere. Cui ſcilicet non liceat ſoli niſi præfixo loqui, de vno ſaltem in alterum tranſire ſine ratione reddenda cubiculum, cum Dei miſericordia, & illius eleemoſyna, qui mihi contulit ipſa, habeam multa, nec interdicta mihi: Sit eis fruendi licentia, & vtique ſi inter ſe talia conlatrarent, non mirum fuerat tales, mirum haud modicè de talibus fatigare Imperiales ſi auſi ſint aures. Quid enim ad illum, cui de tota climatis noſtri eſt cogitandum opus referre Monarchia, de vno in alterum ſe ſi collocat pauperculus aliquis lectum, de vno in aliud ſi ſe vertit quilibet latus. Cauillatoribus igitur materia eſt; ad id inſtant cui agendo ipſi vti miniſtrem. Falſa veris, opinabilia certis atque coniungam, rumuſculos hîc congerens pro valentia veſtros, quò vos vtique exaciem cunctos, quæ dicatis, quæue de me, quali quoque ſenſu dicere valeatis, per quandam præueniens anticipationem huiuſcemodi, ſimilem cui ante me, credo, de ſe nullus fecit, de me promere tento ipſe

relatum. Legat ergo qui volet & de me proferat peius quiddam ſi valet.

Quantis Ratherius calumniis iniuriiſque laceſſitus.

Famulos, inquiunt, quos non audet flagellare, malos ſeruos non ceſſat vocare. Dicit, quia pro eo quòd eſt animoſus atque pauperrimus, nolit Miniſtrum vel Capellanum habere, quem fillonem non audet appellare. Milites non opitulari ſibi inſtanter cauſari, quodve capi ſciuiſſéntque illum abduci: Mores, Lectionem, & cantum carpere Clericorum: Inlegale coniugium nominat adulterium: Legem, quam conſuetudinem dogmatizat, tenendam. Opus ſeruile interdicit dominica die. Non modò inuſitato ſedet, inaudito commiſſos Deo iubet modo ſeruire. [ Ad magna præmia perueniri non poſſe niſi per magnos labores, ] non quieſcit clamare: Vbi ergo Reges vbi omnes diuitiis affluentes, indéque voluptuosè vadunt viuentes. Calamitoſis nam iſte ſolùm Regnum Dei hoc dicto promittit. Naſum ſemper tenet in libro, inde garrire non ceſſat omninò. Redarguit omnes, contiguus nulli cuius mores placeant illi. Quem verò laudat qui ſeipſum ſemper vituperat? Illâ ſed fortè deceptus Apoſtoli veriſſimâ ſententiâ, malè vtique intellectâ: *Si nosmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.* Quaſi peccatorem ſe confiteri alicui ſufficiat, ſi peccatum quod confitetur non deſerat, cùm vtique ſi alter hoc ei diceret, moleſtiſſimè ferret. Quæ dicit, ſcribit, legendáque poſteris, præſentibus vt derogent, linquere geſtit. Chronographiam græcizando vanus, cùm non ſit ſaltem latinus, huiuſmodi ſui temporis vocat ſcripturam, quæ vtique contemporalium ſibi contineat vitam; ſe primùm, ſe mediaſtinò, ſe rodens ipſum poſtremò: inde omnes ſuopte more viuentes. Genuinum in eis figere non deſinit dentem, intactum deſerens neminem. Vnde quia contra omnes lingua eius, lingua meritò eſt omnium contra eum. Ferri verò vtcunque poterat linguæ procacitas eius; digitos iure aliquis frangeret contumaces illius, venturis talia ſcriptitantes. Quid plura? Diſſimilis omnibus honorem curantibus eſt eius vita. Veſtibus non comitur, calceamentis turpatur, * ſcamnalia non quærit. menſalibus indiget, lectiſterniis mediocribus, cæteráque ſupellectile delectatur, pretioſa non ambit. Nil quod gloriæ pertineat

Gregor. homil. 37. in Euang.

f * ſcamella.

pertineat in eo videtur, nil quod honori. Manus tantùm & labia cibum lauat ſumpturus, necnon & ſumpto faciem ra-rò. Forſitan in patria ſua fuerat bacularis, ideò illi tam honor omnis eſt vilis: longè aliter ſæpe licet dictum ſit frequentiùs nobis: filius Carpentarij, ideò tam gnarus, támque voluntarius eſt baſilicas ſtruendi, vel reſtruendi, lapides ſemper verſat & reuerſat; ipſe eos ſæpe connectat.

Quæ ſunt ſeruorum agere non dedignatur; Dominorum adeò negligit vſum, vt poſthabito * curule Pontificali frequentiùs decubet humi. Epicurus ac veluti alter, ſummum in voluptate bonum qui cenſeat eſſe, ſi ventri bene eſt, ſi lateri, ſi pedibus, ſi ſibi eſt ſuíſque ſufficiens ſoli contentus. Non curat ſibi manducanti vtrum quilibet aſſideat cœtus: Menſa quippe illius expers diuitum, ſodalitatem haud reſpuit nec incongruè vilium, pauperem aſſerens menſam, locupletes dedignari conuiuas. Inter nobilem & ignobilem ad ſuum commodum nullam facit diſtantiam peragendum, multos aſſeuerans nobiles ignobilia, multos ignobiles nobilia ſæpe feciſſe, nobilitatemque ex potentia & proprio actu quàm ex alieno, Saluſtio teſte, pendere; fugere ſic quam ſe ſimulat, tali forſitan modo mercari conatur honorem. Oſtentatione ſolummodò, vt cernitur, captat veram gloriam, vana commutat Labeo, remur, ob talia factus, incidit in eos forſitan actus, quos penè ſemper in ſuis deplangit ſermonibus, manu peccatoris commotus, pede ſuperbiæ calcitratus, halitu Behemot inflammatus, à gratia Dei expulſus, non valens conſiſtere rectus, immundum quid, indeque iniquum forſitan operatus. Viſitans enim ſpeciem ſuam tam ſæpe delinquit, vt ſicut ille quondam in Threnis de aliis, ita iſte de ſe dicere veraciter poſſit: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Enimuerò niſi ita proculdubio eſſet, & ſe talia vel feciſſe, vel facere, vnde infernales luere debeat pœnas, non agnouiſſet. Ad illam quâ prandent cæteri horam, cùm ſit edaciſſimus, ipſe pranſiſſet; carnem vt aliquotiens, ſemper vt alij, comediſſet, tot millia vicibus vt ſolus exiſtens agere narratur; Væ mihi, væ non quoque clamaſſet. Non deſunt enim qui ſæpiſſimè audiant eum ſolum quaſi cum altero rixari, & aliquando dicere: Quiduis iterum diabole? Nonne

*ſ. dignitate.*

*Thren. 3. 51.*

iam conſenuiſti in talibus mecum, effœta membra, & enerues cur adhuc laceras artus? Nonne tibi ſatis ſum traditus? Nonne ſatis gehennam habeo emptam? Quid amplius pretij quæris? Minoris potuit vita perennis emi: Si non ſufficiunt verò quæ ſunt in libro confeſſionis meæ deſcripta, recurre maligne ad tuum, vbi vtique ſcio nihil malorum meorum omiſſum. Sufficere ſed fateor poterant tantummodò illa quæ Italia, Francia cantat & Norica, quæ non ignorat Burgundia, recolit Prouincia, meminit Septimania, Saxonia loquitur, Sueuia recordatur. Inueteratum dierum malorum me nominari valere, ſufficere tibi maligne poterat iure. Scio tamen verſute, ſcio, quòd me quem, proh dolor! tenes, non quæris, ſed pro me adquirere alios ſatagis.

Hæc cùm audimus quanti eum habere valemus? Deo diſplicere illum agnouimus, placabilem nobis eum quomodò facimus? Deſperationis enim cùm verba ſint iſta, quid de eo cenſere valet noſtra cum eo æſtimatio, ita vt vituperet ſua.
1. Tim. 3. 2. Et cùm, auctore Apoſtolo, inreprehenſibilem oporteat Epiſcopum eſſe, tanta tam reprehenſibilia inueniri in vno valere, quis valet ferre? Inter omnia verò eius eſt maximè miranda loquacitas, cùm diſertitudinis nulla ei ſuffragetur facultas, nec Magiſtrorum Auctoritas vel Lectorum immenſitas. Si mirabilis itaque Deus in ſanctis & operibus ſuis, mirabilior, vt ita dicamus, in talibus tali talitérque conceſſis. Aſinæ Balaam, vel eidem Idololatræ ſacrilego eum poſſumus comparare; prophetanti vtique & decipienti, benedicenti & maledicenti, compuncto & obdurato; Eliu cùm tamen idem eſſe qui & Balaam credatur, aſſimilare; quem miratur Dominus ipſe ſententias ſermonibus imperitis inuoluere, quod agere non deſinit iſte: Lucernæ alios illuminanti & ſeipſum vrenti aptare. Bonitas itaque ei ineſſe ſi cernitur aliqua hypocriſis magis putanda, quàm bonitas vera. Quòd & ſi reſtruit, inquiunt, vel conſtruit Baſilicas, cænodoxiæ hoc vitio facit.

Vtinam mentirentur, vel potiùs fallerentur! Iſtud tamen
1. Cor. 4. 5. eſt iſtud, quod Apoſtolus prohibet dicens: *Nolite ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.*

Quamuis me non ab eis, tamen in hoc penitus diſſentire fatear ipſe. Quid tali igitur, inquiunt, Epiſcopatus? Imperatori non ſeruit, Duci nequaquam, in exercitum nunquam, ad cortem rariſſimè, & ſi fortè, non ſponte. Id tamen ſi facit, ad Palatium quatriduo pergit ſaltem tranſacto, quò citiùs valet diuerſorium repetit: Librum receptat; de nulla re Cæſarem appellat. Nil ab eo quærit, nulli ſuorum apud eius clementiam ſuffragat, Eccleſiæ ſuæ nihil adquirit; perdere plurima ſinit. Cum primoribus nihil actitat Regni. Hoſpitia illorum non adit, colloquia paruipendet; ad ſuum eorum nullum inuitat. Nulli illorum quicquam largitur, vel ab eo petit, domum ſemper vacuus redit, iuſiurandum nemini offert, neque à quoquam requirit. De nulla huius ſæculi gloria aliorum ſe infra mittit exemplo. Dicit ſe gloriam ideò deteſtari, quia cùm voluit eam nequiuerit adipiſci; modò dum non dabitur frui ſtultiſſimum eam ſit affectari. Pedem ſi vult aliquis oſculari illius cum magno eum repellit clamore. Solus ſi liceret tota die ſederet, libros verſaret vel reuerſaret. Frequentiam odit, ſolitudinem diligit, trocho non ludit, aleam fugit, de canibus nil curat, de accipitribus nihil. Interdum loquaciſſimus, interdum eſt quaſi mutus; riſu diſſolutus, ſubindéque triſtiſſimus, rixaríque actutùm paratus. Scurrilitatem verò, vel verba otioſa, riſúmque mouentia, omni proferre, ſiue ſit lætus, ſiue iratus, paratiſſimus horâ. Det autem non det, rogari nullo modo volet impatiens ſemper, patientiſſimus ſæpe; quòd & ſi dat alicui, promittere patitur nulli. Fallaciſſimus, ſi non dedignaretur mentiri; Verſutus, ſi non exoſos & ipſe haberet, & Deum crederet habere verſutos. Omnibus ambiguus, indéque nulli concinnus. Ex liberaliſſimo prætereà, & vt veraciùs dicamus, dilapidatore pro prodigio quondam, tam eſt tenax nuper effectus, quaſi in alium ſit virum mutatus: ex quo perſpicuè inſtabilitas valet conijci eius. Dicit manduca, ſi nolis, ſit tibi compulſio nulla. Bibe ſaltem, ait, nolente verò minimè cogit. Sede non tibi dicit, non ſedentem verò * excultare nequaquàm omittit. Si quæris ab eo importuniùs aliquid, iraſcitur; ſi quod neceſſe, tacet: Inde acriùs irritatur; ſi ingenioſè, incipit inſanire. Si vult facias, ne facias dicit; ſi non fieri optat,

*f.* * excultare.

facito profert. Fallax & ſi nonnunquam in relatibus, veracem ſe ſemper parere conari in promiſſis aſſerit velle. Nil vnquam boni inchoauit quod ad finem perduxerit.

Caudam Hoſtiæ indeſinenter Domino detrahit, indeque
*Matt.* ſalutem ſibi ipſe miſerrimus adimit. *Qui* enim *perſeuerauerit*
24. 13. in bono *vſque in finem, hic*, teſte Domino, *ſaluus*, exceptis procul aliis, *erit.* Cùm & cæterà qui perſeuerat, vt iſte videtur facturus, in malis, perditus abſque dubio erit. Et heu miſer atque infœlix! quare ſaltem in iſto quo nunc ſtat non conuertitur termino vitæ. Sed videtur nobis quòd ideò ſit deſperatus, quòd immiſerit in tali rete pedem ſuum, in cuius maculis ambulans, expediri nullo modo poſſit. Dum enim Monachus fuerit, & nunc Epiſcopus ſit, ſi relictis ouibus monaſterium repetit, timet audire: O Paſtor & Idolum derelinquens gregem; Sin Apoſtolum de ſe timet dixiſſe:
1. *Tim.* 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*
12. Dominum quoque: *Nemo mittens manum ad aratrum, &*
*Luc.* 9 62 *aſpiciens retrò, aptus eſt Regno cœlorum.* Vnde cùm fuiſſet captus, cœpit cantare ſtultiſſimus: *Ecce quod cupiui iam video.* Putabat enim, fatetur, quòd eſſet tunc penitus expellendus, & gaudebat quòd ipſe non dimiſerit Epiſcopatum; ſed Epiſcopatus eum, & hac arte volebat, vt dicit, repetere Monaſterium, promittens ſibi propter hoc dixiſſe Domi-
*Zachar.* num ipſum: *Conuertimini ad me, & ego * reuertar ad vos.*
1. 3. Quod cùm minimè proceſſerit, putat de ſe deſperatiſſimus
al * conuertar. illud prolatum: *Si concluſerit Deus hominem, quis ei dicere poteſt: Cur ita facis?* Nedum enim de tranſactis agere pœnitentiam, de malis perpetrandis nullam nos ſinere eum dicit habere penitus abſtinentiam, cùm & pro noſtris, ſi ſua non haberet, poſſet omninò damnationem perpetuam metuere, ſceleribus; quæ vtique nec compeſcit dictis, nec emendat exemplis, nec diluit meritis. Quâ ſcilicet incommoditate triplici interceptus, in quodam ſuo Opere alio, ſic Deo clamare compulſus: *Si meos Domine mortiferos conatus proſperari permittis, quam mihi fiduciam euadendi relinquis? & ſi à præſentibus malis non ceſſo, quam veniam de præteritis ſpero?* Iſtam igitur iſtam dicit concluſionem illam exiſtere: *In quam ſiquis inciderit, æternaliter Deo concludente, dum non*

*aperiente, peribit.* Peribit verò iuſtè: Iuſtitia enim nil facere poteſt, vt iſte declarat, iniuſtè, ponens exemplum de Apoſtolo tale: *Qui factus eſt nobis à Deo iuſtitia.* Quâ vtique eius mœſtitudine quidam noſtrorum decepti, putant eum præſulatum velle dimittere, ipſo proſequente, & non negante, quòd vellet & nolit. Vellet ſcilicet, ſi liceret; nolit, quia non licet.

Nos prætereà tanta de eo mendaciter dicit confingere, vt ipſa ſolummodò abominabilem eum omnibus facere; & cùm ſit animoſiſſimus acerrimè cruciare. In tantum verò non curat ſi quis de eo malè loquatur plerúmque, vt duodecim nummos nuperrimè cuidam dederit, qui ei tota die conuiciaretur præmij loco. Dicit ſe ita præoccupatum timore gehennæ, vt nihil ampliùs ſit ei opus timere. Vnum etiam verbum otioſum, & vt nobis credere cogit, turpiſſimum, tali loco ſe fatetur dixiſſe, quòd dum recolit, & de eo rationem redditurum ſe in die iudicij audit, omnem verecundiam huius ſęculi in comparatione ipſius pro nihilo ducit, aſſeuerans non poſſe vllo modo fieri, vt qui de tali verbo, tali loco prolato, occaſione quoque pro tali, rationem in die iudicij contigerit reddere, *Venite benedicti Patris mei* Matt. 25.
*percipite regnum*, cum cœtu audire valeat Beatorum ſibi prolatum. 34.
Beatitudo enim cùm omni careat miſeria, verecundia verò de talibus ad maximam pertineat miſeriam, qui de tali ſermone in conſpectu totius rationalis creaturæ, Angelicæ vtique atque humanæ, rationem reddiderit, beatus eſſe vmquam quomodò poterit?

Quid amplius? Qui vult eum cognoſcere, ſtudeat librum confeſſionis illius totum perlegere: nam ſi talis, vt illìc recitat, eſt, peior illo nemo in ſęculo eſt. Si verò mentitur ſe talem eſſe, mendaciſſimus conuincitur fore. Nullus præterea liber, nullus ſermo, nulla ipſius hiſtoria, nil poſtremò eſt, quod poſteritati legendum dictauerit vmquam, quod eius non accuſet, ſi bene intelligatur, malitiam. Pſalmos ſe dicit non ideò cantare, quòd nouerit exaudibiles eos, cùm ſemper aliud cogitet eſſe. Sed quia cum ſentiat ſe illos peruinuitum canere, ipſam vim quâ contra voluntatem eos recitans ſibi ingerit, putet ad hoc aliquid valere quod contra

Deum volens actitat ipſe, ſiue vt labia ſaltem ipſa compellat Deo ſeruire, & ſi corde vagante; cæteriſque Deo rebellantibus membris, eum & in nullo eorum magis ſit ad irritandum Deum, quàm in exceſſibus linguæ procliuis. Idem & de ieiunio, & omnibus quæ bene videtur agere, dicit; inter enim omnia mala deſidioſus tam eſt, vt niſi ſemper operetur torpore obdormiat, nec tamen in dormiendo valeat durare, quod tamen aut in ſcamno aut humi libentiùs agit. Pœnitentiam pro aliorum ſe dicit agere dum vſque ad nonam ieiunat, cùm poſteà ſaturetur peccatis, cùm veraciter agat pro ſuis inſufficientiſſimè quamuis. Quibuſdam verò vno tempore tam eſt beneuolus, tam alio maliuolus, vt omnes mirentur. Mirum verò quòd mirantibus referre, cur hoc faciat, audet. Dicit enim quòd nemo ſit in terra, qui de illa re quæ ad illum pertinet, aliquam ſuper ſe poteſtatem, cui non audeat reniti, aut etiam nolit, attrahat. Ampliùs, cùm habeat amicum, facturum quidem ſe dicit quod ineuitabilis præcipit poteſtas, omnibus tamen diebus, quibus quod taliter dedit Deo, cui dedit, tenuerit, ſemper ei inuidiam portabit.

Hoc Duci inclitæ dixit in fronte, hoc monſtrauit in Sikero atque Lanzone. Primò enim poſt infinita mala, quæ ei
*ad.** cùm tribus iſdem Sikerus intulerat vicibus, * eſſet amiciſſimus, & ei tale quatuor annis ſiuiſſet tenere caſtellum; Vnde, excepto alio ſeruitio, ſex libras denariorum Veneticorum omni habere poterat anno. Inſuper in voluntate haberet, quòd omnem terram, quæ trans lacum de Eccleſia Veronenſi eſt, inter illum partiretur & generum eius, pro eo ſolùm quòd eo die quo Milo putauerat Epiſcopium ſuper eum euincere, miſit ei in breuiculo iam bis fatus Sikerus omnia quæ ipſe illi amicaliter contulerat, aſſerens ſe illa non dediſſe pro vlla compoſitione, ſed pro terra adquirenda. Cúmque illi Epiſ-
*l.** Cuſtos *à Scarda* cuſtodia. copus, vt eſt vtique * Scardus, remandaſſet non ſe illi ampliùs daturum aliquid, niſi de Archiepiſcopatu Mediolanenſi, quia de Veronenſi nec dimidium, vt nec faciebat tenere vtique manſum, ſufficeret ei quod ipſe dederat Caſtrum, & ille remandaſſet ei, quòd ſic vellet eum tenere pro ſuo gratu, ſicut pro vno fellone, quia per donum Imperatoris & Im-

peratricis illud cùm mentiretur, teneret; in tantam iram exarſit ille ſanctus Epiſcopus, ille Prædicator, abſtemius ille, veraciter verò hypocrita ipſe, vt ei ſtatim illam tolleret terram. Lanzo verò cùm Arnoſtus & Bucco cum maximo labore & promiſſis quod apud Imperatorem longè optimum ei adquirerent, vix, vtpote apud tam ferocem aduerſarium, obtinuiſſent, vt beneficium maximum filio eius largiretur. Lanzo vtique poſt hæc omne illud maximum beneficium, cùm ſibi retinens nihil inde filio, cùm ſit miles bonus, & Epiſcopo cariſſimus, ſinat tenere, ſed pauperrimum indecentiſſimè compellat ſuo Seniori ſeruire. Pro hoc tantillo commiſſo furibundus iſte Diabolus ita eum habet exoſum, vt nec recto viſu intueri valeat illum. Quod cùm & Grimaldo & Conrado, qui contra ipſum terram illius volebant tenere, feciſſet, omnibúſque ſit infeſtiſſimus, qui per poteſtatem alicuius abſque iure tenere conantur aliquid quod ad ius pertinet ipſius, mirum qualiter ſaltem viuere talis ſinitur Diabolus. Quis ergo talem amare queat aduerſarium? Qui tamen ſi fortè placet alicui magis pro ſcurrilitate, quàm pro ſua illi placet aliqua bonitate, qua vtique ſcurrilitate gratus probatur ipſis etiam inimicis exiſtere.

Munera viciſſitudinem exigentia non adeò diligit. Si pauper verò ei quidlibet affert eum ſtultum appellat, qui vtique aut ſibi illud non retinuerit, aut meliori non detulerit. Mauult ſufficiens quàm diues eſſe; indigere quàm abundantiùs aliquid cogatur tribuere: In hoc ſæculo omnia dilapidare, quàm poſt mortem ſuam abundanti alicui de eius contingat bonis gaudere. Loricam Galiuerti Medici recordari omnibus ſuadere non ceſſat; fraudem atque perfidiam rogatariorum, diuitias Epiſcoporum in ius redactas meritò Regum: Audiant igitur Reges, cogitent cuiuſmodi tali referant grates. Tam ſe velle dicit mori mendicum, vt alterius eleemoſynâ eius contegatur cadauer; ita enim præ vilitate corpus nominat ſuum. Adquirendi nunc auidus, ſubindéque profuſus: continenter eneruis, eneruiter continens; monſtrat nullum ſibi fore voluntarium bonum pati quam amplecti dominica, à peccatis cohibentia dicta. Affectando terrenam fugit prodigioſo genere gloriam, fugiendo capta-

tur, pomposſus ipſe, vanam huius ſęculi non ceſſat carpere pompam, ſceleſtiſſimus ſcelera reprobare. Decipiendos ſuo ingenio non negat minimè multos; Si non quod non parum
*Pſal.* 51. veretur iuramentum ab eo exacturos noſceret illos, vel *ſicut*
4. *nouacula acuta feciſti dolum* in fine ſibi non timeret dicturum Diabolum. Cùm omnibus verò ſit malus, Iudæis eſt peſſimus, Non quia eos flagellet, quia non audet, non quòd bona eorum diripiat, ſed indeſinenter eis conuitiari non ceſſat. Superſtitiones illorum vituperat. Reprehendit omnes qui ſuper Chriſtianos eos extollunt, qui Dominum IESVM Chriſtum, & ipſius ſanctam Genitricem eos blaſphemare permittunt. Dat exemplum de Regibus, vtrúmne velint eum pro fideli tenere, qui patienter tolerat ſi audit quòd aliquis de illis malum, aut exhonorationem aliquam dicat. Reprehendit eum qui eos ſaltem ſalutat, aut ſalutantibus reſpondet, nedum eis oſculum donet, vel cum eis manducet:
1. *Cor.* 15. dat auctoritatem de Apoſtolo dicente: *Si quis non amat Do-*
22. *minum* IESVM *Chriſtum, cum eiuſmodi nec cibum ſumere, &*
1. *Cor.* 5. 11.
2. *Ioan.* *qui dicit Aue, communicat operibus eius malignis* Reprehen-
11. dit omnes qui libentiùs cum eis negotiantur, quàm cum Chriſtianis. Dat teſtimonium de maledictionibus in Pentatheuco ſuper eos prolatis, vbi etiam maledicta dicitur negociatio eorum. Non reprehendit verò ſi defendantur à Regibus & Principibus Chriſtianis. Dicit ſub perſona illorum Eſaïam Chriſto dixiſſe: *Sub vmbra tua viuemus in Gentibus.*
*Pſal.* 105. Et Pſalmiſtam: *Et dedit eos in miſericordias in conſpectu om-*
46. *nium qui ceperant eos.* Tantummodò reprehendit quòd ſinuntur vituperare nomen Domini IESV Chriſti, & aſtruere quòd non ſit Deus, & ſancta eius Genitrix non fuerit Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo poſt partum, neque genuerit Deum. Quis enim, ait, patienter hoc ferat, niſi ipſe Diabolus: cùm nemo poſſit ferre vt malum audiat aliquem dicere de ſuo Seniore, niſi qui maximus fello conuincitur eſſe? Filius Diaboli dicit, quòd Dominus IESVS Chriſtus qui me creauit, qui me redemit, qui me continet, paſcit, defendit, vitam æternam poſtremò mihi promittit, non ſit Filius Dei, & ego non iraſcar ei? Quòd Mater eius non peperit Filium de Spiritu ſancto, cui Domine adiutor meus, &

Redemptor

Redemptor meus clamare non ceſſo ( dicit maligniſſimus fello ) non indigner immò inſaniam ego?

Dicit quòd anima ſancti Petri illîc ſit vbi anima patris ſui, & ego qui ſum ſeruus ſancti Petri amicus ſim ei? Idola me dicit adorare, & ego illi non dedigner oſculum porrigere, & ſi non audeam colaphum dare? peior ipſo Iudæo, conſimilis ipſe eſt Diabolo, qui propriè non iraſcitur tali. Negat Deum qui negantem Deum amat Iudæum. Non eſt Chriſtianus, cui blaſphemator Chriſti placet Iudæus. Non eſt Dei amicus, cui Dei complacet inimicus. Non eſt Regi fidelis, cui Regi non diſplicet infidelis. Si ſic iudicant Reges de ſeipſis & infidelibus ſuis, quare idem de Chriſto & ipſius non iudicant inimicis; cùm ipſe ſit Rex Regum, & ipſe eis dederit quod ipſi ſub ſe poſſidere & regere debeant Regnum? Quare genus Deo inimicum intra ſibi commiſſum Regnum contra eum latrare permittunt. Suffecerat ſi eos viuere ſinerent vtcunque non permitterent eos Dominum IESVM Chriſtum tam publicè blaſphemare: *Sub vmbra enim tua viuemus*, dicit de eis Propheta. *Viuemus*, inquit, non oblectabimur, *& dedit eos in miſericordias*: non in extollentias, non in amicitiam, non in nullum honorem. Quale eſt autem quòd Clerico contendente pro Chriſto, Iudæo blaſphemante Chriſtum, pugnâ conſertâ Clericus Iudæum, Iudæus ſi percutit Clericum, immò in cœlo Chriſtum ( ſic enim Saulo eſt dictum ) Erimbertus noſter verborum contortor, legum dicit diſtortor, triplam compoſitionem de Iudæi percuſſione Regi cedere, de Clerici nullam alicui? O ſancte Ioſaphat, Rex in cæteris optime, vtinam hîc fuiſſes, diceres quid tibi mandauerit per ſuum Dominus quondam Prophetam: *Impio*, ait, *præbes* auxilium, & qui oderunt Dominum amicitia iungeris. Quid eſt hoc? Hoc enim hiſdémque verbis ſolent Reges dicere de ſe, & illis qui amici ſunt Infidelibus ſuis. Quid, rogo, tunc de Chriſto de ſe, & de Iudæis Chriſti Regis cogitant inimicis? Cùm verò veraciſſimè ſciant quòd Iudæi ſemper malè de Domino dicant, & eos ſaltem non prohibent, quid de eo quod dicit Apoſtolus cenſent: *Non ſolùm qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte*: Legimus illum dixiſſe: Et hæc quidem de Iudęis

*Thren.* 4. 20.
*Pſal.* 105. 46.
*Rom.* 1. 32.

rata atque iuſta, Deoque placens illi dum videatur ſententia, cùm ſit immò garritio caſſa.

Ad ipſius vt iterum mores redeam carpendos, ſpecialiter ſe dicit neminem in ſęculo, niſi ſolummodo Imperatorem, ſeque ipſum, diligere, generaliter neminem odiſſe. Hoc verò quid ſit nequimus aduertere: Conſanguineorum nulla eum afficit cura, ſiue quia nil eos in tantùm cogitat indigere, vt ſe ſolùm & fratrem ex eis nouerit pauperes fore; ſiue quia interdictum ſibi eis aliquid dare nouerit canonica lege, ſiue quia decrepito ſibi nullos cogitat eſſe, cùm & qui ſunt, iam in ſexta ſint illi ætate, & loco fratrum ſeries ſucceſſerit abnepotum. Hoc licet, vt eſt vtique garrulus, garruliter ac mendaciſſimè dicat. Salutantem non reſalutat, ſed magis iraſcitur ei, dicens, quia ſi inimico ſuo obuiaſſet, ſimiliter eum ſalutaſſet. Eiulare eum dum ſæpe audias: immo potiùs vlulare, raro videas flere, odduratione mentis, paritèrque formidine, illum vexari vales aduertere. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, ſed dum cantat ſæpe, idem, remur, triſtitiam cordis putat conferre quod fletum. Auguſtinum quoque dixiſſe dum recolit, quòd nunquam ſit ſine gemitu orandum, aliud eſſe gemitum credit, putamus, aliud fletum, & gemitum fieri ſine lacrymis poſſe; Fletum verò nequaquam: Loco enim vbi dicitur: *Et egreſſus foras Petrus fleuit amare.* Fœlices quidem, ait, Petre, lacrymæ tuæ. *Matt.26. 75.*

Si ei aliquis dicit: Vade ad Imperatorem, roga reſtitui tibi quæ ſunt Eccleſiæ tuis diebus ablata; reſpondet: Quid mihi ampliùs iſto triennio morituro neceſſe? An vt modò ſilicernius exercitum incipiam ad procinctus bellorum conducere, prædas exercere, excubias Regibus miniſtrare; diuitias illis me in inferno retruſo poſsidendas congerere, milites poſt me venturo adquirere, & quaſi filio quod illi ſuccedat parare? Stultiſsimus ſe talia facerem gentium, intra ſufficientiæ terminos nam degenti quid deeſt niſi probitas mihi? Meliore vti non quæro veſtitu: quotidianus meæ congruens vtilitati non deficit victus. Quòd & ſi ampliùs haberem, non ſinerem diuites ea mihi pro anima dare, cogerent potiùs in vanitate conſumere. Non inficior tamen affluentiſsimus vt eſſem percupidè optauiſſe, ſi tempus fruendi ſenſiſſem mihi

adeſſe, vel ſi vt vellem daretur mihi quod haberem expendere: Quadraginta iam fere ſunt anni ex quo ambire potentiam cæpi, nunquam valui illam adipiſci, aut ſi ſum eam adeptus permanere mecum nequiuit diutiùs morituro; nunc mihi ſi daretur, quod rogo conferret, cum ea mihi frui nec anno liceret; propter hanc ſolùm fili recordare quæ recipiſti bona in vita tua in infernum, audire ſi præſertim contingeret, & præmia perdere, ad quæ, auctore Gregorio, nemo poteſt peruenire ſine magno labore? Cùm verò in hac patria ſumptum quem requirunt pompaticum aliquis adipiſci non valeat ſine peccato maximo tantùm, nedum opes poſſit maximas, quod & conſequenter requiritur, inuenire: Nonne eſſem dementiſſimus, ait, ſi de animæ perditione aliis diuitias adquirerem meæ. Accerſientem me ſanè iam olim, ait, dum conſiderem miſſum ad rationem reddendam de adminiſtrato nequiter diutino potentatu, exaggerare mihi ipſe rationis reddendæ vecors non timeam cauſas: *Iam non poteris villicare*; Ætatem ipſam intelligo clamare, & villarum amminiſtrationem plurium mihi committi deſiderem ipſe? Hoc ſufficere ſimúlque inuidioſiſſimus diuitibus cunctis ſibi fatetur, ſi illi ſaltem redderentur quæ ſic de iure Eccleſiæ in Ius ſunt Regum iniuſtè redacta, vt ampliùs ea non poſſit recuperare, niſi modò reddantur Eccleſiæ. Quærerem quoque, ait, vt quod anteceſſores illius præceptis ſuis Eccleſiæ noſtræ contulerunt, vel firmauerunt, defendere, nobis contra Comites, Vicecomites & Scoldaſcios dignaretur. Si quid etiam vel ab inuaſoribus illis duobus, vel à me, vt neceſſitate, aut per fraudis alicuius ſubreptionem, vel commutationis, vel libellarij nomine, vel quod precariam vocant, contra Deum & rectitudinem, eſt actum, omnem præciperet per poteſtatem reſcindi; neque rogarem vt mihi redderentur, ſed cuicunque ei placuiſſet vſufructuario concederentur, tantùm ab Eccleſia non alienarentur. De me nil aliud flagitarem, niſi vt tantummodò dignaretur meæ puſillitati dominatio pijſſimi Cæſaris reſpondere, quis debeat deſtructas diœceſis noſtræ Eccleſias reſtituere, vel vnde, quid ego habere, vnde mihi à Deo & ab ipſo commiſſum paſcerem gregem, ſanctæ Dei Genitrici collata quæ

*Luc.* 16.2.

*f.* * Soldaſcios.

debet amminiſtrare, & vbi vel qualiter diſpenſare perſona: De me enim ſcio quòd debeam terrena deſpicere, & amare cœleſtia. Nunquid verò non ſatis haberem ad meum viuere terram, ſi eam ſaltem, quam Parrochiani mei, & etiam inimiciſſimi ſine gratu meo tenent, tenerem. Quæ tamen omnia ſaltem non dicturum ſe fatetur fuiſſe, niſi pro fidelitate quam ei iurauit perſanctè cogeretur de animo Cæſaris non parum curare, dicere dementiſſimus nullomodo ceſſat, ſpem ſe nullam habere quòd in diebus Imperatoris ſibi ſit bene. Si verò peccato ſuo illi contingat eum defunctum, quod abſit, audire, interficiendum ſe illicò fore, non ſe deſperare; neque tam curare amicum ſe nullum: nam in hoc ſęculo vtilem niſi ipſum habere, quamuis & ipſe inimicis ſuis contra eum non deſinat iuuamen præbere, & ſibi ablata illis conferre.

Talis itaque talis cùm, vt non denegat, nullum amet, nec ametur ab vllo, quid, aiunt, ſęculo valet? Nil, inquam, nil. Quid enim ſi tales interiora mea pernoſſent, & cur huiuſmodi ſim animi ſciſſent? Suſpectos verò eoſdem de iſtius montis ne linguam conſcenſu, diutinóque in eo moratu, vnde ſcilicet modò ampliùs cruciari veriſono eos percœpi relatu. Adſint rogo, & dico: huiuſcemodi in me Dux inclyta comperiens mores. Indéque mihi inimicos per plures, deſtitumque amicorum præſidio, vt pote aduenam, omnium: verita ne peiùs etiam mihi quàm contigit, eueniret, commendauit me tuitioni Comitis non ignoti. Quid magis? Neminem accuſo, neminem excuſo; vitupero neminem, etiam laudo non aliquem; captus ſum, abductus, reductus. Dixit Comes iam tactus meâ mihi id improuidentiâ contigiſſe. Si quidem illum, præſidium quod palatium vocatur conſcenderem, mandauiſſe, me noluiſſe. Monuit ne domui vltra me crederem illi, in qua talia pertuli, ſed curtem altam quæ munitior eſſet vtique inhabitatorem: credidi, egi, & ex munita munitiſſimam feci. Mandauit iterum ſibi, eâ relictâ palatium aſcenderem, tutius fore. Obtemparaui, vaſtiſſimum erat, recuperari illud, ocyus feci. Peracto, mandauit rurſum vt vxorem ſuam cum infantibus mecum habitare ſinerem ibi; ipſe in circum, quod arena dicitur, ob cuſtodiam man-

ſicaret, vt & incœpit facere vrbem. Viſum eſt perabſurdum, vti & nemo ignorabat niſi ſtultiſſimus quiuis illorum: Nullius iſtic iterum vel accuſo, vel excuſo ingenium, deſcendi tamen domumque formidoloſam licet, repetij. Non auſus in ea diu morari, Gardam pergere inchoaui, Conſilium ſed demutaui reuerentiâ quæ imminebat paſchali. Elegi quemdam ciuitatis angulum, petij ipſius conſenſum, dedit etiam auxilium. Conſtruxi in eo ædificium, fuit illicò concrematum: quis verò fecerit eſt à nullo quæſitum. Reſtruxi meliùs. Sum ne facerem ab eo prohibitus. Eſt iterum reſtruendi data licentia, proſperiore ſcilicet lyra, laudes canente poſt probra. Suſpectum me incipiunt reddere talia. Meditatur iterum Gardam confugere timiditas mea. Intérque meditandum, venit domnus Ioannes Diaconus, cœpit coram me de plangere porticum ſancti Petri, quòd ruinam vtique minaretur ſui, niſi ſubueniretur ocyùs illi. Promiſit auxilium, quod & impendere non diſtulit. Aſcendi, conſideraui, humeros ad ſuccurrendum paraui. Præualeſcente deſiderio iuuandi, conſpexi multa magis ineſſe ad emendandum neceſſaria, quæ non confido impleri poſſe in vita mea. Non habeo fidum cui hoc committam miniſtrum: Siquidem illum cui vnam libram argenti, pro trabibus emendandis commiſeram anno præterito; immaniter mihi inde bauſiaſſe percepi: Facio pro me ipſe quod poſſum, cùm habuero factum reuertor ſi præcipis, inimiciſſime, qui ſollicitaris exinde domum: Tu ſi libet & quando libet intra in tuum non prohibeo furnum.

Eſt iſta hîc aliquantiſper morandi rationabilis occaſio vna ex octo. Tuæ verò malignitatis ne ſileatur intentio, maluiſſe te optimè ſcio, tali quod euerſarer in loco, ex quo inimicis eſſem adibilis meis. Neque te dolere quod domum ſuſpectam reliquerim, ſed quòd me in tuitiore locauerim, atque ob hoc te excuſari non poſſe fore de me homicidam, quamuis adhuc meam ſeruet Dei prouidentia vitam. Neque me credideris quòd quotidie non interficias tuis machinationibus ipſe, quanquam me nolens videas viuere, dum audis Deum ſcelere de alio dixiſſe: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Hie- *Matt. 5. 28.*

ronymum quoque: Væ nobis miſeris qui quotiens concupiſcimus, totiens fornicamur: Ita enim & tu poteras dicere: Væ mihi miſero, qui quotiens iſti captiuo moriendi decipulas tendo, totiens eum occido. Mentiri me poteras dicere, ſi de minore culpa non legeretur dilectus ille Chriſtus
1. *Ioan.* 3. 15. dixiſſe: *Omnis qui odit fratrem ſuum*, id eſt, quemlibet Chriſtianum, *homicida eſt*. Sed vindicabor, vindicabor, inquam,
*Rom.* 12. 19. certiſſimè noueris, vindicabor. *Mihi* enim, ait Dominus, *vindictam*, ſubaudire valemus, reſeruo, dum reum flagellari permitto. Ego tamen retribuam, dicit Dominus. Si enim
*Pſal.* 88. 31. de nobis cantitat Pſalmus: *Si autem*, inquiens, *dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga inquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.* Iſto igitur ſenſu fœliciſſimos dixerim pulſos ab Epiſcopatibus propter ſua facinora Præſules, in comparatione illorum, de quibus per quemdam
*Iob.* 21. 13. dicitur veriloquum: *Ducunt in bonis dies ſuos & in puncto ad inferna deſcendunt.* De flagellatoribus verò, pace, quem intueor, tua, quid per alium Dominus dicat depromam illo-
*Iſay.* 47. 6. rum: *Iratus ſum ait Dominus* (Babilonem redarguens impiam:) *Iratus ſum ſuper populum meum, & tradidi eum in manus tuas: non poſuiſti ei miſericordiam, nec memorata es finis tui. Venient quoque ſuper te mala, de quibus non poteris exire. Irruet ſuper te calamitas, & neſcies ortum eius.* Talem ergo me, vt protuli, eſſe ſi libet tibi non prohibeo dicere, ſi placet, peiùs etiam quidlibet ſi vales: Attamen fare. Me tamen arbitror nil vituperabilius tibi, nil turpius quod de me dicere valeat, reliquiſſe. Non ignoro tamen quod mihi
*Matt.* 12. 37. nunc poſſis opponere: *Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, dicente ſcriptura: damnabilem te ipſa probat confeſſio tua. Neque confiteor, neque diffiteor, aio. Damnatorem verò procul abeſſe, ille non deſinit mihi promittere, qui digito ſcribens in terra, quibuſdam narratur: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*; clementer dixiſſe. Huius at proh nefas! anapeſti ſuſpecto, multa inemendata linquuntur in ſęculo, igni re-

ſeruata perpetuo ; dum ſcilicet quilibet conſcius ſibi parcit alteri. Quid de ſubſtantia huiuſmodi ſacrificij poſſit cenſeri, adhuc extat, fateor, perincognitum mihi. Inde à planta pedis vſque ad verticem ſanitatem nobis deeſſe poſſumus, fateor, deplorare ; qui faciat bonum hodie quoque vſque ad vnum deeſſe. Quem vnum cùm ipſum caput bonorum cum membris aliquibus ſuis Deum intelligere promptum ſit eſſe, pro raritate tamen noſtratium ad illum pertinentium vnum, ſpecialiter vnum hîc expreſſum ſaltem æſtimare valeremus vtinam Imperatorem hodierni temporis glorioſiſſimum, qui cùm præ omnibus qui per hoc trecentorum annorum curriculum Romanum gubernauerunt, diuiſione licet Regnorum, Imperium, nobilitate, potentiâ, ſtrenuitate, induſtriâ, virtute, prudentiâ, ſapientiâ, benignitate, conſtantiâ fortitudine, clementiâ, æquitate, opulentiâ, largitate, cæteraque commodorum ad hoc omnium ſingulariter affluat copia peragendum ; hoc ei vnicè diuina concedere dignaretur omnipotens ô vtinam gratia, vt ſe primum, inde ſub ſe ſibi commiſſum vertere ſatageret Imperium, ad bonum omnimodis omiſſum. Corruptis enim & abominabilibus factis Chriſtiani, proh dolor! nominis vniuerſis, præcipuè Rectoribus, ita diuinus omnimodis perijt olim, fateor, cultus, vt nihil magis videamus diſcordare quàm quod Dominus præcipit &, Vniuerſitas, proh nefas! agit. Ex quo cùm, Deo annuente, vnum illum, hoc eſt, Imperatorem excipere geſtiamus pijſſimum, ſuggerere illi ſi auſi fuiſſemus omnimodis ſtuderemus, vt ad cætera quibus pollet ſingulariter illud adderet bonum, quod illud ſibi aptaret Iob ſanctiſſimi *Iob. 29.*
vtique dictum: *Cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inueſtigabam* ; *16.* Dicente enim Gregorio: Quid enim mirum ſi aliquando fallimur, qui homines ſumus. nil magis officit illis hominibus, qui ſuper alios conſtituti ſunt homines, quàm fraus & perfidia conſiliariorum ; ſi illud eis applicatur poſtremò propheticum: *Væ qui dicitis malum bonum & bonum malum.* *Iſay. 5.* Delatores verò quidam ſapiens dicit nunquam defore, *20.*
ſi quis illis credulus voluerit eſſe ; per contatorem, ait, fugito alter ; nam garulus idem eſt. Quibus cùm ſuper omnia regna miſera ſit referta Italia, & interpretum ad hæc per-

agenda ſit nimium prompta perfidia: Adhibenda illis tantò ſollicitior cautela, quantò ingenioſior illis ineſt ad id factitandum, promptiórque malitia. Vt enim vnum ex innumerabilibus proferam: Cùm inſtaret HVBERTVS Parmenſis, vt accepto animarum pretio riuali illi cederem meo: affuit vnus ex amiciſſimis meis, neque tamen adeò gratis, qui cùm mihi auxilium ad hoc maximum habuiſſet promiſſum, noſtram adiens Ducem intimare ſtuduit ei, Imperatorem Iuſtiſſimum totidem velle, neſcio tamen ſi adiecerit, mandauiſſe. Miraculum, inquam, miraculum tantus Imperator, tam Iuſtus, tam Dei amator, tam illius reueritor, hoc ſe velle, quod tam Deo eſſet contrarium, teſtaretur. Potuit hîc ſanè contingere alicuius mendacio Cæſarem tantùm deceptum fuiſſe, qui me diceret vtique itidem velle. Cúmque comprehenſio mei, expulſio, ſpoliatio, abductio, retruſio, Eccleſiæ direptio, domus Epiſcopalis deſtructio, eleemoſynæ Imperatoris deletio, facti illius diffactio: vrbis irruptio, reuerentiæ Imperialis vilipenſio, & alia multa his cohærentia adhuc eſſent, vt & exiſtunt, in cauſa, melioratione relictâ, de ſola peieratione homicidalis perageretur ſolummodò cauſa. Cauendum præſertim etiam à talibus ideo eſt, quòd conſuetudo certiſſimè deprehenditur eſſe noſtratium, vt culpabiles de qualicunque re anteà ſe ad poteſtatem quamlibet reclament, quàm is cui iniuria extat ab eiſdem illata, vt nuperrimè noſcitur ille feciſſe qui conductor præcipuus exiſtens omnium qui me quondam cœperunt, & innumera mihi & meis mala ſemper ſtruens & faciens; inſuper ab Inuaſore Præſulàtus mei ad Diaconatum poſt furta & ſacrilegia, quæ illi impingunt qui noſſe ſe dicunt, cùm fuiſſet contra jus faſque prouectus, terram iuris noſtri per poteſtatem tenens, atque diripiens, ad pedes nemine perſequente confugiens Domini Imperatoris, mentitus eſt quòd ſuum ei beneficium abſtuliſſet. Quanta huiuſmodi tales faciunt? Quis eos valet vitare, niſi qui cauſam quam neſcit ſtudet diligentiſſimè inueſtigare? Quis verò Rex aliter Regi Regum valet concordare, niſi ſtudeat hoc ſollicitè agere? Quis Iudex ſine iſto juſtum valet decernere? Quod Domino noſtro pijſſimo ipſe Rex Regum, vt agat, dignetur rogamus concedere;

dere; agentíque hoc viciſſitudinis loco referre, vt & in hoc ſæculo longæuo ductu imperet fœliciter, & in futuro regnet cum Chriſto perenniter, Amen.

## *Diſcordia inter ipſum Ratherium & Clericos.*

MAXIMAM aiunt inter Epiſcopum & Clericos Veronæ conflatam his diebus diſcordiam. Sed qui aiunt? Nimirum illi qui ex quo cœperit conflari, ſunt prorſus ignari; Vt verbi gratiâ vtique illi, qui putant Iudam tunc primùm perijſſe quando miſer Dominum vendidit, cùm iam olim cum Apoſtolis corpore conſtitutus perierit, quando ſcilicet auaritiæ inebriatus veneno tandiu non deſtitit lucrum ſitire, donec miſerrimo ad laqueum contingeret peruenire. Diebus, inquiunt, iſtis, non per omnia falſum, ſed oſtenſione quàm actione potiùs verum. Monſtrato quippe quid ſit diſcordia, nunquam inter me & illos probabitur fuiſſe concordia, prodente præſertim hoc traditione, quam hinc iam pepulerunt, trifaria. Eadem namque velle atque nolle, ea demum amicitia, ſi iuxta illum, qui hoc primitus dixit, eſt firma, vel ſi iuxta alium humanæ amicitiæ pares animos & non diſſimiles expetunt adeò voluntatis, vt nunquam diuerſitas morum ad firmam poſſit peruenire concordiam. Nunquam vel apud me vel apud illos ſtabilitatem amicitia ſemper contraria cupiens obtinere, vt non valuit noſtra, ita quoque nequibit, cùm illi ſemper conſuetudinem anteceſſorum, Pontificibus ſuis inceſſanter rebellium, ſanctis & à Deo decretis prætulerint Canonibus. Ego Sanctos & à Deo decretos Canones à Diabolo inuentis præferendos putauerim vſibus. Prohibitas enim in Nicœna Synodo Mulieres tam conſuetudinaliter, támque publicè habere, tam paruipensâ Dei & hominum reuerentiâ, ipſo quoque timore gehennæ in tantum poſthabito, vt putent adeò fieri, non modò licere, ſed etiam oportere, vt nemo hoc facere deuitans videatur eis peſſimo illo quod Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos memorat, ſcelere poſſe carere, non tibi videtur Diabolum inueniſſe? Et, ô Sancta & immacu- Cap. 3.

lata virginum pudicitia, quàm & tu nuſquam, ſi hoc verum eſt, apud perditos verò ſine infamia es. Quàm perdita Tonſatorum vniuerſitas tota, ſi nemo in eis qui non aut adulter aut ſit arſenoquita. Adulter enim omnis eſt qui contra Canones vxorius eſt. Quis ergo Clericus eſt? Adulter enim Clericus nullo modo, ille alter multò minus eſt. Si enim Clericus ideò dicitur, quòd de ſorte ſit Domini, quod rogo conſortium aliquis poteſt habere cum Domino in vnoquouis iſtorum permanens flagitio? Væ inſuper Chriſtianorum generalitati, ſi iuxta æſtimationem iſtorum nemo poſſit inter eos inueniri qui non ſit aut hypocrita cum Phariſæis, aut Publicanus cum Ethnicis. Publicanus enim eſt, qui adulter publicè eſt. Hypocrita eſt, qui ſub pallio religionis inreligioſiſſimus; ſub clamide caſtitatis inceſtus, ſub prætextu iuſtitiæ iniquiſſimus eſt. Ideò verò ſuperlatiuo contra iſtum comparationis inuehor gradu, quia non ſemel recolo lectum:
*Iob.36.13.* *Simulatores & callidi prouocant iram Dei.* Hoc ita ſe habente cùm hypocriſia & inceſtuoſitas longè præcellant alia in ſcelere crimina. Eò cætera ſunt grauiora, quò magis publica: illa enim ſolos interficiunt operatores, iſta & operatores necant, & conſideratoribus nocent. Quia enim non habent latentia peccata iudicium, de manifeſtis loqui omnibus conceditur, de abſconditis nulli. Si enim, vt iam contingere potuit, quis cum pecude quolibet in angulo ſolo Deo coeat cernente, tu per ſuſpicionem tantùm inde eum vituperas, vt facere poteras vtique ſi vidiſſes, quid agis, niſi quòd ſolius Dei eſt tibi vſurpas? Quis autem non valet de aliquo quod volet confingere? Et ô quàm ex ſe alios conatur metiri, qui non putat alios alterius modi poſſe exiſtere, niſi cuius eſt ipſe, ruſtico illo non ei diſconueniente nimirum prouerbio: Qui fuit in furno pares ſuos inibi quærit.

Et iſta quidem omnia facere vel loqui per vſum, contra Paſtores rebellare per vſum, quod generaliter omnibus eſt Clericis delegatum, ita inæqualiter & per * Maſſaritias diuidere, vt quidam illorum inde fiant ex pauperrimis locupletiſſimi, quidam mediocriter, quidam pœnè nihil ex eo accipiant omninò, per vſum & conſuetudinem illorum, quos iamdiu detinet Baratrum; ad poſtremum omnia iura

* *A maſſa*, villa, *deduci videtur inde*, maſſaricia, *ſuppellex.*

tam diuina quàm præuaricari per vſum, non tibi à diabolo videtur inuentum? Quod verò ſcriptum inuenitur in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis; quod in Euangelio, Actibus & prædicationibus Apoſtolorum, Decretalibus Pontificum, & Conſtitutionibus Canonum, non rurſum à Deo tibi elucet inſpiratum? Nihil verò in iſtis, quod eorum iam nominatis congruat conſuetudinibus, dum nequeas inuenire, qua eos iudicas viuere lege? Inter prohibentem igitur talia, & ſi prohibere non audet, ſaltem reprehendentem ac vituperantem, & facientes talia, quæ poteſt eſſe concordia, præſertim cùm Dominus ſub appellatione gladij, ipſam vt mitteret veniſſe ſe aſſerat diſcordiam? Ait enim, notum eſt, apertum eſt, ait: *Nolite arbitrari quia venerim mittere pacem in terra; non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam.* Et quod iam per Prophetam dixerat: *Inimici hominis domeſtici eius.* Quare autem inimici hominis eius ſunt maximè domeſtici, eſt ratio euidens; quia videlicet cùm quidam vnis claudantur parietibus contrariis, à ſe diuerſis ſunt moribus; euenit enim ſæpe vt maritus ſobrius, vxor ſit ebrioſa; ille manſuetus, illa iracunda; ſed iſte Dei timore, illa propria voluntate; iſte Deo inſpirante, illa Diabolo inſtigante. Quæ ergo inter tales concordia, quæ pax, quæ eſſe poteſt amicitia, nolente iſto quod deſiderat, illa cùm ab ipſo Deo huiuſmodi præceſſerit rixa? Ipſe enim manſuetudinem præcepit, iracundiam prohibuit, nulli alteri aſſenſum in malum præbere, per Apoſtolum ita docendo, conceſſit: *Non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus digni ſunt morte.*

*Matt.* 10. 34.

*Mich.* 7. 6.

*Rom.* 1. 32.

Te ergo contra legem Dei faciente, ego qui ad te corrigendum à Deo ſum inſtitutus, non debeo ſaltem latrare? Te conſuetudinem illorum, quos infernus ſine dubio detinet, ſtatutis illorum qui cum Deo in cœlis conſiſtunt, præferente ego neque auſus ſim ſaltem mutire? Quid ergo faciam dum cum quibuſdam miſeris mihi te quoque dicentur præſente: *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini; & probaui te ad aquas contradictionis?* Poterítne mihi ami-

*Ezech.* 13. 5.

citia tua illîc aliquid prodeſſe, qui nunc tecum mihi ſuades pacem habere, vt cum aliis valeam dicere : *Pepigimus fœdus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum:* cùm iuxta illius Doctoris ſanctiſſimi dictum, tutius ſit homini inimicitias Diaboli meruiſſe, quàm pacem; cùm non deſinat per te iniquitas iuſtitiæ repugnare, cæcitas luci, mendacium veritati reſiſtere? Te contra Dominum ita dum videam rebellare, vt ne quod tibi mandauit digneris ſaltem audire, ſed Iudaïco ritu mandata Dei relinquere, hominum traditiones & vſum tam obſtinanter tenere, vt de te poſſit dictum haberi; Peccatum Iudæ ſcriptum eſt in vngue adamantino?
*Ezech.* 3. 18. Obliuiſcine me ſuades vnquam dictum audiſſe : *Si non annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem eius de manu tua requiram.* Et, *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Et, *Dimittte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Et, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia iungeris.* Et infinita inde diuinæ comminationis tonitrua. Legi in quodam B. Columbani libro; idem Officium habere in Eccleſia Sacerdotem quod poſſidet in corpore hominis ſtomachus, qui ſcilicet acceptum excoquens cibum, miniſtrat eum omnibus membris, quorum vnumquodque ita in ſuam conuertit illud naturam, vt quod ſuſcipit iecur fiat ſanguis, quod ſuſcipit fel fiat bilis, quod deſcendit in pulmones efficiat flegmata. Hoc igitur exemplo ſi fortè contingat vt quibuſdam audientibus proſit ad vitam quod alicubi loquor; pluribus ſuſcitet iracundiam, vt verbi gratia ſenſerat ille qui dixit; *Sicut acetum in nitro, ſic qui cantat carmina cordi peſſimo* : debuerátne propter illorum formidinem ſaltem vnus eorum negligi, cui quod dicitur ad ſalutem proficere poſſet? Et vbi eſſet quod Ezechiel à Domino dicitur ita : *Fili hominis verba illorum ne timeas, & vultus illorum ne formides, quia domus exaſperans eſt?* Vbi dicentis : *Qui me erubuerit & meos ſermones; & hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in gloria ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum?*

*Iſay.* 5. 20. *Matt.* 8. 22. 2. *Par.* 19. 2. *Prouerb.* 25. 20. *Ezech.* 2. 6. *Luc.* 9. 26.

Quòd ſi mihi opponas ſcandalum Eccleſiæ debere vitari; non contradico. Oppono tibi tamen duo Euangelij loca; Vnum ſcilicet vbi Dominus Petro dixiſſe refertur : *Simon Reges terræ à quibus accipiunt tributum, ab alienis, an à filijs?*

*Matt.* 17. 24.

Illo reſpondente ab alienis: *Ergo liberi ſunt, ait, filij ſed ne fortè ſcandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore illius inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te.* Alium, vbi dicente eodem cum cæteris Petro ad Dominum: *Scitis quia Phariſæi audito verbo ſcandalizati ſunt*: non curandum de huiuſmodi monſtrans ſcandalo, dixit: *Sinite illos*, ſubaudis ſcandalizari: Quare? Subiungit cauſam, & ait: *Cæci ſunt & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadent.* Quaſi vtique dixiſſet: Quia & ipſi cæci ſunt, & alijs cęcis in perditionis foueam cadendi pręſtant ducatum, non curandum de illorum ſcandalo. Melius eſt enim iuxta quemdam, vt ſcandalum oriatur, quàm veritas relinquatur. Quia etiam ſi propter illos veritatis relinquatur aſſertio, non propterea meliorabuntur, ſed vt cœperunt in perditionis pręſcito illis ab initio ruituri deteriorabuntur miſeri baratro. Et iſta quidem vt ſufficiant, quærendum vnde iſta tamen exorta ſit inter nos modò diſcordia. Sed ſi quis aduertat quod ſuperiùs prolatum de Iuda, non modò exortam hanc videbit diſcordiam, ſed à tempore ordinationis meæ nunquam inter nos extitiſſe concordiam: Quod mille probabunt indicia, ſi quis meminiſſe valebit, qualia mihi iam acciderunt; quanta licet nunc fiducia Imperialis præſentiæ, & Synodi adunandæ in propatulo ſit deſignata. Eſt tamen occaſio huiuſmodi rixandi nobis, quòd ſcilicet eis manifeſtauerim* quodam hîc ideò ſuppreſſa, quia in Huberto Epiſcopo directâ continetur* Epiſtolâ iſta, non vi tamen eos ad ea ſequenda compellens, ſed ratione perpendenda ſuadens.

*Matt. 15. 12.*

*Ib. v. 14.*

*f.* * quondam.

* *Vide ſupra pag. 161.*

## *In Canonibus Apoſtolorum.* Cap. 39.

[ Omnium Eccleſiaſticorum negotiorum Curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet &c. * ]
Eat igitur qui volet ac iudicet, quid horum melius fuerat, vel peius; quòd ſcilicet iſta formidine Deum exaſperantium iam per triginta quinque ferè annos quaſi patienter tulerim. An quòd modo tam ſerò licet hęc contra illos protulerim,

* Quę ideò expunxi, ne lectori faſtidium generent, quòd ea ad verbũ ſu-

per ìs re- cùm veraciſſimè Gregorio docente didicerim, quòd inimi-
tulerit Au- cum tolerare, ſed odiſſe, non ſit virtus amoris, ſed velamen-
thor, nĕpe tum furoris: & Auguſtino credentiſſimus extem dicenti:
ab his ver- [Quia recuſat in Chriſti eſſe corpore, qui odium mundi non
bis, ad, *appone ſa-* vult ſuſtinere cum Capite.] Nam præter hoc quod contra
*crilego.* pag. 168. Canonum ſanctorum iſta fieri reprehendebam decreta, & iam illud me maximè nuper commouit, quoniam quidem cùm de dimittenda mulieroſitate Auguſtalis intonuiſſet aduerſum illos voluntas, omnium penè excuſatio extitit: Non poſſe propter inopiam hoc vllo modo fieri. Potuiſſe verò vtcunque ſi ſtipendium debitum ex rebus habuiſſent Eccleſiæ. Viſum autem mihi fuit eos habere potuiſſe, ſi aut vnuſ-
1. *Cor.* 3. 8. quiſque illorum mercedem iuxta Apoſtolum in Eccleſia propriam ſecundum ſuum laborem acciperet, aut vti in Acti-
*Act.* 4. 35. bus legitur Apoſtolorum, diuiderentur Clericis delegata pro vt cuique opus eſſet. Huius rei gratia volui agnoſcere omnia quæ ſiue ab anteceſſoribus meis conceſſa, ſiue admodum timentibus viris ſunt eis collata, & ſufficerent optimè ſi non vellem eiſdem his quæ quibuſdam ingratis & inimicis contuleram ſtultè prouidenter ſupplere. Hoc tam fortiter recuſauerunt, vt mori ſe antea malle proferrent, quàm hoc factum viderent. Nec inaniter. Cauſa enim illorum cùm, Deo gratias, non mediocris ſit, ita per maſſaritias & alia huiuſmodi extat diuiſa, vt quidam illorum inde valde diteſcant, multitudo verò paupertate langueſcat, & proh nefas: qui maius Deo in Eccleſia exhibent ſeruitium aut nihil, aut modicum accipiant; qui penè nihil de famulitio vnquam actitant, domini locupletes de rebus Eccleſiaſticis fiant. Quòd ſi quis eorum contra talia conatur ſaltem mutire, dicitur ei: Vt ego mortem expectaui meorum qui me præceſſerant Magiſtrorum, ita tu meam expecta, & bonis quæ ipſe præſentaliter fruor, & tu frui poſt obitum meum ſtudeto. Hoc quaſi ſit dicere: Me illuc conſtituto vbi ſunt quos imitari decerto, tu me ſequi conare, & in eadem quâ cecidi barathri fouea rue; vt hoc ſit veraciter cęcum cęco cadendi ducatum præſtare.

Tu ergo, inquis, quid feciſti ad iſta? Monſtraui illis auctoritatem Canonicam, illi contra conſuetudinem vſitatam.

Miſi eis vicinorum quoſdam; mandaui eis adiurando per fidelitatem quam mihi non ſemel iurauerant, vt ſi aliquam authenticam rationem inde haberent, non mihi celarent; ne cùm in Synodum veniremus verecundiam mihi facerent, ſi me iniuſtum exigere aliquid probauiſſent. Et vt in illorum Sacramentis nullam mihi monſtrarent habere potuiſſe vnquam fiduciam. Dixerunt, proh nefas! ſe ſatis ſcire multis multa iuraſſe, quæ nullatenus valerent implere: Adijcientes ſtultum eſſe, vt me conarentur docere. Mandaui rurſum illorum quibuſdam, quòd in vtroque delinquerent, ſi aut me contra ſe, aut ſe contra mę permitterent ſcienter contendere. Reſpondit cuius maximè intererat, quòd ſtultiſſimè faceret, ſi vel me toto ſęculo prædicatum, vel Magiſtros ſuos docere præſumeret. Hoc nihil iuuante conatus alio eos modo ad pacem, non quidem mundi, ſed Chriſti compellere, cùm quidam illorum de me haberent beneficia. Interminatus ſum, quòd ſi mihi interdicerent quod mihi competeret, ego quod illis conceſſeram, tollerem. Reſponderunt in tantum ſe non curare, vt ſi quod alicui illorum dedi auferrem, non mihi inde minus fideles eſſent, tantùm de iſtis illos nullatenus inquietarem; & veraciſſimè: Nunquam enim mihi pro dato fideles, nunquam pro ablato infideliores, quia non potuerunt, fuerunt. Infideliſſimi nam mihi exiſtere, nullo vnquam tempore (parcat illis Dominus) ceſſauerunt. Sed quare? Apoſtolus dicat. Me etenim hoc totiens replicare nimiùm fateor tædet: *Erit*, ait, *tempus* 2.Tim.4.
*cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria* 3.
*coaceruabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Vt inlegalitates apertiſſimas fabulas nuncupaſſe illum intelligas: Res enim ficta propriè dicitur fabula. Per omnes ſanè ſermones quos populo iſtâ Quadrageſimâ feci monere mecum omnes non deſtiti, vt redire non differremus ad pacem, ſed quam, proh dolor! nunquam tenuimus, Chriſti: qui aliquos vtique læſerunt, pręceptum illud Domini recordantes; quod ego paratus agere omnimodis fui: *Si offers munus tuum ad* Matt.5.
23.
*altare*, & reliqua. Læſi verò dicentis: *Cùm ſtatis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem.* Quo & fa- Marc.11.
25.

cere paratiſſimum me, ſi dignati fuiſſent rogari, non ceſſaui eis promittere, tantùm in vera pace hoc vellent efficere. Quod tamen potiùs eorum in tantum augebat ſuperbiam, & accendebat vſque ad criminationem quoque mei malitiam, vt peius etiam mihi ipſi de me compellerent credere quàm hoc ſit quod tibi, Ambroſi Cariſſime, ſcriptum reliqueram nuperrimè, nedum aliis permittant de me boni aliquid æſtimare.

Quia verò perfidi ſemper de beneficio peiores fiunt, & qui aliquid eis confert, nil aliud agit, niſi contra ſe pugnandi vires illis miniſtrat, & vt perfidia propagetur, laborat, quod causâ protuleram comminationis, in effectum vertere non diſtuli actionis, & præcepto vſus dicentis: *Da bono; & ne ſuſceperis peccatorem.* Illis ablata bonis duobus, id eſt,

*Eccli.* 12. 5.

Beatæ Genitrici, ſanctóque Stephano Protomartyri contuli, vel potiùs reddidi; faciens de quibuſdam inſuper ſcriptum quoddam quod nominant iudicatum, id eſt decretum, pauperioribus Clericis (quorum causâ ſcilicet tantum pertuleram laborem) eiuſdem Eccleſiæ. Hoc eſt, Presbyteris, Capellanis, Subdiaconibus de Secretario ſeptem, Cantoribus ſeptem, Acolytis de Secretario ſeptem, Cantoribus quinque, Oſtiarijs ſex, non vt mihi fideliores tamen, ſed in ſeruitio Domini fierent promptiores, & ceſſante paupertatis occaſione ſtudioſiores in Domini diebus ac noctibus fierent ſeruitute. Inueteratâ itaque hac jam per aliquot annos, nunc non quidem vt ferunt actâ, ſed quod melius eſt pace facta, diſcordiâ. Peſſima non ceſſant mihi tendere vt ſemper inſidiarum, me tamen non ignorante, molimina, & qui dicebant ſe non curare, ſi quod de meo habebant ab eis auferrem, neque ob hoc mihi minus fideles exiſterent, tantùm eos de his quibus eos interpellaueram inquietare ceſſarem; Securi nunc de mea ceſſatione, de meo ab eis ob ingratitudinem illorum recepto me ſatagunt poteſtatum quorundam patrociniis inquietare. Me autem ad flagella pro peccatis meis ſubeunda paratum Dominus dignetur miſericorditer reſpicere, & ab illorum inſidiis clementer defendere; illis veniam largiendo, & pacem veram illorum cordibus ingerendo, vt ſimul pacificari omnes mereamur cum Chriſto.

Chriſto. Quòd ſi parui penſo quod Iob quondam dixit beatus, id eſt, *Cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inueſtigabam*; mihi miſerrimo contingat, quod miſeris contigit, de quibus legitur illis, quia etiam ſi apud Scytas cauſam dixiſſent inculpati abſque dubio dimiſſi fuiſſent, conueniat facienti mihi nam ad flagella, vt dixi, in tantùm parato, quantùm dolor meus in conſpectu eſt meo ſemper, ille vtique quo & doleo quòd peccato talia patior meo, & ne peiora in futuro patiar metuo, mihi, inquam, aliud non pertinet agere, niſi velle optare, & indeſinenter Deum rogare, vt cui fidelitatem iuraſſe me recolo, nunquam id facere contingat, vnde gratiam ipſius inrecuperabiliter perdat, ſed illud potiùs ei diuina concedat pietas agere, quod & hîc diutiùs fœliciter imperare, & in futuro perenniter cum Chriſto faciat exultare. Amen.

*Iob. 29. 16.*

## APOLOGETICVS LIBER.

CAVILLATORI non modò actuum atque ſermonum, ſed & intentionum ſuarum indeficuo fautori, ac defenſori aduerſariorum cuidam præcipuo, Ratherius hæc vniuerſa timoris IESV iugulo modicùm tactus perferre, quàm his cedere promptus.

Tanta me veſtra illa vrbanitas, quam de Martiano, cæteriſque huiuſmodi trahitis, quorum me tantò fore haud diffiteor ſecurum, atque incupidum, quantò in me illud cadere vereor poſſe nonnihil elogium; quo iam olim de quibuſdam; *Semper dicentes, & nunquam ad cognitionem veritatis venientes*, eſt veraciſſimè, vt & de vobis valet, prolatum. Tanta, inquam, me afficit hæc eadem ineptiſſima, immò per nulla Philocompiæ vrbanitas veſtræ, anguſtia, vt dum colloquimur grauatiſſimus; dum apiculos, vel ineptiunculas quaſdam plus aloes, quàm mellis, plus veneni certiſſimi, quàm ſalutaris antidoti geſtantes mihi mittitis: Vt vtique modò per nequam famulum, ne vobis loqueretur ſaltem, ne dum aliquod iuuaminis à vobis exigeret, optarem

*2. Tim. 3. 7.*

prohibitum, confectiſſimus adeò reddar cum Pſalte illo, vt libeat vti de multis, de vobis ſpecialiùs quoque vociferari
*Pſal.* 118. 85. notiſſimo: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua* Domine. Verùm à vobis compulſus, cùm pro temporis congruentia geſtirem nunc ſaltem exiſtere feriatus, quantulumcunque apologeticum dictitare. Cùm glorioſiſſimus hinc abijſſe diſpoſuiſſet Auguſtus, credidit fidei meæ quiddam argenti, ex quo perficere deberem Baſilicam ſancti Zezonis, peculiaris, vt ſcitur, noſtri Patroni; poſtquàm ſcilicet omnia, de quibus habueram victitare, ne dum ſuperfuiſſet vnde, vt ſuadetis, quas, iſto relicto * qui commiſſus meæ eſt fidei, opere, poſſem eleemoſynas facere, eius abligurierat non dico potentia, nego violentia, ſed certè præſentia. Et ô quàm vera Aurelij illa ſententia, quâ fatur temerarijs iudicijs fore omnia plena. Cùm enim ſanctus & non diſpar illi aſſerat Gregorius, quòd nunquam propter obedientiam malum ſit faciendum, nonnunquam verò bonum intermittendum; quis valeat credere, vt pecunia ab illo credita cui eſt tam ſanctè iuratum, aliò debuerit expendi, quàm præcepiſſe placuit illi? Pauperibus, inquit, fuſcator, vt ille quondam Chriſti cenſuit proditor. Sed vellem ſcire vbi nam illi ſint pauperes: Nam cenſu itatenus pauperes, vt pro eis reſtructio deberet Eccleſiarum (etiam ſi ex meo vt debuerat, fieret) remanere. Nullos, gratias Deo, hîc eſſe comperio, niſi (mirabile dictu, incredibiléque auditu) me, & quos alere vt domeſticos debueram ipſe. Sed puto quòd apud vos non alantur niſi ab Epiſcopo pauperes. Sed hoc iſtîc neceſſe non eſſe clamat liberalitas qui iſtam incolunt patriam omnium, ne eligas cui miſerearis præceptum communiter obſeruantium, & vſque ad crapulam & ebrietatem eos contra Dei compellentium ante horam quoque, præceptum cùm deberent & ipſi ſolemne cuſtodire vt cæteri fideles jeiunium.

*f.* * Quod cómiſſum meæ eſt fidei opere, &c.

Moral. in Iob. lib 35. c. 10.

O verò vtinam qui non ampliùs, ſaltem vt ego, modos à Beato Gregorio præfixos erogandi cognoſceret, approbaret, diligeret illos, inueniret proculdubio & talibus, quos Domini noſtri Baſilicam reſtruendi neceſſitati præfertis,
*Eccli.* 12.5 eleemoſynam diuinitus omninò negari. *Da* enim, ait, *juſto;*

*& ne ſuſcipias peccatorem.* Quo vtique præcepto, & quibus cenſum Imperialem tribui ſuadetis, repelluntur peculiari pro culpa: & Beatus Zeno, quem fraudari ſibi conceſſo contenditis pretio, ad recipiendum pro iuſtitia aſſumitur propriâ. Fratrem enim in ſede Maieſtatis ſedentis appellandum credi competit ipſum; quàm aliquem talium, quibus inſuper, ne audiant, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius*, non nihil eſt formidandum. Non fratribus enim ſed magis perextraneis intentari maledictio cernitur talis. Cùm verò de Mammona iniquitatis ob hoc amici ſint faciendi, vt nos in æterna recipiant tabernacula, cùm non dictum ſit *mittant*, ſed *recipiant*, penſandum qui nos ſi ex noſtro quoque faceremus potiùs quirent in ea recipere, ſanctus vtique qui cum Iudice audituros iudicabit, *Venite*; an iſti quibus dicetur, *Diſcedite.* Pauperes ergo ſpiritu hac auctoritate ſunt eligendi, *Ipſorum eſt enim Regnum cælorum:* quod nobis videlicet ſi volunt præſtare, credimus, poſſunt, vt vtiq; ſuum. Quis enim quod non habet alicui confert? Quis quod ſuum eſt, non cui volet eſt potis largiri? Nec hoc dicimus, vt naturæ communionem negligi in aliquo, ſiue juſtus, ſiue iniuſtus ille ſit, ſuadeamus; ſed vt genuinum veſtrum nos ita rodentem piſtillo huiuſmodi conteramus. Omnibus enim cùm nouerimus beneuolentiam ob naturæ ſimilitudinem impendendam, domeſticis tamen fidei, per quos deriuatur ad domeſticos etiam Dei, ſpecialiùs perpendimus exhibendam: ac per hoc nulli valeo, etiam ipſi ſuadeat ſi Angelo credere, acceptabilius Deo exiſtere propria noſtra ſubſtantia vt eis probabiliter tribuatur, quibus dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum*: neglectis qui ſunt audituri: *Venite benedicti Patris mei percipite Regnum:* Ne dum quod ab alio quolibet eis eſt delegatum, nobis commiſſum, ipſis auferatur, & illis conferatur, cùm perſpicaciſſimè de eis ſapientiæ liber, *Prohibe panem illis dare*, contineat dictum: & Apoſtolus de huiuſmodi domos, cùm manibus victus aliquid ſcilicet valerent adquirere, circuientibus cenſuerit: *Qui non operatur*; inquiens, *nec manducet.*

*Matt.* 25. 41.

*Matt.* 5. 3.

*Matt.* 25. 41.

*Ibid.* v. 34

*Eccli.* 12. 6.

2 *Theſſ.* 3. 10.

Quid magis? Maximum inſtare mihi cerno vndique prælium, non oſcitando, fateor, eſt ad Deum clamandum: *Fac*

Pſal. 85. *mecum* Domine, *ſignum in bonum, vt videant qui me oderunt,*
17. *& confundantur: quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me.* Quidam enim ſiue putatis, ſiue à ſe magis confictis, me jaculant criminibus. Quidam bona ſi qua videor agere ſiniſtris interpretationibus non deſinunt infuſcare. Tolerabiliores at iudico eos, qui mali cùm innegabiliter extent, mala malè ſeu ficta ſeu certa proferunt, quàm qui bona boni dum affectent videri, ſi qua mihi cernuntur ineſſe, malè proferentes candidum nigro deturpant colore. Sed prudentiſſimè, rogo, edicas amice, impenſæ quæ conſtruendis vel reſtruendis, ne dico ornandis conferuntur Eccleſijs, non tibi videntur erogari pauperibus? Quorum nam enim commodis proſunt? Nonne eorum qui ſtarent ſubdiuo, ſole torrerentur, imbre madeſcerrent, gelu frigerent? Quorum verò maior pars intrat Eccleſiam, diuitúmne, an egenorum. Millibus ergo domum ab his tribus incommodis tuentem prouidere vtriuſque hominum qualitatis quod eſſe melius reris; an ſi alicui concedatur viliſſima veſtis? Imbrices ſęculo conſeneſcentes lapides, mundo ipſi condurabiles, vniuerſitati, quàm panes in ſtercus ilicò conuertibiles præ-
Pſal. 30. ſtare alicui? *Muta fiant labia doloſa quæ loquuntur aduerſus*
19. *iuſtum iniquitatem*, vt non me putetis hîc juſtum appella-
Iſay. 5. 20 tum, ſed qui dixit: *Væ, qui dicitis bonum malum.* Vt ab amicitia cæterùm quod ſuum eſt exigam; Quam vos ſemper meliùs dando, quàm conſiliando mihi haud inficior monſtrauiſſe, recognoſcibile quid proferens: Siquidem proferenda vos optimè non dubito noſſe, cùm quicquid Eccleſiæ confertur Sanctum Sanctorum ſit Domini, & ad jus pertineat Sacerdotum: quod vtique ſic reſoluendo intelligere me profiteor, vt quicquid domino offertur ſanctum eſſe dicam, & ad vſus delegatum, non verò quorumlibet, ſed ſanctorum, qui vtique in noſtris domiciliis aut requieſcunt, aut ſpecialiùs venerantur. Vſus verò eorum, vſus eis ſit famulantium. Et quia illis Sacerdotes ſpecialiùs debitores ſunt famulari, in iure ipſorum quod eſt collatum conuenienter debere conſiſtere; quod tamen in quatuor partes diuidi ſancti præcipiunt Canones: quarum ſcilicet vna victui eſt Præſulis delegata: Altera præuiſioni ipſius ad Baſilicas

vtique ſtruendas vel reſtituendas commiſſa: Tertia ad vſus pauperum ſimiliter commendata: Quarta Clericorum neceſſarijs deſtinata: Cui verò vos cenſeatis, quæſo, commiſſa? Coniuere cæterùm vt Canonicus ipſe Canonicæ ſi non dedignamini regulæ, omnium Eccleſiaſticarum rerum diſponendi Epiſcopus habeat poteſtatem, haud dubito habeatis quin reſpondere. Vbi verò ad Ptochia, Xenodochia, cæterorum vel huiuſmodi officiorum erit peruentum; Eugenij vobis, reor, quòd ſatis pateat in Decretis ita dicentis ſententia: *[ Per ſollicitudinem Epiſcoporum diſpenſentur omnia hæc per Preſbyteros & Diaconos. ] Verùm hæc aliàs.

** Hæc in edit. non extant.*

Ad propoſitum ſanè quia iuuat redire, portione Clericorum victúque Pontificibus delegato exceptis; de illis quæ reſtant duabus partibus conſilium à vobis expeto prorſus: totum nam cùm paſcere ille debeat gregem, & animaliter ſcilicet & opus ſi fuerit corporaliter, cui dictum eſt: *Si diligis me Paſce oues meas*: ad ídque illa tertia pars ſit delegata. Cúmque, Deo gratias, nec fames patriam opprimat, & plures ſint qui alere valeant, quàm qui eleemoſynaliter alij indigeant: Eccleſiæ verò iſtius patriæ paſſim aut incendio paganorum, aut incuriâ Pſeudoepiſcoporum, ſint vniuerſæ aut penitus dirutæ, aut magna ex parte deſtructæ: Cúmque ex prima & ſecunda parte, tertia & quarta, ſi neceſſitas inſtaret, debuiſſent fulciri, ſecunda cum maximè indigeat releuari, mihique neceſſitas inculcat huiuſmodi, quid quęſo decernitis fieri? Ad illam enim tertiam adiutores habeo innumeros: Ad quartam eoſdem ſibi prouidentes ſupra rectum etiam ac ſufficientiam Clericos: Ad iſtam ſecundam cùm voce vti illius poſſim Marthæ dicentis: Domine non eſt tibi curæ, quòd vicini omnes relinquunt me ſolum, & inſufficientiſſimum Baſilicas Diœceſis noſtræ vel leuare, vel releuare, &, ſi non datur, ornare. Inſuper ſi quid facio illos etiam, amici qui adfectant putari, vituperare, & profligaſſe, meliùs iudicare, quod eſt vtique, vanus eſt qui ſeruit Domino, dicere; incertitudinem certitudini prætuliſſe, peccatores Sanctiſſimis antetuliſſe, & quòd illorum crapulam quàm iſtorum gloriam pluris Deus habeat, aſtruxiſſe; vt vos vtique agitis, meliùs dicentes fuiſſe, vt illis duobus, egenis

*Ioan. 21. 17.*

ſcilicet atque Clero, nobis parum ſua prouiſione, partim
aliorum largitione, non adeò indigentibus, quod habeo
eleemoſynaliter diſpenſarem; & iſtam ſecundam, id eſt
ſtruendarum, vel reſtruendarum neceſſariò partem omninò
negligerem; hócque extitiſſe non ſolùm cogitatis, ſed &
loquimini meliùs: Quis ferre tantum nefas queat auditus?
Non eſt amici, ſed inimiciſſimi perſuaſio, fateor, talis.

Fautorem cæterùm te, ô amiciſſime, omnium inimicorum
meorum præcipuum licet veriſſimè dixerim, cùm non
ſint alij niſi rebelles ipſi Domino, qui me ita lacerant Clerici,
non adeò fortè ſuccenſeo. Siquidem hoc non mei, ſed
veſtri Epiſcopi odio vos agere proculdubio ſcio. Exceptis
enim qui ad Epiſcopatus aſpirant faſtigium, is conſenſus
omnium penè eſt Clericorum, vt libentiùs audiant Apoſto-
*1. Petr. 5.* lum dicentem; *Non dominantes in Clero*: quàm, *Præcipe*
*3.* *hæc & doce*: vel ad alium: Hæc: *Loquere & exhortare cum*
*Tim. 2. 15.* *omni imperio; nemo te contemnat*: Et, *Increpa illos durè*: &
*Prouerb.* alia huiuſmodi ſimilia quæ ſi profero, *Stultus totum profert*
*29. 11.* *ſenſum ſuum*, opponi mihi valere non neſcio. Nulli enim
niſi potentiſſimo, ditiſſimo, ferociſſimo, ac per hoc ſecundum
ſe nec Epiſcopo, ſed, vt muſſant, tyranno alicui, à
Clericis hodie ſuis priuilegium Epiſcopalis defertur honoris.
Omnes ſuos ſibi ſubiectos ambiunt habere Pontifices, omnes
durè audiunt dicentem, cùm Epiſcopos cogitant, Do-
*Matt. 10.* minum: *Non eſt Diſcipulus ſupra Magiſtrum.* Omnibus ta-
*24.* men idem ſit dum per volupè, cùm ſuos ſibi ſubiectos compellunt
honorem etiam, qui non debet hoc exemplo, de-
*Luc. 6. 31.* ferre: *Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*;
Similiter propinatum non haurientes amanter, audiunt dum
*Epheſ. 6.* legitur: *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros.*
*4.* Et hoc à nobis minimè obſeruari, cùm ab eis quod Dei aut
noſtrum eſt exigimus, conqueruntur. Surdeſcunt cùm au-
*Coloſſ. 3.* diunt: *Filij obedite parentibus per omnia.* Tolerantiùs au-
*20.* diunt *Obſecra*, quàm *Argue*, vel *Increpa*. Paruipendunt
cùm maledictio Cham patris verenda prodentis ſuper eos
intenditur: magni ducunt dum aliqua infamia, vera ſit aut
falſa, nobis impingitur. O enim iſtîc vt me ſpecialius ipſe
diſſignem. O miſerum me verbum diebus meis factum in

Iſrael: *Quodcunque audierit tinniant ambæ aures merito illius.* 4.Reg.21.
Poſt tanta enim, talia tam fœda, tam turpia, tam incredibilia, & ipſi etiam ætati meæ contraria, quæ balſama dihorno, & puto quod non adeò inlibenter audiſtis. Ad quam veſaniam veſtri illius Martianiſtæ proceſſerit temeritas nuperrimè, horret edicere, ne peſtifera cohors hoc veſtra inficiatur fœtore, quòd futurum non diſcredo certiſſimè. Nam poſt omnia illa, cùm ſaltem ad comitatum ſine licentia mei ire auſum Canones decernerent deponendum, inaudita vnquam temeritate, venalem illam, vt ait Saluſtius, adiens vrbem, pretio, vt omnia antiquitus, ibi emptas quaſi Apoſtolicas deferens litteras, anathematis tam me, quàm ſucceſſores omnimodis meos eo mulctauit mucrone, vt quiuis abhinc Epiſcoporum ſi de Clericorum ſe inframitteret rebus, perpetuò, vt aiunt, anathemate foret damnatus. Res verò cùm propriè inuiſibiles dicantur ſubſtantiæ; illo vtique innuente, qui nomen partem orationis, corpus aut rem ſignificantem definiuit, quàm breuiter eſſe, quæ ſpecialiùs res ſunt Clericorum, quàm animæ illorum: dum tamen & hinc haud ambigam me non inreprehenſum abire, quòd ſcilicet dubio religionis hoc loco adhibuerim teſtimonium Auctoris Ethnici, quo tamen Apoſtoli ſuffragio nitor, ad Titum contra vaniloquos & ſeductores dicto vtentis inremorſi, * ſic vt non eatis. Clerici at verò ipſi cùm ſint corporales, Clericatus dum ipſe incorporalis, ab omnibus rebus eorum ſi abſtineo, vt corpora, vt ſubſtantias eorum ſumptui delegatas, ita & animas ipſorum; ipſum inſuper Clericatum dum res vtique ſint, æquè negligenda innutantiſſimè colligo. Ipſæ, inquam, res perſonæ ſcilicet ipſorum cùm in animabus maximè, vt protuli, conſtent eorum, cæteris ſpecialiùs rebus dum hoc anathemate mihi ſint interdictæ, ademptam mihi eſſe omninò eorum cum rebus omnibus abſque dubio curam perpendo. Hîc ſi poteſtis igitur aliquid conſilij date. Si enim anathema Sedis Apoſtolicæ paruipendo, præter aliud quid haud paruiducendum, peſſimi exempli pontem omnibus ſterno. Si non: Miſſam ſaltem eis (cùm res ſint ipſæ, Miſſæque cantatio ad maximam de rebus ipſorum inframiſſionem pertineat) nullatenus canto,

12.

f.* ſicut nominatis.

Si Miſſam eis non celebro, quòd eorum non ſim ſaltem Secerdos, nedum Epiſcopus, perſpicuè pando. Epiſcopus ſanè (vt in Synodo eſt Papienſi quondam clamatum) Veronenſium ego ipſe ſi ſum, cùm Epiſcopus ſuperintendens interpretari dicatur, quibus ſuperintendo qui ſubpoſitum omnibus me video? Híſne, qui dum monogamos fore, adulterium publicum dum inlegale vtique coniugium ſit, trigami eſſe, & proh pudor! quadrigami, & hoc Preſbyteri & Diaconi, cùm bigami ex Laicis nequeant ſaltem fieri Clerici, pro nihilo ducunt? qui dum negotiandi legant ſibi interdictum omnimodis vſum, vſurarij temeranter exiſtunt: qui fidem adeò abiurauerunt, vt periuros ſe eſſe multotiens nec negare dignentur: qui collata Eccleſiæ generaliter tam ſpecialiter ſibi vſurpant, vt illis exceptis qui Scribarum & Phariſæorum ritualijs præeminent, cæteri, me ab imo cernente, nec ſuffragari quiddam valente, inediæ peſte vehementer laborant: qui pugnis, vel potiùs ceſtibus, vt hoc ita pro Virgilianis dictum ſit entellinis, in gremio Eccleſiæ inter ſe dimicantes violare eatenus, vti modo Marcianiſta inſtigante veſtro eſt factum, non verentur Templum Dei viuentis; vt niſi præſentaliter reconcilietur, Miſſarum ſolemnia, in ipſo etiam præſentiſſimo Paſcha, celebrari legibus in ea interdicatur. Quorum aliquis Diaconorum colophizari Preſbyterum ordinarium coram ſe ſeruum fecit ante fores ipſas Eccleſiæ ſuperbiſſimè ſuum. Adſumam eiúſne qui ſine licentia mei Romam profectus, egit vt anathemate ſuper me jaculato talium mihi interdiceretur cuncti modis quæſtio?

Huiuſmodi & alia innumera, neque minora inemendata dum facultas non ſequitur vtique omninò relinquere, éſtne quæſo ſuper intendere? Superintendere verò, nequaquam valere, éſtne Epiſcopum fore? Non Epiſcopum autem in Cathedra Epiſcopali ſedere, éſtne, rogo, approbabile atque legale? Ad iſtud ſanè antehac inauditum ſi aliquid refero inſpiratum, non me à vobis inreprehenſum cùm certus ſim habiturum, noueritis tamen me hoc incunctanter, Deus auerterit niſi, facturum, licet vobis videatur homini vt pote carnali, qui non præcipit quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultiſſimè

cùm

cùm non erit tamen, ſi Deus dederit, factum: Victum ſanè cùm ſit gratulari valeatis Ratherium, ne taliter vinci poſſe putantes tripudietis multùm ſuadeo Antonium, cùm ſi fieri poſſet jam fuiſſet abſque dubio factum; diſtare quid inter hominem & homulululum ſit omnibus dum non ignotum. Inuectio cæterùm ô in vos amiciſſimè credi vt cupitis mea, ne in infinitum contendat procedere, terminum hîc ei volo ſtatuere, expedire non inſcius, multiloquij quantocyùs quò vitare ſatagam vſum, cum ipſo peccatum obloquij ne incurriſſe mihi contingat, eſt quod omninò peiùs reatum, veritatis maximè quis ſi tranſiliens metas, caritatis inueniabiliter iure neglecto, incerta certis connectens, veras cùm nequit, falſas vndecunque comportans calumnias, & ſi fingere quaſi probabiles ſibi ingenij prohibet paruitas; candida nigris, nigra candidis atque commutans. Perſequatur quod ob hoc ſe væ illi Pſalmus vt prodit, pro tali commutatione imprecans Deus ipſe, miſerrimus cogitans, ſeque alterius fœlicitate ignito veluti cauterio inremediabiliter vrens: quod à nobis vtriſque dignetur auertere Chriſti ineffabilis pietas, cuius cum Patre & Spiritu ſancto eſt vna eademque agendi vt poſſibilitas, ita regnandi vna eadémque ſęcula perinfinita Maieſtas. Amen.

---

## RATHERIVS *Veronenſis Epiſcopus de Clericis ſibi rebellibus.*

Nocturnali dum intenderem lectioni huiuſmodi nobis non diſconuenientia, & vtinam venialiter, contigit audiuiſſe. Populus ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus: *Nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere, nobis ea quæ recta ſunt loquimini, nobis placentia. Videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra Sanctus Iſrael.* Quod dum cum his contuliſſem quæ cæteris, & in eodem audieram, Prophetis, Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, quæ vos iactatis alijs Italiæ Eccleſijs frequentare meliùs. Cúmque ſermone Domini, quo Prophetæ à ſe conſonans meis auctoribus, in hoc ita loquitur

*Iſay. 30. 10.*

Matt. 15. 8. veſtris: *Populus hic labijs me honorat; cor autem illorum longè eſt à me. In vanum me colunt tenentes doctrinas & præcepta hominum.* Cum Apoſtolo quoque dicente: *Erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Compulſus ſum miſerrimus, heu dolor! nos populum Dominum ad iracundiam prouocantem intelligere, non ignarus Apoſtolum, *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta*, veraciſſimè teſtatum fuiſſe. Filij enim nolentes audire legem Dei, qui aptius, pace quod dixerim veſtrâ, valent intelligi, quàm illi, qui cùm Canonici affectent vocari, & de ſtipe Canonicis delegata inceſſanter conquerantur, in tantùm recuſant eſſe Canonici, vt conſuetudinibus malignorum ſolummodò innitentes, nil quod Canones ſanciunt ſancti, nedum legere, vel facere, tolerent ſaltem audire, eiſdem penè verbis dicentes videntibus eorum vtique periculum animarum cernentibus: *Nolite videre; & aſpicientibus prauitatem ipſorum, nolite aſpicere. Nobis quæ recta ſunt loquimini*, id eſt non quæ vera ſunt, *ſed quæ nobis recta videntur, nobis, non Deo placentia dicite. Videte nobis errores*, hoc eſt ſinite nos noſtris inuentionibus, atque anteceſſorum noſtrorum malignis conſuetudinibus decipi. *Auferte à me viam*, vtique illum qui dicit: *Ego ſum via. Declinate ſemitam*, anguſtam ſcilicet atque arctam viam ducentem ad vitam. *Ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael*, id eſt, deſinat nos inquietare ſanctitatem ſuam nobis ſequendam proponens ſanctus, viſionem veræ ac ſempiternæ pacis demonſtrans, & dominicus quem nobis ingeris ſermo.

2. Tim. 4. 3.

Rom. 15. 4.

Iſay. 30. 10.

Ib. v. 11.

1. Ioan. 14. 6.

Iſay. 30. 11.

Quid verè, filij, ſuper quibus monemur diuinitus non lætari, ſi multiplicemini? quid, inquam, erit, ſi audito miſericordiſſimi Dei promiſſo, dicentis: *Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis. In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra.* Atque poſt pauca: *Expectat Dominus vt miſereatur veſtri*: paruipenditis illud, moribus vtique, & ſi non verbis, reſpondentes, *nequaquam, ſed ad equos fugimus*, quos vtique potentes quoſlibet, quorum patrocinijs fiſi Eccleſiaſticam tam nulli penditis diſciplinam, nil obſtat intelligi auctoritate

Ibid. v. 15.

Ib. v. 18.

Ib. v. 16.

Papæ Gregorij etiam ad litteram vobis Dominum reſpondere contigerit, ideò fugietis, & ſuper veloces aſcendemus, ideò veloces erunt qui ſequentur vos : Vindicans immanitatem rebellionis vtique veſtræ temporaliter, ne damnet vos, vt formidare non deſinimus, æternaliter ? Quid, inquam, miſericordiſſimi Dei euidens magnitudo, & iuſtæ retributionis maxima leuigatio? Hac itaque de cauſa Apoſtolo conniuens, dicenti: *Eſtote imitatores Dei ſicut filij cariſſimi.* *Epheſ. 5. 1.* Quos ille miſericorditer, vt opto, expectat, non auſus crudeliter inſequi, ſpe forſitan licet inani conuerſionem mihi pollicens veſtram, cùm propoſuiſſem vos vti rebelles non modò viliſſimo mihi, ſed & incomparabilis potentiæ Cæſari, immò formidabilis omnipotentiæ Dei, vt & legaliter & imperialiter ſancitum eſt ab Eccleſia ( ex qua me iam quater extruſiſtis) extrudere. Pepercit animus diploide vos confuſionis induere. Quod feciſſem vtique ſi vos excommunicando damnaſſem, vt meremini, æternaliter, & excuſando apud aures tremendiſſimi Imperatoris, vt facere minimè miſſo ex parte mea legato neglexi. Illud vobis curaſſem præparare, quòd ſi contigerit, promptum erit vidiſſe. Senſu igitur illo, quo dictum eſt; *Qui nocet, noceat adhuc.* *Apoc. 22. 11.* Quicquid prouidentia Dei mihi vobis inferre vel voluerit, vel permiſerit, eius maieſtati committens, do vobis licentiam, in quacunque huius Diœceſis Eccleſia vobis placuerit Domino ſeruiendi, donec annuente Deo Miſſus pijſſimi Cæſaris veniat, & quæ mandaui auditis. Cúmque his, quæ vos de me ipſius Imperialibus innotuiſtis auribus, collatis, ei vt fuerit libitum referat, & quod mihi ſit agendum decernat. Quòd verò cum veſtri quibuſdam id agere deuito, non contemptu fraternitatis facio, ſed ruſtico illo monitus exemplo, quo dicitur : Quod oculus non videt, cor non dolet : videtur quædam & perneceſſaria doloris fore leuigatio, ſi eis non viſis qui mihi tanta mala fecerunt, & facere non deſinunt, abſit aliquantiſper malorum ipſorum recordatio, dum auctores eorumdem quantulacunque obnubit obliuio.

## *Ex Abbatiola amandatis Monachis ſubrogantur Clerici.*

DVM aſtipulante perauguſtæ recordationis Aurelio temerariis iudiciis adeò plena ſunt omnia, vt ipſe quoque maleuolorum cauillationibus acerrimè hoc tempore inſectatus mihi ipſi ſim ita incredulus, vt quid quâ intentione actitem ſim ſæpiſſimè dubius; dum ſcilicet falſa veráue illorum de me teſtimonia, cum his quæ mihi ſint plus quàm neceſſe ſit cognita confero; quid de Abbatiola, quæ Magonzianus vocatur, nuperrimè ſtatuerim, decretali hoc ſcripto enucleare, & venturis præſentibúſque vt vtrique dijudicent, deſtinare contendo. Ipſa igitur eadem quantulacunque ſit, cùm ex prædiolo quorumdam diſpoſitioni Eccleſiæ noſtræ ita obuenerit, vt aut obeunte, aut perperam inemendabiliter quid perpetrante Abbate, alter ab Epiſcopo illîc ſufficeretur noſtræ Diœceſis, qui militantes in ea Monachica viuere faceret lege, cùm vti res eſt, perdifficilis hoc, nónue Conſtructor voluerat, proceſſiſſet, incenſo ab Vngariis * Cœnodobiolio, ad hoc miſerabiliter eſt peruentum, vt ipſe, qui Abbatis falſo vocabulo ſolus geſtabat cocullam, vxore ſaltem nequiret vllatenus abſtinere, nedum alij propriis quoque poſſent voluntatibus (vt Regula Monachorum præcipit) renuntiare. Quemdam igitur ex talibus cum omnigeno conatu ad id quod ſecundum ſaltem congruentiam temporis eſſet agendum non valuiſſem adducere, ſed fuga ter lapſus ipſe; Geziaca me inſuper lepra per internuncios conaretur inficere, hoc eſt, vt acceptâ ab eo pecuniâ ſinerem eum quod oblatum Domino fuerat, Diabolo vt ante fecerat tradere, me quod ille volebat nolente, illo quod ego Dei reſpectu vitabam rogante: vtrimque cùm fuiſſet diſceſſum, hæſit animus quid agere poſſem. Si enim ego poſſeſſiunculam Dei Genitrici collatam meliùs quaſi diſpenſaturus mihi retinerem, aut meorum alicui darem, ne ſucceſſorum aliquis meorum meo ſimiliter faciens exemplo eleemoſynam illorum bonorum deſtrueret, non nihil vere-

f. * Cœnobiolo.

bar. Si verò propter vnum falſum cucullum, Abbatem appellatum, id eſt patrem falſiſſimum, re autem vitricum veriſſimum, hoc in vxorem & filios carnales, fratres, atque nepotes permitterem expendere, imprudentis diſpenſatoris non minus pœnam quàm infidelis verebar incurrere. Cùm enim perarduum ſit Monachorum propoſitum, & talibus inconuenientiſſimum: ſicut enim Monacho nil ſanctius, ita nihil eſt hypocrita ſceleratius: relicto impoſſibili ad poſſibile me conferre operam dedi.

Ordinaui igitur, vt ſi plures inhiberet facultas, illîc tres Officium ſuum non neſcientes omni tempore ſaltem Presbyteri militarent, vt inibi nullo die Miſſa deeſſet, vnus Diaconus, vnus Subdiaconus, Clericuli aliqui. Quiſque Presbyterorum annuatim acciperet inter frumentum & * ſegallum modia decem, inter legumina & milium modia decem, de ſurico modia decem, de vino modia duodecim. Diaconus de his omnibus modia quinque, vinum, modia ſex. Subdiaconus modia tres; vinum, modia quatuor. Ad veſtimenta Presbyteri ſolidos quinque: Diaconus ſolidos duos: Subdiaconus ſolidum vnum. Cocullum nemo illorum portet. Hymnos tamen in memoriam antiquæ conſuetudinis in Laudibus, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, & Completorio, quæ omnia ad horam debitam exhiberi decreui, cantarent. Et quia ſine aliquo id fieri magiſterio poſſe deſperaui, vnum inibi præfici Presbyterum honorabilem, nec miniſterij ſui expertem, præter illos tres ita decreui, vt aut obeunte illo, aut decreta facere contemnente, alter ab Epiſcopo Veronenſi loco ſubrogaretur illius. Quique his omnibus, vt continetur ſuperiùs, non per vineas & campos, ſed per menſuras diſpenſatis, quod remaneret, haberet. In pręclaris verò feſtiuitatibus illos quinque ſecum faceret comedere, eiſdem cibis & potibus quo ſeipſum abundanter & pro poſſe eoſdem reficiens. Quibus tamen diebus lectionem decernimus ad menſam habeant, & poſt cibum quod Monachi cantent. Summopere verò * . . . . .

f. * Siligi-nem.

* *Quæ hîc deſunt, in* MS. *codice deſiderantur.*

## DE NVPTV CVIVSDAM ILLICITO.

Pſal. 128. 3. Rom. 1. 32.

SVpra dorſum meum fabricauerunt peccatores cùm Pſalmiſta proclamet: Apoſtolus quoque: *Non ſolùm qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte.* Mea mihi oneratiſſimo cùm ſuperabundent, alienis ſupra modum ponderibus infœliciſſimus grauor. Hac itaque duplici anxietate conſtrictus, Ioannem noſtræ Eccleſiæ doleo filium, quamquam, vt fertur, in Quadrageſima ſuo deſpondi feciſſe filio puellam, nocte duxiſſe dominica: inlegalitate ſcilicet, vt & Pedreuertus noſter anteà fecerat, duplici. Cùm quilibet filium ſuum ad Clericatum adducit, videtur quòd, vti & facit illum ſęculo auferat, & Domino tradat. Vnde cùm anteà lege ipſa deberet viuere quâ viuit Reſpublica, poſteà viuere lege incipit canonicâ. Et vti primitus ad Reipublicæ pertinebat Præfectum, ita pòſt ad Eccleſiæ attinet Prælatum, hoc eſt Epiſcopum, legaliter inſtitutum. Quod cùm ita ſit, qui filium ſuum Eccleſiæ mancipat canonicè Domino militaturum, & poſteà ſęculare illi adquirit coniugium, perſpicuè cernitur, quòd eadem manu eum Domino auferat, quâ illum Deo ipſe tradiderat, & ablatum Eccleſiæ reddat, proh nefas! Curiæ. Non ſuccenſeat igitur qui hoc facit, ſuggero, Deo, ſi ille ei ex his quæ miſericorditer illi conceſſit, aut vi tempeſtatis, aut importunitate cuiuſlibet poteſtatis, vel in hoc ſęculo, vel in futuro aliquid aufert, cùm ſi aliter, loquar vt ita, Deus hoc facere neſciret, exemplo ipſius diſcere poſſet; quaſi vtique diceret: Tu mihi abſtuliſti quod dederas, ego tuo exemplo tibi quod dederam tollo.

Qui clericatu initiatur, ſęculo renunciat, ſéque Deo conſecrat.

O verò inſatiabilis quanta tibi non pudet, quàm inlegalia, quàm turpia, quàm inhoneſta, contra Deum quoque committere generis humani cupiditas! Cùm enim Clericus quilibet ideò vocetur; quòd de ſorte ſit Domini, id eſt, ad partem pertineat Dei, quàm bonus ille pater eſt, quàm filij dilector, qui pro tribus vineæ campis eum de ſorte auferens Dei, reddit huius ſęculi poteſtati; conſequenter & Diaboli: ille enim à Domino *Princeps huius mundi* vocatur; non verò

Clerici etymon.

Ioan. 16. 11.

cœli & terræ, maris, & omnium quæ in eis ſunt, ſed malignorum hominum, qui diligentes vtique mundum magis quàm Deum, fruuntur temporaliter eo, perdituri quod æternaliter debuerant poſſidere in cœlo, ſeruientes vtique Diabolo, magis quàm Chriſto. Eſto verò vterque illorum hoc ideò fecerit, quòd in comparatione mali meliùs fore percenſuit, vt vni coniungeretur, quàm per plures magis mortiferè vagaretur. Sed in hoc iſte, de quo lugubris noſter eſt ſermo, alterum præcedit in ſcelere, quòd hoc in diebus ſanctę inchoauit Quadrageſimæ, perfecit in dominica nocte. Quod ille hoc elaborauit vt illud patraret occultò, iſte verò quod tam manifeſtauit hoc, proh nefas! fecit, vt neminem iſtius ciuitatis latere valuerit. Ideò igitur hoc nobis ſilentio ſupprimi non debere videtur, quia ſi inreprehenſum relinquitur, iure factum omninò videbitur. Nullus enim non dubitabit exemplum inde capere, quòd cõpererit neminẽ vituperaſſe.

Feciſſe hoc, mirum dictu! & alius quidam, qui in alio noſtro Opere, ſuppreſſo vocabulo, verborum contortor, legum vocatur diſtortor, narratur; dum cum cæteris vtique legumlatoribus ſibi dictum audire potuerit ſępe: *Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram.* Sap. 1. 1. Et lex, vt remur, contineat nulla, quòd res ſemel alicui legaliter data, auferri ab eo debeat aliqua, ſine iuſta querela. Querelam verò ipſam cùm aut culpam fore, aut neceſſitatem, ratio innuat aliquam, verſantibus & reuerſantibus omnia nobis, Deus eſſe probatur illata cui iniuria cernitur iſta: in quo vtique nec culpa inueniri, nec valet neceſſitas comprobari. Paſcit enim omnia, nedum ſors ſibi ſpecialius delegata perire poſſit inediâ. Meliùs profectò feciſſet, ſi ad Domino famulandum de ſua facultacula opem illi, vt filio pater debitor erat, tuliſſet. Pepuliſſe tamen pòſt fertur idem eamdem nolens ei tribuere ſtipem. Et heu! quàm graue crimen, quod etiam criminoſo moriente non poteſt finem accipere. Verbi gratiâ, ſi alterius agrum quilibet inuadit iniuſtè, ſicut ſępe ſolet, illum eadem iniuſtitiâ relinquat filio ſuo, ſuo iterum qui ſequitur ſuo, ita vſque in finem ſęculi omnes faciant qui ab illo primo inuaſore fuerint per ſucceſſionem alterutram deducti. Quando finem accipit illius, qui priùs agrum illum ſeminauit iniuſtitiâ,

niſi tunc primùm quando finem omnis accipiet creatura? Hoc eodem modo cùm omnes nouerint, quia omnis qui prçter vxorem legitimam cogit, aut fornicationem, aut adulterium facit: Preſbyter verò aut Diaconus vxorem legitimam non poſſit habere, ſi filium de ipſa fornicatione, vel, quod peius eſt, adulterio, genitum facit Preſbyterum, ille alterum de ſe ſimiliter genitum facit Preſbyterum, ille iterum ſuum, ſuum alter iterum, pullulans illud vſque in finem ſçculi taliter adulterium; cuius eſt, niſi illius qui illud primitus ſeminauit? Quocircà monendi & obſecrandi Fratres, vt quia prohiberi, proh dolor! à mulieribus valetis nullo modo, filios de vobis generatos dimitteretis ſaltem eſſe laïcos, filias laïcis jungeretis, vt vel in fine ſaltem veſtro terminaretur, & nuſquam in finem ſçculi duraret adulterium veſtrum.

*Ezech.18. 20.* *Exod.20. 5.* Quomodò filius portat iniquitatem patris. Dices è contra: ***Filius non portabit iniquitatem patris &c.*** Nos è diuerſo: ***Ego ſum***, ait ***Deus, fortis, zelotes qui viſito iniquitatem patrum in filios***, & reliqua. Duas enim has quaſi diſcordantes Domini ſententias tractans Beatus Gregorius, in quarum vna continetur: ***Filius non portabit iniquitatem patris; nec pater filij.*** Alteram vbi habetur: ***Ego ſum fortis Deus zelotes, qui viſito iniquitatem patrum in filios vſque in quartam & quintam generationem.*** Ex hoc quod ſequitur, id eſt, ***In his qui me oderunt***, ita eas ad concordiam ducit; aſſerens vtique quia ſi non concordat mala voluntas filiorum malæ voluntati patrum ſuorum, ſicut non concordauit vtique voluntas Apoſtolorum voluntati parentum ſuorum, nihil obeſt malignitas malorum patrum benignæ voluntati bonorum filiorum. Si verò eadem faciunt filij, quæ patres Deum odio habentes fecerunt, non ſolùm pro ſua, ſed etiam pro patrum nequitia damnabuntur: & patres ipſorum non ſolùm pro ſuo peccato, ſed etiam pro filiorum, qui patrum ſecuti exemplum eadem quæ patres fecerunt, agere non deſtiterunt, habent, reor, juſtè puniri. O vtinam itaque tu Domina, cui tam bonus frater tanta bona dimiſit, hoc anteà cogitaſſes, & filiam ipſius, illius bonis benedicta tamen vni bono dediſſes Laïco, & finem ipſius impoſuiſſes peccato; quod quo vſque durabit infinitiſſimis eleemoſynis

Gregor. Moral. l. 15. c. 31.

vix

vix poterit, ſapias, expiari. Dicente autem quibuſdam Domino: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia decimatis* Matt. 23. 23.
*mentham, & anetum, & cyminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iuditium, & miſericordiam & fidem.* Vtinam ſuper corpus fratris tui die noctúque pluuia caderet, quod tu ſtudioſiſſimè procuraſti ne fieret, & iſte humor tam noxius, tam ſordidus, tam fœdus animam illius non tam grauiter affligeret, ſordidaret, inquinaret, atque torqueret.

Præſcriptos igitur, & omnes qui in tali ſcelere aut Quadrageſimam, aut jeiunium præcipuum aliquod, aut noctem dominicam, aut feſtiuitatem vllam præclaram ſe recognoſcunt violaſſe, mecum, qui vtique hactenus dum non reſtiti conſentiens fui, quadraginta diebus moneo pœnitentiam agere, ita videlicet, vt ſi cæteri fideles reficiuntur tertiâ horâ, nos ſextâ; ſi illi ſextâ, nos nonâ; ſi illi nonâ, nos vſque ad veſperam jeiunemus. Ab eleemoſynis verò ſecundum poſſe faciendis minimè ceſſemus. Nec tamen propter hoc nos iuſtificatos inde ſaltem credamus. Non eſt enim tale facinus, quod leuiter poſſit emendari. De Dei tamen miſericordia minimè deſperemus. *Neſcit enim*, ait quidam, *homo vtrum odio an amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Quòd ſi hoc, vt ſuſpicor, imò certificor, reſpuitis, & mecum ieiunare non vultis, & aut ego vos excommunico temporaliter, aut Deus vos damnat æternaliter, interſit veſtra, nec vlla mea ſit culpa. Inde ſimiliter ad pœnitentiam te paulò ſuperiùs allocutam inuito, expedit enim tibi, & forſitan proderit fratri.

Pœnitentiam prohibiti matrimonij reis, ac ſibi ipſi quòd non citiùs eos reprehenderit, imponit.

---

## *EPISTOLVLA. I.*

### *Martino Ferrarienſi directa.*

D*Omino* MARTINO *Venerabili Coepiſcopo Ratherius peccator.*

Dum Apoſtolus præcipiat ſeniorem obſecrari, prohibeat increpari, compellente quâ vos diligo caritate, celare vobis homicidale computo; quantum vobis Eccleſiæ veſtræ filij

detrahant, præcipuè verò de ordinationibus puerorum illicitis; Adijcientes quòd etiam pro pretio eas, quod ſimoniacum, & à ſanctis Canonibus anathemate eſt damnatum; perpetuò faciatis. Vnde vt filius patrem, ſeruus-dominum, Silicernium ſenex obſecro, vt reminiſcentes quòd hodie ſpecialiùs mihi & vobis eſt lectum, hoc eſt: *Scientes quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Apoſtolici illius ad Timothæum recordari non negligatis præcepti: *Manus nemini citò impoſueris.* Petri quoque Simoni dicentis: *Pecunia tua tecum ſit in perditione*; multorúmque dicentium, [ & qui dat & qui accipit anathema ſit. ] Exurgatis à ſomno contemptus tam publici Canonum tandem aliquando, & à talibus ceſſetis ordinationibus, quæſo. Forſitan ille qui dixit: *Peccaſti, quieſce.* Et, *Conuertimini ad me; & ego reuertar ad vos*: Serotinam hanc veſtram non deſpiciet reuerſionem, cùm ſit pius & miſericors & nolit *mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Noueritis ſanè nullos ſuos exinde ampliùs vituperare, quàm illos quos taliter ordinaſtis, vel quorum rogatibus hoc idem feciſtis.

*Rom. 13. 21.* — *1. Tim. 5. 22.* — *Act. 8. 20.* — Concil. Aurel: 2. cap. 3. Conſtant. 3. cap. 22.

---

## EPISTOLA II.

### *Romanæ Eccleſiæ directa.*

DOMINO ſanctæ Romanæ Sedis quicunque eſt Apoſtolico, & vniuerſo Senatui, ſanctæque & canonicæ legis latoribus, vniuerſis, hinc demum ſancto cœtui omnium ſub Catholica fide degentium, Clerus omnis ſanctæ Veronenſis Eccleſiæ, debitæ ſubiectionis obſequium.

Non ignotum veſtrę nouimus Paternitati inuaſionem hic olim Diabolo inſtigante, Patres ſanctiſſimi, factam, in qua cùm contigerit in legalitate, vt aſſeritur, publica plurimos noſtrum ad diuerſa non prouectos quidem ſed conſtitutos officia, petimus flexis, hîc, quod egimus, poplitibus conſilium, quod ſequi debeamus, à veſtra ſupplices ſanctitate, cui de talibus iudicandi ſingularitas conceſſa noſcitur eſſe. Obſtacula enim quibus in officio impedimur ſtare conceſſo: hęc

Domnus Epiſcopus noſter recitat cum innumeris eſſe: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta* cum Apoſtolo aſſerens pariter fore. *Rom. 15. 4.*

*Ex Concilio Antiocheno.* Cap. XIII. Antioch. 1.

Si quis nullo rogante, inordinato more deproperet ſuper aliquibus ordinationibus Eccleſiaſticis negotiis, ad eum non pertinentibus, componendis; irrita quidem quæ ab eo geruntur exiſtant. Ipſe verò incompoſiti motus ſui, & inrationabilis audaciæ ſubeat vltionem, ex hoc jam damnatus à ſancto Concilio.

*Ex Concilio Conſtantinopolitano.* Cap. III. Conſt. 1.

De Maximo Cynico & eius inordinata Conſtitutione quæ Conſtantinopoli facta eſt, placuit, neque Maximum Epiſcopum eſſe vel fuiſſe, nec eos qui ab ipſo in quolibet gradu Clerici ſunt ordinati; cùm omnia quæ ab eodem perpetrata ſunt, in irritum deducta eſſe videantur.

*Ex Epiſtolis Innocentij Papæ.* Cap. LIII. & LIV. Innoc. 1. Epiſt. 22. cap. 3.

[ Adquieſcimus, & verum eſt certe: Qui quod non habuit dare non potuit, damnationem vtique, quam habuit, per prauam manus impoſitionem dedit, & qui particeps factus eſt damnato, quomodò debeat honorem accipere inuenire non poſſumus. Sed dicitur vera ac iuſta legitimi ſacerdotis benedictio auferre omne vitium quod à vitioſo fuerit iniectum. * Ergo ſi ita eſt, applicentur ad ordinationem ſacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei quia per benedictionem ordinationis crimina vel vitia putantur auferri. Nullus ſit pœnitentiæ locus, quia id poteſt præſtare ordinatio, quod longa ſatisfactio præſtare conſueuit. ] * Eadem cap. 4.

*Ex Epiſtola Nicolai Papæ Conſtantinopolitanæ Sedi directa.* Nicolai 1. Epiſt. 10.

[ Amorem Principatus, vt pote quandam malam radicem *Hæc in*

*edita ep. non habentur.* exordinandorum in Eccleſia ſcandalorum radicitus excidentes, eum qui temerè & præuaricatoriè ac in regularitatem veluti quidam grauis lupus in Chriſti Ouile inſilijt, Phocium ſcilicet, qui mille tumultibus & turbationibus orbem terræ repleuit iuſto decreto damnantes promulgamus nunquam fuiſſe prius aut nunc eſſe Epiſcopum, nec eos qui in aliquo Sacerdotali gradu ab eo conſecrati vel promoti ſunt manere poſſe in eo ad quod prouecti ſunt gradu, inſuper & eos qui ab illo conſuetas orationes ad præpoſituræ promotionem ſuſceperunt ab huiuſmodi patrocinio coercemus, ſed & Eccleſias quas, vt putatur tam Phocius, quam hi qui ab ipſo conſecrati ſunt dedicauerunt, vel ſi commotas menſas ſtabilierunt, rurſus redicari & intronizari; atque ſtabiliri decernimus, omnibus maximè quæ in ad Sacerdotalis gradus acceptionem vel damnationem acta ſunt irrutum ductis. *Ex eadem* *: Eos verò quos Phocius Neophytus, & Conſtantinopolitanæ ſedis inuaſor in quolibet Eccleſiaſtico ordine prouexit, quoniam manifeſtum eſt eos in omnibus Conſecratoris ſui prauitatibus conſenſiſſe, atque ei poſt inuaſionem communicaſſe, omni Clericali officio priuamus; & Apoſtolica atque Canonica auctoritate, & Synodali Decreto eos ſequeſtramus:] Adiutorium verò ſi veſtræ dominationi placeret, hoc tantùm ſe Pontifex noſter dicit non ampliùs inueniſſe.

* Cap. 3.

## *Ex Concilio Domni Stephani III. Papæ Actione tertia.*

* aliis 4.

Actum eſt id Concil.j an. 769. cuius acta non extant integra. Eorũ quæ hîc citantur meminit Anaſtaſ. in Stephano.

Poſt hæc vero ſanctiſſimi Epiſcopi dixerunt. Quoniam hæc omnia Deo annuente, quæ ad ſalutem omnium errantium pertinent tractata noſcuntur atque decreta, nunc reſtat vt de Ordinatione Epiſcoporum, Preſbyterorum vel Diaconorum quam prædictus Conſtantinus Apoſtolicæ Sedis inuaſor peregit, id quod communi conſenſu tractauimus coram omnibus declaremus. Primum omnium decernimus vt Epiſcopi quos conſecrauit, ſiquidem Preſbyteri prius fuerunt aut Diaconi, in eodem priſtino honore reuertantur & poſtmodum facto more ſolito decreto electionis eorum ad Sedem Apoſtolicam cum plebe atque decreto ad conſecrandum eue-

niant & conſecrationem à noſtro Apoſtolico ſuſcipiant, ac ſi prius fuiſſent minimè ordinati, ſed & qui alia in ſacris officijs iſdem Conſtantinus peregit, præter tantummodo baptiſmum omnia iterentur: At vero Preſbyteri illi vel Diaconi quos in hac ſancta Romana Eccleſia ordinauit in priſtino Subdiaconatus ordine, vel alio quo fungebantur officio reuertantur. Cum & poſtmodum in veſtræ Sanctiſſimæ Almitatis poteſtate ſiue eos ordinandi, ſiue vt vobis placuerit diſponendi; laici verò illi qui ab eo tonſorati ſunt atque conſecrati decernentes ſtatuimus, vt aut in Monaſterio retrudantur, aut in proprijs domibus reſidentes ſpiritalem atque religioſam vitam degant.

Adijciens ſupra ſcriptus noſtræ Eccleſiæ Præſul quoque fatetur, quia dicente Domino: *Non eſt Diſcipulus ſupra Magiſtrum:* Quicquid vos hinc decreueritis pro rato ſe habiturum. Optaret verò vt veſtrum quod in hoc ſequendum cenſet arbitrium ab auctoritate non diſcreparet penitus Canonum. Intereſſe tamen veſtra dimittit arbitrium in hoc proprium an ſequi vobis Anteceſſorum libeat iudicium, ſanctiſſimi Patres, veſtrorum. Quòd ſi nobis in tanto animarum ſuccurrere dignamini periculo, quem inde remuneratorem ſperare debeatis doceri nullatenus indigetis. Cùm vero plurimi ſimus, non defuturum promittimus qui ad veſtram redeat ſanctitatem, dans in vobis gloriam Deo, veſtræque Paternitati condignam, Quirites, quos hinc ſpecialius precamur venerandi mercedem. Dat. Kal. Aug.

---

## *EPISTOLA III.*

### RATHERII *Epiſcopi ad* IOANNEM *Summum Pontificem.*

SVmmo primæ, hoc eſt, Romanæ Sedis Pontifici, Domino Patriarchæ Reuerendiſſimo IOANNI RATHERIVS peccator & exul. Ioannes II.

Paruitatis meæ qualitatulam, omnigeno calamitatum genere per annos iam viginti fatigatam, & à pueritiæ oris in

oras ſenectutis per innumeros ærumnarum ſcopulos, infœlicissimè deuolutam, veſtræ Paternitatis prouoluens veſtigiis, Domine Reuerendiſſime, Archipræſulum Archiepiſcope, &, ſi de vllo mortalium iure dici poſſit, vniuerſalis Papa nominande, precor in Omnipotentis amore; vt querelam miſeriarum mearum patienter ac benignè ſuſcipiatis, eiúſque vice mihi, vel ſero ſuccurratis; cuius ideò ſedem obtinetis, vt portas inferi præualere aduerſus Eccleſiam non ſinatis, in quantum ſcilicet reniti, cum Dei ipſiúſque adiutorio, valeatis. Quòd ſi de perſona conquerentis, vociferantis, & præ anguſtia clamantis, requiritis, ego, ego ſum, Domine, miſerrimus ille, qui Veronenſibus datus Epiſcopus, ipſo, vt ita neque abſurdè loquar, die deſtinatus ſum quam hîc deploro, perditioni. In cuius perſecutione ita omnis penè quaſi coniurauit mundus, vt miſerrimo, omniúmque etiam conſanguineorum auxilio deſtitutiſſimo mihi viſum ſępiſſimè ſit, quòd nullus fuerit tam iuſtus, qui in me non extiterit iniquiſſimus; tàm munificus, qui non tenaciſſimus; tam pius, qui non crudelis; tam cæteris per humilitatem ſubmiſſus, qui mihi non alter viſus ſit Tarquinius; tam verax, qui in promiſſo vel vllum veritatis verbum mihi dicere ſit dignatus, à ſummo ſcilicet nobilitatis vſque ad infimum ſeruitutis.

Quòd ſi aliquis excipi valet, excipiantur Germani, ac ſolummodò & difficillimè, abundante videlicet iniquitate, & refrigeſcente caritate, Epiſcopi; qui, vt reor, ſi quid commodi mihi contulerunt, metu illius in Decretalibus Alexandri Papæ egerunt; qui ait: [ Quicumque ex veſtro collegio fuerit, & ab auxilio eorum Epiſcoporum vtique & deſtitutorum ſe ſubtraxerit, non Sacerdos, ſed ſchiſmaticus iudicabitur.]

Epiſt. 2. Differt lectio ab edit.

Narrat quomodò ad ſedem Veronenſem fuerit euectus.

Ego ſum, Domine, ego, quem Gręcia Orienti, Hiſpania valet nuntiare Occidenti, ſed vidiſſe aut pallere triſtitiâ, aut rubere præ verecundia; quem iam vbique videri, atque ab omnibus gyrouagum pudet vocari. Miretur quis, quo modo quod cunctis erat canticum, veſtro apoſtolatui quiuerat eſſe celatum. Hoc ad meę quoque, peccatis merentibus, damnationis cumulum, quòd nec apud veſtram ſacratiſſimam ſedem, néque apud aliquem Principum vel Potentum, interceſſorem inuenire nunquam valui vllum. Vt autem quon-

dam Paulus Cæſarem, ita ego appellabam Romanam Sedem. Verùm, vt ſtrictim tacta dilucidem, & quo valeo ſuccinctiùs; Notgero fauſtæ recordationis Epiſcopo, meliora, vt remur, petente datum epiſcopium eſt meo Domino HILDVINO, iure ſtipendiario, promiſſo Regis, qui me tunc oppidò, vt credebatur, diligebat manente: quòd vbi illum altiùs promouendi locus emergeret, ego petentibus darer Epiſcopus. Intronizato Mediolani eo, vt ſe inſtabilitas mundanæ ſæpe continet volubilitatis, longè aliter atque promiſerat Regi placuit, cupienti potiùs, vt fama erat, vnum è tribus, aut quemdam Aquitanum, aut quemdam GARAFRIDVM, aut MANASSEM Arelatenſem Archiepiſcopum, citra ius licet Canonum. Inter agendum reuertor à Romana Sede, peracta legatione, ferens priuilegium pro iam dicto Domino meo actum, cum Archiepiſcopali pallio. Allatæ cum his ſunt & Litteræ Domini Papæ, tunc temporis IOANNIS glorioſæ indolis, quibus continebantur preces eiuſdem, totiúſque Romanæ Eccleſiæ, vti ego Veronenſibus darer Epiſcopus. Diſplicuit hoc non parum Regi contraria molienti, ſed obtinuit deprecatio Apoſtolica, inſtante rogando meo iam dicto, cum primoribus regni, Domino. Ego ſemiuiuus penè iacebam infirmus: perſuaſum eſt Regi, puto, à me diligentibus, quòd non euaderem. Hac ſpe pellectus conſenſit, ſatisfacere geſtiens tàm Domino Papæ, quam cæteris, quos inconueniens videbatur offendere rogantes. Euaſi, ordinatus ſum ego: iratiſſimus redditur ille, iurauit per Deum (nec eſt mentitus) quòd diebus vitæ ſuę de ipſa ordinatione non eſſem gauiſurus. Miſit ergo in pitaciolo certam quantitatem ſtipendij, quod tenerem de rebus Eccleſiæ; de cæteris exigens iuſiurandum, vt diebus illius filiíque ſui ampliùs non requirerem. Ego intelligens quanta abſurditas hoc conſequeretur, non conſenſi. Quid magis? Adhibuit vndique perſequutores & aduerſarios, qui aut deterrerent me, vt effugerem, aut irritarent, vt in illum excederem, & vt expellendi me inueniret occaſionem. Nactus eſt, cepit me, retruſit in cuſtodiam in quadam Papiæ turricula, non dico ſine mei culpa, ſed citra legem, ita hæc egit, & ſine audientia. Dicat hîc quiſque quod volet: Temerariis enim iudiciis, iuxta Auguſtinum,

Hilduinus ex Abbate Lobienſi Mediolani Epiſcopus.

Ioannes 12.

Deſcribit perſecutiones cum à Rege, tum ab aliis ſibi illatas.

plena ſunt omnia. Confiteor verò ex quo cum primitus vidi, vſque dum hominem exuit, ſemper me Theodoſij fœlicitatem Imperatoris illi optaſſe, & adhuc eius recordatione me grauiter affici dolore. Duobus annis & dimidio, niſi fallit recordatio, priorem pertuli perſecutionem, & totidem carcerale ſupplicium; Hinc emiſſus ſubij totidem quoque exilium. Sed cùm per Dei miſericordiam ego quidem eo inuito fuiſſem liberatus, ille verò per Dei iuſtitiam regnandi honore priuatus, ſedit animo illum adire, eiúſque calamitatem, omnibus diebus obſequio ſolari: Nam nec defuerat qui intimaret, ſero licet, vt timeo, quod Deus ab illo auertat poſtulo, quòd pœnitens ſæpè optaſſet, vt daret Deus quo ad eum venirem, & ſi valeret, reſtitutionem mihi impetraret: ſin aliàs, daret pecuniæ tantùm, vt ampliùs non egerem.

Veniebam, comprehendit me BERENGARIVS, inſtinctu Manaſſæ Sanctiſſimi Archiepiſcopi, & qui iure locum obtineat Ambroſij. Tribus & ſemis menſibus ſub cuſtodia retentus: indéque emiſſus, Veronámque perductus, & à MILONE dolo receptus, vt ſcilicet Manaſſem expelleret, ne pœnitentia ductus iuuaret, quem plurimùm, vt ferunt, nocuerat auunculum Regem. Quod martyrium verſutiis eiuſdem Milonis, per biennium pertulerim, ſatagam ſi referre hiſtoriam putetis. Summam tantummodò, vt breuiſſimè comprehendam, omnes Clericos, milites, colonos, & famulos, ipſo contra me patrocinante, non Synodum agere, non Capitulo Clericorum intereſſe, non aliquid quod emendandum eſſet, audebam ſolummodò commemorare, ſtatuere quidlibet, vel deſtituere: nuſquam aliquid quod ſcire vellet, loqui poteram, quod non continuò ſciret: Sacramento enim ab omnibus id, credo, extorſerat. Et cùm omnes ſui coram illo mihi detraherent, ille ſolus contra omnes, quaſi pro me faciebat, vt ſcilicet prouocati ampliora derogando referrent, ita vt alterum credere poſſetis Antipatrum Herodis impij filium: nam boni aliquid malíue agere, poteſtatis vel licentiæ erat meæ. Idipſum etiam quod ipſo imperante aiebam, neque enim contraire eius præceptis audebam, vertebat in culpam, Clericorum occultè ſtruens contra me calumniam, mihi verò de eis promittens doloſè ſatis vindictam. Hoc adeò

proceſſit,

proceſſit, vt quadam die dum Ordines Eccleſiaſticos agerem, Archidiaconus cum omni Clero exiens, me ſolum in Eccleſia relinqueret, & alteram ſibi contra me vendicaret. Et, ô tempora! ô mores! ô legis canonicæ publica coniuratio! ô (vt ita dicam) abominatio deſolationis. O verbum factum in Iſraël, quod quicúmque audierit tinniant meritò ambæ aures eius!

Arelatenſis Archiepiſcopus, tendens inſidias Veronenſi Epiſcopo, conſecrauit Epiſcopum quemdam ſuæ Diœceſis, in titulo Eccleſiæ Veronenſis. Quis non miretur? quis non obſtupeſcat? Vbi enim fas? vbi lex? Vbi ſæcularis vnicuique prouinciæ certos diſtribuens inconuertibiliter limites? Vbi conſideratio cuncta cernentis? Vbi, *Non tranſgredieris terminos, quos conſtituerunt tibi patres tui?* Non intelligunt ad hoc pertinere qui neſciunt quàm longe Verona ab Arelatenſi abſit patria. Vbi erat quod lex ait: [ Si quis Metropolitanus, niſi quòd ad ſuam quodammodò pertinet Parochiam, agere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit? ] Et vbi: [ Archidiaconum ſuum præfixum canonibus non excedens, teneat cum humilitate locum? Sed hæc ad illos qui vnius ſedis ſunt Archiepiſcopi. Cui verò quinque licet Epiſcopiis præeſſe, nullíque prodeſſe, quid poterit non licere? Horum verò omnium cùm incentor Milo eſſet & auctor, mei tamen & videri & dici ambiebat aduocatus & tutor. Itaque callidiſſimè me affligebat, vt rariſſimus eſſet in regno, qui non æſtimaret amiciſſimum eum eſſe mihi omninò. Ego verò miſer eram diebus noctibúſque, ita confectus & anxius, vt tæderet me vitæ meæ, & mallem in Walberti, vt quondam, turricula, quàm ſedere in Veronenſi cathedra; eſurire ſub Hugone, quàm epulari cum Milone.

Biennio & hoc tolerato, grauiſſimo omnium quas anteà, & pòſt, perculi miſeriarum, carcere, dum ad veſpertinalem perſoluendam pergerem ſynaxim, affuit miſſus Domini Regis Lotharij præcipientis, vt vrbe decedens darem locum Manaſſæ ſedem meam inuadendi, adijciens amicale ſatis conſilium, melius ſcilicet eſſe, vt ſecederem, quàm Milonis dolo aut exmembrarer, aut interficerer, aut, quod leuius his multò, ſed grauiſſimum mihi eſſet futurum, comprehenſus,

quò minimè vellem abducerer. Calamitoſum hîc accuſare, cùm poſſum, deuito aliquem, nec adijciam ſuper vulnerum eius aliquod, quod Propheta conquerendo prohibet, dolorem. Quid plura? Feci iuſſus quod anteà libentiſſimè feciſſem iniuſſus, niſi interdixiſſet, quod ait in Euangelio de mercenario Dominus; Sed non potui agere impunè. Lupi illi gregem non quærebant inuadere, ſed Paſtorem, perſequutúſque in vna ciuitate, fugere venialiter potui in aliam. Interiecto dehinc tempore, cum glorioſiſſimus atque pijſſimus, cunctóque celebratiſſimus orbe Rex noſter Italiam introiſſet, affui cum eius clariſſimo filio, tentans ſi daretur optio vt meo reſtituerer loco. Sed impediuit, quòd alterum illic inſtitutum Rex inuenit, Milonis ſcilicet Nepotulum, ne difficile ſit coniectare cuiuſce rei causâ tanta mihi intulerit mala. Cui quidem Manaſſes ſedem vendiderat, ſed fautores huiuſmodi ordinationis licentiam ſe accepiſſe gloriantur ab apoſtolatu veſtræ dominationis.

Cedere igitur tam Apoſtolicæ veſtræ auctoritati, quàm illius Regali Maieſtati, quam reprehendere ſi quid decreuiſſetis, tutius fore credens, ſtatueram carceribus & exiliis per Dei miſericordiam exemptus, & latitudinem liberi arbitrij eductus, ſolitudinem Monaſterij petere, & ibi expectare Deum, qui ſaluum me faceret à puſillanimitate Spiritus & tempeſtate perſequentium, cauſáſque expulſionis meæ à memetipſo pœnitendo exigere, méque ipſe, vt non iudicarer, iudicare, quod ſtatuiſſetis à Deo decretum, credere: Summus enim Pontifex à nemine debet reprehendi, & cor Regis in manu Dei.

Quæ duo vtrumque commonefaciunt, credo, illum, ne reprehendenda agat; iſtum, ne cor ſuum à manu Dei, id eſt à gubernaculo, ſi Rex iure malit eſſe, quàm vocari, in diſponendis regni neceſſariis auferat. Veſtram credo paternitatem, neque voluiſſe, neque auſam fuiſſe contra legem canonicam alicui quidlibet agendi dare licentiam: illum non alia neceſſitate regnum ambijſſe Italicum, niſi vt diſtortum per multimoda iniuſtitiarum huiuſmodi ſcilicet, & aliarum inrectitudinum volumina, ad rectitudinem Chriſtianæ legis, poteſtate imperiali, cogeret regnum.

Decreueram igitur, vt dicere cœpi, monaſterium ita expeditus petere; ſed rurſum cogitans in quali ordine illic quoque deberem eſſe, Epiſcopi ſcilicet an Preſbyteri, an alterius, an nullius ordinis: dicturus eſt enim forſitan aliquis eorum, qui ſibi arrogantes ſolent in corde, velut etiam hic publicanus dicere, qui nec cum bonis laïcis in Eccleſiæ publica admittendus ſum ſtatione: è diuerſo forſitan alius tanto dignior, inquit, quantò flagello attritior, fluctuans inter hæc animus, cui potiùs aſſenſum præbeat, ignorat. Veridicóque pòſt, & hoc inſperato percipiens relatu, mihi ab æmulis quædam obijci, pro quibus non vi, ſed iure, miniſterio Sacerdotali me aſſerant priuari: verens ne hæc mei ceſſio vel patientia, alicuius alterius, præſentis ſcilicet aut futuri, fiat depoſitio à dignitate propria: procliuis enim ſemper eſt in deteriora veteris Adæ poſteritas, nullóque exiſtente qui opponat ſe murum pro domo Iſraël, ſtans in prælium in die Domini; verendum ne ſerpens per licentiam vulnus in futurum multò fiat deterius, more ignis, qui modicas delambens paleas, dum per incuriam non extinguitur, comburit ſæpe ciuitates maximas. Præcauens etiam, ne iuxta illius in Decretalibus dictum, qui ait: [ Manifeſtum eſt confiteri illum de crimine, qui canonicè vocatus, iudicium ſubterfugit: ] Æſtimer non vocatus quidem, ſed prouocatus iudicium me velle deliteſcendo effugere, ad pedes Apoſtolatus veſtri me proſterno, & quis è nobis duobus, cùm vna Eccleſiæ Sedes duos non admittat ſedentes, Epiſcopus ſit, audire cupio. Si ego, Veronenſis ergo: Si ille, repulſio mea non furtiua eſſe debet, ſed publica, ne ob falſum contrariæ ſuſpicionis rumorem, contra nos clamet Eccleſiæ terra, & ſulci (iuxta Gregorium) eius cum ea. Adimi quoque Epiſcopo Epiſcopatum antequàm cauſæ eius exitus appareat, vtrum vlli Chriſtiano videri iure poſſit à veſtra Paternitate volo diſcere; nam miſer ego & imperitiſſimus multa mei cauſâ perquirens & relegens nuſquàm hoc potui inuenire. Quòd ſi talis eſt culpa, conuenientius videtur, vt degradatus priùs careat officio, pòſt Epiſcopio, ne non iuſtè, ſed inimicè videatur actum.

Ne igitur criminoſus videar criminatus, aut fugax prouo-

catus, audientiam rogo, audientiam flagito, inuaſorémque Eccleſiæ meæ cum ipſo Paſtorum omnium Paſtore, audaciter furem vocitans & latronem, quia aliunde aſcendit, non per oſtium introiuit. Etenim viuente viro non dimittitur mulier legitimè. Coram Apoſtolatu veſtræ Sedis ad certamen canonicum prouoco, eo etiam, ſi veſtræ dominationi placet, tenore, vt ſiue pro me, ſiue pro illo lex obtinuerit, Epiſcopium, cui vobis viſum fuerit tribuatis tantùm in Domino: præeſſe enim vlteriùs non concupiſco, ſi prodeſſe, vt anteà, nulli valeo.

Offenderit ſanè, timeo, veſtræ Paternitatis ſynceriſſimum auditum, paulò quàm decuit ſeuerior, & quaſi inuectiua in aduerſarios oratio. Sed peto veniam dari afflictiſſimæ puſillanimitati: Nam ſi compatientis & non dedignantis erga meam vtamini miſeriam affectu, aduertere prudentiſſimæ veſtræ pietatis poterit dignatio, me iſtic nullum aliud illorum tetigiſſe vitium, niſi quod ad meum illis famulatum eſt detrimentum. Teſtor verò & promptiſſimè Deum, maluiſſe me in vno Probi, in altero mores Ambroſij, quàm aliquid inuenire quod caperem ſiniſtri, eorum maximè quæ pertuli. Verùm, vt in breuiloquio comprehendam quod opto, aut Veronenſium eſſe conuincar, aut nequaquam Epiſcopus; vniuerſalem námque me Præſulem eſſe non conſequitur vllatenus, & tædet me in hoc vel errare, vel errandi aliis cauſas præbere diutiùs. Non Pontificem quoque pontificalia præſumere, quanti ſit periculi tantò minus valeo ignorare, quantò frequentiùs Miſſas aliquem laïcorum celebrare, nullatenus præſumere perſpicio quotidie.

Vnum verò è nobis duobus Epiſcopum non eſſe, cùm etiam infantum, ſi qua eis ineſt, ſatis euidenter valeat comprehendere ratio; quis autem noſtrum ſit, veſtræ paſtoralitatis decernere debeat prouiſio, abſque maximo veſtri, ſi dicere audeam, periculo, quandoquidem controuerſia inde orta eſt, indiſcuſſum relinquere non valetis omninò.

## *EPISTOLA IV.*

### RATHERII *Epiſcopi.*

DOminis Patribus, & Reuerendiſſimis Compræſulibus per vniuerſam Italiam, Galliam, atque Germaniam in Domino conſtitutis, RATHERIVS peccator & exul.

Decreueram quidem, Patres Sanctiſſimi, Sede propria, hoc eſt, Veronenſi pulſus, liuori perſequentium cedere, quod nonnullos probatiſſimorum legimus feciſſe, ſolitudinémque monaſterij petere, & ibi expectare Dominum, qui me ſaluum faceret à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate, contra ius, fáſque impiè garrientium. Sed veridico percipiens relatu, quædam mihi ab inſidiatoribus obijci, pro quibus non vi, ſed iure me aſſerant Epiſcopio priuari, dicentéque Apoſtolo: *Omnia licent, ſed non omnia expediunt:* verens ne hæc mei licentia, in alicuius alterius, præſentis ſcilicet aut futuri redundet damnum, vel calumniam, aut iuxta quod Iulius Papa Athanaſij dicit accuſatoribus: [ Quia ſi in vera, inquiens, fideretis innocentia, nullomodo vos ſubſtraheretis à vocatione canonica. ] Æſtimer tantoperè quærere, quòd iudicio audeam nullatenus adeſſe, licet me canonicè euocet, veſtrum ſacratiſſimum cœtum conſtantiſſimè appello. Conſilium atque auxilium pro veritatis, quæ Chriſtus eſt, amore, deprecor. Non aliud nunc tamen, quàm Synodicam conuentionem, & promulgatam à ſanctis patribus legem.

Auxilium petit ab Epiſcopis.

Adimi námque Epiſcopo Epiſcopatum antequàm cauſæ eius appareat exitus, vtrum vlli Chriſtiano videri iure poſſit, veſtræ paternitati dimitto iudicare. Conſpirationum quoque crimina, plebíſque contra Epiſcopum diſſenſionem, vtrum cum ſancto Calixto Papa, anteceſſorémque eius turba quampluriima Epiſcoporum, vt verbis ipſius vtar, ſpirituali gladio placeat ferire, an in præiudicium totius ordinis noſtri patienter ſinatis creſcere & multiplicari, veſtri erit arbitrij, non mei ſilentij. Itaque ne aut criminoſus videar cri-

minatus aut fugax prouocatus, Concilium appello, inuaſorémque Eccleſiæ meæ cum ipſo Paſtorum Paſtore furem vocitans & latronem, quia ſcilicet aliunde aſcendit, non per oſtium introiuit, ad certamen canonicum prouoco, & ſi diſſimulauerit, anathemate perpetuo cum ſacratiſſimis legibus iuſtè, vt omnibus ſanum ſapientibus liquet, niſi pœnitendo reſipuerit, Amen, reſpondeo. Nec incommemoratum veſtræ Paternitati pro me faciens illud B. Alexandri Papæ capitulum omitto, [ Quicumque, ait, ex veſtro collegio fuerit, & ab auxilio eorum Epiſcoporum vtique & iniuſtè deſtitutorum ſe ſubſtraxerit, non Sacerdos, ſed ſchiſmaticus iudicabitur. ] Et illud Prophetæ pariter non omitto improperantis: *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Et, *Canes non valentes latrare.* Illud quoque Domini: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, & hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in gloria ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Quod ſagaciſſimè, vt opto, flagito, & deſidero, veſtræ Paternitatis generalitate cauente. Deus pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri IESV Chriſti ſit ſemper vobiſcum.

---

## *EPISTOLA V.*

### RATHERII *Epiſcopi.*

DOmino ſeruulus decentiſſimo indigniſſimus RATHERIVS, ſeruitium fideliſſimo fidelius, cum continuis orationibus.

Nihil dignius, inſignius claritudine, ingenio acutius, ſani dico intellectus, in noſtri ordinis valens inuenire hominibus; Opuſculum hoc, examini quoque veſtri dirigo dominatus, ſtudens & illud correctius recipere, & notitiam noſtri, per hoc, veſtræ generoſitati ingerere. Præfixum ergo quodammodò meæ qualitatis in eo cernentes tenorem, quid, barbarus vobis licet, in veſtro ſeruitio nequeam valeámue agere, optimè poteſtis perpendere. Si itaque placet opus, placeat

& operis executor ſeruulus. Nec dedignemini ſuggerere, tantillum cognoſcere, forſitan enim inter millia præſtantiorum, & iſte ſuum obtinebit locum. Poteſtis autem, ſi libet, eumdem & ad ſeruitium adipiſci, abeſſe enim vobis tenaciam remotiſſimè, vobis audiui, cùm & adſint decentiæ mores illi, quos in ſęculi huius diuitibus diuinitas meritò ſemper ambiuit. Remota igitur difficultate, vltimi poteſtate, ſcientes me hoc inhianter ambire.

Præſaga enim mens quaſi diuinare videtur, meam per veſtram claritudinem releuandam deſtitutionem; tantùm condignam congruámque veſtro dominatui impendere valeam ſeruitutem.................. veſtri per omnia clientulus, commendatórque per cuncta fidiſſimus. Cuius & optatu, noſtróque precamur contingat rogatu, vt qui..... ........ veſtræ decentiæ indolem regali conceſſit proſapia pollere, eovſque dignetur & prouehere, vt in hodierni temporis clero non minus ſint vobis omnia penitùs infra, in futuro nil inter eos inueniri valeat ſupra.

Carmina iſtîc ſubnexui, vt quidam aſſolent, nulla; non ſum enim, mihi credite, Poëta, quanquam nec lateat me poëtriæ penitùs regula. Diffuſiorem námque ſum ſemper amplexus ſermonem, obſcuritatis odio, diffugiens contractiorem.

*Tres Epiſtolas poſteriores iampridem ediderat Chappeauillus in Geſtis Pontif. Tungrenſium; Annotat. ad Ratherium pag. 179.*

## SYNODICA AD PRESBYTEROS, *& Ordines cæteros forinſecus, id eſt, per vniuerſam Diœceſim conſtitutos.*

QVIA mirari vos ſcio, immò murmurare, quod eſt peius, nonnę ſcio quod tertiò iam vos vocaui, & quaſi nihil vobiſcum egi. Ne fruſtra hoc me feciſſe putetis, fateor quia explorandi vos cauſa hoc feci, & quales vos me inuenturum æſtimaui, tales, proh nefas! inueni. Congruere mihi
*Eccli.* 16. 1. infœliciſſimo illud ſtatim de ſapientia viſum eſt libro: *Ne jocunderis in filijs ſtultis ſi multiplicentur: ne oblecteris in eis ſi non eſt timor Dei cum illis.*

Moneo igitur paternaliter, & præcipio paſtoraliter, vt di-
*Heb.* 11 6. centis Apoſtoli reminiſcentes, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*; hoc eſt, ſine credulitate, quæ nobis per Apoſto-
*Rom.* 1.17. los, eorúmque eſt ſucceſſores tradita. Et quia *Iuſtus ex fide*,
*Ibid.* id eſt, credulitate ſua *viuit*. Et, *Quidquid ſine fide*, hoc eſt,
*Iacob.* 2. 17. credulitate Dei *eſt, peccatum eſt. Fides* autem, id eſt, credulitas Dei, *ſi non habent opera bona, mortua eſt in ſemetipſa.* Ipſam fidem, id eſt credulitatem Dei trifariè parare memoriter feſtinetis, hoc eſt, ſecundum ſymbolum, id eſt, collationem Apoſtolorum, ſicut in Pſalterijs correctis inuenitur; & illam quæ ad Miſſam canitur; & illam ſancti Athanaſij quæ ita incipit: [ Quicunque vult ſaluus eſſe. ] Quicunque vult ergo Sacerdos in noſtra parrochia eſſe, aut fieri, aut permanere, illa, Fratres, memoriter nobis recitet cùm proximò à nobis huc vocatus fuerit.

Moneo & iam vos de die dominico, vt cogitetis, aut ſi cogitare neſcitis, interrogetis quare ita vocetur: vſu enim quotidiano illas res dominicas dicimus, quæ propriè ad dominos pertinent illarum. Eo itaque ſenſu Dominica dicitur dies, quòd propriè ad Dominum, id eſt, IESVM Chriſtum pertineat. Cùm verò omnes dies ipſius ſint, ſicut & omnia quæ ſunt in cælo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyſſis; inquirendum quare iſta ſolùm dicatur illius eſſe:

*Quare Dominica dies ſic vocatur.*

Nimirum

Nimirum quia ipſe in eo reſurrexit ſed in quibus Kalendis? Non cures, de die ſolummodò cogita. Quintâ feriâ poſt veſperum eſt traditus, Sextâ crucifixus, Septimâ quieuit in ſepulchro, Octauâ reſurrexit à mortuis, & inter duorum dierum partem, ſiue trium integritatem noctium, vel triduo, vt promiſerat, facto à corde, id eſt, interioribus terræ ad Apoſtolos rediit. Hinc ipſa octaua ſiue prima feria dies vocatur Dominica: & in quocumque Kalendarum die euenerit, ſemper eſt Paſcha, id eſt tranſitus Domini de morte ad vitam, & vno modo quicquid manduces, vel bibas eſt obſeruanda. Vnde autem obſeruanda? Ab opere ſeruili. Quod autem eſt opus ſeruile? Peccatum: qui enim peccat, Diabolo ſeruit. Si ergo omni die dominico eſt Paſcha, quærendum quid nobis faciendum in ea, Apoſtolus dicat: *Paſcha*, inquit, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, Quare Paſcha eſt Chriſtus? Quia pro nobis immolatus. Cur immolatus? vt pro nobis moreretur. Sicut vtique anteà ille immolabatur, cuius ſanguine liberandus ab Ægypto populus purgabatur. Ita ergo & iſte propterea eſt immolatus, vt moreretur, propterea occiſus, vt nos per ſanguinem ipſius à vaſtatore mundi Angelo, id eſt, Diabolo, liberati, de Ægypto, id eſt, inferno erueremur; & per mare rubrum, hoc eſt, Baptiſmum, ſanguine Domini rubeum, per deſertum præſentis vitæ educti, ad terram repromiſſionis, id eſt, vitam æternam peruenire poſſemus. Habes Paſcha, id eſt, tranſitum bonum; habes agnum pro te occiſum; tranſiſti mare rubrum; graderis per deſertum. Vide quò graderis: ſtude peruenias quò venire tibi expedit. Labora cum Dei adiutorio ne aut in Ægyptum redeas, aut in deſerto pereas, ſed ad Patriam cœleſtem peruenias. In Ægyptum verò te redire cognoſce, ſi peccatum quod deſeruiſti præſumis repetere. Peris verò in deſerto, ſi non perſeueras in labore & opere bono. 1. *Cor.* 5. 7.

Sed redeamus ad Apoſtolum: *Paſcha*, inquit, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Poſteà: *Itaque epulemur*: Putas quòd dicat crapulę & ebrietati vacemus? Nequaquam; ſequitur enim: *Non in fermento veteri*, id eſt infla- *Ibid.* v. 8.

Dies Dominica quî obſeruanda.

tione ventris, vel tumore anterioris peccati, aut affectu ad tranſacta ſcelera redeundi, vel alia perpetrandi. *Neque in fermento malitiæ & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Id eſt, vt in opere iuſti, in cogitatione ſimplices, in ſermone ſimus veraces. Quando? Omni tempore. Præcipuè verò in Paſchali ſolemnitate, hoc eſt, omni Dominica anni integri die: Si enim Dominica eſt Domini, vtique non noſtra dies eſt: ſi Domini eſt, reuerentiâ Domini eſt honoranda. Sed cuius Domini? Reuerà, qui nos cùm non eſſemus fecit; qui nos cùm perditi fuiſſemus refecit; qui nos gubernat, alit, nutrit, defendit, qui vitam noſtram quovſque illi placuerit hîc continet, cùm noluerit, eam hinc mutabit, & aut meliorem, pro meritis, aut reddet peiorem. Poſtremò qui nos iudicabit, & aut in inferno ſine fine damnabit, aut in cœlo æternaliter coronabit. Talis igitur ac tantæ poteſtatis Domini cùm hæc ſit propriè dies, honoretur vt eam pro decentia tanti Domini decet. Honorari verò nullo modo niſi ordinabiliter valet. Niſi enim Paraſceue ſabbatum antecedat, ſabbatum diem Dominicam, dies non eſt vllatenus Dominica.

Paraſceue moraliter explicatur. 1. *Cor.* 11. 28. *Ioan.* 6. 41 *Pſal.* 22. 5.

Quid eſt autem Paraſceue? Apoſtolus dicat: *Probet autem*, ait, *ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quo pane? Qui ait: *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi.* De quo calice? *Calix tuus inebrians quàm præclarus eſt!* id eſt, Chriſtus ſuo nos ſanguine ſatians, quàm pulcher, id eſt, ſpecioſus forma præ filiis hominum: Qui ergo panis, ipſe eſt agnus; qui agnus, ipſe Chriſtus, qui Chriſtus, ipſe eſt Paſcha; qui Paſcha, ipſe pro nobis immolatus. Ipſe eſt dies quam non operando, ſed gignendo coæternaliter fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Ipſe eſt, inquam, dies, ipſe Dominus, cuius iſta eſt dies. De Sabbato illius quid facimus? *Vacate*, ait per Pſalmiſtam Dominus, *& videte, quia ego ſum Deus.* Sabbatum verò vacatio dicitur, vel requies, id eſt, vt quieſcamus ab operibus malis & vacemus diuinis obſequiis. Paraſceue autem præparatio dicitur, hoc eſt, vt preparemus cordium noſtrorum habitacula venturo ad nos per Corporis & San-

*Ibid.* 45. 11.

guinis ſui ſubſtantiam Chriſto. Si ergo omnis Octaua dies eſt Dominica, Dominica verò pro reſurrectione Domini dicta: Vel, ſicut perlepidè quidam inuenitur dixiſſe, Omnes quia dies Dominus fecit imperio ſuo, Dominicum fecit ſanguine ſuo, & ædificauit pretio ſuo. Omnes dies Dominici Paraſceue vel Sabbato indigent, Paraſceue autem, id eſt præparatio, non eſt aliud niſi quod protulimus, hoc eſt vt probet ſeipſum homo, id eſt diſquirat, cuius affectus ſit, hoc eſt, ſi in voluntate cum Dei gratia meliorationis; aut in duritia peiorationis conſiſtit. Si illud primum ius in conſcientia ſua inuenit, præſumens de miſericordia Dei, cum lactucis agreſtibus, id eſt, contritione cordis, & amaritudine gemitus, accinctis renibus comedat agnum. Si non: ſuadere non audeo vt faciat, viderit quiſque quid agat. Omnis ergo dies Dominicus ideò eſt Paſchalis, quia reſurrectione Domini decoratus: Paſcha verò noſtrum ideò eſt Chriſtus, quia pro nobis immolatus.

Omni ergo Dominica nobis clamat Apoſtolus: *Itaque epulemur*, id eſt, carnem Domini manducemus, & ſanguinem ipſius bibamus. Vbi ſunt autem qui quotidie Miſſam celebrant, quotidie Paſcha faciunt, id eſt, carnem Agni comedunt, & ſanguinem eius bibunt, & vt cætera ſileam, de coïtu adulterino filios & filias generant? Vbi qui heſternam ebrietatem, vel crapulam, ante altare Domini ſuper ipſam carnem vel ſanguinem ructuant agni? Qui litibus continuis occupantur, qui cupiditia æſtuant, qui inuidiâ vel odio tabeſcunt, qui his quos vt ſe diligere debuerant deceptionum laqueos tendere nullatenus ceſſant? Quando taliũ quis Paraſceue iam dictum, vel Sabbatum fecit? Timeo de talibus, & vtinam non mei ſimilibus, ne dum putant & comedere agnum; comedant potiùs hircum; & vtinam non illum, qui abductus eſt in deſertum, qui latinè emiſſarius, hebraicè hazezel, id eſt, crudelis Dei interpretatur; quem qui in deſertum emiſit, caſtra ſolummodò Dei non eſt ingredi dignus, niſi loto priùs corpore, & veſtibus omnibus; ſed hœdum potiùs quartâ decimâ qui die ad veſperam ab omni eſt populo immolatus. Væ enim illis quibus tantum bonum in tam magnum vertitur malum, hoc eſt, manſue- *1. Cor. 5. 8.*

tudo Dei in crudelitatem, dum comedentes vtique carnem, & ſanguinem eius bibentes indignè, iudicium ſibi manducant & bibunt. Væ, inquam, nobis miſeris, & millies væ. Cùm enim ſacerdotes non ob aliud vocemur, niſi quia ſacrum conficere, & dare populo debemus: Scriptura verò ſancta dicat è contra: *Quicquid tetigerit immundus, immundum erit*: quomodò ſaltem dici valet aliquid ſacrum immundiſſimis manibus noſtris tractatum? Et cùm ſpecialis noſter Doctor atque prouiſor Beatus vtique Zeno dicat, in ſermone vtique quem de Iuda filio Iacob, & Thamar nuru ipſius elegantiſſimè compoſuit; quòd omnium corruptè viuentium Diabolus pater ſit, quid valet quod in conſpectu omnium qui nos ſciunt corruptè viuere, id eſt luxuriæ deſeruire, clamamus Deo: *Pater noſter qui es in cœlis*: cùm ille nobis per Prophetam ſtatim reſpondeat. *Si pater ego, vbi eſt amor meus?* Quid enim facis pro amore meo? Quid infectum relinquis pro timore meo? Iſta, & illi ſimilia quia vos penitus neſcire doleo, imò de talibus nil curare gemiſco, paſtoraliter vt addiſcere feſtinetis præcipio, & quia ſermone ignoratis, bono exemplo Dei populum erudire queſo ſtudeatis. [ * Ammonemus etiam & obſecramus, ſicut alibi ſcriptum inuenimus, fraternitatem veſtram, vt de communi ſalute noſtra cogitantes attentiùs audiatis ammonitionem noſtram, & quæ vobis ſuggerimus memoriæ commendetis, & opere exercere ſtudeatis. In primis ammonemus vt vita & conuerſatio veſtra irreprehenſibilis ſit, ſcilicet vt cella veſtra ſit iuxta Eccleſiam, & in ea feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnos ſurgite, curſum veſtrum certis horis decantate. Miſſarum celebrationes religioſè peragite. Corpus & ſanguinem Domini cum timore & reuerentia ſumite. Vaſa ſancta propriis manibus abluite, & extergite. Nullus cantet Miſſam niſi ieiunus, nullus cantet qui non communicet; Nullus cantet ſine amictu, alba, ſtola, fanone, & planeta, & hæc veſtimenta nitida, & ad nullos vſus alios ſint. Nullus cum alba quâ in ſuos vſus vtitur præſumat Miſſam cantare. Nullus cum cultellis foris pendentibus, nullus cum calcaribus. Nulla femina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat. Corporale mun-

*Num. 19. 22.*

*Matt. 6. 9*

*Malac. 1. 6.*

* *Hæc edita inter Concilia, in Homilia Leoni 4 PP. aſcripta; ſub init. paucis immutatis ſeu additis, inuenies. Videſis etiã in exhortatione, quæ in Pontificali de Ord. ad Concil. Prouinciale ſeu Synod. celeb. dici ſolet.*

diſſimum ſit. Altare coopertum de mundis linteis, ſuper Altare nihil ponatur niſi capſæ & Reliquiæ, aut fortè quatuor Euangelia, & * Buxida cum corpore Domini ad viaticum infirmis; cætera in nitido loco recondantur. * Miſſalem plenarium, Lectionarium, & Antiphonarium vnaquæque Eccleſia habeat. Locus in ſecretario aut iuxta Altare ſit præparatus, vbi aqua effundi poſſit quando vaſa ſacra abluuntur: & ibi vas nitidum cum aqua pendeat, ibique manus lauet poſt communionem.

*al.* * pyxis.
*al.* * Miſſale.

Nullus extra Eccleſiam per domos, aut in locis non conſecratis Miſſam cantet. Nullus ſolus Miſſam cantet: Calicem & oblatam recta cruce ſignate, id eſt, non in circulo & varicatione digitorum vt plurimi faciunt, ſed ſtrictis duobus digitis & police intus incluſo, per quos Trinitas innuitur, iſtud ſignum † rectè facere ſtudete. Non enim aliter quicquam poteſtis benedicere. Infirmos viſitate, & eos reconciliate; & iuxta Apoſtolum oleo ſancto vngite, & propria manu communicate. Et nullus præſumat tradere communionem laico aut fœminæ, ad deferendum infirmo. Nullus veſtrûm pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis ſepeliendis, præmium vel munus exigat. Videte ne per negligentiam veſtram nullus infans ſine baptiſmo moriatur.

*Iacob.* 5. 14.

Nullus veſtrûm ſit ebrioſus & litigioſus, quia ſeruum Domini non oportet litigare. Nullus veſtrûm arma ferat in ſeditione, quia arma noſtra debent eſſe ſpiritalia. Nullus canum aut auium iocis inſeruiat. Nolite in tabernis bibere: Curam pauperum & orphanorum, ac peregrinorum habete, & eos ad prandiola veſtra inuitate. Eſtote hoſpitales, vt alij à vobis exemplum capiant bonum. Omni die Dominica ante Miſſam aquam benedictam facite, vnde populus aſpergatur, & ad hoc ſolum vas habete. Sacra vaſa & veſtimenta ſacerdotalia nolite in pignore dare negociato aut Tabernario. Nullus veſtrûm minus dignè pœnitentem cuiuſcunque rei gratiâ ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat. Nullus veſtrûm vſuras exigat, & conductor fœnoris exiſtat. Res & facultates quas poſt diem ordinationis veſtræ acquiritis, ſciatis ad Eccleſiam

pertinere. Nullus ſine ſcientia, & conſenſu noſtro Eccleſiam adquirat. Nullus per poteſtatem ſæcularium Eccleſiam obtineat. Nullus per pecuniam alterius Eccleſiam ſubplantet. Nullus Eccleſiam ad quam titulatus eſt relinquat, & aliam quæſtus cauſa migret. In alterius parrochia Miſſam nullus cantet abſque Parrochiani Preſbyteri, ſi præſens eſt, voluntate & rogatu. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem inuitet carnem manducare & bibere vinum, niſi pro eo ad præſens eleemoſynam fecerit.

Nullus præſumat baptizare niſi in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, niſi propter periculum mortis. Vnuſquiſque fontes habeat, & ſi non poteſt habere lapideos, habeat aliud vas ad hoc præparatum, in quo nil aliud fiat. Videte vt omnibus parrochianis veſtris ſymbolum & orationem Dominicam inſinuetis. Ieiunium quatuor temporum, & Rogationum, & Litaniæ maioris plebibus veſtris omnimodis obſeruandum inſinuate: Feriâ quartâ ante Quadrageſimam plebem ad Confeſſionem inuitate, & ei iuxta qualitatem delicti pœnitentiam iniungite, non ex corde veſtro, ſed ſicut in pœnitentiali ſcriptum eſt. Quater in anno, id eſt Natali Domini, & Cœna Domini, Paſcha, & Pentecoſte, omnes fideles ad Communionem Corporis & Sanguinis Domini accedere ammonete. Certis temporibus coniugatos ab vxoribus abſtinere exhortamini; Eulogias poſt Miſſam in diebus feſtis plebi tribuite.

Nullus ſine ſtola in itinere incedat: Nullus induatur veſtimentis laïcalibus: Nullus rem, aut poſſeſſionem, aut mancipium Eccleſiæ vendere, aut commutare, aut quocumque ingenio alienare præſumat: Diem Dominicum & alias feſtiuitates abſque opere ſeruili à veſpera in veſperam celebrare docete. Carmina diabolica quæ ſuper mortuos nocturnis horis vulgus cantare ſolet, & cachinnos quos exercent ſub conteſtatione Dei Omnipotentis, vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præſumat Miſſam cantare, ſed & plebibus vobis commiſſis hoc annunciate. Ad nuptias nullus veſtrum eat. Omnibus denuntiate vt nullus vxorem accipiat, niſi publicè celebratis nuptiis.

Raptum omnimodis prohibere: Et vt nullus ad proximam ſanguinis ſui accedat; & vt alterius ſponſam nullus ducat. Porcarios, & alios Paſtores, vel Dominico die ad Miſſam venire facite. * Patroni filiis ſuis ſymbolum & orationem Dominicam inſinuent, aut inſinuari faciant. Chriſma ſemper ſub cera ſit aut ſub ſigillo propter quoſdam infideles.] al *Patrini. *Hactenus homilia edita,*

Volumus autem ſcire de quolibet Preſbytero ſi ex ingenuis parentibus ſit natus, aut ex conditione ſeruili, aut ſi de noſtra Parrochia natus eſt, aut ordinatus, vel ad quem locum prætitulatus. Si ſeruus fuit, oſtendat chartam libertatis: ſi de alia Parrochia, oſtendat litteras commendatitias, quas formatas vocant. De miniſterio etiam vobis commiſſo vos ammonere curamus, vt vnuſquiſque veſtrûm, ſi fieri poteſt, expoſitionem Symboli & Orationis Dominicę iuxta traditionem Orthodoxorum penes ſe ſcriptas habeat, & eam pleniter intelligat, & inde ſi nouit prædicando populum ſibi commiſſum ſedulò inſtruat; ſi non, ſaltem teneat, vel credat. Orationes Miſſæ & Canonem bene intelligat, & ſi non, ſaltem memoriter ac diſtinctè proferre valeat, Epiſtolam & Euangelium bene legere poſſit, & vtinam ſaltem ad litteram eius ſenſum poſſet manifeſtare. Pſalmorum verba, & diſtinctiones regulariter ex corde cum canticis conſuetudinariis pronunciare ſciat. Sermonē *, vt ſuperius dixi, Athanaſij Epiſcopi de fide Trinitatis, cuius initium eſt: *Quicunque vult*, memoriter teneat. Exorciſmos, & orationes ad Catechumenum faciendum, ad fontem quoque conſecrandum, & reliquas preces ſuper maſculum & fœminam pluraliter, ac ſingulariter, diſtinctéque proferre valeat, ſimiliter ordinem baptizandi, ad ſuccurendum infirmis, ordinem quoque reconciliandi, iuxta modum ſibi canonicè reſeruatum, atque vngendi infirmos; orationes quoque eidem neceſſitati competentes, bene ſaltem ſciat legere. Similiter ordinem & preces in exequijs agendis defunctorum. Similiter exorciſmos & benedictiones ſalis & aquę memoriter teneat. Canticum nocturnum atque diurnum nouerit. Compoſtum minorem, id eſt, Epactas, Concurrentes, Regulares, terminum Paſchalem & reliquos, ſi eſt poſſibile, ſapiat. Martyro-

* *Hoc eſt, ſymbolum.*

Caſus, vt vocant, reſeruat:

logium, & Pœnitentialem habeat, & cætera. De ordinandis pro certo ſcitote quòd à nobis nullo modo promouebuntur, niſi aut in ciuitate noſtra, aut in aliquo Monaſterio, vel apud quemlibet ſapientem ad tempus conuerſati fuerint, & litteris aliquantulùm eruditi, vt idonei videantur Eccleſiaſticæ dignitati.

Bona Eccleſiaſtica in 4 partes diuidenda.

Cùm auctoritas quoque contineat Eccleſiaſtica; vt de rebus Eccleſiaſticis quatuor fieri debeant partes, è quibus vna Epiſcopi, altera fabricæ Eccleſiæ, tertia Clericorum, quarta debeat eſſe pauperum & hoſpitum: ſi veſtram pleniter habetis, de illis quæ ad Epiſcopum, fabricam, vel pauperes pertinent nullam inuidiam habeatis: Reminiſcentes Dominum præcepiſſe: *Non concupiſces rem proximi tui. Et de re quæ ad te non pertinet, ne ſollicitus fueris.* De ipſa verò quæ ad vos pertinet fidem inter vos habetote, & communiter eam diuidite, ſiue ſit magna, ſiue ſit modica, ſcientes Apoſtolum dixiſſe: *Nemo circumueniat in negotio,* id eſt, cauſa aliqua, *fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de omnibus his, ſicut prædiximus vobis & teſtificati ſumus.* Noueritis etiam quòd melius ſit omni Chriſtiano fraudem pati, quàm inferre.

*Exod.* 20. 17.

1. *Theſſ.* 4. 6.

Laïcos alloquitur,

Quadrageſimam, exceptis diebus Dominicis, æqualiter facite, ſi enim vno die ieiunas, altero crapularis, non Quadrageſimam, ſed vigeſimam feciſti. In Aduentu Domini, niſi feſtiuitas intercedat, quatuor hebdomadibus à carne, noueritis abſtinendum, & coïtu. In Natale Domini viginti diebus ac noctibus à coïtu etiam licito omninò ceſſandum. Similiter in octauis Paſchæ & Pentecoſtes, Lætaniarum, & omnium feſtiuitatum vigilijs, ſextis etiam ferijs, præcipuè autem omnibus diebus vel noctibus Dominicis. Auctoritate etiam Paſchalis feſtiuitatis compellente monemus veſtram dilectionem, in Chriſto fratres ſinceriter diligendi, vt ſecundâ, tertiâ, quartâ, & quintâ feriâ hebdomadæ maioris ieiunetis vſque ad Nonam, exceptis paruulis, & ſenio graui confectis, atque infirmis. Quintâ feriâ, horâ nonâ ad Eccleſiam matrem omnes reconciliandi venite. Sextâ feriâ vſque ad nonam ieiunate, & cui placet ampliùs. Septimâ feriâ ante horam decimam nullus præſumat Miſſam cantare,

tare, nec baptiſmum generale agere. Quòd ſi pro infirmitate aliquis ieiunare non poteſt, proficiat ei ieiunium quod generalis facit Eccleſia, omnes enim in Chriſto vnum corpus ſumus, tantùm nullus ſua importunitate vniuerſitatem Eccleſiæ noſtræ contra Dominum compellat delinquere, & tam glorioſam feſtiuitatem in aliquo violare. De occultis peccatis pœnitentiam vos dare poſſe ſcitote, de publicis ad nos referendum agnoſcite. Clericum nemo veſtrum ſine licentia faciat noſtra: Nullus balbum, vel vltra menſuram blæſum. Nullus eum qui de litteris durum habet ſenſum. Si feſtiuitas, quæ non ſit ſanctę Dei Genitricis MARIÆ, aut Apoſtolorum, euenerit in Quadrageſima, vel Quatuor temporum ieiuniis, magis ieiunium tenendum, quàm feſtiuitatem celebrandam ſcitote; niſi fortè illius Sancti ſit feſtiuitas, qui in eadem Parrochia iacet: quia nulla ſolemnitate ampliùs delectatur Deus, quàm illo ieiunio, quo à cibis abſtinetur & vitijs. [ Otioſitas quóque inimica eſt animæ. ] Videte ſi abſque horum quæ præmiſimus ſcientia, miniſterium veſtrum facere poſſitis, & plebes vobis commiſſas ad vitam ducere, & Chriſto repræſentare. S. Bened. Reg. c. 48.

---

## *Itinerarium* RATHERII *Romam euntis.*

NOſſe fraternitatem non ignoro, Filij, veſtram, me pergere cupere præſentialiter Romam, ſed cuius rei gratiâ eſſe prorsùs ignaram. Non enim orationis causâ illuc vado, cùm in Euangelio legam: *Mulier crede mihi quia venit hora, cùm neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem.* Subiuncto: *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in Spiritu, & veritate oportet adorare.* Quod vtique domi poteſt quiſque peragere. Non imperiali quia imperatum eſt minimè iuſſu: milites ſolùm vt mitterem meos ab eo cùm hoc ſit imperatum. Non bonum quid ſit, Deóque placitum ibidem addiſcam, cùm ſæpiùs hoc tempore cantatum agnoſcam: *Indicabo tibi homo quid ſit bonum, aut quid Dominus requirat à te: Facere iudicium & iuſtitiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Non ſolùm vtique cùm Romam vadimus, ſed & vbicúmque conſiſtimus. Cum Deo

Quid Romæ acturus ſuis Clericis aperit. *Ioan.* 4. 21 *Ibid.* v. 24 *Mich.* 6. 8

námque ſemper ambulat, qui à præceptis ipſius nuſquam deuiando diſcordat. Quod ſollicitus agere quilibet monetur; hoc eſt, vt ſeruiat illi in timore, & exultet ei cum tremore. In peccatoris namque (vt ait Gregorius) pectore inceſſanter debet ſpes & formido manere. Iudicium verò quid eſt facere, niſi quod lex præcipit obſeruare. Quod fuit vtique, quod modò ex Euangelio Petro & Andreæ audiſtis
*Matt.* 4. 19. ita ſuaſum: *Venite poſt me.* Hæc eſt enim lex & Prophetæ, vt poſt Christum omni tempore debeamus cogitando, loquendo, operando venire. Iuſtitia verò quam facere ſuademur, quæ eſt, niſi iuris, hoc eſt Legis ſtatus? ſed cuius legis? Chriſti vtique. Factam verò quomodò implemus?
*Galat.* 6. 2 *Alter alterius*, ait qui nouerat, *onera portate; & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Quod eſt autem onus vnicuique grauius, quàm cùm quis ignorantia premitur eorum quæ illum ſcire oportuerat ampliùs? Eam igitur cùm non implere niſi inchoatam, inchoare verò niſi agnitam valeamus, quaſi diſcordare verò in pluribus, dum non intelligitur, videamus; vt & me eodem faſce leuare, & vobis inde vtcumque concurrere, quod portare dicit Apoſtolus, valeam.

Concilium tantorum qui conductu pijſſimi Cæſaris illuc ad Apoſtolicam ſunt ſedem venturi, adire diſpono. Indagare primitus illa ſtudens, quæ quaſi diſponere ſunt prolata, ad quam perduci valeant concordiam. Vt cùm verbi gratia
Cap. 6. ex interpret, Dionyſij Exig. in Apoſtolorum legatur Canonibus: [Vt Epiſcopus aut Presbyter vxorem ſuam, quam debet caſtam regere, non relinquat.] In Nicæno tam rigidè prolatum cernamus Concilio:
Cap. 3. ex ead. interp. [Interdicit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem; niſi fortè matrem, aut ſororem, aut amitam, aut eas tantùm perſonas quæ ſuſpiciones effugiunt, & cùm Canones dicant [Quòd ſi quis excommunicatis communicat, ſit excommunicatus pariter ipſe.] Auguſtinus verò quiddam quaſi contrariũ Claſſiciano cuidam excommunicato mandauerit, cùm neminem noſtratium de excommunicatione cuiuſlibet noſtrum videam curare iuſta ſit an iniuſta. Non ignarus tamen penitus quid inde Beatus dicat Gregorius, cum illo ſancto agere cupio libenter inde Concilio.

Concil. Cæſaraug. c. 5. Carthag. 2. cap. 7. Epiſt. 75. Auxilio.

De ſubiunctis hîc quoque Capitulis penè vbique pauciſſimis niſi poſthabitis, quid ipſe ſacer Conuentus cenſeat, indagare percupio, quæ vtique dum interdicto dicentis: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat*: Et, *Hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo*: quilibet quod in ſe recognoſcit, in alio timet corrigere. Canones verò tanta authoritate præcipiant, non inemendata relinqui me, qui falsò à quibuſdam prædicor litteratus, ignarum quid de illis valeam ſaltem cogitare, nedum proferre, efficiunt prorſus: Qua ignorantiâ quò meliùs exui, quò aptiùs poſſum, quàm Romę doceri? Quid enim de Eccleſiaſticis dogmatibus alicubi ſcitur, quod Romæ ignoretur? Illîc ſummi illi totius orbis Doctores: Illîc præſtantiores enituerunt Vniuerſalis Eccleſiæ Principes. Illîc Decretalia Pontificum vniuerſorum Congregatio, Examinatio Canonum, Approbatio recipiendorum, reprobatio ſpernendorum. Poſtremò nuſquam ratum quod illîc irritum, nuſquam irritum quod illîc ratum fuerit viſum. Vbínam ergo melius inſipientiæ conſulitur meæ, quàm vbi fons ſapientiæ cernitur eſſe? Accedit ad cumulum commoditatis, quòd miſericordia Conditoris Imperatorem nobis conceſſit æquiſſimum, pijſſimum, ſapientiſſimum, Dominum ſcilicet noſtrum Cæſarem glorioſiſſimum, qui cum præ omnibus qui ſub cælo ſunt iam, dictis, cæteriſque Regalium prærogatiuarum inſignijs inæſtimabiliter polleat; Sanctiſſimum Papam, Dominum vtique IOANNEM Epiſcopum, ſecundum proprietatem ſui vocabuli, *gratia Dei*, ad idem opus electum, Romuleæ quidem Vrbi Papam inſtituit digniſſimum; Orbi verò vniuerſo Patrem & Prouiſorem induſtrium; quos conuocaturos Synodum autumo vniuerſalem, concedat Deus ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, vt expedit, vtilem.

*Ioan.* 8. 7.
*Luc.* 6. 42

Doctrinâ cæteris præcellit Eccleſia Romana.

Adero itáque ſi Deo annuente valuero, digitóque compeſcens labellum tantò eos qui aderunt audire curabo humiliùs, quantò mihi neceſſarium conſidero ampliùs. Sapientiſſimos enim tam de iſto Regno, quàm & de his qui cum Domino noſtro venerunt ſemper Auguſto, illîc affuturos cognoſco; quorum doceri Magiſterio cupio de his ſaltem quæ hic capitulatim congeſta ideò habeo, quòd ple-

nitudinem eorum in illorum codicibus contineri confido. Sunt verò hæc quæ ab omnibus obſeruari valerent, ſi obedientes Deo exiſtere vellent. Nec contraria vtique tempori, nec patriæ incongrua, ipſis vtique omiſſis quæ antiquis ſolummodò, vel tranſmarinis congruentia ſunt viſa; non nobis. Cùm igitur quaſi in quibuſdam Medicinalibus libris carnalia, hæc animarum ſint congeſta in Canonibus ſanctis remedia: vt videlicet, qui illa quæ in libris Medicorum leguntur perceperit, ab ægritudine liberetur, qui neglexerit, ſuo merito moriatur: ſic animarum qui deſpicit remedia occaſione alia mortem euadere qualiter poſſit æternam diſcere cupio. Ignarus adhuc nempe ſtultus exiſto. Dicente quo-
1. Cor. 11. 31. que Apoſtolo: *ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur*: Iudicari verò ſicut ſæculariter lege mundana, ita Eccleſiaſticæ ſanctione debeamus Canonica, qui iudicari ea deſpicit temporaliter; Vtrum Iudicium illud euadere vllo modo poſſit, quo damnatus quiſque in æternum peribit, dicat quilibet alius: Nam ego hinc ſum penitus mutus. Iudicium ſanè quomodò facimus, ſi ius nobis à Deo per ſanctiſſimos Patres indictum negligimus? Iuſtitiam quam ſi legem non ſeruamus canonicam? Cum Deo qualiter ambulamus, ſi ab his quæ ſequenda præcipit, deuiamus? Noxia cæterùm ſollicitudo, quam gerendorum non efficit rectitudo, cùm recepturum quemque ſecundùm quod geſſit, ſiue bonum, ſiue malum; euidens eſſe valeat certitudo. Extra canonicæ igitur rectitudinis diuerſans lineam, quam ſalutis habere poteſt, quæſo, fiduciam, cùm ſcriptum ſit: *Atrium*
Apoc. 11. 2 *quod eſt foris non metieris, quia datum eſt Gentibus*? Quibus verò Gentibus, niſi de quibus Pſalmiſta dixiſſe intelligitur
Pſal. 17. 48. Domino: *Liberator meus de gentibus iracundis*? Vt enim homo malus alibi vocatur Diabolus, ſic Legio Dæmonum nomen hîc poſſidet non incongruè gentium. Dæmonibus ergo traditur, qui in forinſeco atrio inuenitur, quia qui extra normam Eccleſiaſticæ rectitudinis, etiam in Eccleſia corpore poſitus, conuerſatur, intus quidem eſſe corporaliter conſpicitur, ſed animaliter in atrio exteriori ſtare probatur. Vel certè gentibus datur, qui Ethnicis ſociatur; Chriſtianus enim licet dicatur, nequaquam eſt, qui in Chriſto contrarius

eſt, Canonibus verò ſanctis qui non obtemperat, Chriſto rebellat. Gentibus verò, niſi ſe infra menſuram lineæ recollexerit, dabitur, quoniam quidem non poterit eorum contubernio ſociari; quorum nec lege teneri, nec diſciplinâ corrigi, nec mores voluit imitari. Væ autem noſtrum alicui, extra menſuram canonicam cui contigerit inueniri, cùm Electorum populus cœperit recenſeri. Electus enim nemo, qui non canonicus, qui non electus.

Dicat ſanè aliquis veſtrum, tua quid refert talia cæteris, & vtique te præſtantioribus, hinc minimè curantibus, agere? Refert, inquam, refert omnimodis, & in tantùm expedit, vt, *O vos omnes qui tranſitis per viam attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus*, edicere poſſem, niſi inſenſibilitatis ſtupore languerem. Omittam quippe ter me contra Canones exulatum, millies iniuriatum, Epiſcopium mihi inlegaliter ademptum, alium ſuper me adulterè adductum, receptum. Iterum eo miſericordiâ pijſſimi Cæſaris, præcepto Apoſtolici qui tunc Romanæ præerat Sedi, iudicio Epiſcoporum ſynodaliter reſtitutum, ab eodem inuaſore (vobis non penitùs intantùm ignaris, neque eidem contrarijs, vt mille non defuerint qui vos penè omnes, ne dum conſenſiſſe, hoc crediderint machinaſſe) poſteà comprehenſum, pulſum, iniuriatum, expoliatum, cuſtodiæ mancipatum. Omnibus verò his, licet tam indiſcuſſis, relictis, quaſi in eis nil inueniri valeret, quod reprehendi legibus vel leuiter poſſet: Miſericordiâ iterum Creatoris, clementiâ Imperatoris, ſubuentu excellentiſſimæ Ducis ereptum, reductum, à vobis verò tam inhumanè receptum, vt non difficilè fuerit in vultibus veſtris coniecturari, quàm non libenter me videritis reuerti, cùm & exinde tot me non deſinatis iniurijs laceſſere, vt omni me prærogatiuâ ordinis Epiſcopalis adeò, ſicuti ante, ita & poſt, non dimittatis priuare, vt nihil ex ea mihi relinquatis præter Chriſmatis confectionem, & chriſmandi quidlibet cum ſubſcriptionibus poteſtatem. Adeò quoque de vobis ſim inhonorus, vt omnes Coepiſcopi illuc venturi de Clericis ſuis parere mihi habeant honorati; ego de vobis nec vnum ſim habiturus; cùm de mea paupertacula non ſim vobis adeò inhumanus, vt mili-

Ter ab Epiſcopatu expulſus.

Reſtitutus carceri ab inuaſore mancipatur.

Iterum reuocatur.

tari beneficio habeam, & hoc gratis, decem ex vobis ditatos.

Omittam tamen, vt dixi, illius omnia iſta reſpectu, qui
*Matt.5. 39.* dixit: *Nolite reſiſtere malo.* De Synodo à nobis quid agendum nuperrimè acto. Scitis enim, ſcitis, me ſemper hoc agere, ideo diſtuliſſe, cùm bis in anno idem præceptum ſit facere, quòd dicerem me vnde Synodare deberem omnino neſcire. Solet enim in Synodis ſi quid contra Canones actum eſt emendari. Sed ſi hoc agere tentauiſſem, omnibus quæ in Canonibus ſunt ſcripta regyratis, de nullo eorum vos curare viderem omnimodò: Equibus ſi vel aliqua proferam,
Conc. Nic. vbi ſup. ſi legeretur quod ſuperiùs tetigi, hoc eſt, [ *ſubintroductam habere perſonam, niſi ſororem* ] & cætera quæ ſunt inibi notata, quem veſtrum ab huius neglecto præcepti potuiſſem
* Concil. Rom. cap. 19. excipere? Rurſum ſi lectum impleretur, [ * *ſi quis Presbyter vxorem duxerit, deponatur,* ] magis autem pelli debet ſi adul-
* Innocēt. I epiſt. 4. cap. 2. Gelaſ. I. epiſt. 9. ſub med. Conc. Hiſpal 2. c. 4. terium perpetrauerit, quis ex vobis inde poſitus, iſſet? Rurſum ſi recitaretur: [ * Præcipimus vt bigami non admittantur ad Clerum ] quem ex vobis conſiderem legaliter ad Sacerdotium fuiſſe prouectum? Et, vt ad minora, vobiſque pernulla veniam, ſi legeretur: Contemptores Canonum acriùs arguendos: de conſpirationibus etiam & conſpirato-
Quā peruerſi Clericorum Veron. mores. ribus, de periuris, de ebrioſis, & qui in tabernis bibunt, & qui vſuris inſeruiunt, ſi legaliter ſynodarem, quem ex vobis indemnatum relinquerem? Si periuris ſaltem pœnitentiam legibus indictam ipſe dicerem, quem de vobis Miſſam celebrare permitterem? Si multinubos à Clericatu repelle-
*al.* * Manzeres. rem, quem niſi puerulos in Eccleſia relinquerem? Si manzares abijcerem, quem ex eiſdem puerulis ſtare in Choro permitterem? *Expectaui*, inquit, *vt faceres iudicium, & ecce*
1. *Ex ſcorto natos.* *Iſay.5.7.* *Geneſ.18. 20.* *iniquitas, & iuſtitiam, & ecce clamor.* Quis clamor? Peſſima fama, malum exemplum. *Clamor*, inquit, *Sodomorum venit ad me.* Breuiter dixerim: Cauſa perditionis totius mihi populi commiſſi, commanentes illi ſunt Clerici. Quem enim Laïcorum de adulterio conuenire auſus fuiſſem in Synodo, quem de periurio, quem de quouis flagitio Clericorum fruſtratus iudicio? Quis enim ille eſſet, cui non con-
*Matt.7.5.* tinuò ille, & ſi labijs non auderet, corde diceret: *Hypocrita*,

id eſt, *Pſeudoclerice, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc proſpicies, vt educas feſtucam de oculo meo.*

De talibus igitur cùm nulla penes nos omninò ſit quęſtio, vnde Synodus agi deberet, vnde, rogo, Concilium? Recolitis namque, cognoſco, me præcepiſſe, vt duobus diebus Archipreſbyter, & Archidiaconus, me abſente, aduentantes cum ordinarijs omnibus pariter reſidentibus diſcuterent, die tertia emendanda mihi omnia recitarent. Factum eſt, reſidens interrogaui quid actum fuiſſet. Reſpondit cuius intererat vos inquiſiſſe de pſalmis, & huiuſmodi, &, Deo gratias, non malum adeò inueniſſe. Quid haberem ergo de tot ſanctis, niſi Deo gratias dicere? Pſalmos non malè adeò ſcirent, immunes à cæteris culpis exiſterent; vnde quæſo Synodus agi deberet? Deceptionem igitur animarum hoc eſſe intelligens maximam, vnum in corde dixi, aliud labijs protuli. Corde enim mihi ipſi ſum ita conqueſtus: Quis tu hîc, aut quaſi quis hîc. Labijs verò ita dicenti reſpondi: Si de Pſalmis, & non de alio in iſto Concilio debet eſſe conqueſtio, me primum ad examen producite, conuinci nam poſſum me illos non vt competeret ſcire. Vnde igitur Synodus ageretur, nil ampliùs quod emendaretur inuento? Siſcitatus itaque de fide illorum, inueni plurimos neque ipſum ſapere ſymbolum, qui fuiſſe creditur Apoſtolorum. Hac occaſione Synodicam ſcribere omnibus Preſbyteris ſum compulſus, in qua continetur primitus ita ſuaſum. Moneo igitur paternaliter, & præcipio paſtoraliter, vt dicentis Apoſtoli reminiſcentes, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, hoc eſt, ſine credulitate quæ nobis per Apoſtolos, eorúmque ſucceſſores tradita: Et, quia *iuſtus ex fide*, id eſt, credulitate ſua *viuit*. Et, *Quicquid ſine fide*, hoc eſt, ſine credulitate *Dei eſt, peccatum eſt, fides* autem, id eſt, credulitas Dei, *ſi non habeat opera* bona, *mortua eſt in ſemetipſa*. Ipſam fidem, id eſt credulitatem Dei, trifariè præparare memoriter feſtinetis, hoc eſt, ſecundum ſymbolum, id eſt, collationem Apoſtolorum, ſicut in pſalterijs correctis inuenitur, & illam quæ ad Miſſam canitur, & illam S. Athanaſij, quę ita incipit: [ Quicunque vult ſaluus eſſe. ] Quicunque vult ergo ſacerdos in noſtra Parrochia eſſe, aut fie-

Ob ſummã Clericorũ Veronenſ. ignorantiã Synodicã orationem edidit Ratherius.

*Heb.* 11. 6.

*Heb.* 10. 38.

*Iac.* 2. 17.

ri, aut permanere, illas tres memoriter nobis recitet, cùm proximè à nobis huc vocatus fuerit. Iſtud cùm & mediantem Quadrageſimam illis ſcribenda, atque memoriæ mandanda dediſſem, & inobedientes extitiſſe vidiſſem, dum quid inde canonicè agere poſſem inquirerem, metus illorum quoſdam tantus inuaſit, vt promiſſo mihi ad iter carpendum auxilio, pollicerentur ſe deinceps deſcriptionem Beati Athanaſij cantaturos, & reliqua inibi deſcripta iuxta poſſibilitatem ſuam facturos. Ad quod cùm titularios omnes, & illos de plebibus paratos, Deo gratias, inueniſſem, vos Cardinales, qui vt quondam Scribę & Phariſæi populares, ita iſtos in perditionem mittitis omnes, ita hinc manere adhuc cerno rebelles, vt eligatis cum inimico eiuſdem fidei Arrio in æternum damnari, quàm hoc publicè vt aliarum Eccleſiarum Clerici cantando ſalubriter vinci.

Tali namque me infœliciſſimum neceſſitate vrgente, non haberem illuc pergere, vbi poſſem ex hoc conſilium aliquod inuenire? O Chronologia Ratherij peſſima, ô veritas eidem peroſa! Quàm enim optabiliùs fuiſſet vt ſolus ipſe mendax exiſterem, quàm talia de vobis penè omnibus veraciter dicere poſſem! nec ipſe valeo æſtimare, qui talia compellor infœlix proferre. Clamandum igitur clamandum, & ſine in-

*Pſal.84.5* termiſſione dicendum: *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis.* Anguſtiat nam neque immeritò non immemorem ſui propenſio nimiùm talis: [Non minùs enim mala conſuetudo, quàm pernicioſa corruptela fundi-

*Cap.1.* tus eradicanda] eſt Oſio rigidiſſimo illo in Sardicenſi clamante Concilio; alibi etiam alio: [Cedat conſuetudo auctoritati; prauum vſum lex & ratio vincat, dum contempta penitus auctoritate Canonum, conſuetudini prædeceſſorum veſtrorum, Deo ipſo ſimiliter qui eoſdem inſtituiſſe noſcitur Canones rebellium, vos tam obſtinatè inniti conſidero, mecum vos indeſinentiſſimè tam pro illis, quàm pro vobis,

*Iudith.7.* Deo clamandum inuenio: *Peccauimus cum Patribus noſtris:*

*19.* *iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.* Cum Ioſia quoque Rege

*4.Reg.13.* ſanctiſſimo, nobis alterutrum: *Ite conſulite Deum ſuper me,*

*& ſeq.* *& ſuper populum meum; & ſuper omnem Iudam.* (Quem intelligere poſſumus confeſſione Dei inſignem Catholicam

Eccleſiam)

Eccleſiam) *de verbis voluminum iſtorum*, Canonum ſcilicet & Decretorum, quæ continentur in archiuis Eccleſiarum: *Magna enim*, ait ille, *ira Domini ſuccenſa eſt contra nos; quia non audierunt Patres noſtri verba librorum iſtorum, vt facerent omne quod ſcriptum eſt in eis.* Vt Patres intelligas non ſolùm Eccleſiarum Pontifices, ſed & illarum Maiores; quatenus ille ſaltem cuilibet noſtrum reſpondere dignaretur: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo quod audiſti: verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum. & humiliatus es coram Domino, auditis ſermonibus contra locum iſtum, & habitatores eius: quòd videlicet fierent in ſtuporem & maledictum, & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me, & ego audiui. dicit Dominus. Idcircò colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.* * *Circuite*, inquit Dominus alibi, *circuite vias Hieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem; & propitius ero eis. Quòd ſi etiam, viuit Dominus, dixerint, & hoc falsò iurabunt Domine oculi tui reſpiciunt fidem: Percuſſiſti eos & indoluerunt: Attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, indurauerunt facies ſuas ſupra Petram, & noluerunt reuerti. Ego autem dixi: Forſitan pauperes ſunt & ſtulti ignorantes viam Domini, & iudicium Dei ſui, ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei, & ecce magis hi ſimul confregerunt iugum, rupèrunt vincula. Idcircò percuſſit eos Leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtabit eos*: Leo ſcilicet rugiens quærendo quem deuoret, id eſt Diabolus Lupus & iſdem, qui ob negligentiam mercenariorum, Paſtorum vocabulo non iure poſſidentium, ſed inlegaliter vſurpantium, rapit & diſpergit oues; non ſolùm per ſe, ſed & per membra ſibi cooperantia ſua, vineamque Domini Sabaoth à primore vaſtantia.

*4. Reg. 22. 13.*

*Ibid. verſ. 18. & ſeq.*

* *Ierem. 5. 1. & ſeq.*

Et heu! quàm non diſconueniunt miſeris talia nobis. Nos enim ipſi ſumus æſtimatione, quamuis non re, Optimates: nos inquam, quos relictis pauperibus legíſque Dei penitus ignaris alloquitur ſermo Dominicus; nos legendo viam Dei cognoſcimus, quam pergere declinamus, nos iu-

dicium Dei noſtri: Sed nos magis contemnendo iugum ipſius ſuaue, ſed volentibus, & onus leue non dedignantibus, attamen ferre, quaſi confregimus illud, rupimus vincula legis canonicæ nihil de illa curando. Idcircò verendum ne peiora nobis contingant, quàm illis, de quibus hæc tunc præſentaliter dicebantur, vtpote qui non ſolùm illos, qui tunc loquebantur, ſed ipſum contemnimus, qui non tantùm per ipſos, eorúmque ſequaces, ſed & per ſeipſum nunc nobis loquitur Deum. Peior autem multùm eſt leo animas deuorans, quàm leo pecora lanians; lupus interimens ſpiritaliter homines, quàm lupus deuorans corporaliter oues. Maximè ſi hoc nobis contingat ad veſperam, hoc eſt, quando præſentem terminabimus vitam. Cuius periculi metu iter compellor arripere, iſtud aliorum quæſiturus conſilium, quia in me non inuenio vllum.

Cruciant me nam non parum fateor iſta quærentem, iſtis vtrúmnam contemptis reſtet ſalutis alia, quòd neque ſuſpicor, via. Si enim quod Canonicum eſt Catholica defendit Eccleſia; Catholicum ſe vſurpatiuè, reor, pronuntiat, qui Canonibus ſanctis præſumptiuè repugnat. Fidem autem vt cantemus Catholicam niſi quiſque integram, inuolatamque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit. O autem conceſſio firma, quòd Catholicus non ſit qui legem canonicam reſpuit, quódque vitam æternam conſequi nemo niſi Catholicus poſſit. Quòd cùm ita innutantes atque certiſſimè conſtet, quid cogitare, quid poſſumus æſtimare de illo tam publico Canonicæ legis, qui inter nos verſatur contemptu; quo non ſolùm illa quæ tam ſeueriter ſunt prohibita miniſtris Eccleſiæ de cohabitatione mulierum in Niceno ſancita Concilio; & illud quod alibi tam auſterè fertur, vt ſuprà habetur; in Neocæſarienſi quoque non leuius tale quid continetur Concilio: [ Presbyter ſi confeſſus fuerit, quòd ante ordinationem corporali peccato deliquerit, oblata non conſecret, manens in reliquis officijs propter ſtudium bonum. ] Quæ vtique in ſe recognita quemlibet in deſperationis voraginem poterant mergere, niſi fuiſſet prædictum: *Neſcit homo vtrum odio an amore dignus ſit; ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Si enim

Catholicus non eſt qui Canones cõtemnit.

Symbolum S. Athanaſij.

Can. 9.

*Eccl.* 1. 9.

qui ante ordinationem corporaliter ſe peccaſſe confitetur, tam auſterè feritur, quid de eo qui poſt ordinationem mœchatus millies fuiſſe cognoſcitur ? De quibus vtique quidam, licet perrari, dum videantur immunes, de leuioribus quaſi & vſu aliter adeò vſurpatis, vt neque iam trahantur in culpam, quid dicendum, quid cogitandum, vt ſunt verbi gratia iſta : [ Epiſcopus Presbyter aut Diaconus qui in ſeditione aliqua arma ſumpſerit, ab omni cœtu Chriſtianorum deponatur. ] Et, [ Epiſcopus Presbyter & Diaconus aleæ & ebrietati deſeruiens, aut deſinat, aut deponatur,] & alia huiuſmodi innumera, quæ non leuiùs quàm cohabitatio mulierum & fornicatio vel adulterium, inceſtuoſitàs naturę ipſi quoque aduerſa, canonicâ feriuntur macherâ.

Conc. Tolet. 4. c. 45. Can. Apoſt. 42. Cõc. Conſtant. 3. c. 5.

His igitur ſuperbè neglectis, Catholicus qualiter quis, nedum appellari, ſaltem valeat non video æſtimari; Cùm, vt ſupra protuli, in Nicæno dictum legatur Concilio. [ Quod Canonicum eſt defendit Eccleſia. Quamuis enim, dicente Domino : *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, criminoſis ſibi conſimiles vel defendentibus, vel occulentibus, deponendos legaliter nemo deponat, damnandos non aliquis damnet, non ideò damnationem per Spiritum ſanctum illis illatam poterit euadere, & quos ipſe Dominus fures vocat & latrones, Paſtores ouium ipſius exiſtere. Simoniacum enim quis quid perpetrans damnationem Simonis non poterit euadere, nec Gietica lepra carere, qui quod fecit Giezi, fecerit ipſe. *Vt inquiratur*, inquit Dominus ( quaſi de Iudęis ſolummodò dicens:) *ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt ſuper terram* à generatione iſta *à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & Altare.* Cùm vtique illi, quibus hoc dicebat, neque Abel, neque Zachariam, nec quemlibet Prophetarum interfecerint; ſed quia eis qui hoc fecerant, in malitia ſimiles fuerint; & idcircò vindicta conſimili plecti debuerint. *Colligite*, inquit etiam alibi Dominus quandoque dicendum, *Colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum* : hoc eſt, pares in ſcelere in damnatione ſimili iungite. Si ergo ita eſt, vti damnatus eſt Maximus Cinicus, ita damnantur ſocij in eodem ſcelere ipſius; vti

*Matt. 8. 22.* *Matt. 23. 35.* *Matt. 13. 30.*

Photius, ita & imitatores illius; vti Conſtantinus Romanæ ſedis inuaſor, ita ipſius quilibet imitator: & ſicuti eorum irrita ordinatio, ita & iſtorum neque diſſimilis condemnatio. Et heu! fidei Catholicæ integritas, antiqua ſanctitas, & vera quò euaſiſti Chriſtianitas. Rogas? Faciamus nam eam reſpondere quaſi præſentem. Præſens eſt enim, licet præ paucitate nimia lateat. Neque enim adhuc tempus illud prætерit, quod ipſe Dominus eidem ita loquens impoſuit: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.

Taceat ergo de ſe, loquatur de illa falsò Chriſtianitate
*Matt.* 28. vocata: *A ſollicitudinibus*, ait Dominus, *& diuitijs, & volu-*
20. *ptatibus, vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* Quem
*Luc.* 8. 14. verò fructum? Quo paſcerentur vtique Chriſtianitates; in
Qui ſæculũ regno Cœlorum incurrentes pariter Altiſſimi odium; ita
fugere, quĩ enim teſtatur & Apoſtolus: *Quicunque*, inquiens, *voluerit*
dilige re *amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur.* Quod ta-
debeamus.
*Iacob.* 4. 4 men niſi eâ figurâ prolatum intelligatur, quâ per id quod continer hoc quod continetur, monſtratur, quandam quaſi ingratitudinem eorum quæ nobis contulit Deus ſuadere monſtratur. Si enim ſæculum, quod noſtri causâ fecit Deus, minimè diligimus, quaſi ingrati Conditori atque largitori
*Geneſ.* 1. 31 illius exiſtimus. *Vidit Deus*, inquit Scriptura, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: Quod igitur Deo ipſi valde bonum eſt, viſum nobis quomodò eſſe debet inuiſum? Intelligamus ergo non illud ſæculum, quod mundus vocatur, hoc eſt, cælum, terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, vel illas reuolutiones temporum, propter quas noſtra iſta vocatur ſæculum vita, odio habere quemuis debere, ſed quod perperam in hoc agitur ſæculo, hoc eſt, ſuperfluitatis primùm illorum ambitum, quæ vſui noſtro iſtud miniſtrat ſæculum, inde voluptatem, poſt omnimodam vitioſitatem. Quicquid ergo bonum Deo ipſi videtur, vt vtile diligamus, quod malum, vt noxium odio habeamus, vt inimicitiam Dei euadere, & inter illos, qui verè ſunt Chriſtiani, computari quoquomodo valeamus. Quod tamen facere nullo modo poſſumus, niſi quod Canones ſancti præcipiunt, faciamus.

Sed vt ad me meique reuertar conſimiles, hoc eſt, Cano-

nibus ſanctis vſque modò rebelles, qualiter hoc facere valemus, cùm omnibus generaliter pœnitentiæ poſt lapſum ſint indulta remedia, nobis verò miſerrimis ipſe Dominus dicat; Quod *ſi ſal*, quod nos eſſe debuimus, *euanuerit, ad nihil vtile ſit: neque in ſterquilinium* ſaltem, quod pœnitentiam figurari alibi ita habemus: *Domine dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora*, id eſt, fœtorem criminum illius ad memoriam ipſius reducens, pœnitentiam agere illam compellam; quæ vtique nobis quoque infœliciſſimis denegatur, cùm poſt pœnitentiam quis nec Clericus eſſe lege Canonica ſinitur. Quid ergo miſeri, quid vndique facimus concluſi? Nobis inceſſanter clamatur: *Quicunque comederit de carne ſacrificij, quod eſt Domini, & immunditia ipſius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo.* Itemque: *Homo ſacerdos de ſemine Aaron qui habuerit maculam, non offeret panes Domino, nec accedet ad miniſtrum eius.* Qualiter igitur miſerrimi, qualiter ab illa immunditia lauari, qualiter his valemus maculis ablui, qui poſt lauatricem criminum pœnitentiam nedum ſacerdotio fungi, in Clericatu ſaltem non permittamur linqui? Eſto iſtud ſolummodò miſeris obſtaret immaniter nobis, quid de nobis æſtimandum commiſſis? Quid de his quæ lauari, mundari, & à nobis debuerant benedici, quæ conſequenter immunda noſter effecit, proh dolor! tactus, Domino dicente: *Quod tetigerit immundus, immundum erit?* Si verò pauci fuiſſemus, quod vtinam fuiſſemus, indignis atque repulſis Dei gratia, qui nobis valerent ſuffici inueniri forſitan poſſent, non tale fuerat periculum. Num verò, proh nefas! cùm conquerens clamet Dominus, dicens: *Attamen hi ſimul omnes confregerunt iugum, ruperunt vincula*; quod remedium inuenit decepta quam regere debuimus Eccleſia, cùm omnes nos ſimul confregiſſe iugum, vincula rupiſſe, vox conqueratur Dominica? Dicente enim Iacobo: *Confitemini alterutrum peccata, vt ſaluemini, veſtra.* Neocæſarienſi verò continente ſuperius ſcripto capitulo eſt: [Presbyter ſi confeſſus fuerit quod ante ordinationem corporali peccato deliquerit, Oblata nō conſecret, manens in reliquis officijs propter ſtudium bonum.] Quis Miſſam cantat, cùm

*Luc.* 14. 34
*Luc.* 13. 8.
Qui ad Clerum nō admittendi.
*Leuit.* 7. 30.
*Ibid.* 21. 17
*Num.* 19. 22.
*Ierem.* 5. 5
*Iacob.* 5. 16.
Can. 9. *Variat lectio in editis.*

ſententia iſta, penè omnibus oblata non conſecrare prohibeat? Et vide quanta hîc continetur aduerſitas. Oblata enim non permitteris conſecrare, ſi te peccaſſe confiteris, ſalutem non conſequeris ſi te peccaſſe confitearis. Quid igitur de vobis faciam fratres & Compresbyteri mei? ſi peccata veſtra non confitemini, timeo ne non ſaluemini: ſi confitemini, oblata niſi contra vetitum conſecratis. Si contra vetitum conſecratis, ignem alienum accenditis. Verendum igitur ne quorum exemplum tenetis, eorum ſimilitudine pereatis.

*Eccleſ.9.1.* Deſperare itaque vos mecum compellerer, niſi iterum lectum ſæpiùs recordarer: *Neſcit homo vtrum odio an amore ſit dignus*. Quis enim nouit ſi cui noſtrum ſit conceſſum anteà conuerti, quàm mori? Fœlices enim hac lege depoſiti fœlices expulſi, fœlices ſuis rebus ſpoliati, & Epiſcopijs viduati. Si tamen eis aliquid huic eueniat ſimile, quod Scottigenis duobus audiuimus eueniſſe. Quidam enim potentior ſuper impotentiorem inſiliens ſede illum propria pepulit, eique præſedit. Erat illi quidam pauper omnibus membris contractus abeuntem, qui ita eſt alloquutus. Cui me deſeris Pater? Deo inquit. Eſnè vnquam reuerſurus? Non, niſi tu me reduxeris, infit. Seceſſit igitur ſepulchrum adiens Domini: interiecto tandem tempore, tanta lues totam vnde Sanctus vir ille fuerat pulſus inuaſit prouinciam, vt vix vſque ad decimam hominum peruenerit ſuſcitatus ieiuniorum, Lætaniarum, & eleemoſynarum inſtantiâ, reſpondit modo quo ei placuit Dominus, eiúſque inuaſoris confeſſione monſtrauit, ſtragem illam hominum illius ſcelere contigiſſe. Reatus igitur ſui conſideratione permotus, relicto quem inuaſerat Epiſcopio, abſceſſit, inſulamque quamdam pœnitentiam finetenus acturus introijt, ſolitarius quidem manere voluerat, ſed vicinorum beneuolentia hunc ſæpiùs viſitabat; cùm repentè incolis deficientibus maxima inuaſit Patriam fames, quæ compulit liberalitatem illum Sanctum virum alentium aliquantulùm repigrari. Trieris magna in littore caſu reſtiterat, eam ingreſſi quos educabat puerili fame cogente, poſt ludum quemcunque obdormierunt. Remigio itaque Angelico illis dormientibus ad aliud littus patriæ perignotæ venitur. Cui Rex eiuſdem patriæ circumequitans, præſto-

Hiſtoria cuiuſdam, qui inuaſerat Epiſcopatum pœnitentiam agentis.

latus cum admiratione maxima nauim ſine hominibus re-
ctiſſimè aduentantem, puerulos ſolùm in ea reperit dor-
mientes. Expergefactos vnde eſſent interrogat. Vt ſiuit er-
go illa ætas, cùm de fame quam vir Domini patiebatur ab
eis fuiſſet edoctus, eis primùm cibo refectis, cubam frumen-
to onerari præcepit: ſícque puerulis intus remiſſis, & ſtatim
ſomno nutu Dei correptis, ad aliam ripam nemine remigan-
te perducitur, & Dei famulus cum tota inſula ab inediæ
periculo liberatur; ſed quò abiſſet nullum contigerat noſſe.
Quærentibus conſilium affuit qui diceret, ſe audiſſe illum
dicentem, quòd numquam reuerteretur, niſi eum ille clinicus
reduxiſſet. Inito itaque inter ſe conſilio clementia ſui confiſi
Pontificis præceperunt in nomine Domini vt ſurgeret, &
poſt eum quantocyùs feſtinaret. Mirum dictu, ſurrexit, per-
rexit, Hieroſolymis eum inuenit, reduxit, receptus eſt, & in
ſede propria relocatus.

Æſtimet qui valet expulſoris & expulſi quæ potiora fue-
rint merita. Ille pœnitentiâ ſuâ Angelos ad ſibi auxilian-
dum, imò loquar, vt ita, famulandum coegerunt. Iſte para-
lyticum medium fecit tranſcurrere mundum; ſed cùm tan-
tùm valeat pœnitentiæ perfectio, mirum quod Clericatum
forſitan vt iſte effectus fuerat ſancto decreto interdicat Ca-
nonico, cùm nemo dignius fieri Clericus poſſit videri, quàm
is cui per pœnitentiam ſanctam contigerit fieri. Cui tali
igitur aliquid, vel quiddam aliud ad vindictam tanti perti-
nens ſceleris euenit, aut ſponte ſua ipſe ſuorum eſt vltor
facinorum, de eo nil poſt eius dubito finem. Cui verò nihil
in hoc ſæculo incommodi contigiſſe conſidero, ſentiat al-
ter de illo quod valet, ego ſententiæ illi performidoloſæ in-
niſus, quâ de talibus dicitur: *Ducunt in bonis dies ſuos, &* *Iob.*21. 13.
*in puncto ad inferna deſcendunt.* Illud Ioannis Apoſtoli con- 1. *Ioan.* 5.
uenire formido: *Eſt peccatum ad mortem*, ſubaudis vſque per- 16.
durans, non pro eo dico, vt quis roget: Quare? Quia, vt
Beatus exponit Gregorius, [ Iumenta in ſtercore ſuo com- *Ioël.*1. 17.
putreſcere eſt, carnales quoſque in fœtore luxuriæ vitam Lib. 24.
finire ] quod & de cæteris nil obſtat ſentiri ſceleribus; quia Moral. c. 6. ſub init.
dicente Domino, quòd *qui perſeuerauerit in bono, hic ſaluus*
*erit*: ita è contra, qui perſeuerat in malis, abſque dubio perdi-

*Matt.* 24. 13. tus erit. Et miſerum me! quomodò poteſt eſſe non perditus, de quo clamat Apoſtolus: *Hoc autem ſcitote intelligentes,* *Epheſ.* 5. 5 *quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt Idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem iu regno Chriſti & Dei.* Væ ergo, væ miſeris nobis: Qui enim alij in iſta ſunt multitudine niſi, proh dolor! huiuſmodi? Liquet enim quòd omnis coïtus inlegalis, aut fornicatio, aut adulterium ſit. Lex autem nulla Altaris Miniſtris indulget coniuga; fornicatores verò iſti, immundi, vel auari, nulli ſunt alij, niſi quibus euenit in ijſdem flagitijs mori, Domino miſericorditer pro-
*Ezech.* 18. 21. mittente: *Quacunque horâ peccator conuerſus fuerit, & ingemuerit, ſaluus erit*: Ecce conſilium, ecce remedium veſtrum. Vtinam, tam facile exiſteret noſtrum. De nobis enim Ezechielem Prophetam quaſi requirendo Dominus alloquitur,
*Ezech.* 15. 2. dicens: *Fili hominis quid fiet de ligno vitis?* & cætera, quibus nil terribilius æſtimare valet, qui quod Gregorius indeſinenter ſentiat, nouit. Quid igitur faciemus? Orationculam quamdam in Pſalterijs inueni quibuſdam, quam ſi quotidie Domino funderemus, & cooperando impetrare, vt exaudiri mereremur pro viribus ſtuderemus, profuiſſe nobis aliquid fideremus. Eſt autem huiuſmodi: [ Salua nos omnipotens Deus, & per merita & interceſſionem Sanctæ Dei genitricis MARIÆ, omniumque Sanctorum; eſto nobis propitius & clemens; conceſſâque veniâ præteritorum, da nobis deinceps velle, poſſe, & perficere quæ tibi placent, & nobis expediunt. Da nobis in tribulatione ſolatium, in perſecutione auxilium, in omni tentatione virtutem. Da nobis de præteritis veniam, de præſentibus quoque malis emendationem, atque de futuris largiri nobis dignare cuſtodiam. Per, &c. ] Sed quid iterum agimus, Fratres? Ecce nam contrarietas maxima rurſum: clamatur enim nobis: *Qui auertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Quanta autem hîc ſit inter nos hinc paret aduerſio legis, vt cùm exprobrando quondam Dominus dixerit: *Et erit ſicut populus ſic ſacerdos.* Nunc peiores multùm ſint ſacerdotes noſtri, pro dolor! quàm populares.

Tanta ergo interceptus conſilij difficultate, conſultares coactus requirere, nuſquam dum nullum inueniam, pergere,

gere, vt dixi, ſatago Romam. Proſperet Dei pietas intentionem in hoc miſericorditer meam: Plurimos verò veſtrum compererim, dum inde lætari quaſi non debeam iſthuc vnquam reuerti, monere vos neceſſarium duco, vt mihi & vobis communem hanc noueritis fore omnimodis ſortem, videlicet vt ſi iſthîc præfinitum mihi eſt mori, non poſſim illuc omninò defungi. Si vos illîc verò debetis tempus conceſſum finire, hîc nullo modo terminum vitæ poſſitis habere. Cuiuſcunque modi erga me verò animi ſitis, commendo vos cuſtodiæ diuinæ, diſcendi amore coactus hinc abiens pietatis.

---

*SERMO VALDE PROLIXVS*

# DE QVADRAGESIMA

*Ratherij Veronenſis; vel inefficax ſe viuente, vt eſt ſibi viſum, garritus.*

1. CVM neminem diuinis lateat imbutum dogmatibus, hos quadraginta dies, quos parſimoniæ ritu excolendos præ manibus tenemus, hoc ideò numero inſtitutos, quòd præter id quod cataclíſmo præfigurati fuerint, cum primitus etiam ipſi à Moyſe & Helia, legis vtique & Prophetiæ Miniſtris, ipſiúſque Domini Prophetarum inſpiratoris, legis conditoris & impletoris, gratiæ largitoris, Euangelij fundatoris, continuò ſunt ieiunio adimpleti, myſticum quid etiam, nec omninò contemnendum deſignent; mirari non ſufficimus illorum ſuperſtitioſam obſeruantiam, qui non quadraginta, ſed viginti diebus diſtinctim licet omninò guſtantes, viginti verò reliquis ante horam vſque ad crapulam & ebrietatem prandijs ſolemnibus incubantes quadrageſimam non verentur huiuſcemodi nugacitatis obſeruantiam vocitare, cùm vigeſimam deberent eam potiùs appellare. Nec putatis, audientes, quòd huiuſmodi locutionis exordium facientes, eorum reprehendere conemur

religioſam deuotionem, qui ſuper hoc, quod omnibus legaliter eſt inſtitutum Chriſticolis, aut duobus, aut tribus, aut
*Gregorius.* vno ſaltem in hebdomada die, ſibi fortiùs aliquid abſtinentiæ indicunt, reminiſcentes ſcilicet illius dicentis: Qui illi-
*Matt.* 23. 23. cita commiſit, debet à licitis abſtinere: Et, *Hæc oportuit facere, & illa non obmittere.* Et, *Quodcunque ſupererogaueris,*
*Luc.* 10. 3. 5. *ego cùm rediero reddam tibi.* Non obliti prolatum: Non reprehendimus, inquam, ſed laudamus & approbamus, tan-
*Mat.* 6. 2. tùm viderint, ne de illis quoque dicatur: *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.*

II. Illorum potiùs dolenda veſania, qui vno die nihil guſtant, altero (vt vidiſſe nos non ſemel adeò meminimus) vt etiam in ſabbato illo ſanctiſſimo, quo Miſſam ſaltem canere ante veſpertinam nulli noſtratium conceditur horam, cùm niſi ieiunium vſque ad Sancti illius ſabbati protrahamus veſperam, peragere nullomodo occidentalium ritu valeamus Quadrageſimam. Tertiâ, proh dolor! horâ diei nutare inſtabilitate greſſuum quoſdam præ crapula & ebrietate viderimus. Quid illi aliud dicendi feciſſe, niſi Paraſceue quaſi Domino ieiunaſſe, ſabbato compenſationem ieiunij à diabolo ipſam vtique crapulam recepiſſe? niſi forſitan ita quis deſipiat, vt putet Quadrageſimam hanc meruiſſe prærogatiuam, vt contra Conſtitutionem aliorum temporum aliqua in ea ſit dies, quæ non mane incipiat, veſperâ terminetur.

III. Subſimilis verò quia & de Cœna Domni violatorum quadrageſimæ profecto eſt delinquendi occaſio; cùm in ſanctis legatur Canonibus: Si quis in quinta feria maioris hebdomadæ dicit ſoluendum eſſe ieiunium, anathema ſit: & ritè eiuſdem ſolemnitatis diem colentium maximum, poſt horam diei nonam ſit rectiſſimè gaudium, non ſoluiſſe defenditur ieiunium, qui vſque ad eandem ieiunans diebus vt cæteris horam, venit ad Eccleſiam, cœnat cum Domino, id eſt, corporis & ſanguinis eius ipſo die initiata percipit Sacramenta, poſteà in magna lætitia ſobriè prandet, pedes pauperum lauat, reſidens in Dei nomine non ſuperfluè bibit, Deo gratias agit, cubitum benedicens Domino, ſéque ipſius communiens ſignaculo, pergit. Ante verò nonam

horam cùm nullius vnquam gentis conſuetudo nominauerit aliquod prandium, Cœnam, mirari non deſinimus, qualiter aliquis ſaltem eandem celebrare audeat vllo modo Miſſam, quæ non aliud, niſi ipſam continet Domini celebratam ad veſperam cœnam, ſicut & Sabbati officium Reſurrectionem Dominicam. Quæ nimirum vtraque illam inanem faciunt occaſionem, quam quidam deſuper adiectis duobus ad quadraginta prætendunt diebus.

IV. Addimus prætereà, quia decimam dierum, ſecundùm beati ſuaſionem Gregorij, Deo non poſſumus dare, niſi vſque ad veſperam Sabbati ſancti quadrageſimam ſtudeamus extendere.

V. Sciendum ſanè, quòd cùm ſub vna fide ſint conſuetudines Eccleſiarum diuerſæ; Orientales & longiorem, & auſteriorem, quàm nos, faciunt Quadrageſimam: & idcircò Paſchale gaudium ab horam Sabbati ſancti inchoant, vt dicitur, (quòd nobis licet minime) tertiam. Baptiſmum enim vt nos, non eo die, ſed in Epiphania & Pentecoſte dicuntur ſolummodò, contra inſtituta licet noſtrorum Canonum, celebrare.

VI. Vituperamus & illorum ridiculoſam nimium ſtultitiam, qui contra conceſſam nona hora diei omnibus ſumendi quidlibet licentiam, vſque ad noctem quotidie ieiunium eligunt protelare, vt nocte quaſi cum licentia ventrem valeant ingurgitare. Cùm enim de Domino ſacra Euangelij proferat lectio: quia *cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſurierit*, nec tamen manducare ſuadenti conſenſerit, non exemplo Domini ieiunare conuincitur, qui poſt ieiunium eſuriens gulæ appetitum, vt ille, tentatorem non ſuperat Diabolum. *Matt. 4. 2*

VII. Malè ieiunant & illi, qui quòd corpori ſuo ſubtrahunt, non pauperibus tribuunt; ſed aut ſuo ventri, aut, quod eſt nequius, Mammonæ, id eſt, cupiditiæ, Dæmoni abſtinendo reſeruant.

VIII. Illorum quoque Deus non approbat ieiunium, qui abſtinentiæ diebus, detractionibus, litibus, & criminoſis inſeruiunt actibus: abſtinent vino liuoris ebrij ſemper veneno. Non comedunt carnes, & rodendo aliorum inceſ-

ſanter lacerant mores. Deeſt eis potionum dulcedo,& cogitationum eos nequam vexat pernoxior amaritudo. Contra illorum igitur & iuſtorum clementiam, hoc potiùs approbamus quod ſapientiſſimus ait Hieronymus: Meliùs quotidie parum quàm raró ſumere ſatis. Vere, verè, & melius, & contra inanem gloriam tutius. Quis enim horâ diei licitâ cùm cæteris te conſiderans parum edentem æſtimare poteſt, vtrum hoc facias Dei timore, an, vt multi, edendi impoſſibilitate? Biduana ſanè vel triduana ſæpe, vt ait iam dictus, ieiunia, non Deo, ſed vanæ gloriæ certum eſt militare,

IX. At contra gluttonum iſta ſolet eſſe defenſio, licet non per omnia falſa: Meliùs eſt, aiunt, abſtinere à vitijs, quàm à cibis. Sed quomodo abſtinet à vitijs, quæſo, qui gulæ deſeruit? Nonne ex octo principalibus vitijs vnum triformis eſt gula, & cùm manducando vetitum homo perdiderit Paradiſum; non aliquando ieiunando, ſempérque peccando, qualiter quis lucrabitur cœlum? Quid, aiunt, nocet, ſi ante nonam comedam, cùm non niſi ſemel in die manducans, ieiunium faciam? Ad quod reſpondemus: Quid profuit Adæ quòd niſi ſemel de fructu ligni vetiti manducauit, poſteà ab eodem abſtinuit? Nonne ipſa inobedientia diuini præcepti reum illum in perpetuum fecit? Qui autem illum de ligno eodem comedere prohibuit, ipſe tibi ieiuniorum diebus vſque ad horam nonam abſtinere præcipit. Quod ſi inobediens auſus fueris præterire, quod ieiunium te putas feciſſe?

X. Quare autem triformis dicitur gula, niſi quia primum eius vitium eſt, ante horam manducare; ſecundum in hora plurimùm manducare? Spernitur enimuerò, vt ait quidam, à Deo totius diei iure ieiunium, quod in veſperam, aut certe in craſtinum, ventris ingluuie, vel pretioſorum compenſatur multiplicitate, vel ſaltem ſuauitate ciborum. Fac, inquiunt, eleemoſynam, & quod Deus concedit manduca.

XI. Meliùs dicerent, fac eleemoſynam, ieiuna, & ora. His enim niſi duabus alis ieiunia noſtra vehantur, cœlum non valent conſcendere: orationum videlicet, & eleemoſynarum iuuamine. Hæc enim tria mutuò ſibi ſuffragantur

ita ſolamine, vt ieiunium, eleemoſynæ & oratio: Eleemoſynas, oratio & ieiunium; orationem, eleemoſynæ & ieiunium perferant ad remuneratorem facientium (ſi tamen ſinceriter peragantur) abſque dubio Deum: hoc verò niſi ſe inuicém adiuuent inceſſanter ſuffragio, vnum quodlibet eorum duobus alijs deſtitutum, placare, vt veremur, tria omnia requirentem iuſtum omninò non valent iudicem, ac perfectæ bonitatis amantiſſimum Deum.

XII. Cùm verò ita ſit, vt & de orationibus quæ noſtrum mouent animum minimè ſileamus, nobiſcum reprehendere non ceſſamus pariter eoſdem, quibus Iacobus ait Apoſtolus: *Petitis, & non accipitis, eò quòd male petatis.* Malè *Cap. 4. 3.* namque petit, qui non petit quod Dominus præcipit, ſed quod potiùs interdicit. Ille namque deſiderare & petere nos iubet cœleſtia, nos contra & deſideramus & optamus terrena: Ille orare pro perſequentibus & calumniantibus, nos èdiuerſo contra perſequentes & calumniantes execrabiles fundimus preces. Quale autem eſt illud, quod quidam noctibus pſalmodijs & orationibus inſtant, diebus verò detractionibus, prauiloquijs, otioſitati, & deſidiæ vacant, cùm nox potiùs quieti, dies ſit conceſſa labori; quod, remur, optimè nouerat ille, qui poſtquam dixerat: *Media* *Pſal. 118.* *nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Et, *in matutinis meditabor* *62.* *in te*: duas videlicet tantùm nocti conſecrans horas. *Septies,* *Ibid. 62. 7* ait, *in die laudem dixi tibi.* Nos verò, Fratres, quidquid perperam agitur, cum Dei adiutorio deuitantes, atque Apoſtolici illius non immemores: *Siue vigilemus, ſiue dormiamus,* *1. Theſſ. 5.* *ſimul cum Chriſto viuamus.* In noctibus extollamus manus, id *10.* eſt, opera noſtra, in ſancta & benedicamus Domino. Poſt *Pſal. 133. 2* quietem verò ſurgentes, vt iuxta eundem Apoſtolum, & *1. Theſſ. 5.* iam ſilentes ſine intermiſſione nos orare debere credamus, *17.* illius dicentis omnimodis recordemur: *Qui auertit aurem* *Prou. 28.* *ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* At contrà *9.* veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate, Dominicâ nobis dicitur voce. Petamus quoque à Deo non quod nos prohibet capere, ſed quod imperat deſiderare, vt nobis reſpondere dignetur quod Salomoni ſapientiam poſtulanti reſpondit. Cui nimirum reſponſo illud Euange-

Luc 12.31. licum concinit : *Quærite primùm Regnum Dei & iuſtitiam eius , & hæc omnia* , id eſt corpori neceſſaria , *adiicientur vobis.*

XIII. Quales autem quàm exaudibiles illorum ſunt preces, qui tempore orationis, vt ita dicamus, omnia peragrantes furtum etiam plerumque, latrocinia , homicidia, adulteria ,fornicationum etiam multimoda genera , & his ſimilia meditantes quamplurima, neque Dei, quem rogare videntur, neque illius rei pro qua rogant, vllo modo recordantur: Quid quæſo rogant? quem rogant? pro quo rogant?

XIV. Verum quia Dæmonum hoc agitur inſidiis inuidentium, vtique profectui orationis, cùm & curæ ſæculares, & quæ ſæpiùs videmus, loquimur, audimus, ad hoc nimium impediant faciendum, præter alia nobis quod cœcus ille in Euangelio legitur feciſſe : quem cum prætereuntes
Marc. 10. increparent vt taceret . *multò magis clamabat*: *Fili Dauid*
48. *miſerere mei*. Os ſanè noſtrum ( veriſſimè veraciſſimi in hoc vtamur ſermone) tantò minus exauditur in prece ; quantò magis inquinatur turpi locutione.

XV. De orationibus itaque quoniam quidem ſatis pro tempore diximus, ad eleemoſynas veniamus. Eleemoſyna tum à miſeria vocabulum trahere videatur, nulla congruentius principatum in ordine, vt nobis videtur ,poteſt habe-
Eccli. 30. re , quàm illa , de qua Sapiens ammonet ita : *Fili miſerere*
24. *animæ tuæ placens Deo* : vt videlicet illud nobiſmetipſis primitus miſeriæ impendamus, vt quæ Deo placent agere ſatagamus : & quia proximum ſicut noſmetipſos diligere iubemur, eundem recto conſilio, vbi commodum viſum fuerit , ſiue arguendo , ſiue obſecrando , ſiue increpando, in viam Domini dirigamus. Corporis ſi indiget neceſſarijs de iuſtis laboribus noſtris illi ſecundùm quod poſſumus præ-
Eccli. 34. beamus. Scriptum quippe tenemus : *Qui offert ſacrificium ex*
24. *ſubſtantia pauperis , ſic eſt quaſi , qui victimet filium in conſpectu patris ſui.* Hoc verò facientes illius Domini recor-
Luc. 14. 12 demur : *Cùm facis prandium aut cœnam , noli vocare diuites, quia habent retribuere tibi ; ſed voca pauperes , & retribuetur tibi in reſurrectione iuſtorum.* Quamuis nemo in ea re ſit diues , in qua ſolatio indiget, ac per hoc quod illi largimur non

diuiti, ſed conferimus indigenti, tantùm pro Dei reuerentia, & pro Chriſti hoc facimus amore; illius vtique ducti auctoritate præcepti: *Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.* Quod enim de Mammona iniquitatis amicos nobis facere ſuademus, non propterea dicitur, vt vni auferamus quod alteri tribuamus, cùm iuxta Auguſtinum, melius ſit nulli dare, quàm alicui tollere. Sed vt nouerimus, quia diuitiæ cùm omni ſint ſæculo communiter datæ, à nullo congregari ſine auaritiæ malo valent vllo modo. Omnis enim, ait Hieronymus, diues, aut iniquus, aut iniqui eſt hæres: & quia Pſalmiſtę dicitur voce: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Demus operam vt qui plus indiget, plus vtique accipiat; qui minus, ſimiliter minus: Et quia hoc quoque nobis præcipitur, tribuamus potiùs bono quàm malo, ſi tamen eos valemus diſcernere, ſi non ſequamur dicentem, ne eligas cui miſerearis.

*Matt.7.12.* *Pſal.40.2.*

Caueamus etiam ne quem exaſperemus importunius licet rogantem: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et quia, beatus vt ait Ambroſius, bonorum exhibitio ſæpe per moram contraxit offenſam, præbeamus ſolliciti aurem dicenti: *Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare:* In his verò omnibus hoc attendamus, vt non pro inani gloria, ſed pro Dei iuſſione, & communis naturæ conſideratione, bonum quod facimus, agere ſtudeamus, Domino ita iubente: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua:* Quanquam & hoc dicto præcipi poſſit videri, vt in noſtra eleemoſyna nil poſſit inueniri, quod de ſiniſtro opere, id eſt, de iniuſto ſit adquiſitum labore, ſequitur magis oſtentationem innuat hoc dicto notari. *Vt ſit*, inquiens, *eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi.* Dicente quoque Apoſtolo: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* Et quia *ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.* Conſideremus maximo igni iniecta modica quid faciat aqua. Ad quam conſiderationem non modicè valet conſilium, quod Tobias æquiuoco præbuit filio: *Fili*, inquiens, ſi *multum tibi fuerit, abundanter tribue, ſi parum, etiam ipſum libenter impertiri ſtude.* Nihil enim Deo charius bona

*2.Cor.9.7* *Prou.3.28* *Matt.6.3.* *Ibid.v.4.* *2.Cor.9.6.* *Eccli.3 33.* *Tob.4.9.*

voluntate, cùm & calix aquæ frigidæ cum bona voluntate largitus, remunerationis mercede non careat; vt ipſe ait in Euangelio Dominus. Cui canit Pſalmiſta deuo-
Pſal.55.13 tus: *In me ſunt Deus vota tua*, id eſt voluntas, quam tibi cuncta cernenti offero bona: quocirca ſi tam pauper eſt quis, vt nihil penitus quod tribuat habeat, ſemetipſum ſi tribuat, ſibi ſufficere credat. Dictum eſt enim: *Omni peten-*
Luc.6.30. *ti te tribue*, id eſt; & cui tribuis, & cui non tribuis, te tribue: verbi gratia: Rogat aliquis ſibi tribui panem, & non habes quem tribuas panem, tribue te, id eſt, tuam bonam voluntatem, quâ vtique tribueres illi ſi habuiſſes libentiſſimè pa-
Eccli. 18. 17. nem: Et, quia *ſermo bonus ſuper datum optimum*, enitere pro viribus, vt ſi deeſt manui quem porrigas cibus, ſermo linguæ non deſit, quem reſpondeas bonus.

XVI. Quia verò omnia hæc ſine charitate, mirabile dictu, exhibita, nihil teſte proderunt Apoſtolo, qui ait: *Si*
1.Cor.13.3 *diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeat; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Vt eiuſdem charitatis iura ſeruare
Matt.5.2 queamus illæſa, præbeamus cordis aurem dicenti: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* Quòd ſi ille qui lædendo fratrem in aliquo contriſtauit eundem, ſuaſit agere non dedignatus Domini, ille qui læſus aduerſus fratrem aliquid habet, taliter ſe quo-
Marc. 11. 25. que monenti ſurdam mentis non præbeat aurem: *Cùm ſtatis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & Pater veſter cœleſtis dimittat vobis peccata veſtra. Quòd ſi vos non dimiſeritis, nec ipſe dimittet vobis peccata veſtra.*

XVII. Sunt verò contrà noſtri conſimiles, ad dimittendum quod in Deum committitur perfaciles, quod contra illos agitur odijs ſi poſſent perpetuis inſectantes; cùm magis charitas expoſceret, vt contra ſe acta facilè dimitterent, contra Deum verò perpetrata rigidiſſimè vindicarent, non
Ioan.8.7. immemores tamen dicentis: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Nullum prætereà bonum compenſatione mali fieri debere credamus; vt videlicet ideò

ieiunes

ieiunes, ideò eleemoſynas facias, ideò orationibus aërem iſtum fatiges, ideò quod contra te eſt perpetratum dimittas, vt aut adulterium, aut fornicationem, aut aliquid ſimile quaſi impunitè facere credas, cùm nulli promittitur peccatorum venia, niſi qui conuerſus reliquerit ea.

XVIII. Talia igitur cum noſtra tamquam contemptibilia ſint, proh dolor! ieiunia, orationes quoque & eleemoſynæ, de nobis deploratum per Ieremiam valemus timere: *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata eius.* Et, per alium nobis Dominum præcepiſſe: *Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem.* *Thren.* 1. 7 *Iſay.* 58. 4

XIX. Teſte verò Apoſtolo cùm quod ſine fide agitur peccatum ſit: ipſa verò ſine operibus fides cùm otioſa, vel mortua ſit, deceptores illos præterire nullatenus animarum debemus, qui contra confirmationem Catholicæ fidei; in qua continetur, quòd *venturus* ſit Dominus iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem, Et, *qui bona egerunt ituri in vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum*: impunitatem omnibus baptizatis promittunt miſerrimi ſcelerum; ita, inquiunt, pius eſt Deus & miſericors, vt neminem Chriſtianum permittat intrare in infernum. Quanquam verum dicerent, ſi Chriſtianum fore illum ſolummodò* qui Chriſti voluntatem facit, credere poſſent. Cùm verò Petrum audiant dicentem Apoſtolum: *Meliùs fuerat eis non cognoſcere viam veritatis, quàm poſt cognitionem retrorſum conuerti*; de quibus quæſo dictum conijciunt? S. Athanaſij in Symbolo. 2. *Petr.* 2. 21.

XX. Et cùm ordines quatuor ſacra teneat auctoritas in iudicio extremo futuros: Vnum ſcilicet, qui iudicet cum Domino; Alterum, qui per iudicium remuneretur; Tertium, qui per iudicium damnetur; Quartum, qui neque per iudicium illum remuneretur, neque damnetur: cùm ſcriptum in Euangelio ſit: *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt.* Et Pſalmiſtæ verbum dicatur: *Ideò non reſurgunt impij in iudicio*, quaſi apertius dicat: Et ſi quidem reſurgunt, non ideò reſurgunt vt iudicentur, quia iam ſunt iudicati, ſed ideò reſurgunt, vt receptis corporibus, illuc eant vbi ante ſæcula ſunt deſtinati. Impios autem iſtos intelligere ſolummodò debemus incredulos, & minimè baptizatos. Quis *Ioan.* 3. 10 *Pſal.* 1. 5.

ergo damnatus tertius ordo tibi videtur,niſi credentium, id eſt baptizatorum exiſtere, qui pro eo quòd fidem habuerunt, ſed operibus fidei, quæ illic requiruntur, caruerunt, iuſtè damnati in ignem ſunt ęternum, qui abſque dubio infernus erit, ituri.

*Ioan.* 5. 14 XXI. Conſtat ergo certiſſimè Dominum quendam ideò *Matt.* 12. monuiſſe: *Ecce ſanus factus es, vade, iam noli peccare, ne dete-*
45. *rius tibi aliquid contingat.* Et alio loco dixiſſe: *Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus*, vt intelligas tanta humiliatione Dei de cœlo ad terram pro hominibus deſcendentis tot indignitatibus, tot opprobrijs ab eo perlatis, fame, ſiti, laſſitudine, ſputis, genuflexionibus irriſorijs, falſis teſtimonijs, aceto, felle, ſpinea corona, ad poſtremum crucis patibulo, lateris perfoſſione, effuſione ſanguinis & aquæ, manuum pedumque confixione, ignominioſæ mortis opprobrio redemptos, ſacro baptiſmate lotos, Spiritus Sancti illuminatione ditatos, cognitione voluntatis Dei locupletatos, malè agentes diutiſſime toleratos, flagellis paternaliter eruditos, promiſſionibus dulciſſimis attractos, honoribus varijs tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis infulatos. Commodorum inæſtimabilium blanditijs inuitatos, infinitiſſimis alijs beneficiorum prærogatiuis ditatos, maiora mereri iuſtè tormen-
*S. Benedict. Regulæ cap.* 2. ta, quàm illos quibus talia conceſſa ſunt nulla: [ Cui enim plus committitur, plus ab eo exigitur, ] vt ait quidam Bene-
*Luc.* 12. dictorum non infimus. Et, *Seruus qui ſcit voluntatem do-*
47. *mini ſui, & non facit, dignè plagis multis vapulabit.*

XXII. Sed quia omnipotens eſt Deus, & eius pietas nihil aliud, quàm ipſe eſt Deus, omnipotens verò pietas eius, vti & iuſtitia eius, de quo ſaltem dubitare Apoſtaticum credimus eſſe, ad illam dum viuimus nos conferamus. Mortui enim nihil omninò faciemus, ſed quod fecimus recipiemus: Quòd & ſi aliquis pro nobis aliquid fecerit boni, & ſi non proderit nobis, proderit illi. De illis verò Purgatorijs poſt obitum pœnis, nemo ſibi blandiatur, monemus; quia non ſunt ſtatutæ criminibus, ſed peccatis leuioribus, quæ vtique per ligna, fœnum, & ſtipulam deſignantur. Sed quid agimus his ita pro certo conſtantibus, qui nouimus quoſdam praua conſuetudine, quoſdam Sacramento, quoſdam etiam

maleficijs, aut quibuſdam alijs, vt prætendunt, ineuitabilibus cauſis, ita obligatos, vt erigi ad emendationem nullo modo valeant, quid eis dicere valeamus? quod conſilium dare? Quicquid enim eis dixerimus, hoc proculdubio reſpondebunt, & ſi non verbum, effectu attamen operis, quod illi de Euangelio ad cœnam vocati, & verendum ne ſimiliter ab inuitante relicti, pereant, vt Pharao, indurati.

XXIII. Hi nimirum ſunt enim, qui cùm liberi eſſe valerent, immiſerunt ſponte ſua in rete pedes miſeri ſuos, & in eius maculis ambulantes, dum expediunt ſe ab vno, in aliud incidunt periculum, & metuendum ne ineuadibiliter à Domino concluſi. Sed enitamur, dicamus aliquid; ſuademus illis ne in deſperationis ſe præcipitent vllo modo baratrum, ignari quid eis ſit deſtinatum. *Neſcit* enim, ait, *homo*, ſcriptura, *vtrum odio an amore dignus ſit; ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Quatriduanum recogitent Lazarum ſuſcitatum; clament cum cæco illo importunius; ieiunando vtique, orando, eleemoſynis inſiſtendo, non vt peccare eis tamen liceat, ſed vt à peccato eos per miſericordiam liberari contingat, vociferentur cum Chananea dicentes: *Miſerere mei fili David.* Anima mea *malè à Dæmonio vexatur.* Et, *Noli* Domine *noli vinci à malo* meo, *ſed vince in bono* tuo *malum* meum. Et, *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo libera me*, vtique me & tibi factori ac Redemptori meo pijſſimo reſtitue me: Quod vtique miſericors agis, ſi quid contra te meditor, me velim nolim omittere facis. Si autem meos mortiferos conatus proſperari permittis, quam mihi fiduciam euadendi relinquis? & ſi à præſentibus malis non ceſſo, quam veniam de præteritis ſpero? Geménſque talium quis inſtanter quaſi conquirendo donec exaudiri mereatur, proclamet: *Vſquequo exaltabitur inimicus meus? Reſpice & exaudi me Domine Deus meus.* Et, *Fac mecum, Domine, ſignum in bono, vt videant qui oderunt me & confundantur, quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me.* His & huiuſmodi clamoribus aures exaudire cupientiſſimi Domini, corde, ore, manúque fatigans, niſi ante terminum vitæ quieſcat, forſitan pietas illius (qui cùm vult, *potens eſt de lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare*: *Qui non vult mortem peccato-*

*Eccle.9.1.*
*Matt. 15. 22.*
*Rom.12.21*
*Pſal. 139. 2.*
*Pſal.12. 5.*
*Pſal.85. 17.*
*Matt.3.9.*
*Ezec.33.11*

*ris, ſed vt conuertatur & viuat* ) Sanctorum precibus pulſata
Matt. 15. 28. reſpondebit & illi, quod eidem inſtanter clamanti: *O mulier*, inquiens, nuſquam huc ſcilicet viriliter agens, ſed mollitiâ muliebri vitijs eneruiter ſuccumbens, *magna eſt* nunc *fides*, id eſt orandi perſeuerantia *tua*; *fiat tibi ſicut vis*: & ſanabitur anima illius in illa hora: quod nobis omnibus præſtare dignetur Redemptoris noſtri clementia.

XXIV. Eſt & alia pereuntium in perpetuum euidens approbatio, quod cùm tres in Euangelio legamus mortuos à Domino ſuſcitatos, quartum ſibi nuntiatum noluerit ſuſcitare, ſed ècontrario dixerit: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Tres verò iſti mortui tria ſignificent morientium animę genera: vnum ſcilicet in occulto, aliud in publico, tertium in conſuetudine, quod & fœtere dicitur, id eſt deſperatione recuperandi vicinos inficere, ſed quia Deo nil eſt impoſſibile, & tales ab initio omnes fuerint in oculis eius, quales in fine futuros illos præuidit, dilexiſſe eos comprobatur, cùm inſperata eorum emendatio cernitur. Quartum verò illud genus eſt mortis, de quo Pſalmiſtæ dicitur voce: *Quoniam*
Pſal. 10. 3 *laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ; & iniquus benedicitur.*
Iſay. 3. 12. & de quibus Propheta: *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipſi te decipiũt.* Cùm enim quis & malum quod facit ipſe defendit, & adulantium attollitur inſuper laudibus, nunquam ad ſui cognitionem rediens, vt ſepulturæ mortuus aggere, ita ille adulantium falſâ premittur infœliciſſimus laude. Nunquam vtique reuiuiſcit, qui ſe mortuum fore nunquam cognoſcit: nec ad ſalutem redit, qui ſalute ſe indigere minimè credit. In perpetuum ergo perijſſe non dubitatur, qui tali fine defungitur. Quod genus mortis ſummopere cauere cum Dei auxilio laboremus, nec adulantium mendacijs de nobis credamus, ſed peccata noſtra & ipſi accuſemus, & accuſantibus non iraſcamur. Non ergo leue putet quis ſe committere peccatum, cùm aliquem malè agentem falſis laudibus attollit, cùm Dominica voce deſe dici, quòd mortuus mortuum ſepeliat, audit, inrecuperabiliter enim eum interficit, qni fortaſſis ad emendationis vitam reſurgeret, niſi eum ille ſuis adulationibus inceſſanter obrueret.

XXV. Cùm verò octo, vt beatus fatetur Auguſtinus, ſint

mendacij genera, adulatorum eſt inter omnia fateor peſſimum. Illi enim præcipuè & interfectores & ſepultores ſunt animarum, Regum maximè, Ducum, Comitum, Epiſcoporum, Abbatum, ac ſæculi huius potentium, non veriti terri-
bile illud per Prophetam Domini maledictum: *Væ qui dici-* *Iſay.5.22.*
*tis malum bonum, & bonum malum, &c.* Quorum mortifera
præconia ita Iob, ita pòſt Ieremias typicè malèdixiſſe le-
guntur: *Pereat*, inquit, *prior dies in quo natus ſum, & nox in* *Iob.3.3.*
*qua dictum eſt, conceptus eſt homo*: Alter verò: *Maledictus,* *Iere.20.*
ait, *qui annuntiauit patri meo, dicens, natus eſt tibi puer maſ-* *15.*
*culus*. Pſalmiſta contra illos auxilium Domini inprecando:
*Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.* *Pſal. 69.*
XXVI. Abſtinere verò tantò magis nos oportet ab omni *4.*
mendacio, quantò certiùs illud à Diabolo procedere vale-
mus aduertere, Domino ita de eo teſtante: *Cùm loquitur* *Ioan.8.*
*mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius,* *44.*
vtique mendacij. Et Pſalmographus Domino dicat: *Perdes* *Pſal.5.7.*
*eos qui loquuntur mendacium*: Quod tamen ſi de omni mendacio intelligamus, nullum à perditione liberum iudicamus. Dicit enim alibi idem: *Omnis homo mendax*. Ergo tu ipſe hęc dicens mendax Propheta? Abſit, nam & illic certum quoddam, quod perditionis filij ſolummodò loquuntur dixi mendacium, & omnem hominem in extaſi, id eſt in contemplatione veracitatis Dei, vocaui mendacem; ſicut & Eccleſiaſtes meus, & poſt illum Apoſtolus, vanitati ſubiectum. Quàm prætereà noxium ſit omne mendacium, alius nos
ammonet dicens: *Os quod mentitur, occidit animam.* Et, *fal-* *Sap.1.11.*
*ſus teſtis non erit impunitus.* *Prou.19.5*

XXVII. Mendacium ſanè quàm longè à Præſulibus Eccleſiæ debeat eſſe, inuectiuâ cuiuſdam ſententiâ, huiuſmodi ac populorum conſuetudine tritâ, valemus aduertere: Verba, inquiunt, ſacerdotis aut vera, aut ſacrilega. Quàmècontrario autem veritas ſit Deo dilecta, ipſe de ſe loquens Deus
homo demonſtrat, cùm ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Et *Ioan.14.6*
per Prophetam: *Pacem & veritatem diligite, ait Dominus* *Zach.8.*
*Deus*. Paſcha, cuius celebrare in azymis ſinceritatis & veri- *19.*
tatis nos monet Apoſtolus. Et cùm quædam populi ſui acta *1.Cor.5.8.*
reprobaſſet, ſubiecit: *Hæc ſunt ergo verba, quæ facitis, loqui-* *Zach.8.* *16.*

*mini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.* Et replicans: *Veritatem & iuſtitiam iudicate in portis veſtris.* Ibid.

XXVIII. Ecce, fratres & filij (Deus concedat ab ipſo clementer reſpecti) ecce quanta commemorauimus vera mala, quanta falſa bona, quanta etiam mixta bonis mala. Quid nobis agendum ad iſta, niſi, vt prædiximus, Dominum præcepiſſe, non ita ieiunemus, non ita oremus, non ita eleemoſynas faciamus, ſicut vſque ad hanc diem ieiunauimus, orauimus, eleemoſynas fecimus, ne hoſtibus noſtris, malignis[ vtique ſpiritibus, occaſionem nos ampliùs deridendi præſtemus. Sed rationabiliter in ſimplicitate cordis Domino ſeruientes, curemus primitus ne bona noſtra falſa ſint. Curemus ne nulla dehinc ne pauca, poſt ne inordinata, illiuſque nunquam obliti conſilij, quod datum infructuosè licet cuidam legimus ita: *Peccaſti, quieſce.* Noſtrorum cuiuſdam perlepidam ei concinentem recolamus pariter iſtius modi ſententiam: *Noli eſſe malorum factor, & eris occiſor,* vtique malorum factorum, illiúſque non immemores: *Fili,* inquit, *ne adijcias peccatum ſuper peccatum, dicens: Miſericordia Dei magna eſt,* & quod ſequitur, cogitantes non adeò deſpiciamus, vt precibus ad placandum illum compoſitis, & tam prauis vt vſque nunc ieiunijs, orationibus, eleemoſynis, & rationi contrarijs vigilijs, nos eum, qui inuiſibilis omnibus penetrat ſuo vniuerſo intuitu, deludere poſſe credamus. Sed ſi volumus ei placere ſicut præcepit, ſtudeamus illi ſeruire, vt peccatorum remiſſionem accipere, & gratiam ipſius mereamur recuperare, ipſius ſolummodò pietate, quam perdidimus arbitrij noſtri merito, liberate. Eccli. 5. 5.

XXIX. Finem ſanè loquendi cum hîc non putauiſſemus occurrere, occurit ècontrario non ſilere valendi omnimodis ratio. Hæreſis namque ex antiquis quoſdam hîc apud nos cùm exhauſta vbique crederetur, conſopita potiùs apparuit, quàm mutuato à græcitate vocabulo Anthropomorphitarum etiam latinitas appellare conſueuit. Nudius enim tertius quidam noſtratium retulit nobis Presbyteros Vicentinæ Diœceſis, noſtros vtique vicinos, putare corporeum Deum eſſe: hac ſiquidem occaſione inductos, quòd in ſcripturis legatur: *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in* Pſal. 33. 16

*preces eorum.* Et, *Manus tuæ fecerunt me.* Et, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Cùm vtique hæc ſimilitudo, vel diſſimilitudo, non ad corpus, ſed ad ſolam pertineat animam, quæ eſt vtique ſpiritus, quamquàm circumſcriptus & comprehenſibilis ſpiritus, & huiuſcemodi in ſcripturis alia non intelligentes ſtultiſſimi, quod tam incexcogitabilis, tam inſcrutabilis, tam ineffabilis, tam incomprehenſibilis eſt Deus, vt nihil proprium effari de eo humanæ locutionis valeat vſus. *Iob. 10. 8.* *Geneſ. 1. 26.*

XXIX. Quis enim audeat ſolummodò cogitare, vt hoc vnum proferamus de multis, quòd per naturam Chriſtus fuerit vermis, aut ſcarabæus? Et tamen per quandam ſimilitudinem ipſe de ſe, quamuis figuraliter loquens, veraciter dicit: *Ego autem ſum vermis, & non homo.* Et per Prophetam: *Scarabæus de ligno clamabit.* Quod cùm nos non modicè promouiſſet, proh nefas! nobis commiſſo gregi eandem adeò comperimus perfidiam inhæſiſſe, vt facto de periculo in populo ſermone, & Spiritum eſſe Deum, incorporeum, inuiſibilem, intractabilem, & inæſtimabilem, ſcripturarum teſtimonijs, approbato quidam, heu dolor! noſtrorum murmurando dicerent etiam ſacerdotum: Quid modo faciemus? Vſque nunc aliquid viſum eſt nobis de Deo ſcire, modò videtur nobis quod nihil omninò ſit Deus, ſi caput non habeat, oculos non habet, aures non habet, manus non habet, pedes non habet. Ad quod vni eorum iſtud præbemus reſponſum: Stolidiſſime, ergóne anima tua vel mea nil tibi eſſe videtur pro eo quòd eam videre non vales? Quale verò caput habet anima tua, quas manus, quos pedes, quæ alia membra? monſtra mihi ſaltem ſi vales colorem eius; ſi non vales, ego eius tibi demonſtro valentiam. Statue mihi hîc duo corpora, vnum cum anima, aliud ſine anima. Quod ex illis duobus videbit, audiet, loquetur, ambulabit; illud quod eſt cum anima, an illud in quo non eſt anima? Non dubium quin illud quod habeat animam reſpondebis. Ego è contra: Quare non illud quod animam non habet? nimirum quia deeſt illi ipſa vis, ipſa poteſtas, ipſum inæſtimabiliter melius atque validius, quod illud regebat, vt aliquid faceret, ſine quo nihil omnino facere poterat: nihil enim *Pſal. 21. 7.*

eſſe viſibilium, quod non ab inuiſibili regatur, ratio docet.

XXXI. Ecce inuiſibilis anima quàm potentior ſit, quàm viſibile corpus. De ipſa vita animæ quid tibi videtur? Nonne ipſa inuiſibilior multùm, quàm ipſa eſt anima? Quid autem ipſa valeret anima, immo quid ipſa eſſet anima ſine vita? Abſque dubio nihil: Legitur enim ita: *Factus eſt primus Adam in anima viuente, ſecundus in ſpiritu viuificante.* Si ergo anima, quæ vtique ſpiritus eſt, tantùm valentior eſt corpore, vt ſine illa ſe ſaltem non poſſit mouere; vita verò animæ; quæ vtique inuiſibilior eſt, tantum potentior anima, vt ſine illa ſaltem poſſit nec eſſe Spiritus viuificans, qui vtique Deus eſt, & quò Deus inuiſibilior, eò omnibus interior adeò Spiritus, (ſi regulariter ita dici valeret) inuiſibiliſſimus omnium ſpirituum ſpiritus, & ſpiritus ſpiritiſſimus omnium appellari poſſit ſpirituum: & quò omnibus ſpiritibus inuiſibilior, eò omnibus interior; & quò interior, eò magis credendus omnium rector, inſpirator, motor, viuificator, ſpirituum, ſicut anima omnium corporum, immò ſicut vita omnium viuentium & tantò præſtantiùs, quantò ineffabiliùs atque potentiùs.

1. Cor. 15. 45.

XXXII. Sicut enim anima nihil eſſet ſi non eſſet vita, ita omnis creatura ſiue viſibilis, ſiue inuiſibilis, ſiue corporea, ſiue incorporea, nihil omninò eſſet, ſi non eſſet Deus omnia vtique, vt ita dicatur, animans, ſicut viuificans Spiritus, qui quò omnibus interior, eò eſt inuiſibilior: ſicut & Spiritus in corporibus eò interior, quò inuiſibilior, eò inuiſibilior, quò vſque ad ineffabilitatem interior, ac per hoc vſque ad omnipotentiam; ita potentior; vt quicquid per ipſum ſit, quicquid viuit, per ipſum viuat; quicquid mouetur, per ipſum vſque ad ineffabilitatem iterum moueatur: vſque ad ineffabilitatem verò protulimus, quia recolimus motus homicidarum, furum, adulterorum, qui vtique niſi à Deo ipſum habent, quo peſſimè abutuntur miſeri, motum, cùm à ſeipſis malę motionis habeant vitium.

XXXIII. Tanta igitur vis, tanta poteſtas, tam inæſtimabilis, tam impenetrabilis natura, tam inſcrutabilis ſubſtantia, tam incomprehenſibilis Deitas, tam inmenſurabilis

bilis magnitudo, tanta de ſe ipſa vniuerſa irradians pulchritudo, tam cuncta viſu intimo penetrans aſpectus, tam omnia continens inuiſibilis manus, tam vniuerſa illuminans claritas, tam omnia ſupereminens proceritas, tam cuncta concludens profunditas, tam omnia faciens operatio, tam nihil inacceſſibiliter inacceſſum relinquens immobilis motio, tam omnia nutriens ſapida dulcedo, tam cuncta diſcernendi non impotens flatus, tam ſubtilis vniuerſorum non modò voces, ſed intentiones à longe cognoſcens, cui tacendo Moyſes vtique clamaſſe refertur auditus. Et ne in infinitum ducamus, quem finire omnium qui fuerunt, ſunt, aut erunt, non valuerunt, valent, valebunt loquendo ſermonem; illud ineffabile, illud inexcogitabile omnibus eſſe. Ille ad poſtremum incircumſcriptus, vbique totus nuſquam minor, nuſquam maior, qui cœlorum continet thronos, & abyſſos intuetur, montes ponderat, terram palmo concludit, cui cœleſtia, terreſtria, & inferna genuflectunt omnia. Spiritus, qui eſt vtique Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnus Deus, ſingillatim Spiritus, indiuiſibiliter Spiritus, qui eſt ſuper omnia & per omnia, & in omnibus benedictus in ſæcula Deus; nil tibi videtur, eò quòd non habeat quod videre valeas corpus, nec legendo diſcere, aut à legentibus ſciſcitari curaſti, qui ſint illi *ſuper iuſtos oculi Domini*: quæ *aures eius in preces eorum*; quis *vultus ipſius ſuper facientes mala, vt perdat de terrâ memoriam eorum*: quæ manus, qui pedes, ſed omnia hæc fabrili reuoluens inſipientiſſimè cogitatu dixiſti, non in corde ſolùm, ſed multò veſaniùs in ore, *non eſt Deus*, immò turpiùs, nihil eſt Deus, ſi non habet pedes & manus, cùm potiùs eo ipſo, quo rationalis es conditus, deberes ex ratione colligere eum qui te condidit, eò magis Deum eſſe, quò minus eum vales conſpicere; quem nimirum, vt beatus ait Gregorius, iam videre eſt, iam rationem illius ratiocinando conſpicere: Cuius tunc aliquid quaſi ex parte cognoſcimus, quando eum nos dignè cognoſcere non poſſe ſentimus. Tunc eum quaſi ex parte videmus cùm à nemine videri eum poſſe non ignoramus.

*Pſal* 33. 16.

*Ibid.*

XXXIV. *Conſiderauimus*, inquiunt, *& non erat aſpectus, vnde nec reputauimus eum*: Quod quidem illi tui complices

*Iſay.* 53. 3.

de incarnata pro nobis Dei ſapientia leguntur dixiſſe. Tu verò inſanius de tota Trinitate, imitatus vtique eos, qui dum Moyſes tardaret in Sinai monte dixerunt ad Aaron fra-
*Exod.* 32. trem eius; *Fac nobis Deos qui præcedant nos. Moyſi enim neſ-*
1. *cimus quid contigerit.* Ita & tu cùm te faſtidiſſet de Ægypto, id eſt, de tenebris ignorantiæ ad lumen cognitionis inuiſibilis Dei abduci, quo quomodo Idola tibi in corde cœpiſti ſtultiſſimè fabricare, immenſitatiſque Dei oblitus, magnum quendam quaſi Regem in throno aureo videlicet ſedentem depingere, militiam Angelorum quaſi quoſdam homines alatos, vt in parietibus ſoles videre, veſtibus albis indutos ei aſſiſtere; cùm & illi Spiritus ſint, & pro ſua natura inuiſibiles, & cùm hominibus apparent, non in ſua natura, ſed in ſpecie quam illis Deus aut ex iſto aëre corporeo licet tenuiſſimo, dare vult, aut vnde vult, aut ſi ei, vt in primordio omnigenæ creationis placet ex nihilo, vti videri corporalibus oculis poſſint, apparent, vocemque ex aëre eodem aëreis, vt ita dicatur, ipſi labijs & faucibus ac gutture nobis incomprehenſibiliter, ſed tamen his quibus diuinitus hoc videre, vel audire, conceditur, cognoſcibiliter reddunt.

XXXIII. Secundâ, inquiunt, feriâ Michaël Archangelus Deo Miſſàm celebrat. ô cæca clementia! Quæ tibi enim videtur cauſa apud nos primam vel ſecundam facit feriam, nonne ſolis ortus & eius occubitus? & quis eſt ſol alius in cœlo niſi Sol iuſtitiæ cum Patre & Spiritu ſanctq Chriſtus? An adeò inſanus, vt putes noctem eſſe in cœlo, cuius illuminatio craſtinam faciat diem? Quomodo ergo lux illic æterna, ſi obſcuritas eam interpolat vlla? In quali templo canit ſanctus Michael Miſſam, cùm Ioannes in Apocalypſi
*Apoc.* 21. dicat. *Templum non vidi in ea. Dominus*, ait, *in Templo ſan-*
22. *cto ſuo: Dominus in cœlo*: Vis de illo Templo tibi quod nunc
*Pſal.* 10. cordi occurrit reſpondeam? Dominus in vtero Matris Vir-
15. ginis non relicto Patre in cœlo, vno vtique eodemque momento & in cœlo, & in Virginis vtero: ſed in cœlo intem-
*Pſal.* 9. 6. poraliter, in matre ex tempore. *Sedes ſuper Thronum*, ais, dicit Pſalmiſta, *qui iudicas æquitatem.* Nos quoque *qui ſe-*
*Ibid.* 79. 2 *des ſuper Cherubim*, ſæpe cantauimus & intelleximus Cheru-

bim plenitudinem ſcientiæ interpretari, & quod thronũ hoc, hoc idem Cherubim appellari, hoc eſt, Angelicum Spiritum, immò legiones vtraque hæc Angelorum: ſuper quem autem Angelorum non ſedet Dominus, cùm & de anima iuſti legatur, quòd ſedes ſit ſapientiæ, ſapientia verò Dei Patris Deus filius ſit? quo verò ſedet ſapientiæ ſine eo cuius eſt ſapientia?

XXXIV. Verùm quia hæreticorum hoc proprium eſt, vt confutari oppidò, vinci verò non leuiter valeant, totâ iſtâ allegatione, non quid ſit Deus, ſed quid non ſit, ſi poſſimus perſuadere; id eſt quòd nec corporeus, nec viſibilis, nec æſtimabilis ſit, vtpote ſpiritus ſpirituum, inuiſibiliſſimus omnium ſpirituum, confutatos veritatis inimicos gaudeamus. Vos autem, ô Filij, quibus loquimur, hoc ammonemus, vt abiectis huiuſmodi nugis, atque mendacijs, illius monentis non immemores; *Altiora te ne quæſieris, & profundiora te ne ſcrutatus fueris.* Multi enim ſunt qui dum diſcipuli fieri dedignantur veritatis magiſtri, fiunt erroris, non intelligentes ſcilicet, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Ad illum magni Conſilij Angelum vos conferatis, qui ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Et, *Nemo venit ad Patrem, niſi per me:* conſequenter enim nec ad Spiritum ſanctum. Ipſe enim cum Philippo reſpondiſſet, roganti vt oſtenderet illis Patrem, reſpondit: *Qui me vidit,* vtique interioribus illis oculis, quibus Deus poteſt? vtcunque videri: (*Beati* enim *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*) *vidit & Patrem.* Et adiecit: *Non credis quia ego in Patre & Pater in me eſt?* Quod totum niſi ad inuiſibilem Deitatem Patris & Filij referas, ſtare non poteſt. Non enim qui vidit in carne, quam pro nobis aſſumpſit, filium, conſequenter vidit & Patrem. Alioquin & Iudæi perſequentes illum vidiſſent, quibus voce Dominica dicitur: *Neque me ſcitis, neque Patrem meum, ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Id eſt, ſi inuiſibilem & incorpoream diuinitatem meam in me latentem agnouiſſetis, & cor mundum ad hanc contemplandam habuiſſetis, conſequenter & Patrem meum in me manentem, & me in Patre ſciretis. Ipſe ergo qui huiuſmodi introductione nos cognoſcere fecit, quòd Pater ipſe, idemque, qui hoc dicebat Filius, &

*Eccli.* 23. 22.
*Ioan.* 14. 6
*Ibid.*
*Ioan.* 14. 10.
*Matt.* 5. 8
*Ioan.* 14. 10.
*Ioan.* 8. 19

Matt. 28. Spiritus Sanctus vnus eſſet Deus: *Euntes,* ait, *baptizate om-*
19. *nes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ipſe
inquam, qui carneis labijs ab interiore Deo motis hoc diſci-
pulis præcepit, ipſe nobis dicat quid ſit Deus: *Spiritus,* in-
Ioan. 4. quit, *eſt Deus* & poſt reſurrectionem dubitantibus Apoſto-
24. lis ait: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non ha-*
Luc. 24. *bet, ſicut me videtis habere.*
39. XXXV. Si ergo carnem & oſſa non habet ſpiritus, vnde caput habet, quod vtique ex carne & oſſibus conſtat? Vnde manus, vnde brachia, poſtremò vnde labia, vnde linguam, vnde guttur, vnde pulmones, vnde illi ſunt arteriæ, vnde palati concauitas, vnde quatuor anteriores dentes, quibus procul dubio omnibus & vox formatur, & locutio agitur, quibus Michael Miſſam canere dicitur? Tu ècontra qui ſupra: *Gloria in excelſis Deo*, quis primus cecinit? Angeli reſpondemus: Quomodo? vt Deo placuit illis hoc quod Paſtores audire, vel intelligere poſſent præſtare; quia in ſpirituali natura hoc nullo modo poterant facere. Et hoc in aëre, qui percuſſus vocem facit, vtique & cœlum appellatur, vnde & volucres cœli dicuntur, non in æthere, non in cœlo, vbi nullus indiget ſtrepitu aliquid vocis, nedum Deus qui omnia nouit cognoſcere. Vox enim in cœlo Angelorum nihil eſt aliud, niſi ammiratio perpetua claritatis & ineffabilitatis Dei ſine motu linguæ, ſine ſtrepitu vocis. Nam & in terra hoc magis delectat Deum, qui, vt paulò ſuperiùs protulimus, ait: *Spiritus eſt Deus*: & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritâte oportet adorare. Et quia Miſſa dum canitur, corporis & ſanguinis Domini participatione ipſe qui canit reficitur.

Pſal. 77. Monſtra mihi panem & vinum vnde hoc agitur: *Panem*
25. *cœli dedit eis*, ſcriptum eſt. Reſpondes: *Panem Angelorum manducauit homo.* Quis eſt alter panis cœli, niſi Dominus Chriſtus, vnde cœleſtia ſpiritalem eſcam accipiunt, & delectatione inæſtimabili perfruuntur. Et panis Angelorum rectè dicitur Chriſtus, quia reuerà illius laude paſcuntur. Neque enim corporalem panem manducare Angeli cre-
Marc. 14. dendi ſunt. De vino quid facies: *Non bibam*, reſpondes,
25. amodò *de genimine vitis vſque in diem illum, cùm illud bibam*

*vobiſcum nouum in Regno Dei.* Nihil te iuuat ad hoc: Regnum enim Dei dicit Eccleſiam, in qua cùm cœpiſſet, vt Pſalmiſta canit, à ligno regnare, & nouo vino, id eſt, ſanguine ſuo cum pane carnis ſuæ eiuſdem incolas Regni potare, Apoſtolis poſt reſurrectionem ſuam per quadraginta dies apparens, loquénſque de Regno Dei, & conueſcens conſequenter, & bibiſſe cum eis non eſt penitus dubitandus. Ecce tu miſer, qui de media lente tuum illum corporeum Deum vno anno, Belis ſacerdotibus ſtultior æſtimande, paſcebas. Noſter Deus verus, Inuiſibilis, Incorporeus, Intractabilis, Immenſus, Incircumſcriptus, omnium Creator quæ fuerunt, quæ ſunt, quæ erunt, omnium Rector, Diſpoſitor, oculi omnia contuentes; aures interiora etiam cordium penetrantes, brachia omnia continentes, manus omnium operatrices, pedes immobiliter per omnia diſcurrentes, quæ vtique omnia *Spiritus eſt Deus*, Pater vtique & Filius & Spiritus Sanctus, vnitas cuius in Deitate, Trinitas in perſonis conſiſtit. Noſter, inquam, Deus cum magno tremore & reuerentia recolendus, cum maxima dilectione amplectendus: noſter, inquam, huiuſmodi Deus. Vnde ſuos Angelos æternaliter paſcat, tandem aliquando, & ſi non à nobis, ſaltem ab Auguſtino conuictus, & vtinam conuerſus aduerte. Nam de locutione Dei ad Angelos, & illorum ad Deum, abundè te docet, ſi requiras in Moralibus, Gregorius.

*Pſal.* 95. 10.

*Act.* 1. 3.

XXXVI. Et quia, vt cernitur, nullatenus à carnali vales intellectu diuelli, tene te ſaltem ad illam quam pro nobis Dei ſapientia ſuſcipere dignatus eſt carnem. Illa enim in cœlis ad dexteram, id eſt, æqualitatem Patris, qui vbique dexter, nuſquam ſiniſter, vtpote incircumſcriptus Spiritus, Deus cum oſſibus, quæ ſpiritus omnino non habet, abſque dubio ſedet, eius diuinitati incorporaliter aſtant incorporei Spiritus, Angeli vtique ſancti, animæ quoque fœlices, ſanctorum corpora quoque, vt nonnullis viſum eſt, quæ cum Domino ſurrexerunt cum animabus iuſtorum. Neque enim huiuſmodi es meriti, vt dicere cum Apoſtolo poſſis: *Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed iam nunc non nouimus.* Eius tamen ſi diuinam indagare vtcunque cupis ſub-

2. *Cor.* 5. 16

*Ioan.*14.9 ſtantiam, ab eodem intentiſſimè audi: *Philippe*, inquit, *qui*
*me vidit, vidit & Patrem*: Id eſt neque me vllus in diuinitate
*Ioan.*10. (quam ſi cerneres hoc nullatenus diceres: *Ego enim & Pater*
30. *vnum ſumus*) neque illum vidit. Vides me in carne, quam
ſumpſi pro te; non vides in diuinitate, qua ſum vnum cum
Patre; & ideò ſi vis Patrem videre munda illum oculum
cordis, qui conſiderare quoquo modo valeat inuiſibilem
Deum, & me conſpiciens videbis, & illum, non lumine at-
tingendo corporali, ſed contemplando pro modulo ſpiri-
tali. De eius cibo ſi ſollicitaris, audi eundem: *Meus cibus eſt*
*Ioan.*4.34 *vt faciam voluntatem eius qui miſit me.* Et, *Non in pane ſolo*
*Matt.* 4. *viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei:* Et,
4. *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare*, de pauperibus vtique
dicens.

XXXVII. Verùm quia de ſacerdotibus noſtris conqueſti
talia protulimus ſuggerendo, eoſdem nobiſcum monemus,
vt in lege Dei die noctúque meditantes, ſcrutentur ſcriptu-
ras meliùs quàm vſque modò feciſſent: *Cæcus enim ſi cæco*
*Matt.* 15. *ducatum præſtet, ambo in foueam*, vt ait Dominus, *cadent*. Quæ
14. præcepit Deus illa cogitent ſemper, hoc ſuper omnia præ
oculis præceptum, quoniam quidem magnopere expedit,
inceſſanter habentes. Non enim ſemel in anno, ſed quoti-
*Exod.* 12. die eos neceſſitas cogit Paſcha Domini celebrare. *Renes*
11. *veſtros accingetis*, id eſt caſtitati operam dare ſtudebitis. Et,
*Iſay.*52.11 *Mundamini qui fertis vaſa Domini: Omne enim quod teti-*
*gerit immundus, immundum erit*, dicit non mentiens Dominus:
1.*Reg.*21. *Si mundi ſunt*, ait quidam, *pueri*, maximè à mulieribus, de
4. panibus propoſitionis, qui noſtrum figurabant ſacrificium,
vtique agens; & cùm ita ſit, quid miſeri cogitare valemus
de nobis, quid æſtimare, quare ſcilicet Sacerdotes vocemur,
qui tam immunda præcordia gerimus? potéſtne quod da-
mus vocari vel ſanctum polutiſſimis manibus noſtris tracta-
tum? Eſtne benedictio, quam illecebroſo ſaltem oſculo,
præter alia, fundimus ore polluto. Væ nobis miſeris, pro
talibus ſcilicet, ac millies væ fuerat quidem olim prædictum:
*Iſay.*24.2 Et, *erit ſicut populus*, ſic ſacerdos, ſed vtinam vt honeſtiores
quilibet in populo Dei, ſic ſaltem ſacerdotes eſſent hu-
iuſmodi.

Suademus prætereà eis ne adeò ſint à Deo extranei, vt ſe ipſos primitus dehinc alios mortiferè decipientes, mentiri potuiſſe putent Spiritum ſanctum per os Apoſtoli dicentem: *Neque adulteri, neque fornicatores, neque ebrioſi regnum Dei conſequentur.* Et; *Hoc autem ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut adulter, aut auarus, quod eſt Idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in Regno Chriſti & Dei.* Sed ne ad deſperationem eos ſermo iſte veriſſimus trahat; Nouerint non de his dici qui olim fuerant adulteri, fornicatores, & auari, ſed illos notari, qui vſque in finem in talibus durantes, neglexerunt ad Deum conuerti; qui vtique ſi concederetur eis in æternum viuere, non deſinerent in æternum peccare; & ideò iuſtè in æternum pœnas debent, quia digni ſunt luere. Comperimus námque noſtri temporis quemdam talem perfungi ſi eſt deſtinatum, quem cognouiſſet hominum vtinam nullus, híſque his deplanximus adeò inſolubiliter irretitum ad ipſum fere cùm proximarit miſerrimus ſenium, vt conſcientiâ remordente, nec ipſum Euangelij librum, nec eum oſculari auderet, qui communicaturus eſſet Presbyterum, contaminari ſuo miſer oſculo penſitans illum, ad mentem vtique, *quod tetigerit immundum, immundum erit*, recolligens dictum, ita vtique ſe iudicans indignum, pro eo ſcilicet maximè, quod os illecebroſo cum manibus & brachijs haberet complexu pollutum, & formidaret ſaltem attingere ipſum vas quod tantæ dignitatis tetigiſſet myſterium: & tamen emendationis nullum in eius erat obduriſſimo corde veſtigium, pro quo duplex nobis viſa eſt non ſilendi occaſio, id eſt, vt eius primùm cauere ſtudeamus exemplum: Dehinc vt pro eo Dei miſericordiam eò ampliùs ſupplicemus, quò ampliùs eum indigere cognoſcimus.

*Gal. 5. 21.* *Epheſ. 5. 5* *Num. 19. 22.*

XXXVIII. Nam talis amare nullatenus licet eum inrationabiliter, metuat, cùm vincitur, Deum, quem tam moribus ſuis ſentit aduerſum.

XXXIX. Nec contraria iſthìc illa eſt Domini promiſſio, quâ dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Qui videlicet etiamſi credat in Deum, talium quis non credit Deo, quia præcepta eius non cuſtodit, nec ſacramentum

*Marc. 16. 16.*

viuendo tenet, quod fide percepit. Sed eandem fidem, quam
*Matt.6.9* verbum aſtruit, moribus deſtruit: *Pater noſter qui es in cœlis*
cum cæteris fidelibus, conceſſo Domini, dicit, ſed omnium
corruptè viuentium Diabolus Pater eſt, Zeno Beatus ille
ècontrario ait. Quod à nobis auertere pietas dignetur illius,
qui hunc mundum venit peccatores ſaluos facere IESVS
Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu ſancto
viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

---

## *CONTRA REPREHENSORES ſermonis eiuſdem.*

NON dicit RATHERIVS Veronenſis Epiſcopus, quòd Deus Dei Filius, Dominus noſter IESVS Chriſtus, hoc eſt incarnata pro nobis Dei ſapientia, non habeat caput, oculos, manus, & pedes, cæteráque humani corporis membra, cum anima rationali, Deo, cum corpore plena; dum veraciter eum cum corpore & anima in cœlum aſcendiſſe, quo nunquam defuerat diuinitate, & in eodem corpore, Angelis docentibus, didicerit eum venturum adiudicandos viuos & mortuos. Sed dicit Ratherius Epiſcopus, quòd Deus, id eſt diuinitatis ſubſtantia, non habet corpus
*Ioan. 4. 24.* quod palpari poſſit & videri, quia *Spiritus eſt Deus*, ſicut dixit Dominus IESVS Chriſtus. Et, *Spiritus carnem & oſſa*
*Luc.24.39* *non habet*, ſicut idem dicit in Euangelio Chriſtus.

Non dicit Ratherius Epiſcopus, quòd malum faciat qui vadit ad Eccleſiam ſancti Michaelis, aut audit Miſſam ſancti Michaelis; ſed dicit Ratherius Epiſcopus, quòd mentitur ille qui dicit, quòd conueniat alicui meliùs in ſecunda feria ire ad Eccleſiam ſancti Michaelis, vel Miſſam ſancti Michaelis audire, quàm in alio die. Dicit Ratherius Epiſcopus quòd mentitur ille qui dicit quòd ſanctus Michael Miſſam cantet, cùm nulla alia creatura Miſſam poſſit cantare, niſi homo ſolùm; quia ille cùm ſit rationalis habet carnem & oſſa, ſine quibus Miſſa non valet cantari. *Spiritus* autem (ſicut Dominus dicit) *carnem & oſſa non habet*, licet valentiore, quàm

homo

homo, polleat ille qui eſt Angelicus & non Apoſtaticus Spiritus, ratione. Michaël verò Spiritus eſt & Angelicus Spiritus, & in conſpectu Dei ſemper aſſiſtit, ſine carne & oſſibus; & illum inceſſabiliter laudat ſine libro, cum quo ſolet Miſſa cantari, ſine pane & vino, de quibus ſolet in Miſſa corpus & ſanguis Domini confici.

Si autem quæris quid ſanctus Michaël cantet? Labora, dicit Ratherius Epiſcopus, cum Dei adiutorio, vt poſt mortem cælum conſcendas, illic audies quid cantet. Quòd ſi vis ad Eccleſiam S. Michaëlis ire, ſapias, dicit Ratherius Epiſcopus, quòd non libentiùs te recipit in ſecunda feria ſanctus Michaël, quàm in alia. Si vis eum rogare; ſapias, dicit Ratherius Epiſcopus, quia non clementiùs te exaudit ſanctus Michaël in ſecunda feria, quàm in prima, quàm in tertia, quàm in quarta, quàm in quinta, quàm in ſexta, quàm in ſeptima feria. Hoc cùm ita ſentiat, dicat, atque aſtruat Ratherius, qui volet, valet, & audet, eum non prohibet, imò poſtulat, nam ipſe refellat.

---

## SERMO II.

## *DE QVADRAGESIMA.*

HORTOR & ammoneo vos mecum, ſi qui in hac mihi eſtis plebe conſimiles, vt aurem cordis prophetico adhibentes conſilio, dicentis: *Redite præuaricatores ad cor.* *Iſay. 48. 6*
Cogitet vnuſquiſque noſtrum, quare creatus, quare natus, quare renatus, quo pretio, & quare redemptus. Vtrumnam debitas gratias retulerit Creatori, Factori, & Redemptori ſuo; & eius, vt dignum fuerat, ſaluberrimis obedierit præceptis. Quòd ſi in hoc ſe non inuenit, vt optarem, culpabilem, Factori, Redemptori, & Protectori gratias referens ſuo, non ſibi illud ſuperbè attribuens, humiliter gaudeat, & ab ipſo finem in talibus bonum indeſinenter exoptet, & ne præuaricator vnquam iuſtè vocetur indeſinenter expoſcat.

Qui verò ſecus egerunt, ne ſeſe deſperent ammoneo, ſed reminiſcentes miſericordiæ Dei ſuper peccatores innume-

rabilium exemplorum, conuerti à ſuis prauitatibus dum ſani ſunt & incolumes velociſſimè feſtinent; ne ſi dum poſſunt, non volunt, dum voluerint, non poſſint. Quod tamen ſi fecerint antiquum illum aduerſarium abſque dubio contra ſe concitabunt, qui totis contra eos ſeſe ſtatim exerens
1.Cor.9.25 viribus conabitur eos vitijs implicare prioribus. *Omnis autem* (ſicut ait Apoſtolus) *qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Luctaturi igitur contra tam atrocem, crudelem, callidúmque tyrannum, quoniam quidem iſti nobis ad hoc cum Dei adiutorio actitandum generaliter ac ſpecialiter delegati ſunt potiſſimùm dies, abſtineamus ab omnibus, quæ illum fortiorem, nos imbecilliores omninò efficiunt. Quæ
1.Pet.2.11. ſint autem ipſa Apoſtolus meliùs dicat: *Obſecro vos*, inquit, *tanquam aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſiderijs; quæ militant aduerſus animam.* Ecce quid nos imbecilles, quid illum efficient fortem. Carnalia vtique deſideria, à quibus dum non abſtinemus, animas noſtras expugnabiles facimus. Cùm enim nemo niſi alicui militet, & hic expreſſiùs, cui carnalia militent deſideria, minimè dicitur, dum aduerſus animam militare dicuntur, manifeſtè diabolo militare monſtrantur. Nullus enim animarum noſtrarum alter eſt aduerſarius, niſi ille, qui eas ſtatim inuadit, vbi Deus eas iuſto iudicio deſerit. Iuſto autem eas Deus iudicio deſerit, ſi eum priùs deſeruerint ipſæ: Quamuis & innumeras ſe deſerentes ipſe minimè deſeruerit, ſed hoc magis ex miſericordia, quàm ex iuſtitia.

Quia igitur carnalia deſideria Diabolo aduerſus animas militant noſtras, ne dux de nobis triumphet, illorum opponamus illis abſtinentiam, & habebimus Deo adiuuante victoriam. Conuertamur itaque ad Dominum, Fratres, in toto corde noſtro in ieiunio, & fletu, & planctu, ſed à quo, ad quem conuerti vos putatis monemus? Ab inimicis vtique animarum noſtrarum carnalibus deſiderijs ad amicam illarum abſtinentiam: à Diabolo, cui militant ipſę, ad Dominum qui contra illum ſi volumus pugnat pro nobis die noctúque. Sed ſi volumus contra illum pugnare, ſtudeamus eum à nobis longiùs propulſare, & à cordibus noſtris eijcere, neque
Iob.40.16. eum intra nos ipſi fouere. *Sub vmbra enim dormit*, vt ait Do-

minus, *in ſecreto calami, & locis humentibus.* Vmbra verò ſunt callidi; calamus ſimulatores, foris vtique placidi, interiùs vacui: humecta verò loca, luxurioſorum ſunt membra, & libidinoſa illorum præcordia. Verumtamen nouerimus, Domino teſte, quia hoc genus nullus neque de ſe, neque de alio valet eijcere, niſi in oratione & ieiunio. Sed quomodò in oratione à ſe eijcere Diabolum valet, de quo dicitur: *Qui auertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis?* O vtinam enim ſi non exaudibilis, ſaltem non eſſet execrabilis oratio noſtra. Itemque alibi: *Qui auertit aurem ſuam à clamore pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Hîc profectò præter quid etiam profundius innuitur, quia niſi clamantem ad te adiuues pauperem, non te exaudiet Deus orantem. Ieiunas verò quomodò, niſi à vitijs abſtinendo, cùm Dominus dicat: *Nolite ieiunare ſic vt vſque ad hunc diem*, & cætera quæ ſequuntur? Vt igitur à cordibus noſtris expellamus Diabolum, ieiunemus, oremus, eleemoſynam ſecundùm poſſibilitatem faciamus, ſed vltra poſſibilitatem nos voluiſſe teſtem Dominum habeamus. Ita enim carnalia deſideria, quæ aduerſus animas militant noſtras, ipſius adiutorio ſuperare valebimus.

*Prou. 28. 9* *Ibid. 21. 13* *Iſay. 58. 4.*

Sed dicit aliquis: ſi ab omnibus quæ caro deſiderat abſtinemus, quomodò viuimus? Nonne eſuriens deſiderat edere, ſitiens bibere, etiam ſi non ſuperfluè, neque ſumptuosè? Somnum patiens (vt hæc tantùm de innumeris honeſtè atque neceſſariò requiſitis proferantur) nonne optat dormire? Ad quod reſpondendum; quia non interdicuntur hoc præcepto neceſſaria, ſed ſuperflua, ſed noxia, ſed inhoneſta, & à Deo prohibita. Vnde & alter Apoſtolus: *Carnis*, ait, *curam ne feceritis in concupiſcentijs*: Vbi profectò nobis præcipitur, vt ſic corpori neceſſaria miniſtremus, vt nulli animum voluptati ſubdamus, nè dum ratio domina, caro debeat eſſe ancilla, propter ancillam, dominam conteramus, & imperet quæ obtemperare, obtemperet quæ imperare debuerat. Abſtinentia cæterùm noſtra niſi ſit triformis, eſt per omnia ad perfectionem inutilis; hoc eſt, vt primùm à meditatione praua, ſecundò a locutione noxia; tertiò ab operatione ceſſemus, pro Dei timore vel amore, peruerſa;

*Rom. 13. 14.*

vt mundati, Deo miſericorditer largiente, ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, his ſanctis ſaltem diebus ſanctiſſimum Paſcha poſt ipſos venturum cum gaudio & lætitia celebrare poſſimus: ipſo adiuuante, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

---

# SERMO I.

## *DE PASCHA.*

PASCHALES, Fratres Cariſſimi, hodie dapes ſumpturi, vobiſque pro debito miniſtraturi, hoc eſt, Agni illius ſacroſanctam refectionem, quam digito eiuſdem Præ-
*Ioan.*1. 29 curſor demonſtrans clamauit: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Nimirum quia typicus ille iſtum tantummodò figurare non verò peccata poterat relaxare, quod ſolus iſte in Deitate, quæ illi vnà cum Patre & Spiritu Sancto indiuidua eſt, valet ſingulariter agere. Huius itaque Agni corpus & ſanguinem ſolemniùs hodie tractaturi, veſtræque dilectioni propinaturi, poſtulamus ne moleſtè veſtrum aliquis ferat, ſi lactucarum agreſtium aliquantulum interponimus partem, cùm & hoc per ipſius faciamus Domini iuſſionem. Eorumdem ſanè olerum cùm nemini noceat, adeò ſpeciem corpoream ignorare non parum officit, ſi non ſpiritalem intelligentiam quis agnoſcere ac mente valeat retinere illorum. Natura equidem oleris iſtius ſumentis fertur oculos in lacrymas fluere facere, dentes purgare, ſed natura illius quid ſignificat facit corporis & cordis intuitum in planctum ſalubrem excitari. Dicunt quoque qui de Phyſica quaſi videntur tractare, quòd Aquila acumen quo plurimùm pollet ſi perdiderit occaſione qualibet, viſus guſtu illud recuperet herbæ iſtius. Percongrua, Fratres, ſimilitudo conſilij, vt qui videlicet caliginem interioris viſus contraxit aſſiduitate culparum, guſtu eundem recuperare ſtudeat talium lactucarum.

Sed iam nunc ornemus quam promiſimus menſam. *Hæc*

*dies*, Fratres Cariſſimi, *quam fecit Dominus* ( ait Propheta ſanctiſſimus) *exultemus & lætemur in ea*, Nunquid, Fratres, non & heſternam diem ſimiliter Dominus fecit? Planè, ſed illam ieiunio, iſtam lætitiæ conſecrauit: Illa diſcipulis luctum, hæc maximum intulit gaudium. Quid ergo, Fratres, agendum? Nimirum vt ratio docet, ſi heri luximus cum Apoſtolis, gaudeamus hodie cum illis, & omnibus ſanctis. Neque vereamur ne nobis dicatur: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis ac flebitis*: cùm propter præteritam abſtinentiam atque triſtitiam, eiuſdem refoueamus conſolatione dicentis: (vt Apoſtolis verò ante paſſionem, ita nobis ante reſurrectionis Dominicæ diem) *Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis; iterum autem videbo vos & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*. Hoc dictum eſt Apoſtolis, hoc dicit & nobis, luxerunt Apoſtoli pro morte, quanquam illis nimiùm neceſſaria, Chriſti, de cuius reſurrectione gaudio inæſtimabili, & immenſa ſunt gratulatione lætati: imitati ſumus heſterno luctum illorum, imitemur hodie gaudium. Sed ſi eos volumus imitari ab eiſdem normam ſumamus moneo gaudij. Dic igitur ſancte Apoſtole, poſt omnes quidem vocate, ſed vſque ad tertium cœlum modo quem ipſe meliùs noſti diuinitus rapte; dic, inquam, ſatisfac interrogantibus vnde debeamus gaudere: *Paſcha*, inquit, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Non ob aliud? Immolationem nam nos ipſam intellexeramus eamdem, quam Apoſtoli luxerant mortem, quorum & heſterno ſumus imitati mœrorem. Rogamus igitur proſequere quid debeamus hodie vel qualiter agere, ſubiungit atque ait: *Itaque epulemur*, id eſt, Carnem Domini manducemus, & ſanguinem ipſius bibamus: *Non in fermento* tamen *veteri, neque in fermento malitiæ & nequ tiæ; Sed in azymis ſinceritatis & veritatis*: & veritatis, inquam. Quare hoc? Quia & alibi idem dicit Apoſtolus: *Conſepulti ſumus Chriſto per baptiſmum in mortem; vt quomodò ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus*: Hoc igitur ſenſu, Fratres Cariſſimi, ſi ſeruamus operando quod credimus in Chriſto renati, in Chriſto paſſi, in Chriſto mor-

*Pſal.* 117. 24.
*Luc.* 6. 25.
*Ioan.* 16. 22.
1. *Cor.* 5. 7.
*Ibid.* v. 8.
*Rom.* 6. 4.

tui; in Chriſto ſumus à mortuis ſuſcitati, ac per hoc maxima nobis eſt ratio gaudij. Hanc ergo diem non ſibi ſolùm, ſed & nobis quia fecit Dominus, Fratres, exultemus & lætemur in ea.

Ecce hæ ſunt Paſchalis feſti decentiſſimæ quas vobis promiſimus dapes, nunc nobis monſtrate, poſt modicum monſtrandæ, de lactucarum agreſtium, ſed quid facimus, Filij, promiſſo? Veniant & ipſæ, purgent rheumata dentium, hoc eſt, impedimenta de facinorum congerie mentium, comedere qui veniunt agnum, fluere ex oculis riuulos cogant aquarum: *Non in fermento*, inquit, *veteri*, hoc eſt, inflatione anterioris peccati, vel affectu idem vel aliud perpetrandi; id eſt, vt ne eiuſdem vitij hodie ſitis quod heri fuiſtis. *Neque in fermento malitiæ & nequitiæ.* Quaſi vtique dicat: Malitiam præteritam bonitate mutate. Nequitiam relinquite, ſi Agni Dei carnem vultis comedere, & eius ſanguinem bibere. *Sequitur: ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Intelligite, Fratres, imò intelligite ſi qui hîc forſitan mei eſtis conſimiles, malitioſi vtique nequitia pleni. Si vultis ſalubriter gaudere, in Domino gaudete, non in iocis ſuperfluis, non in fabulis otioſis, non in turpiloquijs noxijs, non in tactibus illecebroſis, non in crapula & ebrietate, non in can-
*Pſal. 2. 11.* tuum vanitate. Si cupitis exultare, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Si deſideratis Paſcha legitimum celebrare, in azymis celebrate. Quę ſunt verò ſi requiratis azymę; ſinceritas reſpondeo, & veritas. Fermentum enim peſſimum eſt ſimulationis duplicitas: Fermentum noxium eſt falſitatis voluntas. Fermentum enim cùm à feruore ſit nominatum, ipſam malitiam, ipſam nequitiam, ipſam veteris Adæ cùm vniuerſam nominari valeamus intelligere conſuetudinem, nullam magis valemus conijcere, quàm contrariam ſinceritati & veritati magiſtram decipiendi proximum fallaciam; Qua vtique inextinguibiliter fraudulentorum æſtuat animus. Ipſa itaque cùm maximè nitatur malum quodlibet perpetrandi voluntas, abſtineat tantò ab ea, id eſt, fallacia; veſtra, ſuggerimus, fraternitas, quantò hac magis offenditur diuina maieſtas, & deturpatur Paſchalis honeſtas. Niſi enim ita eſſet, nequaquàm Apoſtolus & contrariorum prohibitione, &

ipſarum præceptione eaſdem duas inſolubiles virtutes, id eſt, ſinceritatem & veritatem, in Paſchalis feſti epulis tantopere commendaſſet; diuerſis vocabulis eadem repetendo atque dicendo: *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Nedum enim Paſchalem nullam celebrat feſtiuitatem, qui in corde malam habet voluntatem, cùm nec gloriam in excelſis cum Deo, nec veram in terra cum hominibus quis habeat pacem, niſi qui bonam poſſidet voluntatem. 1.Cor.5.7.

Hanc, Fratres Cariſſimi, mordaciſſimam veracitatem, & veraciſſimam mordacitatem, lactucam appello agreſtem, quæ vtique, flagito, cordium & corporum noſtrorum ſpiritali guſtu percepta qualitatem commutet. Cor videlicet ad ſuſpiria, corpus dum prouocat ad lamenta, vtraque hæc ad malæ voluntatis relinquenda molimina. Quod abſque dubio credimus prouenturum, ſi etiam quod Dominus per Decalogi nobis mandat de Paſcha celebrando Miniſtrum, ad naturam earumdem referre ſatagimus lactucarum. *Sic autem*, inquit, *comedetis eum. Renes veſtros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes.* Quid auſteriùs, Fratres, quid acriùs dici potuit illi, qui iſta intelligens, Paſcha præteritum ſe meminit eiſdem obſeruatis nullo modo celebraſſe? Qui enim non obaudiuit Pſalmiſtę dicenti: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime*: id eſt, fortiter; ſed eneruiter ſeſe luxuriæ dedens, ad Agni Dei ſumendum corpus & ſanguinem eſt auſus accedere. Qui non ſecutus eſt exempla Sanctorum qui iam in Chriſto obierunt Patrum, qui non ſe baculo regiminis defendit contra rugientem leonem, id eſt, quærentem ſe deuorare diabolum: qui pio deſiderio non feſtinauit, id eſt, non optauit diſſolui & eſſe cum Chriſto: qualiter hodie ſine gemitu atque ſuſpirio corpus & ſanguinem Domini præſumat accipere, non video, niſi quia aut deſperatione mortifera induratum, aut falſa ſpe deceptum huiuſmodi credo. Sed ne faciat ſuggero, ne ſe deſperet moneo, ne falſa ſpe ſeſe decipiat ampliùs rogo. Intendat quod ſequitur, ſuſpiret & gemat: *Eſt enim Phaſe*, id eſt, *tranſitus Do-*

Exod. 12. 11.

Pſal. 44. 4.

*mini*. Quaſi dixiſſet: Tranſit à Diabolo ad Chriſtum, qui renes à luxuria reſtringit, qui ſanctorum exemplis greſſus operum munit; qui baculo regiminis à Diabolo ſeſe defendit; qui deſiderando feſtinat ad Patriam cœleſtem pertingere. Huic itaque ſoli conceditur Paſcha Domini celebrare, & tamen nec huic ſine lactucis agreſtibus, id eſt, memoria præteritorum facinorum, & effuſione vtiliſſima lacrymarum.

Sed iam nunc ad Apoſtolum redeundum tantum qui conficiat quod propoſuimus, obliti impoſſibilitatis noſtræ, qui valet vtique negotium: *Paſcha*, inquit, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Quod fuit vtique, vt remur, dixiſſe: Ideò pro nobis immolatus eſt Chriſtus, vt ipſe noſter eſſet tranſitus ad ſeipſum, & ipſe noſtrum eſſet ſolummodò gaudium. Sic ergo ſic vnuſquiſque noſtrum poſtulet ſuggero. *Exultemus & lætemur in eo*. Ipſe eſt enim pax noſtra, ipſe lux, ipſe dux, ipſe dies, ipſe ſol, ipſe ſalus, ipſe vita, ipſe reſurrectio, ipſe gaudium verum, ipſe beatitudo perpetua, ipſe fœlicitas æterna, ipſe lætitia indeficiens; poſtremò ipſe dies, quam gignendo non operando fecit Dominus, & hoc ineffabiliter verò, *exultemus & lætemur in eo*. Lætitia quoque menſæ noſtræ pertinet ad pauperes Chriſti, noſtrâ abundantiâ illorum ſuppleatur inopia. Ipſi quoque pauperes ſeſe inuicem adiuuent, quod vni deeſt det alter ſi habet; ſi non habet, optet ſaltem dediſſe, vt per omnia & in omnibus de nobis gaudeat qui Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et hæc ſit dies noſtra quam fecit Dominus, vt & exultare & lætari in ea nunc & ſine fine poſſimus. Corpus quoque & ſanguinem ipſius ita percipere, vt non ad Iudicium, vt proh nefas! multis, ſed ad remedium ſempiternum nobis, vt fœlicibus euenit, hoc prouenire contingat. Adiuuet ad hoc deſiderium noſtrum, & ſanctificet actum qui pro nobis in morte dedit vnicum filium ſuum, qui cum ipſo & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SERMO II.

# SERMO II.

## *DE PASCHA.*

CVM omnes in hac die Propheta exultare præcipiat atque lætari, reprehenſionis non parum metuo notam, ſi more meo triſtitiæ aliquam ſermoni meo interpono particulam. Sed abſit reprehenſor, nam me non triſtari conſiliarius vetat interior, vt enim Tobias Angelo, ita cuilibet me lætari ſuadenti reſpondere ipſe nec incongruè valeo. *Quale mihi*, ait enim ille, *gaudium erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video*: vt enim lumen cœli ipſam noſtram appellare non diſconueniat feſtiuitatem, de qua ſcilicet dicitur: *Lætentur cœli, & exultet terra*: Non illa verò terra de qua ſerpenti illi, malitiæ ſuaſori, eſt dictum: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Sed illa potiùs, de qua dictum anteà fuerat: *Germinet terra herbam virentem*, &c. quæ ſecundùm litteram ſatis ſunt bona, ſecundùm verò myſticum intellectum, oppidò meliora. Huius diei gaudium qua t emeritate me frui iure pronuncio, qui tamen cœli, id eſt, ipſum qui cœlum illuminat, peccatorum nebula circumuallatus videre non valeo? Nam dum ad hoc inſtitutos illos qui iam præceſſerunt quadraginta nouerimus dies, vt in eis purgatis per pœnitentiam mentibus, ſanctum ipſum diem nouorum videre & cum gaudio celebrare poſſemus, cùm hoc minimè fecerimus, quale gaudium, quam exultationem, quam lætitiam habere valemus? Ait enim in commendationem eiuſdem gaudij ſanctus, vt legi audiſtis, Apoſtolus: *Itaque epulemur*. Quid dixit? Itaque corpus & ſanguinem ipſius, qui pro nobis immolatus eſt, Chriſti cum exultatione ſumamus. Faciamus ergo. Sed quid erit ſi facere dignè ac iuſtè nequimus? ſibi iungit namque & ait: *Non in fermento veteri*, id eſt, timore anterioris peccati; *neque in fermento malitiæ & nequitiæ*. Malitiæ vtique alicui Chriſtiano malum inferre cupiendi, nequitię hoc facere etiam iniuſtè conandi. Sed qualiter? *In azymis ſinceritatis & veritatis*: Sinceritas

*Pſal.* 117. 24.
*Tob.* 5. 12.
*Pſal.* 95. 11.
*Gen.* 3. 14.
*Ibid.* 1. 11.
1. *Cor.* 5. 7.

verò puritas eſt, hoc eſt, quod nihil habet, niſi quod monſtrat. Veritas verò quid eſſet cùm Pilatus interrogaſſet, non expectauit audire, ideò de illa non meruit exultare. Qui ergo nec in ore veritatem, nec in corde poſſidet veritatem, Chriſti quomodò auſus ſit penſandum comedere carnem, cùm præſertim Apoſtolus apertiùs hoc interdicat, nulla

1.*Cor.*11. 29. ſcilicet circuitione vſus, dicendo: *Quicunque manducat corpus Domini indignè, iudicium ſibi manducat.* Et, ô quâm valet hodie exultare, & lætari loco ſalutis iudicium ſumpturus, loco vitæ interitum. Iſtud, iſtud, inquam eſt, iſtud, quod

1.*Pet.*2. 1. totâ iſtâ penè *Quadrageſimâ*, me compulit clamare, vt *deponentes omnem malitiam, omnem dolum, & ſimulationem, & inuidiam*, omnes ad Chriſti, id eſt, veram ſtuderemus nos conuertere pacem: & quia hoc facere plurimi neſciunt, quaſi normam quandam vobis præfigens ſuadebam, vt qui ali-

*Matt.*5. 23. quem ſe læſiſſe meminerunt, recordarentur dicentis: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habeat aliquid aduerſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Qui verò ab aliquo læſi fuiſſent, & ille veniam veraciter poſtulaſſet, non obliuiſcerentur dicentis:

*Marc.* 11. 25. *Cùm ſtatis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & Pater veſter cæleſtis dimittat vobis peccata veſtra: quòd ſi vos non dimiſeritis, nec Pater veſter cæleſtis dimittet peccata veſtra.* Huius, ſed proh dolor! conſilij in tantùm contemptores quoſdam conſpexi, & vtinam non illos præcipuè qui debuerant alijs bonum exemplum præbere, vt etiam ipſi qui panem ſanctum eis mittebat in ore dicendo: *Corpus Domini noſtri* IESV *Chriſti proſit tibi in vitam æternam*: non ceſſarent perditionis laqueos tendere, & quaſi

*Ioan.*19. 6. Pilato diebus eiſdem *Crucifige*, *Crucifige* clamare: non recordati dicentis: *væ impio proditori*, væ complicibus hodiéque in Eccleſia eius. Quorum quibuſdam hodie per vicem Domini noſtri mandaui, vt hoc facere quieſcerent; & ſi fecerint ſibimetipſis faciant. Dicit enim ſapientiſſimus perlepidè Hieronymus: ſemel erraſſe ſit caſus: cur prudenter erratur & crebrò? Nam niſi cauerint, verendum nè illis

*Pſ.*77. 30. contingat, quod illis, de quibus dictum eſt, contigit: *Adhuc*

*eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Et quod pridie de Iuda lectum Domini eſt traditore; cuius imitatores adhuc in Eccleſia eſſe ſanctus ille, cuius verba modò meminimus, non dubitauit proferre: *Et poſt buccel-* *Ioan.* 13.
*lam tunc introiuit in eum Sathanas*, vtique per praui operis 27.
effectum, qui iam in eo permalignæ voluntatis erat affectum. Cùm vtique ſi Apoſtolo credidiſſent dicenti: *Probet* 1. *Cor.* 11.
*autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bi-* 28.
*bat*, hoc eſt, diſcutiat in qua ſit voluntate peccandi, vtique an emendandi, nocendi aliquem, an adiuuandi, in odio, an in amore fraterno. Si, inquam, talia ſalubriter cogitaſſent, de manu ſaltem illius quem oderant, ſacra ſumere deuitaſſent, ne Iudæ ſcilicet tam publici imitatores exiſterent. Sed quia apud Deum non eſt difficilis aut tarda conuerſio, non ſe deſperet talis, moneo, hominum portio: quoniam quidem Iudæorum Paſcha certo tempore, Chriſtianorum omni eſt tempore. Præcipuè vero in Dominica, communicationis atque conuerſionis ad meliora de peioribus die. Paſcha enim cùm tranſitus interpretetur, quocunque tempore, quacunque die, quacunque hora, quocunque ad poſtremum momento, quis tranſit à Diabolo ad Chriſtum, à vitijs ad virtutes, de tenebris ad lucem, Paſchalem agit veraciter ſolemnitatem, dicente enim Pſalmiſta Domino: *Re-* *Pſal.* 75. 11
*liquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* Solemne Domino Paſcha quilibet agit, qui relinquens quod malè cogitauit, illud agere ſatagit, quod Deus ipſe præcepit.

---

## SERMO III.

## *DE OCTAVIS PASCHÆ.*

ANTEQVAM *comedam ſuſpiro*, Iob legitur Beatus dixiſſe. Cauſa ſubiuncta: *Quia timor*, inquiens, *quem timebam euenit mihi, & quod verebar accidit.* Quod vt ad me referam, tantùm ab illo, quantùm aereum ab æthereo diſtat cœlo, diſtantem doleo, veſtrum nonnullis fateor accidiſſe quod timens Dominica protuli die. Quibuſdam

*Iob.* 3. 24.

Agit contra eos qui eum à domo Epiſcopali expulerant.

enim proh dolor! contigiſſe nonnihil formido quod Pſal-
Pſal. 77. 30. miſta de Iudæis olim cantauerat, dicens: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Quia videlicet cùm poſt buccellam introiſſet in eos. Satanas per operationem malignam, qui ante in eis iamdiu per intentionem fuerat peſſimam, quaſi audiſſent ab eo, qui eis eamdem
Ioan. 13. 27. porrexerat buccellam: *Quod facis fac citiùs:* ab hinc non ceſſauerunt quantocyùs exequi, quod iam anteà, præcipuè totâ iſtâ Quadrageſimâ, fuerant machinati. Quando ſcilicet Deo & læſis fratribus reconciliari, & reconciliari veraciter optantes, non aſpernari verbo atque exemplo inſtan-
Marc. 14. 2. ter fuerant moniti, illos ſaltem qui *non in die feſto* quondam dixerant non imitari dignati. Contra eumdem ſcilicet quem me fore nemo vtinam ſciret, omnia inſidiarum molimina, omnes falſiſſimas concinnationes, in palam per quoſcunque valuerunt mittentes, taliáque de eo fingentes, qualia nemo poſſet credere, niſi cui aut eadem, aut ſimilia multa contigiſſet feciſſe. Corruptis quoque pecunia duabus patriæ dominantibus, vt fertur, perſonis, (quarum vna nobilitate, & nomine vtinam eſſet illa, de qua iam dixeram ſæpe, vt iam me illum qui talia patior apertiùs proferam
Exod. 18. 10. eſſe: *Qui liberauit Hieruſalem de manu Pharaonis*, &c. Satis ideò cognoſcibilia quòd ſub eiuſdem terminatione declinationis illorum cadant vocabula) per totam Eccleſiæ domum eas circumducentes, mutata ſignificatione verborum, de paſſiuo genere actiuum, non erubeſcentes miſeri & mendaciſſimè agere, quod ego ſcilicet dolentiſſimus patior, fingentes me perpetrare, quaſi perpetrare, quaſi propter hoc neceſſarium illis fuerit ſæpe, Crucifige, Crucifige, alijs licet verbis, clamaſſe. Nam dum quadraginta fere libras in reſtauratione eiuſdem domus Epiſcopalis, vt ferunt, qui ad hoc miniſtri fuerunt, hoc triennio expenderim, me ab eadem ab eiſdem fugato, cùm ſine habitatore remanſiſſet idem qui hoc mihi ingerit vt congruentia, innuit furto. Hoſpitantes verò inibi vi & poteſtate non ceſſant illam deſtruere; me non valente ſcilicet illorum alicui reſiſtere: furibus quidem, quia longinquus, hoſpitantibus, quia longè impar viribus videor eſſe, Imperiali cùm

conſtet eos de exercitu præſertim redire, vel ad illum venire, me mendaciſſimi conductis conſideratoribus accuſant eamdem deſtruere; quaſſi poſſit eſſe credibile, vt quod ego tanto mei conſtruxi diſpendio, aut deſtruam ipſe, aut deſtrui patiar ſpontè. In tantum verò illam hoſpitantes in ea deſtruunt poteſtatiuè, vt ſi aliquis, cuius ſcilicet refert, illuc conſideratum veniat famulorum, ſtatim eum comprehendant, & grauiſſimè flagellatum loris conſtringant.

Iſta omnia cùm dolentiſſimus patiar, verſa verborum, vt dixi, natura, agere me quod potiùs ſuffero iſti maledici cum omnibus quæ fingere de aliquo vllus mendaciſſimorum valuit vnquam, fatentur. Sed ô veſana perfidiſſimorum dementia! ô falſitas inconuenientiſſima! ô diaboli per ſerpentes & iam loqui non ignorans aſtutia! ſi enim Imperator non meus dominus eſſet, & ego illi in potentia ſimilis eſſem, defendere contra eius fideles domum meam & opus vtcumque valerem. Niſi quoque iſti me de domo eadem ſuâ perfidiâ pepuliſſent, præſentiſſimus cùm eſſem, eam cuſtodire die noctúque ab eorum furtis valerem. Nunc verò cùm & ille meus dominus ſit, & pugnare contra domini mei fideles, etiam ſi valerem, non ſolùm perfidum, ſed, & vt ita loquar, apoſtaticum ſit: recedit namque à Deo, qui dato ſibi ab eo terreno rebellis eſt domino. Dictum eſt enim, quòd *Qui poteſtati*, vtique à Deo ſibi prælatæ, *reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtat.* Quod cùm ita ſit, iſti verò exemplo Diaboli non ceſſent elaborare, vt etiam abſque ſui aliquo commodo aliquid quod me noceat, méque conturbet, poſſint efficere; quid contra hæc duo tam impoſſibilia valeo agere? ô verò vtinam cùm ſacram talibus manu quam exciſam optabant, præbebam buccellam dicendo: Corpus Domini noſtri IESV Chriſti proſit tibi in vitam æternam; clamaſſet cæteris quod ille quondam lapidatoribus ſancti clamauerat Iacobi Apoſtoli, qui frater dictus eſt Domini, vt fratres hodieque dicuntur conſanguinitate propinqui. [*Parcite*, inquiens, quid facitis? pro vobis orat iuſtus hic quem lapidatis.] Iuſtus enim eram quantum ad illos reatus, licet illis incognitos Deus cognoſceret meos: cùm bona ego illis pro malis, mala illi contra mihi meditarentur referre pro tali-

Vide Ratherii mánſuetudinem.

*Rom.* 13. 2.

bus & innumeris bonis, abſque debito vtique illis perſæpe impenſis. Quòd ſi de iniuria quam eis intuli aliqua dicerent, non erat multùm mirandum, quamquam & ex hoc conueniri humiliter antè ſecundum iudicium debueram Canonum.

De illis verò quæ ad eos nil pertinent cauſari, taliáque de me dicere quæ non inoffenſo quis poſſet Deo, credere omnibus mihi derogare facere; bona in me ſi qua ſunt ſignificatione mala corrumpere, mala ſiue ſint, ſiue fuerint, indagatione ſtudioſa diſquirere, & alijs ſtudioſiſſimè demonſtrare. Quid eſt aliud niſi apertiſſimè teſtari, quòd non ſolùm mihi, ſed & qui me illuc eleemoſynaliter inſtituit pijſſimo Cæſari ſint omninò periuri? Et heu, ait quidam, heu dira furoris conditio. Qui vim patitur magis ille ligatur. Fluuius enim malignæ operationis illorum ab eis ad me decurrit, & ego illum turbare agni illius exemplo fabularis accuſor. Quidam Rex iuuenis cùm haberet exercitum, & multitudinem ſapientum, dumque nequirent quod iuuenibus competebat, ſapientibus ſtultitiam eorum reprimentibus, agere, inierunt conſilium, vt quiſque illorum patrem interficeret proprium. Actum eſt: vnus ſed illorum non tolerans tantum admittere ſcelus, dixit vxori ſuæ. Si patrem meum interficio, ne conſilio pereamus perdito non modicè metuo. Conſenſit vxor ad ſeruandam ſoceri vitam, atque alendum in ſuo eum cellario ſecretiùs locant. Imperat ſanè filio pater, vt interrogatus à Rege de quouis conſilio, non anteà reſponderet donec ad ſe illud referret. Obtemperans igitur tam induſtrius Regis eſt conſiliarius factus, vt inuiderent illi omnes ſocij eius. Adeuntes itaque Regem, interminati ſunt quòd niſi eum interficeret, eos omnes abſque dubio perderet. Triſtiſſimus Rex conſenſit, quæſiuit tamen ab eis quâ occaſione id facere poſſet. Præcipe, aiunt, illi, vt cras veniens non ſecum ducat niſi vnum ſeruum, vnum amicum; & vnum inimicum. Territus hoc dicto ille, patrem ex hoc ſciſcitaturus adiuit. Pater verò; ne contriſteris, inquit, ſed valde bonum præpara nobis obſonium, optimum de me accepturus conſilium. Poſt prandium igitur dixit illi ſecretiùs pater: habes optimum aſinum, illum pane, vino & carne duc te-

cum onuſtum; habes caniculam ad tua defendenda per valde paratam, illam tecum habeto; vxorem quoque adhibens tecum. Aſinum pro ſeruo, canem pro amico, vxorem offerens pro inimico. Egit, aſinum aſſumpſit, canem ſecum pariter duxit, vxorem nec liquit. Regem adiit triſtiſſimum conſiderare quæ detulerat flagitans illum: Iſte, inquiens, qui aſtat onuſtus, meus eſt ſeruus, ille alter meus amicus, tertia meus eſt quo infeſtiorem habere me ſpero neminem, inimicus. Audiens illa ſuper ignem, ait, accenſa: Inimicúmne me tuum eſſe pronuntias? Meritò, inquam, quæ contra Regis præceptum tuo ſeruaui Patri tibi obediens vitam. Adoleſcens ad Regem conuerſus: Videtúrne veſtræ maieſtati inimicam hanc eſſe mihi? Valde reſpondit ille, ſed vtrum verum ſit volo ediſcere. Verùm eſt, ait: Gratias Deo lætiſſimus ille reſpondit. Curre igitur, ait, curre, & mihi feſtina eum reducere. Actum eſt. Conſiliarius Regi optimus redditus adoleſcens à mortis inſtante periculo liberatur. Vxor eſt non amare iuuenem, vt videbatur, detecta, quæ fore vtique amiciſſima putaretur, niſi taliter probaretur. Hoc ipſe exemplo ſi non iſtos aliquantulùm commouiſſem, non tam probabiliter eos cognoſcere valuiſſem, licet iſtam in eis ſemper fiduciam habuiſſem: adhuc tamen eos Deus, quæſo, dignetur conuertere, & viam eis veræ pacis & caritatis oſtendere, & ambulare præſtare, ne ſimul nobis pro talibus contingat, quod abſit, perijſſe, vindicta nos ſubitò occupante, miluus ſcilicet vt ranam cum mure fabulosè legitur rapuiſſe.

Tota verò iſta allegatio cùm non prædicatio, ſed magis contra inſidiantes vitæ & commodis meis videri poſſit inuectio, ſubſedenda eſt, credo, & ad omnes communiter monendos, tam amicos ſcilicet quàm inimicos, paſtoralis iam nunc dirigenda intentio. Primùm ſanè competit, quamquam non ſemel iam actum ſit, demonſtrare, vnde diſcordia inter nos & ex quo iſta contigerit. Ad vltimum verò vt breuiandi causâ, primùm reſpondeam, non modò exortam, ſed à die ordinationis meæ inter nos fuiſſe certum eſt ortam. Eſt verò nunc ideò in palam deducta, quòd fiducia imperialis nil aliud quàm quod iuſtum eſt decernentis præ-

ſentiæ, & Synodi congregandæ; Vnde diſſentiamus crebrò non ſolùm verbis, ſed & ſcriptis, hac vice monſtratum ſumma verò ipſius cùm verba ſint plura, ipſa eſſe monſtratur, quòd ego legem Dei, illi traditiones hominum & conſuetudinem iniquorum ſequenda decernant. An non ille eſt enim verè iniquus, qui quod mihi & illi eſt datum communiter, ita partitur; vt ego inde pauperimus, ille locupletiſſimus fiat? Hoc ego ſi tacendo, immò laudando conſentiam, niſi propter eam quam mecum habere optarent amicitiam, veritatem relinquens, Deum negaſſe conuincar, qui mihi non ſuadet metuere, inimicus animæ meæ conuincitur eſſe, nedum ego is debeam fore.

Hoc ergo ſuccinctè monſtrato mecum vos ammoneo, Fratres, vt diſquirat vnuſquiſque noſtrûm à ſeipſo qualiter Paſcha iſtud ſanctum, id eſt, octo iſtas dies exegerit, & vtrum ita exegerit, vt tutò *Amen* reſponderit cùm Presbyter dixit: [ Præſta quæſumus omnipotens Deus; vt qui Paſchalia feſta venerando peregimus, hæc te largiente moribus & vita teneamus. ] Interroget ergo ſe quiſque ſi de illo verum dixit Sacerdos, hoc eſt, ſi in azymis ſinceritatis & veritatis Corpus & ſanguinem Domini ſumpſit, id eſt, ſi in corde nulli aliquod in Paſcha machinatus eſt malum, ſi non de operibus alicuius ſe ſciente niſi quod eſſet verum protulerit, ſi nondum adhuc eſca Chriſti Corporis in ore eſſet ipſius, aut per odij, aut per inuidiæ, aut per cupiditatis, vel auaritiæ, aut per luxuriæ vitium, iram Dei ſuper ſe aſcendere fecit: ſi poſt buccellam introire Satanam in ſuam animam minimè ſciuit, id eſt, ſi malum quod ante cogitauit, ad effectum ducere non maturauit. Poſtremò ſi in die feſto; hoc eſt, in iſtis Octauis, & quo vſque cantatum eſt: *Hæc dies quam fecit Dominus*? aut per adulterium, aut per immunditiam aliquam non ſe polluit, vel fratrum aliquem nequiter læſit: & ſi nil horum in ſe inuenit, Paſchæ Domini feſta ſe venerando egiſſe gratulatus, humiliter *Amen* reſpondeat, & vt moribus & vita hæc illum tenere Dei pietas dignetur concedere, manu, lingua, & corde non ceſſet rogare. Quòd ſi aliter in ſe, vt metuo, inuenit, quod non ſaltem illos ſtuduerit imitari, qui non in die feſto dixerunt, triſtetur,

Oratio Dominicæ in Albis.

triſtetur, id eſt, vt ſicut illi tumultum veriti ſunt, ſi Dominum comprehenderent populi, ita iſte iram veritus, ſi feſtiuitatem violaret ſanctiſſimam Domini, vel his ſaltem octo diebus ſe cum Dei adiutorio ab huiuſmodi illecebra continere, & à læſione fraterna reprimere, conari ſtuderet. Hinc demum quòd Iudæ traditoris exemplum ſecutus, & damnationem adeptus ſit, doleat, ſed non vt Iudas ad laqueum deſperando, immò vt Petrus ad lacrymas pœnitendo ſeſe conuertat; & relictis quæ malè cogitauit, diem feſtum Domino agere dum vacat, feſtinet. Ita enim & Paſcha perditum, tranſitum vtique faciens bonum, recuperare, & iram poterit Dei placare. Ipſo adiuuante, qui cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum non ceſſat Deus regnare.

## SERMO IV.

## *POST PASCHA.*

DE *ore tuo te iudico*, ſe ait Dominus in ſupremo dictu-rum, *ſerue nequam*, iudicio: Sed cui? Demonſtrat ſubiungens: *Sciebas quòd ego homo auſterus eſſem*, &c. Scienti hac ergo ſententiâ, quàm neſcienti, certum eſſe valet maius inſtare iudicium. Verendum ergo bona ſcientibus, & mala patrantibus valde: verendum, inquam, verendum, bona præſertim eadem ſi quoque dicunt. Quidam enim bona dum dicunt, quid dicant nedum verò dicant ignorant: vt ſunt verbi gratia plurimi qui Euangelia, Apoſtolos pro officio ſibi credito recitant. Qui dum quod ſibi iniunctum eſt quomodocunque actitant, non Doctoris ſed obeditoris miniſterium implent. Ne ex ore ſuo, cùm quid dicant ignorent, iudicantur, ſed niſi faciant arguuntur: Miſeri ergo vtrimque ſæculo dati Doctores; miſeri, inquam, & infœlices, ſi aut neſciunt docere, aut quod non agunt docentes, ſuo tantùm iudicantur ex ore: ſi enim gehennæ pœnas agnoſcunt, & alijs non innoteſcunt, rei omnium, quos docere debuerant, ſi per ignorantiam in eis inciderint, erunt. Si verò alijs eas innotuerint, & ipſi eas non cauerint, quid

cis miſerius, quid rogo eſt ſtultius? Et ſi monſtrato alijs vitæ fonte ipſi pereunt ſiccitate, quis eos debet dolere? Clamauimus cum Apoſtolo nuper, clamauimus, & vtinam non & pro eo vt pro multis ore proprio potiùs iudicandi, quàm vt Propheta quondam promiſerat liberandi. Clamauimus nobis & vobis, ſed non inutiliter clamaſſe nos Dei pietas tribuat omnibus nobis. Clamauimus attamen, clamauimus
1. Cor. 5. 7 cum Apoſtolo Fratres, clamauimus: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Sed vtinam vt pro eo, ita pro nobis fuerit immolatus. Pro eo enim vt condignas ei gratias referenti. Cauendum ne à nobis beneficio, quod abſit, tanto ingratis.
Ibid. 11 27 Hoc enim innuit, qui dicit: *Quicunque manducauerit corpus Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, id eſt, imputabitur ei culpa effuſionis ſanguinis IESV Chriſti, ſi auius fuerit bibere ſanguinem, quem Iudæi fuderunt indignè: hoc eſt, ſi quales illi fuerunt ad fidem, talis ipſe extiterit ad operationem.

Ibid. v. 8. Subiunximus demum atque protulimus: *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Adeò iſta omnia ſed enucleauimus, vt puerulis ipſis nos ſatisfeciſſe putauiſſemus: ſed vtinam quòd alios monuimus, ipſi feciſſemus, & malæ voluntatis, vel noxiæ operationis fermentum, quod ante habebamus, per reconciliationem non fictam, & fructuoſam pœnitentiam abieciſſemus. Diximus ironicè: Quàm optimè valeat exultare hodie atque lætari, loco ſalutis iudicium, loco vitæ ſumpturus interitum? Pſalmiſtæ adhibentes ad hoc teſtimonium, de Iudæis quidem tunc, ſed vtinam non
Pſal. 77. 30. modò de nobis, prolatum: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper illos*: Quia cùm poſt buc-
Ioan. 13. 27. cellam introierit in Iudam, vt Euangelium vtique loquitur, Sathanas, per operationem verò malignam, quę ante buccellam in eo per voluntatem iam fuerat peſſimam, timendum ne ſimile nobis quiddam contigerit. Videlicet vt ſcelus aliquod omiſſum, propter ſanctum quod ſumere in Paſcha debebamus ſacrificium, ſumpto ſacrificio, ante diem maturauiſſemus quoque perpetrare octauum, *non in die feſto* ab ipſis etiam comprehendere Dominum conantibus obliti

clamatum. Et ô impatientia perimbecillis, nimiúmque inſana, nec iniurias vtique inimicorum, nec ſtimulos tolerare valida vitiorum! In quolibet enim horum ſi nos excidere coegiſti, Paſcha Domini nos, heu dolor! violare peſtifera compuliſti. Sed inſtaurati contra nos teſtes Dei debuerant conſiderari, qui & ab aduerſarijs grauiſſima ſupplicia, & à carne propria longiſſima fortiſſimè pertulerunt ſexu in vtroque tentamina. Quos ſequi non nos deſerere anticipans Dei gratia, ſed propria inhibuit ignauia, & illecebra corpori laxiùs miniſtrata. Commouens inſuper nos manus peccatoris per ſuperbiam ventilata, ibique cecidimus, iniquitatem huiuſmodi operati, ob inanem gloriam à gratia Dei expulſi, nec potuimus in bono perſiſtere miſeri, vt hoc etiam confiteri ſit nobis à Deo ore nos proprio iudicari. Cùm & hoc certiſſimè nouiſſemus, & vitare infœliciſſimi præponderante timorem Dei ſuperbo noſtro contemptu dedignati eſſemus, vt perditioni vtique noſtro merito, non Dei neglecto, traditi, & à nobis ipſis damnati, in æternum niſi nobis ocyùs Dei pietas ſuccurrat, damnandi.

Sed quid agimus ſi ita eſt, Fratres? Eſt verò, eſt, proh dolor! eſt. Reddite vicem nobis, quæſumus, ſi poteſtis, conſilij reddite. Dicite ſaltem quod diximus, proferte quod protulimus, ſuadete quod ſuaſimus, aliud enim quod faciamus minimè inuenimus: videlicet vt quia in talibus Iudæ ſimiles extitimus; exemplum deinceps caueamus illius, non feſtinantes vtique cum illo ad deſperationis mortiferum laqueum, ſed magis cum Petro ad conuerſionis vitale lamentum. Rogantes ſcilicet Domini clementiam, vt meritis eius adiuti, faciamus quod fecit, obtineamus quod obtinuit, conuerſione vtique ad nos Domini ab eo clementer reſpecti, ad illum flendo vt valeamus conuerti, quatenus gratiam ipſius recuperare vtcunque, & Paſcha Domini veriùs quàm vnquam fecerimus, celebrare quandóque poſſimus; tranſiréque à Diabolo ad ipſum inconuertibiliter deinceps auxilio valeamus illius. Quod nobis indigniſſimis dignetur præſtare qui Paſcha noſtrum ideò dignatus eſt eſſe, vt reconciliaret nos Deo Patri per ſanguinem ſuum, & erutos de poteſtate tenebrarum faceret ſibi acceptabilem po-

pulum, ſectatorem bonorum operum. Qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu Sancto Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

---

## SERMO I.

## *DE ASCENSIONE DOMINI.*

CVM penè in omnibus ab antiquorum ſtudijs Patrum tam vitæ noſtræ diſcrepet qualitas, quàm doctrinæ, in hoc quoque, fateor, non parum diſcordat, quòd in talibus, vt eſt iſta, ſolemnitatibus illi primitus de Euangelij tractatu ſermonem cudentes, ad conſiderationem eiuſdem ſolemnitatis auditorum pòſt animos incitabant. Hinc demum amonitiunculâ quo magis valebant ſuccinctim apertâ in fine prolatâ, vt à malis ſe cohiberent, & beneplacitis Deo inſiſterent, ſollicitiùs eoſdem quos alloquuti fuerant, commonebant nobis contra in ipſis loquendi primordijs obſeruare conueniat quod Pſalmiſta ſuadet: *Præoccupemus*, inquiens, *faciem Domini in confeſſione*, ſubaudiri vt liceat peccatorum noſtrorum: & quod alter: *Dic tu*, inquit, *prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris*: vt iuſtificeris, inquam, non iudiceris. *Si noſmetipſos enim dijudicaremus*, ait Apoſtolus, *non vtique iudicaremur*, id eſt, ſi nos ipſi veraciter accuſaremus, non à Domino damnaremur. Veraciter nam ſe accuſat, qui non de ſe aliud dicit, quàm quod egiſſe ſe meminit, & qui de eo quod ſe accuſat nulli alij, ſi de ſe hoc idem dicat, ſuccenſet. Si malum quod confitetur execratur, & emendare pro viribus nititur: ſi repetere vltro veretur; ſi de ea ſalubriter confunditur: Nam ſi aliter, voce Dominica eius animæ dicitur: *Quàm vilis facta es iterans vias tuas.* Quod facere vtique taliter ei interdicitur quoque: *Ne iteres verbum in oratione tua*, id eſt, ne confeſſum iteres, vt ſit neceſſe tibi iterum confiteri illud peccatum. Cùm enim peccaſſe nos grauiter & recognoſcimus & dicimus, pœnas etiam quas ſubire propter hoc debitores ſumus, inſuper referimus, ſi earum ſaltem metu à malis non com-

*Pſal. 94. 2.* *Iſay. 43. 26.* *1. Cor. 11. 31.* *Ierem. 3. 36* *Eccl. 19. 7*

peſcimur perpetrandis, clamari ex obliquo ipſi compellimus nobis: *De ore tuo te iudico ſerue nequam*: De corporali *Luc. 19. 22.*
verò ſi hoc facimus maximè delicto, oblata conſecrare interdicimus ipſi nobis omninò, noſſe nos niſi diſſimulamus quod Neocæſarienſi continetur Concilio cap. 9.

Quod cùm ita ſit, quid de nobis dicere, quid ſaltem poſſumus cogitare? Si locuturi enim vobis in confeſſione faciem Domini præuenimus, hoc eſt, ſi antequàm ad eius iudicium veniamus narrandum, ipſi nos veraciter accuſamus, panem vobis porrigendum qua licentia conſecramus? ſi hoc non facimus, quod loquendi exordium facimus, immò quid vobis vnquam pro debito dicimus? De gaudendo quippe nobis non aliud dicere poſſimus, niſi quod Tobiam Angelo reſpondiſſe comperimus: *Quale* enim, ait ille, *quale mihi erit gaudium qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video*? *Tob. 5. 12.* In tenebris enim quòd ſedeamus ipſi nobis teſtes ſumus, qui obſcuratis mentis obtutibus ad ignem nos pergere, non vt opus fuerat, cernimus. Lumen verò cæli eſt claritas Chriſti, quâ ſcilicet ſuprà Angeli, infrà illuminantur homines ſancti. Illi ad tenendum, iſti ad deſiderandum, vterque ad ſocialiter quandóque fruendum. Qui ergo non illuminatur nunc ad deſiderandum, putas eum illuminari poſſe tunc ad tenendum? Quales verò huiuſmodi in qualibet ſolemnitate gaudium valet habere, niſi omninò inane?

Maxima iſta ſed hodie eſt, Fratres, feſtiuitas maxima, ſed lumen cœli conſiderare neque valentibus, neque volentibus, nulla, nulla, inquam, nulla. Sit tamen cùm veraciter Aſcenſionis Domini feſtiuitas hodie maximè, Epiſcopalis vocabuli quomodò ſilere ſinitur & ſi deſit facundia, ſaltem garritio pauxillùm perita? Sed cuius eſt Domini iſta, rogo, feſtiuitas? Chriſti vtique, & ex eo vtique Chriſti, quòd Chriſtus pro nobis dignatus eſt effici: *Dilexiſti* enim *iuſtitiam, & odiſti iniquitatem* (canit de eo Pſalmiſta) *propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Quam iuſtitiam? ſcilicet illam, quâ iuſtum cenſuit eſſe, vt creatura ei qui ſe creauerat, deſeruiret. Quam iniquitatem? Quâ videlicet homo ſeruiebat Diabolo, qui ad ſeruiendum conditus fuerat Deo. Propterea igitur vnxit eum

Deus oleo lætitiæ, id eſt, miſericordia ipſa induit eum, quæ lætificaret Angelos de reconciliatione generis humani à ſuo conſortio diabolica fraude ſecluſi. Et quia eadem miſericordiâ ex filijs Diaboli quidam filij Dei erant per adoptionem futuri, qui vtique participes exiſterent ei, qui non per adoptionem, ſed per naturam erat Filius Dei. Præ participibus ſuis dicitur vnctus, quia cæteris ad menſuram eſt data eadem Spiritus Sancti gratia, in ipſo autem habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, id eſt pleniter, dum vtique ipſum quod pro nobis corpus aſſumpſit Deus adeò totus repleuit, vt ſicut mente cuius, ita & carne Deo repleta, ex duabus & in duabus naturis non duo ſed vnus ſit Dominus IESVS Chriſtus, verus vt Pater & Spiritus per omnia Deus; cúmque illi non tres, ſed vnus viuens in ſæcula Deus. Niſi igitur Deus carnem noſtram miſericorditer induiſſet, eam in cœlum minimè leuaſſet: Niſi eam in cœlum leuaſſet, hanc diem nobis minimè dedicaſſet. Chriſti ergo eſt iſta, Fratres, ſolemnitas, ſed non ſine participibus ſuis; hos enim ſecum vexit in cœlum, mirum dictu! etiam necdum natos in terra.

Omnes ergo feſtiuitatum decurſiones cùm pro Chriſto & participibus inſtitutæ ſint Chriſti, qui vult in quauis illarum partē habere, ſtudeat quod fecit & ipſe facere, ſed heu dolor! neglexímus agere. Exhortati enim cùm vos fuiſſemus non ſemel in præcedentibus feſtiuitates iſtas diebus, vt ſolliciti ſeruare vnitatem, Spiritus in vinculo pacis, donaremus nobis inuicem ſi quis aduerſus aliquem haberet querelam, vt Agni Dei carnes comeſſuri non in fermento malitiæ & nequitiæ Paſcha Domini, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis celebraſſe probaremur: hoc ipſi qui monuimus non eo ſtudio quo diximus fecimus. Ventum eſt ad Cœnæ Dominicæ ſacratiſſimam diem, lectum eſt quod Apoſtolus dixit: ſuggeſſimus obſeruandum quod monuit, videlicet vt non in iudicium corpus Domini ſumeremus. Non defuerunt, ſed proh nefas! qui de ea manu quam truncatam optarent buccellam ſanctam perciperent: non defuit, qui defuiſſe quibus daret; optarit. Et heu! quàm læthifero vtrique tumebant fermento. Cúmque ab ipſo legitimo quoſdam hortati

fuiſſemus continere in Quadrageſima iſta concubitu, vt ſacrificium Domini in Paſcha purificati mererentur accipere. Væ illis qui ſumpto ſacrificio ab adulterino nequiuerunt vſque ſaltem in Octauas Domini abſtinere. His enim certificamur congruere quod in Pſalmo cantauimus ſæpe : (quia videlicet cùm poſt buccellam vt in Iuda introierit in eis Satanas, id eſt Spiritus immundus , ſepteno ſed capite, qui ſolus per ieiunium credebatur expulſus. (*Adhuc eſcæ eorum cùm eſſent in ore ipſorum*, *ira Dei aſcendit ſuper eos*, violatores tantæ feſtiuitatis non cultores dum fuiſſe ſint miſerrimi deprehenſi. Eligant ergo quid faciant : ſi enim deſperantes ſeſe obdurantur, idem vtique frequentando , Iudæ à ſe ipſis laqueo ſtrangulantur. Si Petri lacrymas imitantur , veniam conſequuntur : ſi veniam conſequuntur , Chriſtum in cœlis vti nunc affectu , ita pòſt affectu ipſo ſequuntur. Si neutrum ex his duobus merentur , feſtiuitatem iſtam Deo & Angelis , bonæque voluntatis , vt cantatum eſt , hominibus, nouerint eſſe, ſe verò ab illa omninò expertes exiſtere. *Pſ.77.30.*

Sed ne lenocinentur ſibi ſententię prolatione illius Dominicæ, quâ dictum eſt : *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit* , nouerint , quia cùm ſit veriſſimum , vtpote Veritatis ore prolatum, illis tantùm eſt quibus congruit verum , *Signa enim*, ait, *eos qui crediderint , hæc ſequentur : In nomine meo Dæmonia eijcient* , *&c.* Quæ nimirum ſi quis frugaliter intellecta in ſe recognoſcit, de ſaluatione ſua ſecurus gaudeat. Qui minimè , ſuggero contremiſcat : & vt credere non ſolùm in Deum , ſed & Deo niſi ſtudeat, non ſibi ſufficere ſciat. *De ore tuo te iudico ſerue nequam.* At ne matures, rogo, Chriſte, proferre, differ ictum, precor, miſericors, ſuſpende vindictam pijſſime, dimitte illam , & hoc anno vſque dum fodiam circa illam , & mittam ſtercora, ſucciſoribus vitæ, ſupplico, miſericors dicito meæ, fortaſſis enim meliorari tuâ quandoque gratiâ valebo. Qui adhuc ingratitudine mortifera incorrigibilis exto, dum non oculos vtique conuerſionis lacrymis imbuo, ſed guttur mentis mortiferæ dilationis , peſſimæque in dies deteriorationis criniculis ſtringo, in infernum viuens id non ignarus, vt multi , ſed ſciens, inſupérque nec celans, deſcendo. Indéque

*Mar.16. 16.* *Ibid. v.17* *Luc.19.22* *Luc.13. 8.*

mihi, *De ore tuo te iudico ſerue nequam*, cum his qui bona dicunt, & peſſima gerunt, non inaniter clamari formido. Auſteritatem quippe tuæ animaduerſionis alijs innoteſco. Præſentiſſimum te vbique nonne ſcio, & dicere, vel facere quæ tuam conſiderationem dedecent non horreſco. Sed quid Domine facio? fugerem ſi quouis valerem: quod quia nequeo, à te, Auguſtini veriloqui tui ſuaſu, ad te, id eſt, à iuſtitia ad miſericordiam tuam pauens confugio. Vt conſideras itaque indecentia tibi, ita Domine, conſidera neceſſaria deprecor mihi, me ab impatientia liberans mortifera, quæ tranſgredi me tam immaniter tua compellit præcepta. Niſi enim ab ea citiùs eruor, perditionem æternam præſtolor, ignarus licet diſpoſitionis de me, Domine, tuæ. Non ſunt enim hominis viæ illius, ſed tuæ poteſtatis ſolius; qui non damnas impiè quos creaſti benignè. Vos autem, Fratres, quod de nobis per nos auditis, de vobis quoque metuite, mala quæ vſu aliter facitis quantocyùs relinquite: Ad inuſitata vos bona dum vacat conferte: infernum cauete. Cœlum deſiderio ſcandite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens ipſius adiutorio niſi feſtinare contendite, inſtare horam vobis aut illuc conſcendendi, aut deorſum ruendi. Hîc verò non diutiùs morandi ſedulò cogitate, ne ex improuiſo, quod abſit, vos rapi contingat, & illuc pertrahi, vbi nemo vobis valeat auxiliari. Quod à nobis omnibus dignetur auertere, qui in hunc mundum peccatores venit ſaluos facere IESVS Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

---

## SERMO II.

### *DE ASCENSIONE DOMINI.*

MEMINISSE optaremus dilectionem veſtram percupidè, Fratres, laborare hoc tempore noſtrum huiuſmodi ad terminum deueniſſe, vt conducta ex orthodoxorum teſtimonijs Patrum copia fandi, inſinuaremus Collegio veſtro,

veſtro, quid, cur, qualiter in præcedente Reſurrectionem Domini Quadrageſima nobis eſſet agendum, qualiter in Paſcha exultandum atque lætandum; Poſt Paſcha, imò in Quinquageſima Paſchæ, quod à ieiuniis quidem ceſſandum *Alleluya* diu noctúque canendum. Ad vitia verò ieiuniis, orationibus, & eleemoſynis cooperante gratia Dei vt deſperare nullatenus debuiſſemus, exhauſta minimè redeundum: Ne hoc vtique foret Ægypto relictâ, agno comeſo, mare rubro tranſito, manna cœleſti guſtato, carnium taphniticarum, peponum atque ceparum deſiderio Ægyptum relictam repetere, promiſſo patriæ lacte & melle manantis fraudari; cúmque his quorum in deſerto plurima perierunt millia perditionis æternæ damnationem ſubiiſſe. Ad quod ſuadendum nil aptius valuimus inuenire quàm vt *Alleluya* cantaremus die noctúque, id eſt, vt *Laudate Dominum* alter alteri clamaremus, omnéſque hoc ſine intermiſſione agere ſtuderemus. Re enim verâ, quis peccato eſt locus, vbi laudis Dei eſt nullus defectus? Quòd & ſi B. Gregorio primùm, poſteà Mamerto Viennenſium Archiepiſcopo, pro conſimili neceſſitate quaſdam Letanias infra hanc Quinquageſimam viſum eſt inſtituere, quid obeſt ad Dominicum illud quod continetur ſuaſum: *Numquid poſſunt filij ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus*, cùm Letanias, Rogationes innui Latinitas æſtimet? Quo verò tempore rogatur ſolemniùs Deus, quàm feſtiuitatis diebus? Sobriè verò, iuſtè & piè ſi viuitur in Paſcha, quid nocet ad hoc quod ſuadet Apoſtolus, cùm Paſcha noſtrum ipſum dixiſſet eſſe Chriſtum, ſubiungens atque dicens: *Itaque epulemur*, cùm crapulæ & ebrietati, cæteriſque vitiis famulantes denotans, adiungat: *Non in fermento veteri*, id eſt, timore non abdicati delicti, & voluntate tranſacta crimina repetendi, vel alia committendi. *Neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Si igitur à crapula & ebrietate ceſſamus, ſi à coïtu etiam licito conſenſu pari li hoc triduo, dilecto abſtinemus diuino, ſi à iocis atque laſciuia, ſi à cantuum vanitate atque ludorum, poſtremò ab omni opere ſeruili, id eſt, famulatu Diaboli, ceſſantes, vt in Quadrageſimæ Dominicis iure fecimus diebus, Deo ſer-

*Matt. 9. 15.*

*1. Cor. 5. 8.*

uire his tribus diebus curamus: Paſchali gaudio quale damnum ingerimus, cùm & in his Reſurrectionis Dominicæ cultum non omnimodis omiſerimus, ſi tamen fecimus quod debuimus? Cùm verò, vt non ſemel diximus, corpore & ſanguine Domini reficiendis neceſſe ſit Paraſceue, id eſt, præparationem aliquam facere, ne tanti ſacramenti munus ſumant indignè, & ob hoc inuentas putare poſſumus præclaras, quę præcedunt ſolemnitates vigilias, quid nocet, ſi in tanta feſtiuitate vigiliarum loco hoc triduo vſi, ſi quid in his Paſchalibus commiſimus gaudiis diluamus, ab *Alleluya* verò canendo, ſempérque in Domino exultando atque lætando nequaquam ceſſemus? Dicente ſanè Iacobo Apo-
*Iacob. 3. 2.* ſtolo: *Quia in multis offendimus omnes*, quis auſus ſit gloriari in tot diebus ac noctibus ſe nihil cõmiſiſſe quod egeat ſatisfactione diluere, vt tantam feſtiuitatẽ dignè poſſit excolere?

Huc vſque, Fratres chariſſimi, cùm noſtra proceſſerit communis cauſa noſtræ ſalutis eniſio, adeſt infra hanc *Alleluya* ſine intermiſſione cantandi, exultandi quoque atque lætandi Quinquageſimam; ipſaque nos ſilere non patitur glorioſiſſimæ Aſcenſionis Dominicæ dies. Silere quomodò poſſumus, reminiſcentes omnium miraculorum ſi ad hominem ſolùm intendas mirabilioris miraculi, quòd videlicet homo, non Angelico, vt Helias quondam ſubuectus, non pennigero vt Poëticus ille noſter volatu, ſed corporali ipſa mole perfecti, id eſt annorum triginta circiter trium, hominis, vt Apoſtolus nobis ſpondet prouenturum quandoque:
*Ephes. 4. 13.* *Donec occurramus*, inquiens, *omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* Domini noſtri, videntibus idoneis teſtibus loquens eleuatur, nubéque ſuſcipitur, Angelis adſtipulantibus quòd ita ſit reuerſurus ad iudicandos hîc relictos ab initio vſque in finem ſæculi viuos & mortuos omnes? Quis hoc effari laudabiliter, quis laudare ſatis effabiliter valet? Ammirari enim omittimus, ſi Deum intus manentem, hominem quem de nobis pro nobis aſſumpſit geſtantem penſamus: gratias ſi poſſemus ſolummodò ipſius miſericordia referre deberemus condignas. Cætera enim meliùs ſilendo quàm loquendo ineffabilia ſunt, quia depromimus. Ad promiſſum tantùm inenarrabilis ipſius clemen-

tiæ oris noſtri obſequium deflectamus, quomodò ex Euangelio audiuimus: *Qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Deo gratias, Vniuerſitas clamat, Credimus enim, & baptizati ſumus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Omnes hoc dicimus: Omnes per hoc nos ſaluandos ſperamus: ſine iſto nullum ſaluari poſſe veraciter credimus & confitemur. Sed de quibus dicit qui hoc audierat Petrus: (Petrus, inquam, cui fuerat ſpecialiùs cum cæteris dictum: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.*) *Meliùs fuerat eis non cognoſcere viam veritatis, quàm poſt agnitionem retrorsùm conuerti.* De illis, vt conijci veraciſſimè valet, de illis, de quorum credulitate Iacobus Apoſtolus quid ſentiat audiamus: *Fides*, inquiens, *ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Itémque: *Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Hi nimirum ſunt, qui fidem quam verbis aſtruunt, moribus deſtruunt. Verendum enim omninò ne de talibus quoque dicatur à Domino: *Cùm immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Tum vadit, & aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi; & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Hæc tam veracia, ſi in nullo caderent illorum qui ſe credere profitentur, & ſunt baptizati, vbi eſſet ſententia Domini, illa quâ continetur: *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Et, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum?* Qui enim ſunt vocati, niſi per Baptiſmum Eccleſiam ingreſſi? Quid pauci electi, niſi qui ſacramentum viuendo tenuerunt, quod fide perceperunt? Qui non electi, niſi qui non ſeruauerunt quod promiſerunt? Quid autem promiſerunt? Recurrat quis cogitando ad id quod aut promiſit, aut eſt vice illius promiſſum ante quàm baptizaretur. Modicum eſt recordari, leuiter valet. Si illud obſeruat, ſecurus de ſalute ſua gaudeat. Si non peccauit, quieſcat primùm, id eſt, deſinat peccare, hinc demum pœnitentiam agat. *Appropinquat enim, & huic dicendum, Regnum cælorum*; id eſt tranſeuntibus, immò fugientibus terrenis omnibus, propinquant cœleſtia, illis tamen qui cooperante gratia Dei, operatione

*Marc.* 16. 16.

2. *Pet.* 2. 21

*Iacob.* 20. 26.

*Luc.* 11. 24

*Matt.* 20. 16.

*Ezech.* 30 3.

ſedula, illa meruerint adipiſci.

Qui verò ſint iſti, ſubiungens pijſſimus idem promiſſor
Marc 16. 16. demonſtrat. Cùm enim dixiſſet: *Qui verò non crediderit condemnabitur*, vt indicijs quibuſlibet credentes à non credentibus ſecerneret, ſubiecit: *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent & bene habebunt.* Quid hoc eſt, Fratres, quis enim corporaliter iſta hodie efficit ſigna? Nemo, dilectiſſimi, nemo. Nullus ergo credit? Abſit. Credunt enim, Deo gratias, tanti, vt illis illud congruat Pſalmographi: *Annuntiaui & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum.* Quomodò itaque credunt, cùm qui hæc ſigna faciunt, illi tantummodò credere dicantur; Iſti verò ea non faciunt? faciunt planè, faciunt quidam, ſed non corporaliter faciunt, ſed tantò vtiliùs, quantò à corpore diſcernitur Spiritus. In nomine enim Chriſti Dæmonia eijciunt, qui in virtute ipſius vitia, quæ Dæmones ingerunt, a cordibus ſuis repellunt: linguis loquuntur nouis, cùm prauiloquio relicto, laudem Dei lingua reſonat ipſorum, vtilia ſermo depromit: Serpentes tollunt cùm quod ſuggerit ſerpens ille antiquus minimè agunt: Cúmque ſuggeſtionem Diabolicam interiùs ſentiunt, ſed quod ſuggerit minimè faciunt; mortiferum quidem eſt quod bibunt, ſed non eis nocebit. *Omnes* enim, ait Apoſtolus, *aſtabimus ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Super ægros manus imponunt vt bene habeant, qui peccata quæ commiſerunt bonæ operationis ſtudijs, vt ad meliora proficiant, compenſare feſtinant. Ecce apodixis, ecce coniectura, ecce indicium credentium, & non credentium, Fratres. Qui ex his ergo in ſe cognoſcit aliquid ſignis, credere ſe dicat: qui non, ad credendum ſe potiùs ſuadeo præparet, quàm ſemet credere iactet,

*Ibid. v. 17* — *Pſal. 30. 6* — Qui verè credunt. — *Rom. 14. 10.*

Vbi quoque à Domino dicitur cæco: *Tu credis in Filium Dei?* cum præpoſitione vtique. Et Samaritanæ: *Mulier crede mihi*, ſine præpoſitione: cùm hîc abſolutò dicatur, qui crediderit, neque ſcilicet addito in Deum, neque Deo, conijci

*Ioan. 9. 35.* — *Ioan. 4. 21*

valet duo expoſci, id eſt, vt credamus in Deum, & credamus Deo. In Deum verò credit, qui catholicè credit, Deo credit, qui hortamentis illius obtemperat. Qui vtrumque ita agit, & orthodoxo eſt baptiſmate lotus, maximam nobis affert, Deo gratias, ſecuritatem. Saluus enim abſque dubio talis, ſi tamen perſeuerauerit, erit. O verò nullus in hac noſtra plebe inueniretur, qui non crederet verum eſſe quod Ioannis in Euangelio audit; hoc eſt: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Increduli enim ad cætera dum iſtud vnum non credunt, fatentur tempeſtatem ab homine fieri poſſe, cùm euidentiſſimè Pſalmiſta proclamet: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*, id eſt Domini. Et in alio Pſalmo de Deo. *Qui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit chriſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* &c. Quomodò ergo in Deum credit, qui Deum omnium creatorem eſſe non credit? Quomodò Deo credit, qui ipſa clamanti atque dicenti, ſurdiſſimum auditum apponit. Videte, *videte quòd ego ſum ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam percutiam & ego ſanabo; & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.* Intendat Caritas veſtra: contra enim eos qui dicunt, quòd homo malus, vel Diabolus tempeſtatem faciat, lapides grandinum ſpargat, vineta atque campos deuaſtet, fulgura mittat, iumenta & pecora, ipſóſque homines interficiat; contra illos, inquam, valet quod dicit: *Ego occidam, & viuere faciam.* Contra illos verò qui dicunt, quòd ipſe per incantationes ſuas ipſas tempeſtates auertant, valet quod dicit: *Non eſt qui de manu mea poſſit eruere.* Quod & ſi Helias triennio oratione pluuiam auertiſſe, oratione rurſum legatur eam cùm voluit reddidiſſe; ignem de cœlo ſuper impios impij Regis Miniſtros miſiſſe. Samuel æſtiuo tempore tonitrua contra naturam mugire feciſſe; plerique etiam alij Sanctorum ſiue in veteri, ſiue in nouo Teſtamento quædam leguntur ſigna de cœlo, de terra, de mari monſtraſſe, non fecerunt ea ipſi, ſed Deus per ipſos; fecit hoc fides ipſa, de qua ipſa Dominus loquitur ad Apoſtolos, ita! *Si haberetis fidem ſicut granum ſinapis, diceretis huic monti, tollere, & mit-*

Credere in Deum, & Deo, quî differunt.

*Ioan.* 1.3.

*Pſ.* 148.1.

*Ibid.* 147. 16.

*Deut.* 32. 38.

*Matt.* 17. 19.

*tere in mare, & obediret vobis.* Non poteſt hoc facere Diabolus, non membrum eius quilibet maleuolus; facit hoc per ſeruos ſuos cùm ei placuerit Deus, & cùm ſit ſummè bonus, benignè vt bonus.

Sed redeamus ad Aſcenſionis Dominicæ feſtum *Cùm hæc* Act.1.9. *dixiſſet,* (ait operis tanti relator egregius.) *Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic* IESVS *qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Hic pauxillùm auditor, rogo, attende. In Galilæa reſurgens Chriſtus primùm videtur, viris Galilæis aſcendens Chriſtus tantùm monſtratur, illis reuerſurus promittitur. Galilæi verò qui ſunt, fuerunt, vel erunt, niſi qui Galilæam incoluerunt, incolunt, id eſt, incolentes futuris temporibus erunt? Galilæa verò, vt à maioribus accepimus, tranſmigratio facta interpretatur, & hoc quare agnouimus. Bis hoc factum eſt, immò ter actum eſt ſubſedendum, & quia vetus de primo, de duobus tertio iuncto dicamus: Tranſmigrauerunt filij Zebedæi de patre ſuo ad Chriſtum, Chriſtus reſurgens à ſepulchro ad ipſos; ipſi demum de Galilæa ad montem vbi conſtituerat illis, eiſque videntibus inde eſt eleuatus in cœlum. Illuc eum qui deſiderat ſequi, tranſeat de Diabolo ad ipſum, conſideret eum pro ſe mortuum, ac ſepultum, gaudeat eius reſurrectione ſe reſſuſcitatum, Aſcenſione in cœlum euectum, ſi tamen in hoc figat ſuum firmiſſimè deſiderium. Elaboret ergo vnuſquiſque noſtrum, Cariſſimi, vt quomodò hodie Chriſtus cum corpore noſtro cœlum conſcendit; ita quomodocunque valet ſpe conſcendat, deſiderio migret, operatione illuc peruenire nitatur. Mirum enim dictu, etiam per vitia noſtra cœlum poſſumus conſcendere, ſi videlicet ſtudeamus ea calcare: ſcalam quippe de illis quodammodò nobis facimus, ſi emendatione illa deprimimus. Eleuant nos ſi fuerint ſubtus nos, deprimunt nos ſi fuerint ſupra nos. Caro noſtra in Chriſto cœlum conſcendit, ſequatur eam deſiderio anima noſtra. Anima Chriſti illò transferri cupit animas noſtras, coope-

temur deſiderio eius. Deus eſt qui geſtat eam ; Omnipotens miſericordiâ viget & gratiâ ; non diffidamus de poſſibilitate , ſi non deficimus voluntate. Virtutes vult tantùm loco ſumptuum nobiſcum portemus. Vitia vt egeſtatem mortiferam famémque perpetuam , contrarietatem vtique aſcenſus noſtri pernoxiam , hîc relinquamus: hic etiam demorantes à feſtinando illic nunquam ceſſemus: abſque dubio enim vbi Chriſtus cum carne noſtra eſt perueniemus , ſi à deſiderando ipſo minimè ceſſauerimus, ipſius adiuuante clementia, qui cum Patre , &c.

# ARNVLPHI
## SAGIENSIS ARCHIDIACONI, POST EPISCOPI LEXOVIENSIS,
## *TRACTATVS*
### *De Schiſmate orto poſt Honorij II. Papæ deceſſum.*

---

## PRÆFATIO.

VENERABILI *Dei gratia Carnotenſi Epiſcopo* GAVFRIDO, *Romanæ Eccleſiæ Legato*, ARNVLPHVS *Archidiaconus Sagienſis, Clericus eius humilis & deuotus*, *Salutem.*

Ad expedienda legationis veſtrę negotia non negarem fidele miniſterium ſi adeſſem, pro viribus exhibere. Inuitaret enim me cùm laborantis Eccleſię cauſa communis, tum beneficiis veſtris obſtricta deuotio, tum Romani Pontificis * gratia, qua me fateor arctiùs obligatum. Sed quia me in Italiam deſiderata diu Romanorum legum ſtudia deduxerunt, loci quidem diſtãtia corporale ſubduxit obſequium, ſed ſpiritualem non ſuppreſſit affectum. Nouit enim intimus ſecretę conſcientiæ teſtis, quàm fidelis Eccleſię patienti compatiar, quàm affectuosè in aduerſis Præſuli Romano condoleam, quámque obnoxiè veſtrũ me tota mente judico debitorem. Vnde nimirum ſublata impendendi corporaliter officij facultate, ſtilum ſaltem continere non potui, ſed in GIRARDVM Engoliſmenſem, quod ſolũ impẽdere poterat affectus abſentis inuectus, originem natiuitatis eius, conuerſationis qualitatem, Prȩlationis cau-
ſam

*Innocentii II.

Agit primò de Girardo.

ſam, quid agat, vel egerit ab initio tempeſtatis huius, ſeruata quantum potui breuitate, perſtrinxi. Ad confutationem quoque eius ſtilo circa Petrum Leonis liberiùs euagato, ſubiunxi de perſona Domini Papæ, de ordine electionis eius, de fauore Principum, de populorum conſenſu, quídue ſuper hoc irrefragabilis omnium Religioſorum probat auctoritas.

2. De Petro Leonis Antipapa.
3. De Innocentio II. ſummo Pontif.

Opus autem ipſum, præſumo Maieſtati veſtræ, fortaſſis impudenter, offerri, cùm nullatenus orationis ieiunæ macies mereatur in ſapientiæ veſtræ venire conſpectum. Scio tamen quia ſæpiùs apud vos benignitas indulgentiam parit, quàm ſeueritas exactiſſima pœnam. Qui enim leuiori culpæ veniam negat, cauſam quandóque grauioris importat. Si quid tamen in iudicium libeat deuocare, non de qualitate Operis, ſed de opificis cognoſcatis affectu. Huius examinationis periculo me ſecurus expono, nec cognitionem formidans, nec latam ex cognitione ſententiam. Quia licet rethoricum colorem formet ſcientia non affectus, ſi non hanc peritiæ laudem, ſaltem bonę voluntatis gratiam conſequentur. Sed & hoc ad vos potiſſimùm deſtinari ratio poſtulabat, cùm in eam cauſam cuncta ſpecialium allegentur, quæ vobis agenda commiſſa eſt. Quippe cùm ad reſiſtendum PETRO-LEONIS in Italia Præſul Romanus indefeſſus aſſiſtat; ad reſiſtendum GIRARDO vos reliquit in Gallia, vt ſit capiti caput oppoſitum, & dextera dexteræ conferatur. Sicut enim PETRVS ſchiſmatis huius princeps & auctor eſt, ſic GIRARDVS eius inter omnia principalius eſt inſtrumentum. In quo quid de fide & prudentia veſtra ſentiendum ſit, manifeſtè probatum eſt, cùm nullum vobis prætuleritis, qui nec probaret ignotum, neque notum ſupra merita propriæ virtutis efferret. Arbitratus eſt virum quem caritas animaret, quem ſuſcitaret obedientia, quem ſcientia cageret, cui pararet fortitudo victoriam. Probauit in vobis in fide conſtantiam, humilitatem in obſequendo, in exequendo prudentiam, in difficultate perſeuerantiam. Quis vos hac eius exiſtimatione neget eſſe fœlicem? Quis beatum tanta eius dignatione non dicat? Sed profectò dignus mittente nuntius, dignum ſuſcipiente mandatum, ſpes vtriuſque pulcherrima, quæ tam celebrem victoriam, certo ſpe-

Laudes perſtringit Gaufridi Carnot. Epiſcopi.

ctat euentu. Vincet enim in vobis ipſe, ſed & vos vincetis in ipſo; dum ipſe vobis auctoritatem, vos auctoritati præſtatis obſequium. Vincetis, inquam, & captiuatum hoſtem ſedatâ Aquitaniâ reducetis; vt per vos ei qui vos miſit oblatus, ob nouum crimen nouo pœnæ genere puniatur: Indurati enim cordis impœnitentia, veniam non meretur. Hoc autem præmium à vobis bonæ ſaltem voluntatis expoſco, vt mihi tunc inter eos qui modò quaſi ſub ducatu veſtro militant, ſequi currum liceat triumphantis, & laudes veſtras, immò vincentis in vobis Eccleſiæ, præconia decantare. Valete.

## *ARNVLPHI SAGIENSIS ARCHIDIACONI In Girardum Engoliſmenſem*

## TRACTATVS

### CAPVT I.

ANXIE te iamdudum GIRARDE ſuſtinui dum ad nos quotidie flagitiorum tuorum fœtor aſcendit, & aures noſtras grauior ſonus nequitiæ ſæuientis exaſperat. Silui tamen hactenus dum pœnitentiam tuam credulus expectator attendo, aut diuinæ manus non credo differendam diutiùs vltionem. Sed nobis circa te diuinæ longanimitatis & patientiæ proponenda exempla, túque ſemper eò vehementior in Eccleſia Dei ſingulis diebus indefeſſus perſecutor inſurgis. Quouſque igitur abutare patientia Dei? Quouſque mentem tuam inæſtimabilis iſta certabit ambitio; & à veritate pecuniæ ſitis hæc inextincta præuertet? Nunquid miſeram ſenectutem tuam & inſtantem decrepiti corporis naturali neceſſitate defectum, & hiantis ſepulchri clauſtra non vides? Non ſentis ſuperexcreſcens circa te diuinæ longanimitatis augmentum, æternæ tibi damnationis ſupplicia cumulare, vt nulla iam excuſatio diuinam minuere valeat vltionem? Totus execrandi corporis tui labor &

otium, tota reprobatæ mentis aſtutia, totum in hoc deteſtabilis vitæ tempus impenſum eſt; vt militare pro Eccleſia videreris, & contra Eccleſiam dimicares. Nunc autem manifeſtauit Deus conſilia cordis tui, & tenebrarum tuarum abſcondita reuelauit; ne dubia exiſtimatione de te diutiùs hominum iudicia fallerentur. Patet te proditorem Eccleſiæ fuiſſe, cuius te ſimulaueras eſſe patronum. Patet te venatorem tantùm fuiſſe pecuniæ, qui venator conſtitutus fueras animarum. Sed quoniam animalis es homo carnoſus, proinde & carnalis, quæ Dei erant percipere non potuiſti, & inuiſibilia ipſius conſpicere contempſiſti. Ne verò aduerſum te hunc animi temeritate potiùs quàm ratione videar ſuſcepiſſe ſermonem, placet operum tuorum mihi ſeriem explicare, quibus poſſis hominibus contemptibilis, Angelis execrabilis, Deo condemnabilis inueniri.

Qualis igitur à primo Pontificatus tui tempore fueris: quid in principio orientis in eccleſia tempeſtatis egeris, quibus eam poſteà operibus infeſtare non ceſſas, ordine tranſigetur. Prætereundus eſt igitur ortus degener, paternæque domus familiaris inopia, quæ te totius natalis Normaniæ finibus abegerunt; vt ad ignotæ gentis limina peregrinus, & mendicus aſtares. Taceo ignobiles pueritię queſtus, ignominioſam adoleſcentię famam, iuuentutis auara commercia, ne aures eorum ad quos hæc ſcripta ventura ſunt, tuę ſordibus incontinentię ſimul & auaritię polluantur. Venio ad virilis ętatis tempora, ſub quibus te in Epiſcopum non vita probabilis, non præcedens deliberatio, ſed caſus adduxit, & cœcarum ex precedente diſcordia mentium, motus impellens. Dum enim aduerſum ſe eligentium multitudo diuiſa conſurgeret, diuerſáſque perſonas alternus poſtularet aſſenſus, in te voces omnium fortuna conuertit; non quia in te ſatis commodé prouiſum Eccleſię crederetur, ſed vt exitum qualemcumque tumultus offenderet. Maluit te ſcienter indignum pars vtraque excipere, quàm pręualuiſſe pars altera videri. Redit in mentem mihi miſerabile illud nefandiſſimúmque ſpectaculum, dum te pręcurrentem multitudo reliqua ſequeretur; & tu Clerum quadam celeritate pręires ad cathedram, ne reuocata ratione ſtolida mutaretur impul-

Geſta deſcribit Girardi.

ſio, cùm alij quidem trahi ſoleant, & plerumque compellantur inuiti. Ea die de Engoliſmenſi Eccleſia veritas & miſericordia receſſit, dolus impietáſque ſucceſſit, rerum ſtatus in deteriora mutatus eſt, nitorem ſuum ſingula perdiderunt. Imminutus eſt enim decor & cultus Eccleſiæ, perijt eccleſiaſtici ordinis venerabilis illa religio, Principum reuerenda ſeueritas, populíque laudabilis honeſtas interiit. Eccleſiam quidem Epiſcopalem de mortuis ædificaſti lapidibus, non vt domum Domini decorares, ſed vt inde conquirendi pecuniam duceretur occaſio, & aduerſus malè ſuſpicantem, populum mendax excuſatio non deeſſet, dum quæſita reconditur. Dicebatur ad opus Eccleſiæ poſtulari, quicquid ad tuam cupiens auaritiam exigebas, & dum vnum de pluribus, de maximis minimum impendiſſes, volebas vt erogaſſe pariter omnia crederetis.

Vbi igitur tali in Epiſcopatum ſorte prouectus es, inſolentiâ, quam antè paupertas repreſſerat, efferi cœpiſti; petulantiâ, quam priuatus exercere non poteras, bonos quos libuit inſectari, rapinis & exactionibus exinanire prouinciam: iudicia ſolâ munerum comparatione formare, commutare rerum omnium ſtatus, nobilium labefactare fortunas; nepotibus tuis, quos natalis ſoli finibus eadem quæ te cauſa depulerat, rerum tradere ſummam, & dignitatibus Eccleſiæ ſublimare, quaſi Platonem ſcientiâ, Catonem moribus, Scipionem genere ſuperarent. Quos illiteratos quidem & ad res illicitas impudentiùs effluentes, obſcuro loco natura produxit. De quibus, ne noua extra ordinem ſumatur oratio; dixiſſe ſufficiat, auunculo dignos eſſe nepotes, quos tibi cùm natura conſanguinitatis, tum educatio, tum quod à te ſumebatur exemplum, vitæ ſimilitudine conformauit; vt à natura principium, ab educatione promotio, ab exemplo, ambitionis, auaritiæ, libidiníſque duceretur auctoritas. Reliquis autem Eccleſiæ dignitatibus, & beneficijs, quæ in vnum coaceruare non poteras, eiſdémque conferre, qui pecunioſior, is dignior habebatur. Non attendebatur honeſtas, ſed manus onuſtas potiùs expectabas. Baſilicarum dedicationes, benedictiones altarium, Sacerdotum conſtitutiones, eodem quo cætera more tractaſti, vt planè

nihil faciendum putares, quod non alicuius emolumenti auſpicatio præueniret. Nullam virtutibus gratiam rependiſti, nullum quoque ſupplicium vitiis irrogaſti, neminem ad vitæ innocentiam informaſti.

Si quis de inceſtu quolibet ſonus emerſit: ſi quis aduerſus immunditiam exarſit caſtitatis amor, in ſilentium te cohibente redactus eſt. Engoliſmenſem Abbatiſſam quidam tuus Archidiaconus grauidam prauo fecit acceſſu. Porrò facinus ingraueſcentis vteri tumor excedens, & naturalis effectus apparuit. Quod dum propter inſolentiam criminis, diuinitatíſque contemptum ciuibus incredibile videtur, parturientis Abbatiſſæ gemitus, & noui partus crepundia fidem fecerunt. Vniuerſa igitur ciuitas ammiratione perculſa eſt: quâ cogitatum impatientiâ, qua temeritate conceptum, qua denique impudentiâ poſſet eſſe completum, quòd homo animarum cuſtos, Epiſcopalis oculus, Eccleſiæ columna, ſponſa Domini, Virginum eius matrem atque cuſtodem, non compellaſſet verbo tantùm, ſed opere polluiſſet, & cubile patris animo fornicantis intraſſet, eámque Deo, quæ homini quoque tam contumelioſa quam opprobrioſa eſt, irrogaſſet iniuriam. Suſcitat ad vindictam Comes, cui eamdem germanus ſanguis coniunxerat Abbatiſſam, & cùm in caput adulteri ferro priùs animaduertere decreuiſſet, ad te, vt canonicè dictaretur ſententia, acceſſit. Rem igitur patefacturus per vocem in media narratione continuit vir illuſtris, qui mentem ſuam contemplatione ſceleris linguam relatione fieri ſordidam indicabat. Explicuit tandem remotâ quadam circumlocutione quod cœperat, vt qui ſerpentem, prunáſue reconditas diutiùs latere non ſuſtinet, manu tamen nuda recuſat vtrumque contingere, ne vel vratur altero, vel altero polluatur. Quis digna ſatis laude efferre valeat quanta principis fuerit in prima ſceleris animaduerſione ſeueritas; quanta in vltionis executione diſcretio; qualis in referendo modeſtia ſucceſſit? Quis igitur hoc ſaltem exemplo magnum in Præſule rigorem iuſtitiæ non expectet? Stat in memoria Pontificis digna relatione reſponſio. Replicabat Comes rem non abſque diuino contemptu, naturæ contrariam, ſæculóque mirabilem contigiſſe; quam diuinæ

Nefanda crimina.

etiam religionis ignara gentilitas ſupremo punienda ſupplicio decreuiſſet. Tu verò præter ætatis tuæ debitum, præter ordinis & epiſcopalis officij dignitatem, ſingula verba laſciuiore proſequente cachinno, te ſanè ſimplicitatem Principis non ſatis ammirari poſſe dixiſti, quòd naturæ contrarium diceret, ſæculóque mirabile, quòd de viro fœmina concepiſſet. Sed in oppoſito ſtare miraculum, ſi de fœmina virum contingeret impragnari. O ſtupenda mentis obſtinatio! ô deteſtabis impudentia linguæ! ô digna depoſitione reſponſio! Expectabatur vt aduerſum facinus exardeſceret Epiſcopalis indignatio, ſed ei quaſi gratulanter laſciuia ſenilis arriſit, & quod grauitate cenſoria punire ſententia debuiſſet, noua Proteus auctoritate firmauit. Non potes excuſare quin populo dederit certam ſimilia faciendi licentiam, cùm ſingulis ex ore tuo pendentibus, nouum facinus & ignotum, nec verbo nec opere condemnaſti, ſed quaſi licitum arridentis facie præſignaſti.

Quis igitur animi compos ex hoc reliquas tuæ mentis & vitæ partes manifeſtò non teneat? Nunquid enim ſi quis in maioribus intemperans, & petulantiſſimus inuenitur, à minori crimine temperabit? Quid ita? Quoniam qui ab inceſſu ſacrilegióque non abſtinet, is vbi luxuriæ flamma, vel auaritiæ ſitis, incenſa eſt, fornicatione ſimplici, vel rapina, nec corpus inquinare, nec manus implere cunctatur. Quid ad hoc? Quia qui alieni criminis non offenditur ſpurcitiâ, ſed exultat, id in propria voluntate non damnabit expertus. Quid igitur? Nunquid ſi in ſponſam Domini zelare, ſi ipſius diuinitatis iniuriam vindicare ſpreuiſti, circa tuendas hominum nuptias negligenter egiſſe conuinceris, & ipſorum iniurias non curaſſe? Extat ipſius teſtimonium veritatis in ſimili. Non differetur quin fiat in arido, quod in ligno viridi fieri feſtinatur.

## CAPVT II.

AD hæc autem, vt his etiam operibus exercendis diffuſa materies libera facultas, inconcuſſa fiducia non deeſſet, quæſita & impetrata eſt Eccleſiæ Romanæ legatio.

Angebat te hinc læſæ conſcientiæ reatus exuberans; hinc comprouincialium Epiſcoporum nota ſeueritas, hinc Burdegalenſis Archiepiſcopi ſuſpecta prælatio, quem loco confinem tua non ſemper opera ſe fefelliſſent. Ambitio quoque tua quaſi quibuſdam ſibi coarctata videbatur anguſtiis, dum fauces tuas vnius Epiſcopatus ſpolia non implerent. Ac ſi ergo omnia in Epiſcopatu tuo compoſitio plena firmaſſet, nihilque noui operis caſus afferret, effeciſti, vt quinque Archiepiſcopatibus ſingulari poteſtate præeſſes, & in ipſis vices Romani Pontificis exerceres. In quo quod Romanæ Eccleſiæ ſurreptum eſt, non credo mirabile, ſi in tanta negotiorum multitudine, in tanto pondere rerum animus humanus aliquando fatiſcat, cum non ſit ſpirituum ſemper certa diſcretio, per quam fallacium votorum compellatur indignitas, & rectis debitus commodetur aſſenſus. Nec inconſideratè tamen, quantum humana potuit ratione perpendi, commiſſa tibi eſt quæſita legatio. Æſtimabatur quippe quòd in Epiſcopum non ſortis euentum, ſed ratione promotus fuiſſes. Nec veriſimile videbatur, quòd in electione tua Clerum, Principem, populum, in examinatione tua Coepiſcopos, Archiepiſcopum eiuſdem cœcitas implicuiſſet erroris. De operibus quoque tuis, nihil adhuc quiſquam Romanus audierat: quæ finitimis & remotis: his quidem aſtuta diſſimulatio, illis verò locorum diſtantia nullatenus eſſe nota ſinebat. Ad ſummam ne veritati derogetur in aliquo, inerat tibi circa gerendas res nota diſcretio, quam plurima ſanè litterarum ſcientia confirmaret, & vtriuſque facundia ſermonis ornaret. Quæ quidem quotiens ſi non zelo caritatis diuina gratia largitur ingrato, in teſtimonium iuſtę damnationis adiuncta creduntur. Dum igitur Romanus Pontifex ſollicitudinis ſuæ pondus attenderet, te in oneris ſui participationem gratulanter excepit, quem miniſtrum fidelem fore credidit, & prudentem.

Legatus Romani Pontificis factus.

Ab inde igitur inconcuſſæ prærogatiua poteſtatis armatus, libera in eccleſiam Dei facultate graſſatus es, ſingulorum vel depopulando quidem, vel augendo ſubſtantias, infimis ſumma, ſummis infima commutando, vt planè quaſi fortunarum auctor exiſteres, quem de ſtatus ſui qualitate

Nefariè illam prouinciam geſſit.

vel laudare poſſent omnia, vel cauſari. Ab inde tua diffuſioribus ſpacijs effuſa cupiditas, copioſam rapacitati ſuæ materiam non defuiſſe gauiſa eſt. Quid ergo manifeſtas exactiones? Quid familiaria ob periculum iuſtitiæ ſuſcepta diſpendia dicam? Quid generales ſynodos? quid fatigatas venerabiles ex remota regione perſonas ediſſeram, vt Concilio præſidens generali amplitudinem tuæ poteſtatis gloriabundus inſpiceres, & ambitioni ſatisfaceret contemplatio ſubiectorum? in quo opere quàm peruerſa fuerint omnia promptum eſt intueri. Ad hoc enim Concilia celebrari ſanctorum Patrum ſanxit auctoritas, vt inde virtutum doctrina, malorúmque correctio proueniret, & velut exercitus ſui facultate conſpecta, ipſam ſe pleniùs Eccleſia mater cognoſceret, vt aduerſum vitia ſeueriùs inſurgendo, inſtantium bellorum triumphos poſſet confidentiùs auſpicari. Te verò ad hoc ea conuocaſſe quis dubitat, vt cupido animo tuo, & libidini dominandi morem gereres; & cùm ſatietatem diſcretè ſingularum cauſarum lucra non præſtant, ipſam plurium multitudo congregata conflaret? Proh dolor, & miſerabile cadentis Eccleſiæ detrimentum! Videri mihi videor, te quaſi taurum pinguem in ſublimi ſynodalem cathedram inſediſſe, diſpoſitóſque inferiùs Catholicos ex ordine Patres quicquid in cauſis conſcia veritatis prætendat oratio, pari deſperatione languentes, ſub incertò ruentis ſententiæ fluctuare. Malos verò quantò impudentiùs quidem, tantò animoſiùs inſiſtentes, efferri quos polliciti vel collati muneris confidentia ſuſcitat, & inducit. Quod non ſine quodam indignationis motu mihi mente reformo; dum intemperantiæ tuæ recordor impenſum, quod ad decorem Eccleſię noſcitur inſtitutum. Peruulgatus eſt conciliorum honos, & dignitas abrogata, quibus te præſediſſe conſtat, & noua Gentibus Romano more decreta formaſſe. Super quo grauiter indignatus feſtiuè ſimul & honeſtè ſenex Veneténſis illuſit. Is cùm ad quoddam Concilium tuum inter Coëpiſcopos vocatus adeſſet, paſtoralem virgam rudem & incompoſitam prætulit indumento veteri, quod multa iam ſciſſura rupiſſet, amictus. Interrogatur igitur cur in tam vili & irriſorio habitu proceſſiſſet, libertate conſcientiæ munitus,

Ad quid Concilia celebrantur.

munitus: Tale, inquit, Concilium talis decet ornatus?

Qualis ab initio Pontificatus tui extiteris, minus pleno, ſed veraci ſermone digeſtum eſt: nunc verò quid egeris dum aduerſus Eccleſiam procella tempeſtatis inſurgeret, conſequenter annectendum eſt.

## CAPVT III,

CVM ſublatus è medio bonæ memoriæ Papa HONORIVS, terræ corpus, cœlo ſpiritum ſua ſingulis debita reſignaſſet, eíque ſucceſſione dignum canonica ſurrogaſſet electio, Eccleſiam Dei PETRVS ille PETRI-LEONIS inuaſit. Placet hoc loco mihi vtriuſque perſonæ deſcribere qualitatem, vt de duobus ſimilem ſimilis elegiſſe proberis, & cupidum cupidus adoraſſe. Parcendum tamen eſt obſcœnitati verborum, dum Petri vita narratur, & rerum veritas ſermonum pallianda decore, vt honos habitus honeſtati legentium videatur. Libet igitur præterire antiquam natiuitatis eius originem, & ignobilem ſimilem proſapiam, nec Iudaicum nomen arbitror opponendum, de quibus ipſe non ſolùm materiam carnis, ſed etiam quaſdam primitias ingeniti contraxit erroris. Ipſe enim ſufficiens eſt, & copioſa materia, neque quicquam domui eius ipſo turpius vel eſſe vel fuiſſe coniecto. Cuius auus cùm inæſtimabilem pecuniam multiplici corrogaſſet vſurâ, ſuſceptam Circumciſionem baptiſmatis vndâ damnauit. Pudebat eum impotentiæ ſuæ, potiùs quàm erroris, ne genus eius infidelitatis opprobrio confuſum, perpetua damnaret obſcuritas. Suſceptis itaque fidei ſacramentis, vbi nouus ciuis inſitus eſt, factus dignitate Romanus. Cúmque ipſi numeroſam progeniem ſeries ſucceſſionis afferret, dum genus & formam regina pecunia donat, alternis matrimoniis omnes ſibi nobiles ciuitatis aſciuit, machinante iam humani generis hoſte; vt quaſi quodam veteri fermento tota Romanæ ſinceritatis conſperſio corrumperetur. Ex hac itaque diuerſorum generum mixtura, Girarde, Petrus iſte tuus exortus eſt, qui & Iudaicam facie repræſentet imaginem, & perfidiam voto referat & affectu.

Petrum-Leonis pſeudo Pōtificem ſugillat.

Parentes deſcribit.

Percutrit eius acta.

Porrò ipſum à cunabulis, ab ipſius nutricis vberibus, Apoſtolatui præſaga parentum deſtinauit ambitio; atque poſt prima litterarum rudimenta docendum delegauit in Galliam, vt illius regni beneuolentiam ipſi morum, linguæque conformatio vendicaret. Totis igitur annis pueritiæ ſuæ, vt honeſtiùs inhoneſta dicantur, ad omne ſe quod alteri collibuiſſet expoſuit, metúque Romani nominis importunus exactor alienis adoleſcere non refugit expenſis. Et tamen hæc aliquantulùm modeſtiùs exacta ſunt, dum ipſum diſciplina ſcholaris inhibet, & quotidianæ præpedit inſtantia lectionis, & quædam crimina naturalis impotentia remouet ab ætate. At verò poſtquam adoleſcentia & peccandi facultatem, & licentiam fecit liberiùs euagandi, ſi qua ſuperbia, ſi qua petulantia eſt, tum verè ipſe ſuperbus & petulans omni intemperantię ſeſe ſatis impudenter addixit. Profectò cùm in his operibus nec Deum dignatur reuereri, nec hominem, tantam ſibi ſuſcitauit infamiam, vt eius ortu, ambitione, vitáque præcognitis, ipſum eſſe Anti chriſtum vniuerſitas gentium paſſim crederet, & publicè teſtaretur. Augebat fidem, quòd ex Iudæis ortus; quòd totius mundi dominium Romanæ ſedis auſpicabatur obtentu; quòd vitijs deditus infamiam nulla virtute redimeret, & quòd infinitam patris & aui pecuniam deinceps poſſeſſurus eſſet. Ipſe autem adeò huius nominis gloriabatur opprobrio, vt etiam ruina orbis non erubeſceret appellari. Teſtis eſt Vizeliacenſis Eccleſia, apud quam dum veteres ad innouandum ipſo audiente, diruerent officinas, ad contemplandas parietum ruinas ſeſe duci propenſiùs exigebat. Percunctatúſque cur id videre tam ſedulus exoraret; quoniam magnarum me, inquit, rerum ruina delectat, eo quòd orbis ruina futurus eſſe prædicar. Poſt hæc habitum quoque monachatus excepit, vt vitia mentis ouino velaret amictu, opprobria vitæ præteritæ Cluniacenſe nomen obnuberet, & virtutis exiſtimationem bonorum ſocietas quæſita referret. In quo etiam ad hæc quæ in futuro ſibi mens præſaga ſpondebat, Cluniacenſis Eccleſiæ venabatur auxilium, eo quòd inter Eccleſias Gallicanas nulla ſit nomine religionis illuſtrior, nulla conſilij diſcretione prudentior, nulla promptior ad obſequia

Religio Cluniacēſium tum illuſtris in Gallia.

caritatis; nullius in gerendis rebus auxilium vel promptius, vel efficacius eſſe poteſt. Reuerſus denique Romam illi Venerabilium Seniorum Sacroſancto Conuentui, annitente patre fratribúſque, coniunctus eſt; & Cardinalis factus, honoratus nomine titulóque ditatus eſt. Nullus quippe fortaſſis ad aures ſummi Pontificis infamię Petri fumus aſcenderat, eóque tanti viri ſublimitatem ſinguli reuerentes, ſanctis auribus perturbare turpia reformidauit. Sub hac igitur ignorantia dum in ipſo monachalis habitus, dum Sacerdotij Sacramentum, dum parentum vis attenditur, exceptus eſt, ſub Patrum ſilentio non aſſenſu. Quibuſdam patrię poteſtatis timore vel amore ſilentibus; quibuſdam verò ſperantibus meliora de reliquo. Quoniam habita inter bonos conuerſatio quoſdam quidem corrigit & emendat, alij pœnam ex tranſgreſſione timentes, neceſſitatis abſtinentiam conuertunt in ſincerum voluntatis affectum. **Petrus Cardinalis ex Monacho creatur.**

Deinde ad diuerſas partes functus legationis officio, cupiditati ſuæ potiùs quàm iuſtitiæ ſatisfacere ſtuduit, adeò vt illi ea tantùm bonos exitus habuiſſe negotia viderentur, quæ merces adiecta, & marſupij plenitudo ſubſecuta probaret. Vbi ergo nullis interuenientibus cauſis, nulla rapinæ præſtabatur occaſio, tunc exactio blanditijs, vel comminatione plena non deerat. Bina ſingulis diebus ſumptu plurimo conuiuia parabantur, tantúſque ciborum luxus & ſuperfluitas erat, vt ad exquiſitas ferculorum varietates, ſollicitari plerumque figulos oporteret, & ignotæ compoſitionis noua vaſa formare. Docebatur etenim figulus amphoras figmento plaſmare mirabili, quibus ad ſimilitudinem ſolij per tranſuerſum medium diſcrimen ineſſet, ſtatúſque ſuperior repoſitis eſcis, fumum per modici oris reſpiraret anguſtias, inferior verò pars cancellatis arcubus vndique perforata prunas clauderet; quibus thuris copiam tamdiu ſollicitus miniſter infunderet, donec coctis cibis odorem ipſum transferret cocus artifex in ſaporem. Quæ profectò guloſitas naturam prorſus humanitatis exceſſit. Humanorum quippe ſenſuum perceptiones naturalis ratio certa lege diſcreuit, ſingulis ſingulas rerum qualitates aſſignans; nihilque confusè alicui commune cum alio dereliquit. Hîc verò **Fungitur legationis officio.** **Lautè viuebat ac luxurioſè.**

dum thuris odor transfertur in epulas, quod odoratus eſt, guſtui vendicatur, fitque in rerum qualitatibus ignota confuſio, & in ſenſuum perceptionibus communicatio non naturæ. Quod diuino etiam non potuit carere contemptu, dum in hoc ardenti gulæ peregrinus ſapor exquiritur, quod ſacris adoletur altaribus, quod ad ſignum Deitatis in Chriſto præſaga trium Magorum deuotio præſentauit; quod ſolùm vtrius legis tempore de terrenis rebus gratum Deo eſſe & fuiſſe creditur holocauſtum. Taceo quòd hæc effuſio non apud diuites tantùm, ſed apud inopes fiebat Eccleſias, quibus poſteâ id luere multis ieiuniis & algoribus oporteret. Cúmque pauperes Epiſcopos, vel Abbates, profuſioribus quâm domi didicerat, vexaſſet expenſis, in ipſa Eccleſiarum ornamenta ſatis impudenti ſacrilegio graſſabatur, vt planè ſponſam Domini ſpoliare, ſuiſque priuare monilibus auſu temerario videretur.

Profuſa verò conuiuia tanta libidinum ſpurcitia ſequebatur, vt ab ipſo paſſim quicquid occurreret, adiretur. Sororem Tropeam (ſed nec dici fas eſt) beſtiali polluiſſe narratur inceſtu; & ex ea abominabili prodigio eoſdem ſuſtuliſſe filios, quos nepotes, nepotum pater, filiorum factus auunculus, ſic naturæ cura confudit; vt eoſdem ſibi inuicem fratres faceret & cognatos. Iam nec Iudæus quidem, ſed Iudæo etiam deterior. Nulla ſexuum, nulla loci vel temporis, nulla profeſſionum; Sed hæc ſilere decentiùs, ne ſi hæc ipſum indifferenter excepiſſe protulero, honeſtiùs potuiſſet ſilentio præteriri. Sic actum domi nec ab eiſdem legationum tempore temperatum. Vt enim turpiora prætercam, circumducebatur puella, cui in fraudem videntium adoleſcentis ſpeciem veſtis & tonſura conferret, quæ ſingulos æſtus toleraret, ſingulos ſolaretur affectus. Eò gratior, & quaſi quodam nouitatis affectata miraculo, quod dum virum facie, reliquis mulierem partibus exhibet, vterque ſexus ipſi in eodem corpore videbatur exponi. Teſtis eſt Montiſpeſulani populus, & circumiecta prouincia ſe vidiſſe. At ne ſatietatem præſtaret identitas, quærebantur & aliæ, quarum ipſe nocturnis fungeretur amplexibus, quibus ipſe ſe Papam futurum in ipſa turpi commixtione iactaret. Multę

in Gallijs ſunt & Aquitania ciuitates, quæ id apud ſe dictum certa fide teſtantur. Gratulare, inquit, in tanti te viri deueniſſe complexus, quem Papam futurum totus orbis expectat. Nunquid Apoſtolatus gradum, Petre, tibi talis conuerſatio promittebat? Nunquid diſpenſatores domus ſuæ Chriſtus Eccleſiæ ſponſus & defenſor hoc verbo docuit, vel monſtrauit exemplo? *Eſtote*, inquit, *ſanctis quoniam ego ſanctus ſum.* Qui igitur ſucceſſurus eſt Chriſto, oportet eum ſicut ille ambulauit, & ipſum ambulare. Si quis autem poſt ipſum iturus eſt, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur ipſum. Crucem verò non tollit, niſi qui caſtigans corpus ſuum, & in ſeruitutem redigens, in commeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitijs, legem Dei nequaquam diſſolutus excedit. Ipſum non ſequitur, niſi qui diuinis intentus operibus aſcenſiones in corde ſuo diſponit, donec de virtute in virtutem videatur Deus. Tu verò, Petre, cùm de vitijs caſu continuo deuoluaris in vitia, & ſignatum ſuper te lumen diuini vultus obtenebres, deformata iam diuinitatis imagine, & ipſius ſimilitudine flagitijs obfuſcata, qua temeritate Chriſti ſucceſſor eſſe præſumis, cuius priùs ſimilitudinem non aſſumis? nulla enim conuentio Chriſti ad Belial, nulla lucis ad tenebras communicatio.

*1. Petr. 1. 16.*

*Matt. 16. 24.*

## CAPVT IV.

HIC eſt ille; Girarde, hic eſt ille tuus Papa, quem recipis, quem Vniuerſitati fidelium ſolum decens Caput aſſignas, qui ſponſus Eccleſiæ, qui Chriſti Vicarius, qui Petri ſucceſſor, vitæ forma fidelibus, gregem verbo prædicationis inſtruat, & iſtius ſcilicet operationis exemplo. At verò quis ſit iſte quem reprobas, conſequenter attende. Si genus eius recenſita natiuitate diſquiritur, fidelis natus ex fidelibus aduertetur. Si parentum in ipſius educatione vel doctrina conſilium, vt habitaret in domo Domini omnibus diebus vitæ ſuę, & videret voluntatem Domini. Si perſonæ qualitas: vt prius habitudo corporea deſcribatur, vir ſtaturę mediocris, quæ nec abiectum breuitas, nec immanem reddas immenſæ quantitatis exceſſus. Apparet in oculis eius &

Actus recenſet Innocentij II. Papæ.

Parentes.

Corporis habitudo.

vultu robuſta ſimplicitas, & quæ caſtitatem animi probet verecundia faciei. Quæ profectò facies tanta dignitate reſplendet, vt & ipſi quamdam reuerentiam ingerat intuenti. Ei quoque hanc inter cætera munificentiæ ſuę dona ſpecialem gratiam vis diuina largita eſt, vt omnes ſe videntes manſueta ſibi benignitate conciliet, & dilectionem ſolo nanciſcatur aſpectu. Ipſius etenim oculis diuinum quiddam ſuperna bonitas inſpirauit, quod plenum gratię, quod reuerentia dignum, quod honori congruum generaliter arbitretur. Vox blanda; ſed non in nimiam tamen reſoluta molliciem, vt & ſuauitati fauor, & magnitudinis non deſit auctoritas. Continua vultus alacritas, riſus in ſermonis excurſu ſæpiſſimus, tanta tamen habitus honeſtate, vt verborum vultúſque poſſit augere non minuere dignitatem. Quod quidem eò magis allicit intuentes, quoniam id in ipſo quoddam illius æternę iocunditatis videtur initium, cuius cùm in ipſo corpore quaſdam exiſtimo primitias accepiſſe.

Mores probatiſſimi. At ſi vitę conſideretur integritas, & à primis annis ſub examen omnia redigantur, nihil deformatum crimine, nihil infamia condemnatum. In eo enim nil illiberale pueritia, nil adoleſcentia fluxum, nil iuuentus infame, nil virilis ætas edidit indecorum. Inconcuſſa fides operationi bonę fundamenta præſtruxit. Conſilio prouidus, benignus alloquio, facundia celebris, quam nec verborum faſtus elatam, nec multitudo faciat effluentem. Tantùmque apud omnes bonæ exiſtimationis ſeruabatur & gratię, vt quòd aliàs perrarum eſt, eſſet ei ante electionis eius tempora nullus hoſtis. Cibi, potúſque tanta ſobrietas, vt illis non faſtidium, ſed abſtinentiæ modus terminator aſſiſtat. Veſtitus autem Apoſtolatus tempori ſanè conueniens; quem nec profeſſio clericalis excluderet, Cardinalatus dignitas non horreret. Quibus enim impræſentiarum veſtibus induatur, iam non ex ipſius pendet arbitrio, ſed Sanctorum Patrum antiqua conſtitutione decretum eſt. Prædicta verò Cardinalatus dignitas, ab ipſo non impetrata quidem, ſed ob vitæ mundioris & ſcientiæ plenioris meritum, vltrò data. Cuius muneris ſic geſſit officia, vt ſuis ipſum laudibus ampliaret. Fiebat honos titulis ſui poſſeſſoris illuſtrior, nec tantùm propriâ,

quantum adminiſtrationis ſui gloriâ præfulgebat. Adeóque cæteros egregiæ prærogatiua bonitatis exceſſerat, vt nec reſtare locus inuidiæ videretur, eóque planè quiſque ſuos ad æqualitatem ipſius aſpirare non poſſe conatus aduerteret: neque quicquam cuiuſlibet laudibus ipſius prælatio derogaret.

Poſtremò ſi non ille humani generis perfidus aduerſator in Petro Leonis Eccleſię Dei præſtruxiſſet inſidias, nulla iam poſt Papam HONORIVM de ſucceſſione quæſtio ſupereſſet, cùm vir vnicus vnicæ dignitati diuinâ iam videretur prouidentiâ præformatus. Ipſum enim hoc diuinitatis conſilio talem conſtat eſſe plaſmatum, vt dum aduerſus Eccleſiam vis huius perſecutionis inſurgeret, eſſet qui ſe tempeſtati ſui ſecurus opponeret, & inter fluctus periclitanti nauiculę ſubueniret. Cúmque ipſum ad hoc onus omnium penè conſcientia deſtinaret, ipſe ſibi iam adeptæ dignitatis locum nequaquam videbatur explere. De ſe enim citra ſuam credere facultatem iudicium ſapientis eſſe. Quod ipſe de ſe ſatis euidenter edocuit, dum ipſum eligentium corona clauderet, & ad Apoſtolatus faſtigia vocaretur; inſtabant precibus, & reclamantem lacrymis obſecrantes, iniecto pluuiali renitentem manibus etiam comprimebant. Cúmque ipſe iniectam ſibi veſtem ſecundò (vt aiunt) totis viribus obſiſtendo rupiſſet; illíque nihilominus inſtandum crederent, ſi quid ſanctis electionibus creditur, timuerunt, ne inter manus eorum tanta reluctatione & compreſſione fatigatus obiret, & ſuffocatam ſingultibus animam protinus exſpiraret. Manibus igitur, donec modicum reſpiraret, inhibitis, dum tertium ex longinquo pluuiale requiritur, inter rorantes adhuc lacrymas, & erumpentes vſquequaque ſingultus, ſic affatur aſtantes: Expediret inſtans negotium excluſa animorum affectione tractari, nec caritatem zelus alteruter impediret, & generale commodum odio familiari, vel gratia in oppoſitum verteretur. Sæpiùs enim præoccupatas mentes fallit affectio, vt & dignos odia reprobent, & indigni ſuggerente gratia præferantur. Quam quidem gratiam in hoc vires ſibi video vendicaſſe præcipuas, vbi ſola obtinere debuerat expenſa pari lance ratio meritorum.

Reluctatur ne ad ſummi Pontificatus apicem euehatur.

Nam vbi me pari voto contenditis tantæ præficere dignitati, profectò non obtinet examinatio meritorum, palamque præualet indulgentior gratia, quæ me vobis nunc & hactenus in imperfectis operibus acceptabilem præſtat. Per quam etiam olim huic ſancto me voluiſtis ineſſe conſortio, quem deiectum inferiùs longè morum qualitas amouiſſet. Quem tamen locum etſi vir nullius virtutis tenuíſque ſcientię impleret, veſtra infirmitatem meam ſapientia ſupportabat, quos eiuſdem ſollicitudinis idem Dominus in eadem paritate fecit eſſe miniſtros. Verùm, oportet nunc ex meritis, non ex gratia iudicare, nec gratioſum tantùm, ſed & dignum conſtituere Sacerdotem. Hîc enim nullum capietur ex paritate ſolatium, vbi conſortem muneris prærogatiua ſingularis excludit. Excludatur ergo beneuolentia, & perſona comparetur officio ad quod vocatur: vita probabilem, ſcientia præditum, celebratum fama tantus honor expoſcit; vbi ipſi diuinum fauorem probabilis vita conciliet: gerendorum facultatem ſcientia conferat, & nominis celebritate clara comparetur auctoritas. Quales ex hoc ipſo numero promptum eſt inueniri. Quis ego ſum, ſub cuius arbitrio rerum ſumma verſetur? Quis, inquam, ego ſum, quem Papam Roma ſalutet; qui non inter primos duntaxat, ſed etiam primorum primus aſſigner? indignum qui præficit, afficit iniuria dignitatem.

Quibus virtutibus qui ad ſūmum Pontificatum eligitur, præditus eſſe debet.

Talia dicentem, & adhuc dicturum plurima ſi liceret, hoc ſermone cœtus aſſiſtentium deſperatus excepit. Excuſationum diſpendia, periculum imminens, & articulus neceſſitatis excludit. Stat enim in inſidijs leo paratus ad prædam, occaſionem ſicut & ipſe noſti, præſtolatus à puero, cuius ſi non præueniatur aſſultus, ſi non impetus obtundatur; nulla iam libertatis ſpes, nulla prorſus honeſtatis diſciplina relinquitur. Antiqua Eccleſiæ Romanæ dignitas occidit, ipſius gloria commutatur opprobrio, & formidata extremis hominum poteſtas vertitur in contemptum. Si enim eſt ille, ſicut equidem eſt, vita contemptibilis, & pollutus infamia, reſtat & contemptum poteſtas ipſa contrahat ex perſona. Quis enim bonus ſubeſſe non recuſet infami? Quis ad honeſtatem coarctari inhoneſtioris arbitrio non refutet?

Si autem honor iſte ritè deferendus eſt digniori, profectò apud omnes infinitorum criminum Petri prælatio nos condemnat. Arguemur nimirum de nobis turpiora confeſſi, quam de ipſo fama vulgauerit, ſi nobis ipſe quaſi dignior antefertur. Æſtimabitur etiam non diſplicere nobis, quod nec in altero non damnamus, ſed & ſuſtinentes crimen conſenſus incurrere, & rei veritate, & exiſtimatione publica conuincemur. Fuit, fuit hactenus hæc Romana Eccleſia caput Orbis, penes quam conſtantiſſima fides, ſuprema poteſtas, honeſtas incomparabilis, inconcuſſa ſeueritas, gerendorum ſumma diſcretio, & nota toti mundo pietas viguiſſet, fuit, inquam, fuit hæc olim terror improbis, bonis in tranquillitate præſidium, in neceſſitate refugium ſingulare; à cuius integritate minores Eccleſiæ vires ſumerent, & velut ab illæſo capite membra ſaucia ſuæ ſortirentur initia ſanitatis. Nunc autem inſtat & à fide diſceſſio, vt antiquæ deſolatio poteſtatis; & omnium bonorum eius caſus manifeſtus apparet, dum homo peccati, perditionis filius reuelatur, vt aduerſetur, & extollat ſe ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe quaſi ipſe ſit Deus. Apoſtolo itaque manifeſtè dicente cognoſcimus, quoniam vel ipſe Anti-chriſtus eſt, vel in ipſo nobis Anti-chriſti tempora præparantur, cuius idem præambulus & miniſter emergit. Ecce enim iamiam intruſionis ſuæ comparat adiutores, & conſpirata in Eccleſia Dei factio conuocatur, quam illi genus, potentia, largitio, promiſſiones, & ſcelerata dudum coniuratio fœderauit. Deſtitutas paſtore lupus oues aggreditur, & vacuam ſedem primus properat vſurpare, quod ſubrogato paſtore præſumere forſitan non auderet. Non enim niſi cùm abeſt Moyſes vitulus conflatur, à populo. Ad quod tamen ſi ipſum poſteà temeritas ambitioſa compelleret, ſaltem quem ſequeretur fidelis populus inueniret. Super quo ſupremum ſibi in te conſtituit Eccleſia ſancta conſilium, vt tuâ regatur prouidentiâ, tuo annitente ſtudio liberetur. Aluit hæc te, & cum in aliquo tui non egeret, excepit, vt in ſumma tranquillitate ſuis educaret vberibus, & proprio foueret amplexu. Nunc multùm poſtulat, & ſuorum repetit præmia meritorum;

vt ſcilicet in neceſſitate ſubuenias, & oppreſſę præſtare ſubſidia non recuſes. Nunquid matrem clamantem non audies? Nunquid non ſolaberis deſolatam? Nunquid non exaudies exorantem? Nunquid poſtulatam manum labenti coram te non porrigens ſuſtinebis?

At verò prætendis ex indignitate tua ſubterfugij cauſam, quaſi nos prudentiam tuam, & ſingularum partium vitæ tuæ merita neſciremus. Profectò ſi te dignum crederes, hac ipſa æſtimatione videreris indignus. Dicis quoque nullum ſperari hîc ex paritate ſolatium, quaſi ab inferioribus conſilia, & obſequentibus auxilia nequeant exhiberi. Nunquid illud præcipuè nobis onus incumbit, cùm velut in humano corpore, is qui præſidet capitis formam, membrorum reliqui ſimilitudinem gerant: vt qui præeſt nutum adhibeat, difficultates expediat obſequentium labor? Reuereris etiam pudore laudabili ſubire tantæ faſtigia dignitatis, in quam ſuprema Regni& ſacerdotij prærogatiua mirabili fœdere copulata conueniunt. At nos, non ad honorem te, ſed ad periculum potiùs inuitamus. Nec enim ſumus ignari, quid aduerſum nos ille aduerſarius machinetur. Iam ſtringit gladios, iam ſagittas acuit; nec viam ſibi ad Apoſtolatum patere niſi noſtri ſanguinis effuſione confidit. Quantumcumque tamen diſcrimen nobis mortis immineat, maluimus ſanguinis noſtri mercedem de manu diuina requirere, quàm de manu noſtra ſanguis Eccleſiæ requiratur; quamuis te mortis ſocium quærimus, immò volumus etiam prçcurſorem. Exponatur iugulus tuus ſicut noſter ad victimam, neque enim fas eſt, ei qui dedit negare ſpiritum cùm repoſcit. Si quid igitur te matris deſolatæ calamitas, ſi quid inundans aſſiſtentium fletus; ſi quis vllus honeſtatis amor, ſi quid virtus obedientiæ mouet, acquieſce. Si acquieſcis, exhibemus obſequia: ſi recuſas, exigimus de inobedientia pœnam. Eadem enim quæ Papæ ſuperſtitis eſt, ipſo decedente penes nos præcipiendi & vlciſcendi quoque conſiſtit auctoritas, donec alius inducatur.

His dictis parabant excommunicationis promulgare ſententiam. Allatum interim ex longinquo pluuiale præ manibus offerentes. Quid faceret? tentaret ex fuga ſubſidium?

At illud continua ſeniorum corona claudebat. Poſtularet nducias? ſed qu ominus impetrarentur, dilationem rei inſtantia Petri machinamenta negabant. Negaret ſemper? At illi gladio ſpiritus imminebant anathematis pœnam protinus intentantes. Dum ergo ſibi videtur inter geminę mortis concluſus anguſtias, alteríque eorum lege neceſſitatis obnoxſus, diſcrimen periculi corporalis excepit; quia dum reſpuit anathematis experiri ſententiam, inſidiis, immò potentię ſeſe Petri Leonis obiecit. In eo autem quo ordine ſequenti die Petri proceſſiſſet intruſio, non diutiùs immorabor, quàm vt dixerim virũm turpem, fœdatum infamia, publica exiſtimatione damnatum: poſteriùs à . . . . . . . . . . . & parentibus eſſe promotum. Ad te potiſſimùm, Girarde, reuertar, vt quid egeris orta tempeſtate cognoſcas, & aures tuę eorum quæ malè geſſiſti contundantur auditu.

## CAPVT V.

NVNTIATO in Gallijs ſchiſmate, dum pro partibus vario fauore multi multa loquuntur, fideliſque populus ancipiti raptatur errore, primus Regum Catholicus Princeps Rex Francorum LVDOVICVS occurrit. Is vocatis Epiſcopis, & omnibus qui probatę religionis in Galliis habebantur, conuocato etiam Clero regníque Maioribus, Concilium ſtatuit generale. Cúmque ſe Petro-Leonis ob ſua & patris obſequia fateretur obnoxium, nihil tamen ſuper hoc celſitudini Regię voluit arrogare. Epiſcopis, & Patribus qui ex monaſtica religione conuenerant, omni tradita poteſtate, vt eis, & in eos omnis diffinitio conferretur; eo quòd penes ſanctos Epiſcopos Eccleſiæ diſpenſatio tota conſiſtit; & Abbates, quos diuinitatis contemplatio recreat, diuina latere conſilia non creditur. Cui concilio quoniam intereſſe, GIRARDE, non poteras cum litteris tuæ deformitatis imagine conſignatis nuntium deſtinaſti. Vtramque te nouiſſe perſonam, & electionis ordinem pleniùs exquiſiſſe, proculdubio cum INNOCENTIO Papa ſtare iuſtitiam, eo quòd planè vir eſſet honeſtatis egregię; &

Rex Francorũ prior Schiſmati occurrit.

Girardus Petri Leonis prauos mores ſcriptis oſtendit.

ipſius electio prima tempore, & à præcipuis Romanæ Eccleſię fuerat celebrata perſonis. Porrò PETRVM per opulentam manum Cathedram poſteriùs vſurpaſſe, virum adeò vita reprobatum & nomine, vt ſi ipſum etiam quælibet electionis forma defenderet, promoueri tamen vitæ qualitas, & infamia minimè ſuſtineret. Id tibi, & tuæ largitioni ſubiectis ratum fore; ídque cùm Lugdunenſem, tum Viennenſem Eccleſiam, tum totam fere Italiam ab ipſis vrbis mœnibus excepiſſe. Aderant autem ibidem venerabiles quæ Romæ fuerant ſub eadem tempeſtate perſonæ, quæ rerum ſeriem planè cognouerant, præſertim quæ oculata fide ſingula percepiſſent. Habebantur quoque ſuper hoc ipſo & aliarum quæ non aderant vltrò delegata teſtimonia: ſimul & perſuaſiones perſonarum, quas ſpiritum Dei habere certa fides eſſet, cùm tot hominum ſenſus in eamdem fortè confluerent voluntatem. Sicut enim vna bonorum fides eſt, ſic & ſpiritus vnus: malorum verò ſpiritus multiplex, & voluntas ambigua.

Tandem ergo fauore diuinitatis multis lacrymis implorato, dum vtriuſque perſonæ merita & proſequentia partes ſtudia conferuntur, inuentus eſt PEFRVS indignior adeò, vt ex ipſius comparatione alteri perſonæ irrogari grauis iniuria videretur. Studia verò partium tanta diuidebat imparitas, vt Petro nondum extra vrbis mœnia quiſquam fauor, alterum infra vrbem quidem pars potior elegiſſet, & extra vrbem vſque ad fines terræ tota iam fere Patrem confiteretur Eccleſia. Sumpta igitur ex Magni Leonis Papæ decreto ſententia, vbi ſe partium vota diuiſerant, viſus eſt illis iure canonico præferendus is, qui maioribus ſtudiis iuuabatur & meritis. Qua nimirum ratione cùm in Papam INNOCENTIVM inſpirante Domino conueniſſent, ipſi ſtatim de obedientia tua, & debita ſubiectione ſcripſiſti: poſtulaſti tamen ipſius honorari reſcripto, & munus legationis habitæ confirmari. Viſum eſt ſimoniacum, fauorem tuum redimere legationis officio: & cùm ipſe partes illas viſitare ſub eodem tempore decreuiſſet, nullus locus poterat ſub ipſius præſentia reſtare legato. Neque enim Legatus præſentis perſonæ, ſed abſentis explet obſequium. Iámque

*Electioni primùm Innocentij aſſenſit Gerardus.*

tantus ad Romanas aures malæ amminiſtrationis tuæ clamor aſcenderat, vt eſſet de eo quod olim imperaueras pœnitentia maior, quàm vt modo reſtituereris affectus. Tuliſti repulſam grauiter, & mutilata potentię tuæ cornua doluiſti. Atque inferioribus anteà modò factus inferior, & velut in ſenectute reputatus inutilis, conſueti beneficij finem, rapinæ ratus iniuriam, temerariæ ſuccenſus es vltionis affectu. Quoniam dum repulſa miniſtrat iracundiæ cauſas: & innata dedignationem parit elatio; addidit ambitio cœcitatem, quę quidem res cùm otia neſciant, & à ſuis effectibus vacare non poſſint, contemptum iam ſuſceptæ partis dedignatio fecit, indiſcretionem cœcitas operata eſt, temerarios auſus iracundia præformauit. Spreto igitur eo quod rectè ſuſceperas, & indiſcretè conuerſus ad aliud, temerariè prioribus contraria concepiſti; factúmque eſt quod in rebus ſæpe contingit humanis, vt circa rem propenſiùs affectatam, ſpem præcipitem deſideria concepta firmarent. Miſiſti Legatum Romam, qui eidem quem iam deuoueras Petro fauorem tuum venalem, pro munere legationis offerret, & ſimilem ſibi miniſtrum Domino fœderaret. Expletum eſt ſine difficultate commercium; & dum te cœcitas indiſcreta conducit, miniſtrum te ſchiſmatis addixiſti, vt inutili priuilegio donareris. Formata eſt tibi ſed inanis noua legatio & quicquid ab Alpibus vſque ad fines Occidentis interiacet, tuæ ditioni ſed inefficaci donatione ſubiectum eſt. Et ne excedenti ambitioni tuæ fortaſſis anguſtior prædictorum finium præſcriptio videretur, adiectum eſt, vt vbicumque calcaret pes tuus, ibi eſſet legatio tua. Inueniſti, Girarde, hominem de alieno munificum, ſed ſi rei fructum diligenter attendas, dum tibi reſcribuntur maxima, minima recepiſti. Nihil enim tibi Petrus impendit, niſi quod nec ab ipſo, nec ipſius poteſt nomine poſſideri. Impleuit tamen aures tuas ſpacioſitas circumſcripta terrarum, & cupiditatem tuam rei qualitas æſtimata ſolo ſtatim gaudio ſatiauit. Sed ambitionem tuam digniſſimus excepit euentus, dum munus inutile prima ſtatim rerum experientia deprehendiſti. Emiſſis igitur ex omni parte curſoribus, cœpiſti Principes ſollicitare fini-

Sed poſteà ſententiam mutauit, quòd ipſi negatum legationis officium.

timos, eos ſcilicet qui rei nondum cognita veritate neutrius adhuc partis nomine nitebantur.

## CAPVT VI.

Henricum Regẽ Anglorum ad partes Petri Leonis allicere tẽtat Girardus.

DE circumueniendo autem Rege Anglorum HENRICO præcipuè laborabas; & quia cauteriatam conſcientiam habens, Principi Catholico & ſapienti de ſuſcipiendo PETRO LEONIS manifeſtè ſuggerere non audebas, vt neutrum ſuſciperet mirabili ſolertia ſuggerebas (ita tamen vt in Petrum tua aliquanta procliuior oratio videretur) Rem ſtare ſub dubio, multos vtriuſque partis eſſe fautores, feſtinaſſe quoſdam, qui iam multa pœnitentia ducerentur: Petri Leonis in ciuitate inexpugnabilem eſſe potentiam, præſertim qui munitionibus maximis, qui pecuniâ plurimâ, qui denique parentum multitudine maxima fulciretur. Aſſeuerare multos ipſum non iuſtitiâ, ſed potius inuidiâ reprobatum; eo quòd perſpicax eius ingenium, & amplitudinem animi, & irrefragabilem potentiam reliqui vererentur: Neminem tamen eſſe, qui poſſet eum vrbis priuare dominio, penes quam caput Eccleſiæ ſemper fuiſſe, ſed & denique reuerſurum fore nullus ambigeret. Ipſum, & eos qui cum ipſo erant, ſufficientes ex proprio, & omnes ad Apoſtolatum pertinentes ciuiles redditus obtinere: non oportere ipſum ad alienas inſpicere facultates, nec ad inuertendum quidlibet rei familiaris inopia compellendum. Si ſuſciperet alterum, oneroſum ſibi, & ſuo regno fore, & quod Regi eſt etiam damno deterius, dedecus affuturum, ſi pars altera præualeret. Nihil eſſe importabilius indigente Romano, ſub cuius ſis arbitrio conſtitutus. Diſſimularet igitur, & rerum exitus potiùs expectaret, quàm ſera præcipitem ſententiam pœnitentia ſubſequatur. Vtilius enim eſſe ſine diſpendio declinare pericula, quàm cum graui diſpendio ipſis vltrò periculis obuiare.

Contemnit Rex Girardi fraudulentos ſermones.

Agnouit Rex ſapiens latentem in ſermone ſerpentis aſtutiam, & venenum ſub melle reconditum, quia ſcilicet iſta non bona fide conſulentis animo mandaueras, ſed fallentis,

vt Domino Papa priùs qualibet arte fraudulenter excluſo, ad loquendum pro Petro tibi commodior aditus appareret. Facilius enim ad fauendum parti noſtrę vacuos vendicamus affectus, quam fauore iam partis alterius occupatos. Ille verò non diſſimulandum, ſed laborantis Eccleſiæ neceſſitatibus adiutor vltroneus credidit occurrendum, ne perſuaſione tua probaretur acephalus; & ab vberibus matris ſuæ fieret alienus. Rex maximus, cuius ad iuſtitiam omnes ferè Principes inuitantur exemplo, cuius in pauperes munificentiam, liberalitatem in omnes, cuncti Reges mirari poſſunt potiùs, quàm velint aut valeant imitari. Cuius ſapientiam regnum ipſius & Ducatus etſi latè ſpacioſa non continent, ſed ad circumiectas refunditur vndique poteſtates.

Regis virtutes extollit Author.

Cùm autem, Girarde, Regibus Hiſpanorum, Britannorúmque Principibus eadem ſuggerendo mandaſſes, & ſperatos fructus concinnata tibi mendacia non referrent, cœpiſti dementiore veſania infra domeſticos parietes debacchari. Pictauienſem Comitem nactus erroris ſocium, & ſchiſmatis adiutorem; quem etiam Pictauienſis Epiſcopi Catholici ſenis negata depoſitio, & contra ſacratiſſimos canones non exaudita petitio, indignatum pariter à Catholica repulit vnitate.

Hæc ſunt, Girarde, quæ pro Eccleſia & aduerſus Eccleſiam ſub initio tempeſtatis egiſti, quæ licet rudi forſitan & inculto ſermone narrauerim, ſolam ſaltem ſequi potui veritatem. Nihil enim ſcripſi, quod non vel ipſe cognouerim, vel auctore probabili non haberem, vel quod ſaltem fama publica non affirmet, vt proinde non minus alijs probabile videatur, cùm ipſi tot teſtimonia ſuffragentur ad fidem. Iam verò ſi rectè propoſitę partitionis membra recolligo, ſola mihi propoſiti mei ſupereſt pars extrema, in qua quibus Eccleſiam Dei moleſtiis vexare quidem & perſequi non deſiſtis, ex parte dicendum eſt. Si quis enim vellet cuncta narrare, nec ad dicendum lingua ſufficeret, nec calamus ad ſcribendum.

## CAPVT VII.

SVSCEPTA igitur PETRI LEONIS Epiſtola cœpiſti per fines Aquitaniæ diſcurrendo priſtinæ prædicationi tuę prædicare contraria, Petrum ſcilicet Leonis ANACLETI nomine, ſed veriùs Anti-chriſti, Papam eſſe; cuius quidem Apoſtolatum ſedes principalis exciperet, & totius ciuitatis obedientia confirmaret. Alterum ciuitate pulſum cum paucis fautoribus ſine certa ſede vagantem, auertentem populos, & ab Eccleſia ſeparantem; quem nec Cathedra Lateranenſis agnoſcet; nec ei obſequium Romana ciuitas exhiberet. Quem Papam credere ſimilis amentia videbatur, vt ſi quis carentem regno Regem dicere, deſtitutum principatu Principem appellare voluerit. Quaſi modò, Girarde, iuſtitiæ loca præiudicent, & ius dignitatis perimat illius ciuitatis egreſſus, & velut ſolius populi Romani fauor, omnibus ferè populis debeant anteferri. Nunquid enim ipſe Laterani reſidens, in illa Beati Ioannis Eccleſia principali Chriſtianiſſimum Principem LOTHARIVM conſecrauit in Regem? Nunquid ipſum & Imperij nomine, & Imperiali diademate renitentem ſolemnitate debita decorauit? Nunquid ipſum pars magna nobilium, & totius populi conſcientia comitatur? Nunquid eidem vrbis habitatio, & ingreſſus pro arbitrio patens eſt & egreſſus? Quibus profectò ſi careret omninò, nullo tamen eorum poſſet iuſtitiæ derogari. Sed dum te latens odium ſtimulat ad vindictam, linguam mendacio non negabas, vt verba veneno mendacij toxicata, infidelitatis vulnere ſimplicium pectora ſauciarent. Circa quod dum vnicum tibi propoſitum vnicus * vrguendi labor; vnica laboris perſeuerantia conſtat, torrentes impetus tuos præuertit modicum vis diuina; primúmque de inefficacia ſperatæ poteſtatis argumentum acceſſit, in ligationem verſa legatio. Captus es, & menſibus aliquot recluſus in carcere, donec quos gratia prædeſtinauerat, plena veritatis agnitio confirmaſſet, & qui priùs de reſcripta tibi legatione ſperauerant, de ligatione poſteà deſperarent. Reſerato autem carcere proceſſiſti quaſi

Lotharium Regem & Imperatorem inaugurauit Innocentius Papa.

* *Ita Tertul. pro vrgendi.*

quaſi pardus è cauea, cuius rabie carcere diutiùs & catenis inhibitâ, ſi fortè liber euaſerit, inſurgit audacior: nec eum vlla poteſt ſanguinis effuſio ſatiare. Æſtimabas adhuc auctoritate tua totum poſſe præuerti, quod Eccleſia ſancta dictauerat, & penes te rerum pondera & momenta conſtare. In quo neſcio tuámne magis cœcitatem vel arrogantiam mirer. Quia quæ arrogantia maior, quàm hominem penè ſolùm aduerſus illud inſurgere, quod Diuina prouidentia confirmauit, quod omnis Religio confirmauit, quod omnium Regnorum fauor confirmauit, quod & ipſe quantum ſua intereſt confirmauit? Quæ maior cœcitas, quàm vbi nullum Dei præcedit, exile hominis ſuccedit auxilium, contra vniuerſitatem ſperare victoriam? Non potes negare, quin falſi crimen & inconſtantiæ ſimul incurreris, leuiſſime transfuga, modò harum, modò illarum partium malefidus aſſertor, cuius in ſingulis operibus duplices vias, duplex ſignat intuitus, & affectus mentis ancipites, ambiguus manifeſtat aſpectus. Sicut enim corporales oculos tuos innaturalis quædam diſtorſit enormitas, vt ad idem contuendum mirabili nequeant diſcordia conuenire, ſic & mentis oculi diſſident, ratio ſcilicet & affectus.

Pictauienſis ac Lemouicenſis Eccleſiæ Comitis viribus abutendo, Catholicos eieciſti Pontifices, alios extraordinariè ſuperponens; Quorum alterum minus vitâ probabilem, & nullarum hominem litterarum, & in vulgari etiam ſermone fere prorſus elinguem, Romana Eccleſia ab eiuſdem Pictauienſis Eccleſiæ regimine reprobatum, olim canonica deciſione remouerat. Ille tamen nunc auctoritate ſua iura patris ſuperſtitis vſurpare non renuit, quamuis ipſi obligatus filialis obedientiæ vinculo teneretur, & licet ſeſe totum manibus eius fide etiam corporaliter præſtita dedicaſſet. Alter verò nec ſæculari præditus, nec ſcientia litterarum, famoſus apud omnes adulter, ſingulis fere noctibus à dæmonio rapitur, primúmque de ſtrato prouolutus in terram, horrendum clamans per totam diem, domum dormiens etiam dicitur euagari; néue ſit circa eorum qualitatem diutiùs immorandum, primis ordinibus, nedum ſacerdotio, nedum etiam Epiſcopali officio conuincuntur indigni. Sed ne-

que tu, niſi tibi conſimiles, poteras æſtimare condignos, nec diſſimilia tibi capitíque tuo Petro membra formare. Semper enim proprium quælibet opera confitentur artificem, & in eis voluntatis eorum vel ſcientiæ velut imago quædam reperitur expreſſa. Quid autem celeberrima Monaſteria ſanctis Abbatibus expulſis deſolata commemorem; & ſubrogatos ad eiuſdem ſollicitudinis onera precio vel gratia iuniores? Quibus adminiſtrantibus tanto iam cœpere monaſteria laborare defectu, vt in iis quæ ſingulari nuper religione pollebant, nulla iam ferè virtutis aut regulæ veſtigia reſtent. Illis enim quorum eatenus ardentes monaſticus ordo frænabat affectus, traditæ diſpenſationis occaſio licentiam comparat effluendi. Nihilque ad periculum religionis efficacius eſt, quàm irreligioſum ſuſtinere Paſtorem.

Hîc autem te, GIRARDE conuenio, & veteri de Apoſtolatu pauliſper ſepoſita quæſtione, quaſi tibi Petri munere ius legationis accedere potuiſſet; in his operibus ordinem requiro canonicum. Spoliatos rebus, ſedibus ſuis violenter expulſos inconuentos, incommonitos, abſentes quoque, nullo tecum Epiſcopo reſidente, damnaſti. Sed vt hæc etiam ponamus ordine proceſſiſſe canonico, in aliorum ſuperpoſitionibus regularem diſciplinam, formámque rationis expoſco. In illorum enim qualibuſcumque promotionibus nec iuſtitiam, nec vmbram iuſtitiæ, dinoſceris attendiſſe.

Blanditur elatis auribus tuis fortaſſe tantæ rememoratio poteſtatis, quia hæc pro tua potuiſti præuertere voluntate. In quo ne nimiam capias voluptatem, quantum tibi partique tuæ profueris conſequenter attende. Tertia pars Pictauienſis Epiſcopatus quem poſuiſti non agnoſcit Epiſcopum, eíque totus ferè Nobilium numerus reſpuit obedire. Adeóque omni conſcientia reprobatus abijcitur, vt & frater eius naturalis excommunicatum ex hoc ipſo iudicet, nec vlla ei communione iungatur Catholicus verò vſque ad portas ciuitatis plena poteſtate dominatur Epiſcopus, & eum maiores perſonæ pontificalis Eccleſiæ comitantur, ad formam beati Petri relictis omnibus exulem proſecuti. Alij fornices ciuitatis inhabitant, qui ſuper ollas carnium recum-

bentes, gentis & loci potiùs quàm animæ perditione terrentur. At Lemouicenſis ab vrbe ſua ſtadio vno vix interiacente remotus, caſtrum ſancti Martialis pro foribus vrbis inhabitat; vnde is qui ſedem ſibi cathedræ Pontificalis vſurpat, ſingulis diebus audire poſſit campanas in ſua excommunicatione ſonantes. Te quoque Paſtorem ſuum Engoliſmenſis patria minimè profitetur vbique, ſed & ibi multi catholicæ partis nomine gloriantur.

Diſtuli circa extremitates orationis huius de vſurpatione Burdegalenſis Archiepiſcopatus apponere, vt ex hoc illa effrænis ambitio tua irrefragabili liqueat argumento. Engoliſmenſi Eccleſiæ copulatus ſpirituali connubio tenebaris impudens tamen dominandi libido contemplatione prænominatæ dignitatis incanduit: & dum deſcendentium iam rerum tuarum detrimenta non ſuſtines, ad compenſationem fruſtratæ legationis in amplexum quaſi ditioris adulteræ prorupiſti; filiæ ſponſus inceſtu matrem nefario polluere non abhorres, & monſtrum biceps, infauſtum ſæculo prodigium non renuis apparere. Non expetitio populi, non cleri præceſſit electio: ſed etiam nunc excommunicatum reputans, vniuerſitas tibi, vel pars ſaltem maxima, refragatur, in partem catholicam multo deſiderio ſuſpirantes.

## CAPVT VII,

AGE ergo, vt quaſi ab initio ſumma omnium breui complexione claudatur, quia ab eo quod exceperas receſſiſti, temeritatis vel inconſtantię te condemnat. Aut enim huic parti temerarius conſenſus adiunctus eſt, aut certè nimis inconſtanter ademptus. Quòd autem fauorem tuum ab hac parte prima tulit negatio, nullum cœcæ ambitionis eſt firmius argumentum. At verò idipſum palliari fortaſſis aliquo conquiſitæ falſitatis velamine potuiſſet, ſed facta in alteram partem non niſi eadem legatione impetrata fauoris tranſlatio, omnem tibi copiam defenſionis ademit. Ad ſummam, iam te non illicitè ſolùm, ſed & impudenter operari conuincit, Archiepiſcopi & Epiſcopi in eamdem perſonam facta confuſio.

His itaque de te toti mundo patentibus, qua ſaltem ima-

gine iuſtitiæ tibi nomen vſurpas, dum publicè ſuadere putas, te, etſi non ex ſcientia, zelo tamen taliter operari? Nunquid hæc opera, te non imprudenter ex ſimplicitate delinquere: ſed impudenter ex arrogantia contemnere manifeſtant? *Impius* enim cùm *venerit in profundum contemnit.*
*Prou.18.3* Saltem deficientia naturæ lege membra conſidera, quia tempus eſt finem dare nequitiæ, & inutiles mundo reliquias expectanti Deo gratum munus offerre. Declines ad infima, vultus attolle, & enormes oculi tui ad partem dirigantur oppoſitam, vt videas quàm bonum & iocundum eſt in vnum habitare. Sed quoniam nocturnus bubo lucem diurnam non ſuſtines intueri, cœcus aures arrige, niſi & eaſdem inſurdauerit obſtinatio cordis. Audi ergo cum quibus habites, & quorum conſortia reſpuas. Infidelis, vniuerſitas illa quam ſequeris, familia Petri Leonis eſt, nondum fermento Iudaicæ corruptionis penitus expiata. Et Tyrannus ille, quem altrix tyrannorum Sicilia ſuſtinet: Dionyſij ſucceſſor: Aulæ ipſius hæres, & ominis, emptus inani Regis nomine; Dux quidem antea, nunc verò nec Dux ipſe nec aliud, quia nomen alienum, quod contra iuſtitiam Tyrannus vſurpat, in ipſo nullatenus obtinere certo iure firmatur; huic numero ſolus Pictauienſis Comes adicitur, voluptatum vir, animalis homo, arcana ſpiritualium non attingens, ob repulſam petitionis illicitæ mancipatus errori. Sub qua paucitate ſi quis ſanctam dixerit Eccleſiam contineri, certè non derogata ſolùm Chriſti videtur hæreditas, ſed penitus abrogata. Vbi ergo Dauid ſancte, vbi tua vetus illa promiſſio? vbi Pauli? vbi ſanctorum teſtimonia Scripturarum? Ille enim Rex Sanctus ex perſona Patris ad Filium. *Poſtula*, inquit, *à*
*Pſal.2.8.* *me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam*
*Ibid.71.8* *terminos terræ.* Et alibi *Dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* Et Paulus: *Deus*, inquit, *exaltauit eum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomẽ vt in nomine* IESV *omne genu flectatur.* Dices fortaſſis, iam impleta quæ dicunt, nec obſtare hæc quominus poteſtatis huius immineat defectus. Sed regni eius non erit finis: Regit enim in virga ferrea. Partem verò noſtram, ſi tamen hæc tantilla cogat exceptio, vt nomine partis vniuerſitas fere tota vocetur, omnis Imperator, omnis Rex, omnis Prin-

ceps, omnis homo denique profitetur: quicumque Chriſtiani nominis inſignitur honore. Sed ego, ſi qua fides eſt, fauorem Principum populíque, quos adhuc ſecularis tenet affectio compeditos, in tam diuino negotio negligenter attendo. Horum in hoc mihi conſenſus præcipuus eſt; horum me mouet, motum trahit, tractum tenet auctoritas quibus datum eſt noſſe myſterium Regni Dei, quorum in cœlis eſſe iam ex parte conuerſatio perhibetur. Quales reuera ſunt qui Carthuſiæ perpetuas niues inhabitant, & qui à Ciſtercienſi, vel Cluniacenſi Monaſterio profluentes lucis ſuæ radios vndique diffuderunt. Hi enim à manibus ſuis & animo, ſaniore conſilio terrea remouentes, aſpera veſte, cibo cùm raro, tum arido, vigilijs, multiſque laboribus corpus macerant, ad eam tantùm retributionem totis animi viribus anhelantes, quam diligentibus ſe gratiam repromiſit. Horum ſancta conuerſatio, ſermo ſapiens, in diuinis diſcretio perſpicax, quam denique nulla nubes terrenæ denſitatis obfuſcat. Patitur quidem eos Deus moleſtijs affici, vt tanquam aurum in fornace probentur, ſed vltra eorum non excreſcit tentatio facultatem. Licet igitur eos adhuc ex parte remoretur in terris, vt promiſſas augeant deſideria protracta coronas, à diuinis tamen conſiliis non creduntur excluſi: *Angeli* enim *eorum ſemper vident faciem Patris:* & eos familiari ſancti Spiritus viſitatione faciunt illuſtrari. Neque enim etiam in præſenti, ſua deſerit retributio ſuſtinentes: iuxta illud: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Vado* enim, inquit, *& venio ad vos, & gaudebit cor veſtrum.* Quid igitur? fraudabitur operis ſui fructu pars electa quam dico, & promiſſionem ſuam diuinitas immutabit? Abſit. *Iurauit* enim *Dominus, & non pœnitebit eum.* Horum ergo mentes promiſſus Spiritus Sanctus inhabitat, quas congrua ſibi templa parauit, & eas neceſſariò plena cognitione veritatis illuſtrat. Quoniam ſi Spiritus Deus eſt: Deus autem veritas, profectò ſub præſentia Spiritus non reſtat ignorantia veritatis. Quid plura? Iam ne ſermo noſter metas debitæ breuitatis excedat, pauca de pluribus, minora de maximis dixiſſe ſufficiat.

Carthuſienſes, Ciſtercienſes, & Cluniacenſes laudat.

*Matt.* 18. 10.

*Pſal.* 93. 19.

# MISCELLANEA EPISTOLARVM.

## *EPISTOLA POTAMII AD ATHANASIVM,*

* Deeſt hic nonnihil velut, impetitum.

### *Ab Arrianis * poſtquam in Concilio Ariminenſi ſubſcripſerunt.*

EPISTOLA I.

DOMINO *Fratri glorioſiſſimo ac Beatiſſimo* ATHANASIO *Epiſcopo* POTAMIVS.

Tanti carceris foſſa crudam illuuiem damnabilis officinæ coaceruata, vt rectè conſcribis exordium & ſtercoris cruento de fœtore cadauerum mortuorum, quæ magis manu potuiſſet igneis virtutibus extricare vel radere, niſi illa tua caſtis de exilio capitis coronati perennata titulis excluſiſſet hæreſis ſectam anathema maranatha, adriſiſti, inquam, nobis Catholica virginitate * perfeſtus iugulando perfidos, damnando periuros, corruptas adulterio mentes ambiguas, maledicti pecoris libidinoſo commercia veneno damnabiliter ſarcinata, vnius fidei romphæa feriente viciſti. Iaceat ſerpens, & terra quę illum ſuſceperit purulento veneno nigreſcat: iaceat ſerpens cœleſti ictu damnatus, iaceat ſerpens ſanguineo horrore contractus: iaceat ſerpens eliſo luminum ſinu, triſulci oris patefactâ ſentinâ vomat, defluat, torqueatur culparum auctor, cui paruum fuerat quòd Protoplaſtum æternitate priuauerat, niſi & contra Saluatorem hydra viroſior prorupiſſet. Separare voluit Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, quaſi verbum Chriſti poſſet incidere ſubſtantię fibula concatenata Trinitatis vnitate, vt ait: *Ego & Pater vnum ſumus.* Et, *Qui me videt, videt & Patrem.* Et, *Ego in Patre & Pater in me.* Et, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Lanio truculentus; parri-

*perfectus.

Ioan. 10. 30.
Ibid. 14. 9.
Ibid. v. 11.
Ibid. 1. 1.

cida deſertor, miluinis, vt reor, vnguibus, vel dentibus malè ſanis, ſi potuiſſet, tentauit ſcindere.

Et poſt hæc quid oppoſuero blaſphemiis? *Qui me miſit*, inquiunt, *maior me eſt*. Ex quo genitus eſt Pater? vtique quia filius confitetur; maior ergo quia Pater Filio? ordo præponitur, non ſubſtantia ſeparatur. Quid ad hæc dicis adulter infamis? Bene quod te antiquitas Patrum in Synodo ſanctiori, voluntate viperea impurę viroſitatis inflata, caſtis etiam te transfixere miſſilibus. Nam & hîc doceris calumniandi pedicas prætendiſſe, quòd Saluator ait: *Non veni opera mea facere, ſed eius qui miſit me*. Quid dicis ſerpens? Nunquid in hac luce tenebras infundis ſimplici huic profeſſioni, quam queſtiunculam putant. Tempus in cauſa eſt, Saluator apud homines, quia hominum corpus induerat, videbatur in corpore, ideò dixit: *Non veni facere opera mea*, hominis in ſe negauit officia? Clamat ergo, vt illum ordinatorem in ſe prædicet, quem in ſe ſibi meminit auctorem Patrem; quia filius ſequitur vocabulo, ita maior eſt ille qui præuenit; ſed & mittentis & miſſi, quia tres vnum ſunt. De diuinitatis vnitate vna ſubſtantia eſt: *Ego & Pater vnum ſumus*. Et: *Qui me videt, videt & Patrem*. Et ipſe Saluator ad Apoſtolos: *Tanto tempore*, inquit, *vobiſcum ſum, & Patrem non noſtis*?

Arrianorum obiectio. *Ioan*.14.28. *Ibid*.6.38. *Ibid*.14.9

Dicunt etiam quòd in libris dominicis ſubſtantia nunquam videatur eſſe conſcripta. Redde quod inuolaueras furaciſſime tentator: Ecce vinceris confutare de ſubſtantia; etenim boni clamant Sanctorum antiqui greges Prophetarum tota præconia, vt ait; vocem ſubſtantiæ à volatilibus cœli vſque ad pecora expauerunt, & vociferabantur: *Et dabo Hieruſalem in tranſmigrationem*. Ecce cùm Chriſtus Deus anteriori de populo minimè eſſet auditus tabefactis commanentibus Hieroſolymę columnæ ceciderunt. Ecce miſer, adhuc licet vna Dei ſententia ſufficere debuit, quod Propheta ſanctus intonuit. *Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea, & audiſſent ſermones meos, & docuiſſent populum meum, auertiſſem eos à malis ſtudiis eorum*. Ecce hîc fœlix de ſubſtantia in fœlicibus populis prorupit auditus, vt & Propheta ex perſona Adæ Chriſtum requirat in lacrymis: *Infixus ſum*, inquit, *in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*. Scilicet quia nec-

Iterum obiiciunt. *Ibid*. *Ezech*.12.11. *Ierem*.23.21. *Pſal*.68.3

dum Patris ſubſtantia apud Chriſtum in carne conuenerat. Sicut & ille Euangeliſta, cùm vaſtatis rebus luxurioſè viuendo perdidit omnem ſubſtantiam ſuam, vt ſanctus Dei vates
*Sap.* 1. 5. ſcripſit: *Spiritus Dei effugiet fictum*: Inde ergo ſubſtantiam perdidit; quia per luxuriam Sanctitate caruit, ſi tibi ſufficit, dixit, quibus ſi iam palpitas, plena ſunt omnia: ſi adhuc tor-
*Eccleſ.* 2.8 queris, intendo, Scriptum legimus: *Congregaui enim aurum*
*Pſal.* 61. *atque argentum, & ſubſtantiam Regum & regionum.* Hæc
12. eſt illa ſubſtantia, quam Propheta meminit dicens: *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui.* In vna quippe voce duo
*Ibid.* 44.2 hæc audiſſe ſe Propheta teſtatur: Vt ait Dauid; *Lingua mea calamus ſcribæ.* Vt enim calamus denticulorum ſubdiuiſa æqualitate ducitur, & radiis conſonantibus expeditur, ita Saluator indiuiſibili connexione cum Patris operibus vnitatur. Quod enim Pater dixit, filius exclamauit, & quod filius locutus eſt, Pater impleuit.

Merito, inquit, *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui.* Duę perſonæ vnum tulêre iudicium; vt in decalogo vna ſententia duplices tabulæ conſcribuntur. Obmuteſcat hæreſis æterno ſilentio prædamnata, diuinis ictibus cæſa, baratro tartaríſque depoſita. Sola ſemper cum laureis ſuis virgo puerpera, Deo vna, nobis columba fœcunditate numeroſior, vſque ad nubes cœli caput coronatum attollat. Sit benedicta cum populis Trinitatis vnitate conſegregata iuſtiſſimis; cuius laude plena eſt, à nunc & in æterna ſemper ſæcula ſæculorum beatificet Pater & Filius & Spiritus Sanctus.

---

EPIST. 2. *Incipit Epiſtola ſancti Liciniani Epiſcopi de libro Regularum,*

*Ad ſanctum Gregorium Papam vrbis Romæ directa.*

DOMINO *Beatiſſimo Papæ* GREGORIO LICINIANVS *Epiſcopus.*

*Gratias agit de libro Paſtorali.*

Librum regularum à ſanctitate tua editum, & ad nos diuina gratia opitulante perlatum, tantò libentiùs legimus, quantò

quantò in eo ſpiritales regulas ineſſe cognoſcimus. Quis non libentiùs legat, vbi iugi meditatione medicinam animę ſuæ inueniat: vbi contemptis huius ſæculi rebus caducis in ſua mutabilitate variantibus ad æternę vitę ſtationem oculos mentis aperiat? Liber hic tuus omnium eſt aula virtutum: illic prudentia inter bonum & malum diſcretionem limitis figit: iuſtitia vnicuique ſua tribuit, dum Deo animam, corpúſque animę ſubdit. Illic fortitudo etiam in aduerſis & in proſperis reperitur ſemper æqualis, quæ nec in contrarijs frangitur, nec in proſperis exaltatur. Illic temperantia furorem libidinis frangit, diſcretéque voluptatibus modum imponit. Illic cuncta quæ ad vitæ æternę participium pertinent comprehendis: & non ſolùm Paſtoribus regulam viuèndi deſcribis, ſed etiam his qui regiminis officium nullum habent, viuendi regulam tribuis. Habent enim Paſtores in quadripartita tua diſtributione quales ad hoc officium veniant; qualem vitam gerant cùm venerint; qualiter vel qualia doceant; & ne in tanto Sacerdotali culmine extollantur, quid agant adteſtantur. Huic eximiæ doctrinæ tuæ Sancti antiqui Patres, Doctores, Defenſoréſque Eccleſiæ Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius Nazianzenus, hi omnes teſtimonium tibi præbent, ſicut Apoſtolis præbuerunt Prophetę. Hilarius ſanctus dicit exponens verba Apoſtoli Doctoris gentium. Ita etenim quæ propriæ diſciplinæ & morum ſunt, ad ſacerdotij meritum vtilia eſſe ſignificat, ſi etiam hæc quę ad docendæ ac tenendæ fidei ſcientiam neceſſaria ſunt, inter reliqua non deerunt; quia non ſtatim boni atque vtilis ſacerdotis eſt, aut tantummodò ſcienter agere, aut tantummodò ſcienter prædicare, cùm & innocens tantùm ſui ſufficiat ſi doctus ſit, & doctus niſi doctrina viuendo adteſtatur. Huic libro tuo Sanctus Ambroſius in illis libris quos fecit de Officijs, adteſtatur ſanctus Auguſtinus, dicens: [ In actione non amandus eſt honor in hac vita ſine potentia, quoniam omnia vana ſub ſole, ſed opus ipſum quod per eumdem honorem vel potentiam fit, ſi rectè atque vtiliter fit, id eſt, vt valeat ad eam ſalutem ſubditorum quæ ſecundum Deum eſt. Propter quod ait Apoſtolus: *Qui Epiſcopatum deſiderat, opus bonum deſiderat.* Exponere

Librum huncce mirè extollit.

voluit quid ſit Epiſcopus, quia nomen eſt operis, non honoris: Græcum eſt enim, & inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur ſuperintendit, curam ſcilicet eorum gerens: * Epiſcopus quippe intentio eſt. Ergo Epiſcopum, ſi velimus latinè, ſuperintendere poſſumus dicere. Vt intelligat non ſe eſſe Epiſcopum qui præeſſe dixerit, non prodeſſe. Ita enim ab ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur quod ad laudabile pertinet otium: locus verò ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur, atque adminiſtretur vt decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit * caritas, percipiendæ ac tuendę vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter caritatis neceſſitatem. Sed nec ſic omnimodo * veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuauitas, & opprimatur iſta neceſſitas.

f* Epiſcopatus.

al. * caritatis.

al. * veritati.

Ad teſtatur Gregorius ſanctus, cuius ſtilum ſequeris, cuius exemplo deliteſcere cupiebas, vt pondus ſacerdotij declinares, quod quale ſit in toto libro tuo liquidè declaratur; tamen portas quod metuebas. Pondus enim tuum ſurſum fertur, non deorſum: non quòd te ad ima premat, ſed quod ad aſtra ſuſtollat; dum per Dei gratiam, & obedientiæ meritum, operíſque boni efficientiam, fit ſuaue quod per imbecillitatem humanam videbatur habere grauedinem. Dicis enim ea quæ conſonant Apoſtolis, & Apoſtolicis viris: Pulcher enim pulchra dixiſti, & in his pulchrum te eſſe oſtendiſti. Nolo ergo te ſimilare indecoro pictori pulchra pingenti, quia ſpiritalis doctrina à ſpiritali mente proficiſcitur. Plus pleriſque æſtimatur pictor homo, quàm inanimata pictura. Sed hoc non adſentationi aut adulationi repures, ſed veritati; quia nec me decet mentiri, ne te decet falſum laudare. Ergo planè licet fidus, & te & omnia tua pulchra conſpexi, & memet in comparationem tui ſatis indecorum vidi, vnde precor per gratiam Dei quæ in te exuberat, vt non reſpuas deprecantem; ſed libenter doceas quę me fateor ignorare. Compellimur enim neceſſitate facere quod doceas.

Qualiter in munere Epiſcopali.

Peritus enim dum non reperitur qui ad officium Sacerdotale veniat, quid fiendum eſt, niſi vt imperitus, vt ego

ſum, ordinetur? iubes vt non ordinetur imperitus. Sed pertractet prudentia tua, ne fortè ad peritiam ſufficiat ei ſcire IESVM Chriſtum, & hunc crucifixum; ſi autem non ſufficit, nemo erit in hoc libro qui peritus eſſe dicatur; nemo erit vtique ſacerdos, ſi niſi peritus eſſe non debet. Bigamis enim aperta fronte reſiſtimus, ne ſacramentum vtique corrumpatur. Quid ſi vnius vxoris vir ante vxorem, mulierem tetigerit? Quid ſi vxorem non habuerit, & tamen ſine mulieris tactu non fuerit? Conſolare nos ſtilo tuo, vt non puniamur nec noſtro, nec alieno peccato. Valde enim metuimus, ne per neceſſitatem ea faciamus quæ non debemus. Ecce obediendum eſt præceptis tuis, vt talis fiat, qualis Apoſtolica decet auctoritas; & non reperitur, qualis quæritur: ceſſabit ergo fides, quæ conſtat ex auditu. Ceſſabit baptiſmus, ſi non fuerit qui baptizet. Ceſſabunt illa ſacroſancta myſteria, quę per ſacerdotes fiunt & miniſtros. In vtroque periculum manet, aut talis ordinetur qui non debet, aut non ſit qui ſacra myſteria celebret, vel miniſtret.

*ſe gerat petit conſilium.*

*Quã pauci ſacerdotio digni.*

Ante paucos annos LEANDER Epiſcopus Spalenſis remeans de vrbe regia, vidit nos præteriens, qui dixit nobis habere homilias à veſtra Beatitudine editas de libro ſancti Iob. Et quia feſtinans pertranſijt, minimè eas petentibus nobis oſtendit. Poſteà verò ſcripſiſti ei de trina tinctione; in qua Epiſtola memorans diſplicuiſſe vobis illud opus, ſed hoc ſalubriori conſilio ſtatuiſſe, vt in librorum ductu eas tranſponeres. Habemus ſanè libellos ſex ſancti Hilarij Epiſcopi Pictauienſis, quos de Græco Origenis in latinum vertit; ſed non omnia ſecundùm ordinem libri ſancti Iob expoſuit. Et ſatis miror hominem doctiſſimum & Sanctum, vt de ſtellis nænias Origenis transferret; mihi, Sanctiſſime Pater, nullo pacto ſuaderi poteſt, vt credam aſtra cœli ſpiritus rationales, quæ neque cum Angelis, neque cum hominibus facta eſſe Scriptura Sancta declarat. Dignetur ergo Beatitudo veſtra opus ipſum de libro ſancti Iob; ſed & alios libros morales quos feciſſe te memoras in hoc libro regularum, exiguitati tranſmittere. Tui enim ſumus, tua legere delectamur. Optabile námque eſt mihi præclarum, ſicut tuus Gregorius ait, vſque ad vltimam diſcere ſenectutem. Incolumem co-

*S. Hilarius libros 6. Origenis in Iob à Græco in lat. vertit.*

ſtianis reædificarentur atque recuperarentur. Quam rem diuinitus ordinatam atque decretam audi entes, nec debuimus, nec potuimus vtcumque contemnere. Quippe quæ nobis ſemper in voto erat, & quam cælitus poſtulatam & indultam luce clarius videbamus. Quapropter erecti & in Domino corroborati ad has renouandas atque reſarciendas totius virtutis animum prorſus armauimus. Etquoniam ſumptus ad tantum perficiendum onus nequaquam noſtros habere potuimus, alienos quæſiuimus. Sed quia nemo pecuniam ſuam ſine pigneribus nobis mutuam dare conſenſit, & nos quod tribuere loco pignerum poſſemus aliud non habuimus, olіueta, vel vineas, atque ipſa earumdem ſanctarum Eccleſiarum ſacrata vaſa in pignera tradidimus: & adhuc tantam pecuniam non accepimus, vnde ſaltem illas vtcumque reſarcire valeremus.

Qua de re actum eſt, vt his quæ tantam pecuniam commodauerunt, oliuetis & vineis noſtris fruentibus, nec non & Deo dicatis vaſculis abutentibus, oleum Eccleſijs ad luminaria concinnanda deſit, & pauperes & * monazontes fame tabeſcant, atque in captiuitate multi non redempti deficiant. Nos quippe nec tanto beneficio gratia Dei collato abuti potuimus; nec huic rei congruum ſeu tandem indultum tempus poſtponere, vel inaniter tanquam ingrati Dei muneribus præterire debuimus. Itaque auxiliante mundi totius Opifice tam dirutas, quàm iamjam caſuras Eccleſias noſtras magna ex parte de commodatis nobis ſumptibus vtcunque reſtaurauimus. Sed vnde pignera noſtra, oliueta ſcilicet, & vineas, atque ſacra vaſa Eccleſiarum, quæ pro his dedimus, recolligemus, minimè poſſidemus. Quapropter viſum eſt nobis piæ in Chriſto generalitati, ſeu cariſſimę paternitati veſtræ dirigere, vt noſtris doloribus compatientes (ſcitis enim ſecundùm diuinum Apoſtolum, quoniam ſi quid compatitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra) veſtræ Benignitatis viſcera circa nos pandatis, & pias manus veſtras, & fœcunda largitate decoratas. vſque ad nos extendatis. Nam qui nec dat pro fratribus ſub ſtantiam, quomodò daturus eſt pro Deo animam ſuam? Quid autem mirum ſi pro Eccleſijs Chriſti reformandis

* *Solitarij ſeu Monachi.*

*1. Cor. 12. 26.*

particulam quandam facultatis veſtræ tribuatis, cùm pro conſtruendo tabernaculo quondam filij Iſraël vltroneas pecunias offerebant, vt præco ſtatueretur, qui clamaret, vt ab offerendis donis tandem aliquando parcerent? Et quia quæ obſtulerant, ſufficiebant, palā cunctis ediceretur, ſed tamē vix ab vltronea largitate obriguerunt. In quo conſiderandum eſt quia ſi illi etiam prohibiti ſponte tanta tribuebant, quantò magis vos etiam poſtulati omni cum hilaritate ſufficientia quæque largiri debetis? Verùm & illud magnoperè conſiderandum eſt, quoniam ſi Chriſtus pro nobis animam ſuam poſuit, quantò magis nos debemus pro fratribus ſubſtantiam dare? omne enim quod extra nos eſt, minus profectò eſt quod intra nos eſt. Quid ergo & exteriori ſubſtantia noſtra dignè tribuere poſſumus ad comparationem eius quod Dominus ac Redemptor noſter exteriori parte corporis ſui tradidit; quando nec aurum, nec argentum, quæ extra ſe erant; ſed id quod ex ſe erat, pretioſum videlicet ſanguinem ſuum pro cunctis nobis effudit? Clamat verò Ioannes Euangeliſta, & dicit: *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò caritas Dei manet in eo?* (1. *Ioan.* 3. 17.)

Præterea hos Fratres noſtros GISPERTVM, & RAINARDVM, Venerabiles Monachos, qui à nobis ad hoc recipiendum pro Chriſti amore miniſterium compulſi ſunt, dum illi quietam vitam ducere, Deóque famulari remotiùs elegerunt, veſtræ caritati commendamus: quíque ponentes animas ſuas in manibus ſuis pro fratribus & Sancta Chriſti Eccleſia, nullum recuſauerunt ſuſtinere laborem, immò nec vitæ propriȩ pepercerunt: Fideles quippe ſunt, & eis credere quæcumque placent poteſtis. Quibus nimirum Chriſtus etiam nec eſt dedignatus ſua credere Sacramenta, ſeu ſanctiſſima loca. Precamur autem, vt mercedis veſtræ augmenta dum ſe occaſio tribuit multiplicetis: & hos Fratres à vobis citiùs abſoluatis, quoniam in arcto ſitæ ſunt animæ noſtræ: & ſola nobis ſpes de miſericordia Domini noſtri IESV Chriſti remanſit, qui vos in ſuo tempore cuſtodiat, & ad ſua regna quandoque perducat, Amen.

## *Epiſtola* LEONIS *Papæ ſeptimi ad* HVGONEM *Francorum Principem, & Monaſterij ſancti Martini Turonenſis Abbatem.* EPIST. 4.

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Glorioſo Principi Francorum filio noſtro, Hugoni videlicet Abbati Beatiſſimi Martini, & perpetuis ſucceſſoribus in perpetuum. Conditor Vniuerſitatis atque diſpoſitor Chriſtus Dominus per Sacroſanctum ſuæ Incarnationis myſterium vniuerſalem Eccleſiam ſibi copulare dignatus eſt, diuerſos verò ſanctos in eadem Eccleſia quaſi diuerſa in vno corpore membra diſpoſuit, & vnumquemque prout interno eius conſilio placuit in ipſius Eccleſię corpore, cuius ipſe caput fieri dignatus eſt, mirabiliter ordinauit. Quoſdam excellentiùs decorans, vt ſicut membra in corpore quædam honeſtiora ſunt, & ſuis officijs apta, ita & in Eccleſia vel excellentior, vel inferior, quiſque vices ſuas ipſo auctore diſponente conuenienter expleat, vt ſcilicet iuxta Apoſtolum ſtella differat à ſtella in claritate. At verò inter eos quos diuina diſpenſatio ſublimiùs euexit, prædictus Beatiſſimus Martinus Turonicæ Sedis Archiepiſcopus non mediocriter effulget: cuius videlicet gloriam vniuerſalis Chriſtianitas atteſtatur, quæ illum diuino inſtinctu quodam ſpeciali affectu communiter amat, ita vt nuſquam aliò poſt Sanctorum Apoſtolorum limina, de tam longinquis ac diuerſis nationibus confluant oratores, ſicut faciunt ad ipſius venerabile ſepulchrum. Nam & ipſe ſacer locus vbi quieſcit in magna reuerentia ſpecaliter ab antiquis diebus non ſolùm apud vulgares, ſed & apud excellentiſſimos Reges ac Principes fuit, ſicut nonnulli veſtrûm videndo ſciunt. Vt enim audiuimus nulli vnquam fœminæ intra ambitum Monaſterij etiam ſub tempore Paganorum permittebatur acceſſus. Cùm verò neceſſe fuit, vt propter illorum incurſionem in ciuitate collocaretur, plangebant ſui cultores, quia non valebant eum ſic in tanta reuerentia vt olim venerari, nec mulierum pro-

habere concurſum: ob quod etiam iuxta eius Baſilicam fundari murum ſtuduiſtis, vt ita vel ab incendio defendi, vel in priſtina honeſtate poſſet ipſe locus haberi. Sed res in contrarium verſa eſt, quia per occaſionem caſtelli mulieribus & impudens & libera conuerſatio eſt: cùm tamen hoc nil aliud facit, niſi ſola negligentia & tepor ſeruitorum eius. Si quidem veniet dies Iudicij, & vnuſquiſque in ſuo ordine inſurget, & manifeſtum erit per quos Religio ſit erecta, vel per quos neglecta. Dolendum nobis eſt tempora iam periculoſa veniſſe, & ſic apparet caritatem apud multos refrixiſſe, iniquitatem verò nimium ſuperabundaſſe. Verùm quia ſancta Eccleſia Beato Petro Apoſtolorum Principi ſpecialiter commiſſa eſt, & per eum ſucceſſoribus eius, neceſſe eſt, vt quiſque noſtrûm provt Deo largiente potuerit, eiuſdem Eccleſiæ quouſque indiget vtilitatem per aliquam authoritatem ſuſtentet. Et idcircò videtur nobis, vt veſtram negligentiam quæ eſt erga cultum illius loci ſanctiſſimi, per noſtrum interdictum commoneamus.

Itaque in primis obſecramus in Domino, vt tu Abbas excellentiſſimus Hugo, & ipſius Cœnobij Præpoſiti, curam ſummopere adhibeatis, quatinus per totum veteris muri ambitum vſque ad viam quæ iuxta latus Baſilicæ aquilonare vergit, nulla poſt quàm hanc Epiſtolam videritis fœmina licentiam habeat commorandi, ſed nec intrandi quidem, niſi ſolius cauſa orationis. Si quis verò de miniſtris hoc Apoſtolicum interdictum neglexerit, aut aliqua fœmina intrare præſumpſerit, tamdiu excommunicatus ſit, quovſque promiſſa emendatione abſolui mereatur. Sin autem, quia per audaciam & contemptionem ad hoc tranſgrediendum pertinax extiterit, illum prorſus, vel illam excommunicamus. Obſeruantibus hæc gratia & pax Chriſti per ſuos Apoſtolos, & Beati Martini preces multiplicetur. Scriptum per manum Theodori Notarij & Scrinarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Ianuario, & Indictione vndecima, Ludouico Francorum Rege.

*Vvimundi*

# EPISTOLA

*Vvimundi Benedictini ex Monacho Abbatiæ de Cruce S. Leufredi, ſeu Heltonis, Archiepiſcopi Auerſani.* EPIST. 5.

*Ad Amantiſſimum Fratrem* ERFASTVM *Frater* VVITMVNDVS *indignus Presbyter, ſine fine gloriari in Chriſto* IESV *Domino noſtro.*

PERLECTA Fraternitatis tuæ Epiſtolâ, ex ipſa Inquiſitionum tuarum ratione perpendi correptum Dei timore ad ſapientiam ſpiritualium rerum ac ſcientiam, te vnde gratulor non inutiliter exerceri. Quod enim de ſubſtantia atque vnitate æternę Trinitatis quæſiſti, ſapientiæ eſt. Quod autem de myſterio Dominici corporis adieciſti, ad ſcientiam ſpectat. Item illud quod ad comprobandam Trinitatis vnitatem, ſimilitudinem rei temporalis, de ſphæra videlicet ſolis memoraſti, ſcientiæ nihilominus eſt. Commoda planè pulcherrimáque, & iocundiſſima Philoſophia, ſi ei perſeueras. Hæc namque non terrena nec humana, ſed verè cœleſtis eſt & diuina; hæc laboranti ſuauis refectio eſt, poſt laborem perfecta beatitudo eſt; quam benè facis ſtudioſè quærendo, quæ & aperietur indefeſsè pulſando. Gaudens igitur ego exercitio & profectui tuo, quæ aliquando ſi voluerit Dominus in longiorem diſputationem de his conferre cogito, ne quæſtiones tuas differam, quantá valeo breuitate ſuccinctè reſpondeo.

*De vno Deo & Trino inquirenti, Erfaſto reſpondet Guimundus.*

In illa itaque ſpheræ ſolaris collatione, de quâ tibi primùm reſponderi flagitaſti, diligenter obſerua ad hoc illam valere, vt ſicut ſphæra, ſplendor, & calor, non tres, ſed vnum proferunt ſolem, ita in Patre & Sapientia & Amore vtriuſque non tres Deos, ſed vnicam ſentias Deitatem. Et ſicut ſol quem mittit ſplendorem ſibi habet omnino coæuum; ita Deus Pater ſibi prorſus habet quem de ſe generat Filium coëternum. Illud ſanè volo ſollicitè attendas, longiſ-

ſimè aliter veriúſque atque in ſole eſt, illam ipſam ſummæ diuinitatis conſiſtere vnitatem. In ſole quippe & fulgor & calor, qualitates ſunt, Sol verò ipſe ſubſtantia eſt, atque idcircò non idipſum eſt ſol, quod illa duo reliqua ſunt. Sed & ipſæ qualitates ſubſtantialiter ab inuicem differunt, quin & diuerſa facientes. Nam lucidum ſplendor, calor autem calidum facit operandi virtute, locis etiam & temporibus ſubiectíſque plerumque diſcretæ ſunt. Sæpe enim ſole oriente, ſolis fulgor cernitur, vbi eius omninò nullus calor ſentitur: & meridiano tempore calor eius multa ſolida corpora penetrat, in quæ nihil prorſus luminis intrat, Nec eiſdem quoque ſenſibus à nobis excipiuntur. Nam ſplendor viſu, tactu calor admittitur, ita vt etiam per contrarium, & pergrandi quis frigore torpens magnum à longe lumen ſolis videat: & tenebras cœcus patiens, calore eius interdum valido contabeſcat vel hilareſcat.

Longè igitur & iſta duo ab inuicem differunt. Non autem Deo cum ſapientia ſua, & amore ſuo, tam parua, vel tam diſcrepans, vt ita dicam, eſt vnitas, nec ſapientia & amor Dei ipſius diuinæ ſubſtantię qualitates ſunt. Neque item iſta duo tantiſper ab inuicem differunt. Illa quippe vnus ſol quodammodo dicuntur, quia in ſole vno coæua illi, & inſeparabilia ſunt: non autem idipſum quod ſunt per ſe ſingula, ad inuicē vnum ſunt; quoniam, vt prædictum eſt, ſubſtantialiter ab inuicem omnia differunt. At Pater, & Verbum & Spiritus, ſiue Pater & Sapientia & Amor, ita in vno Deo, vel ita vnus Deus ſunt, vt vnum ad inuicem ſine vlla diſtantia ſit, quicquid per ſe ſingula eſſentialiter ſunt. De Patre & Filio, ſic habes in Euangelio Dominum noſtrum dicentem: *Ego ſum in Patre,*
*Ioan.* 14. 10. *& Pater in me.* Et: *Qui videt me, videt & Patrem*; &: *Ego &*
*Pater vnum ſumus.* Non enim Pater habet ex alio Filium,
*Ibid. v.* 9. quàm ex ſe. Neque enim ante omnem creaturam aliud quic-
*Ibid.* 10. 30. quam erat. Omnia autem quę facta ſunt, ſicut ſcriptum eſt,
*Ioan.* 1. 3. per ipſum filium facta ſunt: ſi igitur omnia facta, per ipſum facta ſunt. Neque ipſe factus eſt, neque ex alia re, cùm nihil aliud eſſet, ſed de ſe Pater ante omnia genuit ipſum. Si autem ex ſubſtantia Patris natus eſt Filius, quoniam in ſubſtantia illa nulla pars eſt: nam primum principium incompoſitum

eſt: nec componi omnino nouit, qui omnia ipſe compoſuit. Item nec in Filio pars eſt, nihil enim eius niſi ex Patre, & in Patre eſt ex Patris. Porrò vnitate prorſus indiuidua & nunquam geminata, partium pluralitatem habere non poteſt. Ex toto igitur totus, nec maior in aliquo, nec minor, idem de eodem in eſſentia natus eſt. Si enim partem non habet, cùm ex illo & in illo & iam indiuiduo ſit, nullatenus differt. Nam ſi de illo eſt, aliquid eius in ſe habet, vel potiùs aliquid eius ipſe eſt. Porrò ſi aliquid eius parte carentis habet, vel eſt, totum illum in ſe potius habet, vel magis totum quod eſt ille, ipſe eſt. Si verò ſic illam ipſam Patris eſſentiam in ſe totam habet, immota illa eſſentia ipſe eſt, cùm & ipſius ſimplicitas indiuidua partem neſciens, additamentum recuſet: in nullo prorſus eſſentialiter differt. Idem igitur omninò ad eſſentiam quicquid eſt, Pater & Filius eſt.

Eadem tibi ratione de Sancto quoque Spiritu ſatisfiat. Qui enim ſine parte de indiuidua eſt ſubſtantia Patris, vna & eadem cum Patre ſubſtantia eſt: & qui parte carens de indiuidua eſt ſubſtantia Filij, vna & eadem cum Filio ſubſtantia eſt. Et cùm à Patre ſimul procedat & Filio, non duæ ſunt proceſſiones, ſed vna proceſſio, nec duo ſunt Spiritus S. ſed vnus Spiritus ſanctus: Quia cùm nec loco diuiſa, nec tempore vna ſit prorſus & eadem Patris & Filij ſubſtantia, Spiritus Sanctus ſimul ab vtroque procedens, eodem ipſo quo ab vno procedit; ſimul idem procedit ab altero. Hoc in Euangelio Dominum docentem attendo, vbi ait: *Cùm venerit* *Ioan.* 15.
*Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Ego mittam à Pa- 26.
tre dixit; ac ſi diceret, vna eſt eius proceſſio à me & à Patre. Et paulò pòſt: *Ille me*, inquit, *clarificabit, quia de meo acci-* *Ibid.* 16.
*piet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater,* 14.
*mea ſunt, propterea dixi,* quia *de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Id eſt, ſubſtantia quam habet Pater, & mea vna eſt: propterea qui ex nobis eſt Spiritus Sanctus, cùm de Patre eſt, de me eſt. Eſt igitur Spiritus Sanctus vna eadémque ſubſtantia cum Patre & Filio; & eſt vnus vtriuſque, vnáque eiuſdem ab vtroque proceſſio. Quapropter tria hæc ita in vno Deo, vel ita vnus Deus ſunt, vt vnum ad inuicem ſine

vlla diſtantia ſit quicquid per ſe ſingula eſſentialiter ſunt.

Proinde quòd ſapientia vel virtus Patris dicitur Filius, quoniam ſapere vel poſſe eſſentiale illi eſt, non qualitas creditur Patris, quâ Pater qualis, ſapiens videlicet dicitur & fortis, ſed eſt perfecta ſapientia ſua, & virtus ſua, ſingulus, vt ita dixerim Pater; perfecta ſapientia, & virtus, ſingulus filius, perfecta ſapientia, & virtus, ſingulus Spiritus Sanctus: & ſimul non tres ſapientiæ, aut virtutes, ſed vna ſapientia, & vna virtus: éſtque Filius ſapientia de ſapientia Patre, virtus de virtute Patre: ſicut eſſentia de eſſentia, vita de vita, Deus de Deo, lumen de lumine. Sed quia per Filium infirmatum in carne, & ſtultitiam crucis eius nos infirmi, & ſtulti, fortes & ſapientes facti ſumus; & ſic factus eſt nobis ipſe à Deo ſapientia, & virtus & iuſtitia, vt per ipſius infirmitatem & mortem iuſtificati & corroborati, ad cognoſcendum per ipſum qnandóque patrem conualeſcamus; ideo enim iuſtè quaſi ſpecialiter Dei iuſtitiam, atque virtutem & ſapientiam confitemur.

Item Spiritus ſanctus cùm Patris & Filij dicitur caritas, vel amor, aut voluntas, non idcirco amborum qualitas creditur, cuius gratiâ vtrique quales, amantes videlicet ſint, aut volentes, aut certè ſpirituales, ſed cùm ſint etiam ſinguli Spiritus ſanctus. Nam & Pater eſt Spiritus, (ſicut ſcriptum eſt:
Ioan. 4. 24. *Deus eſt Spiritus*) & Filius ſecundum diuinitatem Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius ſanctus, & non tres Spiritus ſancti, ſed vnus Spiritus Sanctus. Et cùm ſinguli ſint caritas, quia
1. Ioan. 4. 16. *Deus caritas eſt*, & ſinguli amor aut voluntas, nec tamen tres caritates, vel amores, vel voluntates, ſed vna caritas, vnus amor, vna voluntas. Illum tamen qui ex Patre procedit & Filio, quaſi propriè Spiritum ſanctum, vel caritatem, vel amorem, vel voluntatem Patris & Filij dicimus; vt per hoc quod velut ſuum habet in nomine, quod commune eſt ijs ex quibus eſt, id deſignetur aliquatenus, quia ipſe ab vtroque exiſtens, communis eſt, conſubſtantialis, & nexus amborum.

Ita cùm & Pater eſſentia & principium ſit, & Filius æquè eſſentia & principium ſit; Spiritus quoque ſanctus nihilominus eſſentia & principium ſit, nec tres eſſentiæ, aut tria prin-

cipia, ſed vna eſſentia & vnum principium; de Patre tamen hæc quaſi propriè dicimus, vt per hoc nouerimus, quia ipſe ita eſt, vt ſit ex ſe; & ſic principium eſt, vt non ex alio ſit principio, tantùm ex ſe cæteræ verò perſonæ ex ipſo. Nam filius quicquid omnino eſt, non ex ſe, ſed ex Patre, item Spiritus ſanctus non ex ſe, ſed quicquid omninò eſt, ex Patre Filióque eſt. Sed vt ex filio procedat Spiritus, à Patre hoc habet Filius. Nam ſi quicquid habet, ex Patre illi eſt: & id ex Patre naſcendo, habet à Patre, vt ex ipſo ſit Spiritus, Spiritus quoque ſanctus procedendo à Patre, ab ipſo habet vt ex ipſo ita ſit, vt ſimul etiam exiſtat ex Filio. Ita igitur ſunt ſingula omnium, & omnia ſingulorum, & omnia vnum, certo tamen, vt dixi, rationis myſterio, quædam quaſi propriè de Patre dicuntur, vt eſſentiale principium, quædam de Filio, vt iuſtitia, virtus, ſapientia: quædam de Spiritu ſancto, velut hoc quòd Spiritus ſanctus dicitur, quod amor vel caritas, vel voluntas Patris & Filij nuncupatur; quatenus per hoc, ſicut dictum eſt, non ex alio, ſed ex ſe eſſe Patrem. Per filium verò nos iuſtificatos, fortes, doctóſque eſſe ac futuros eſſe. Ex Patre autem & Filio Spiritum ſanctum communiter procedere intelligamus.

Sicut igitur in eſſentia maieſtatis idem ſunt, cùm nec loci aut temporis interſtitio ſeiungantur, nec tres numero potentiæ, ſed vna potentia, vt vnus operator ſint: ita & in operationis effectum differunt: quia Dominus noſter dixit: *Quæcumque enim Pater facit, hæc & filius ſimiliter facit*, & non alia, quia non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Idem conſequenter de ſpiritu vtriuſque ſentiendum eſt. Nam & ſi hominem ſolus Filius induit, ipſum tamen hominem atque incarnationis myſterium tota Trinitas fecit, tota eum Trinitas ad mortem dedit, tota eum Trinitas reſſuſcitauit, tota exaltauit. Ita quoque & vocem illam, per quam & ſolus Pater ad Filium loquens innotuit: *Tu es*, inquiens, *Filius meus dilectus*. Et columbam illam, vel linguas igneas, in quibus vel ſuper Dominum baptizatum, vel ſuper diſcipulos die Pentecoſtes Spiritus ſanctus apparuit, tota vtique Trinitas fecit. Quemadmodum & illa vox diſſyllaba, quæ Pater dicitur; & vox triſſyllaba, quæ dicitur

*Ioan.* 5. 19

*Matt.* 3. 17.

Filius; & duo nomina quæ Spiritus ſanctus appellantur, & ſimiliter aliæ voces quàmplures, licet proprietatem ſingularum ſeorſum denotent, & auditui præferant perſonarum, non tamen aliter, quàm illa diſſyllaba vox quæ dicitur Deus, tota pariter ſignificans Trinitatem, totius certè ſunt opera Trinitatis. Quapropter etſi ex creaturis, aliquæ ad declarationem ſingulorum propriè myſteriáue pertineat perſonarum, palam tamen eſt, quoniam Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſicut nec in ſubſtantia, ita nec in aliquo prorſus cuiuſque rei operatione diſſentiunt. Palam etiam & hoc eſt, quia & Patrem & Filium & Spiritum ſanctum non varijs corporis ſenſibus, ſed vnâ, eadémque puræ mentis intelligentia & ſimul contemplamur, ſicut à veritate ipſa didicimus, quæ ait: *Qui me videt, videt & Patrem.* *Ioan.14.9*

Vt igitur ex his dicendi finem breuiter faciamus, quoniam eæ quæ in ſole qualitates ſunt, & ab ipſo & ab inuicem ſubſtantialiter differunt, operandi quoque virtute & ſecundum locum, & ſecundùm tempus, diuerſáque ſubiecta diſſentiunt, varijſque ſenſibus hauſtæ, longè diſtare comprobantur. Cúmque Patris & ſapientiæ & amoris vna ſit prorſus eadémque ſubſtantia: cumque in eis nulla non dico diuerſa, ſed ne vlla etiam qualitas, nihílque omninò aliud, niſi vna pura eſſentia debeat cogitari, cùm eædem ſint eorum ſemper, & vbique, & in omnibus opera, vnáque ſimul & eadem mentis intelligentia & inſeparabiliter videantur, maniſeſtiſſimè rationis indicio ſatis liquet, longiſſimè aliter. Veriúſque non ſolùm quàm in ſole eſt, ſed quàm in vlla etiam creatura eſſe poſſit, illam ſummæ atque indiuiduæ Trinitatis conſiſtere vnitatem.

Sanè cùm dixiſſem ſupra quicquid eſſentialiter ſinguli ſunt, communiter dixi de omnibus, idcircò eſſentialiter dixi, quia quod Pater aut Genitor dicitur. Item quòd Filius aut verbum, vel imago nominatur; vel quòd Spiritus ſanctus procedens appellatur, non ſecundum ſe intelligendæ eſſentiæ, ſed diſtinctionis, vel relationis perſonarum vocabula ſunt. Cauentes etenim confundere perſonas, Patrem quòd non ex alio ſit demonſtrantes, vocamus ingenitum; & quòd non ſine Filio ſit, vocamus & Patrem. Item Patris illa

& ineffabilis viſio, in qua ſeipſum Pater intuetur, & omnia, ſplendor ille, illa lux, quia non ex ſe, ſed ex ſolo Patre eſt, dicitur Filius: & quoniam nos, vt per ſpeculum, & imaginem ſuam (homo enim noſter interior licet obſcuret, tamen Dei imago eſt) Deum cernere qualicumque ænigmate valeamus: quoniam, inquam, nos quamcumque remmente videndo ſiue quod extra nos eſt, ſiue ipſam mentem, nobiſcum quodammodò de re quam cernimus loquimur, ſimillimámque eius imaginem animo conformamus, ita vt cùm ſemetipſam mens noſtra intuendo, de ſe apud ſe ſententiam veritatis quadam diſcuſſione parturiens, veræ tandem intelligentiæ lucem deprompſerit, iure idipſum veri intellectus acumen, & partum mentis, quia ex ſe hoc ipſa peperit, & verbum quo de ſe ipſa diſſeruit, & imaginem vel ſimilitudinem, quod ipſe de ſui contemplatione informauit, liceat appellari. Simili modo vt per eius, vt dixi, imaginem, quod ſumus nos, Deum qualicumque ænigmate videamus, & de temporalibus ſi audemus, immo quia ita nobis temporalibus expedit, quomodocumque conijciamus æterna.

Simili, inquam, modo ineffabilem illius paternæ viſionis lucem ſemper de Patre, ſemper apud Patrem, & in Patre manentem, ſemper Patrem videntem, omnium conditricem, Patris reuelatricem, & idem eſſe cum Patre, quoniam de Patre eſt non de nihilo, & vnigenitum, & verbum, & imaginem, ſimilitudinémque Patris corde credimus, & prout ſufficimus ſentimus ad iuſtitiam, ore autem confitemur ad ſalutem. Spiritum verò ſanctum, nec ingenitum dicimus, quia non eſt de nullo, nec genitum, quia non eſt de Patre ſolo, ſed à Patre & Filio procedentem, non tamen ab vtroque naſcentem, quoniam pariter eodémque modo ſpiritus eſt amborum, cùm nullus vnquam duorum pariter eodémque modo poſſit eſſe filius patrum. Sed nec verbum vtriuſque, nec imago, nec ſimilitudo dicitur; quia quamuis amantes aliquid ſæpe illud animo verſandi, nobiſcum dicamus & imaginemus, dicentéſque & imaginantes amemus, dicere tamen & imaginare in nobis quidem viſionis eſt propriè, non amoris. Amandum etenim quodlibet per mentis intuitum, quid aut quale ſit, vel quomodò ſe habeat, dicitur, vt defi-

nito hoc, iam certiùs ametur.

Sed quæ noſtri comparatio ad æternitatem? hoc autem propterea dico, vt non carnali ſenſu verborum proprietates, vt in nobis ita omninò in diuinitate requiras. Quippe ſi de verborum ſenſibus agas, in Patris & Filij vocibus, & in cæteris relatiuis, cùm de hominibus dicuntur, quædam ipſorum hominum, quibus ad ſe referuntur, accidentia. Item in generandi & procedendi verbo, actum paſſionémue cum declaratione temporis accipere ſolemus. Æternam porrò generationem Filij Dei, Spiritus ſancti proceſſionem, ſic credimus, vt neque ibi tempus, neque actum generantis, aut paſſionem geniti, vel procedentis Spiritus, neque vllum denique accidens diuinæ ineſſe ſubſtantiæ ſentiamus. Non igitur ſupra dicta diſtinctionum, vel relationum verba, propriè diuinitati conueniunt, nec omninò in Deo eodem ſenſu quo & in nobis accipienda ſunt. Abſit enim, vt in æterna Trinitate vno ſolo Deo propter verborum noſtrorum anguſtias, ante omnem creaturam aliquod accidens, aut vllam omninò rem, propter ſimplicem diuinitatem fuiſſe dicamus. Nulla quippe creatura quamlibet perfecta, & ad imaginem Dei facta, pleniſſimam, vt eſt, exprimere, vel æquiparare ſimilitudinem præualet Creatoris, nedum ea quæ penè nihil ſunt mortalium verba, illam quæ ſuprà omnem creaturæ omnis cogitatum, ineffabili præeminet veritate, naturam diuinitatis explicare ſufficerent.

Non igitur hæc de Deo idcircò dicimus, vt id planè quod ibi eſt explicemus, ſed qualibuſcumque tamen provt poſſumus verbum agimus, ne id quod ex verbo Saluatoris certiſſimè credimus, & quod vix quantumlibet attenuato Spiritu, Chriſto adiutore, per ænigmata prægustare valemus, omnimodò comprimere ſilentio videamur. Cúmque ineffabilia vtcumque fari cupimus, aliquatenus per hæc verba non equidem accidentia vlla puriſſimæ diuinitatis, ſed prout eloquij humani valet anguſtia, hoc quod non eſt Pater ex alio per hoc quod ingenitus dicitur, nec ſine eo qui ex ipſo eſt, per hoc quod Pater vocatur, & quod non ſit Filius ex ſe, nec ſit niſi à Patre per nomen Filij. Eodémque modo quòd Spiritus ſanctus non ex ſe, ſed ex Patre & Filio ſit, per procedendi

cedendi verbum, vt prædictum eſt, denotamus.

Procul igitur ſit à filijs ſanctæ & vniuerſalis Eccleſię, vt pro diſtinctione perſonarum, quælibet ſibi carnalis anima alicuius rei hîc vlla penitus interſtitia fingat. Nam ſi hoc in æterna Trinitate, quod abſit, admitteretur, cùm ante rerum omnium conſtitutionem ſempiterna ſit in Deo hæc Trinitas perſonarum, falsò, quod iterum abſit, cunctarum rerum præter ſe ſolum vnum Deum conditrix, & principium Trinitas crederetur; nec iam Trinitas iure, ſed quaternitas aut quinitas meliùs, immò verò ampliùs iuxta numerum rerum interiacentium vel accidentium, quod itidem abſit, neceſſariò diceretur. Quod quoniam à Chriſtiana religione prorſus abhorrens, catholicæque eſt veritati ſummè contrarium, non ergo in omnipotenti æternáque & ſimplici Trinitate, ſalua, vt dictum eſt, ineffabili diſtinctione perſonarum, vllius accidentis infectio, non rei omninò alicuius admixtio vel interpoſitio, nonniſi vna ſola, vnica, ſincera, & puriſſima diuinitas requiratur.

Quiſquis ſanè hæc fidei proceſſibus auctus prout deſuper datur, Deo iam nunc pro meritis fidei retribuente, interiori etiam quodam prædulciſſimo igneóque & inexplicabili mentis attigerit guſtu, iam aliquatenus vt homo Deum ſuum ſentiens, magno cum tremore gaudeat, & cum magno gaudio contremiſcat. Ita tamen epuletur, vt non iam in eo remanendum quod inuenerit, æſtimet; ſed vt ſibi largiùs aperiatur, piè ſemper quærendo, deſiderando, & orando validiùs pulſet. Scriptum eſt enim: *Cùm conſummauerit homo, tunc incipit*, Et iterum: *Quærite faciem eius ſemper.* Qui autem ab hoc inualidus eſt, ita tamen eſſe non dubitet, ad quod cernendum poſtmodùm, patienter interim ſinu fidei nutriatur.

*Eccli.* 18. 6
*Pſal.* 104. 4.

Porrò ſi quis æternitatis malit violentus eſſe diſcuſſor, nec facilè Deum aut ſine numero trinum, aut in perſonis ſine interpoſitione, vel admixtione alicuius rei diſtinctum, aut ſine extenſione credat æternum, vel ſine loco & ſitu totum vbique præſentem, vel omninò ſine quantitate magnum, ſine qualitate bonum, ſine motu omnia facientem, ſine paſſione omnia ſuſtinentem, ſine complexu omnia continen-

tem, audiat iſte quod ſcriptum eſt: *Ne quæſieris quæ vltra te ſunt*: & ea quæ facta ſunt potiùs admiretur, reſpondeatque ſibi, quâ potentiâ hæc omnia de nihilo prodierunt: Non enim ſuâ, quæ nulla erat. Si ergo Dei, quomodò ea quæ nihil omninò erant, Dei præcipientis vt fierent imperium perſenſerunt? Aut certè cùm non eſſe & eſſe ſimul non potuerunt, quo medio de altero ad alterum tranſierunt? Aut ſi forſitan de mundi principio agere renuit, quia necdum erat, de ſingulis quæ quotidie in promptu fiunt, quærat ortus, crementa, variationes, defectúſque eorum, quomodò, aut cur hoc, vel illo potiùs modo eueniant, alta mente conſideret. Quòd ſi fortè in minimis ſubtiliter perueſtigando ſuccumbit, cognouítque experimento veram eſſe, ſapientiſſimi Salomonis ſententiam dicentis: *Cunctæ res difficiles, nec poteſt eas homo explicare ſermone.* Et illam, *Æſtimamus difficilè quæ in terris ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore: quæ in cœlis ſunt quis inueſtigabit? Senſum autem tuum quis ſcit, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſanctum Spiritum tuum de altiſſimis?* Deſinat gigantea proteruia cœlum petere, & credendo humiliter quod* ........

*Eccleſ. 1. 8*
*Sap. 9. 16.*

* Pagina vna aut altera deſideratur: quippe vltimum codicis Ms. folium reperi exciſum.

---

# EPISTOLA I.

## *S. ODILONIS ABBATIS.*

EPIST. 6. Votiuas preces Deo obtuliſſe pro pace Regni Hiſpaniæ teſtatur. Déque Santio Epiſcopo agit.

IGNE *diuini amoris feruido Domno* PATERNO *gregis Chriſti affectu paterno procuratori prouido, Frater* ODILO *cum Domno Epiſcopo* SANTIO, *omniſque Cluniacenſium pauperum Congregatio, monaſtici laboris brauium à Chriſto.*

Si cuncta circa vos ſunt proſpera & pacata, gaudemus & exultamus, & vt ſemper de bono proficiatis in melius, votis omnibus præoptamus. Pro ſtatu quoque Regni vt liberetur ab incurſione paganorum, & à perſecutione falſorum Chriſtianorum, Omnipotenti Deo ſupplices & continuas preces omni deuotione cordis aſſiduè offerimus. Et vt firmiſſima pax inter filios Diuæ memoriæ Domini noſtri Santij Regis defuncti à Deo reformetur, & continuis orationi-

bus, & indefeſſis die ac nocte precibus exoramus, præcipuéque pro Cariſſimo noſtro & viſceribus totius amoris ac dilectionis Domino REDIMIRO, de cuius benignitate & probitate, morúmque paternorum in cunctis repræſentatione, Domnus Epiſcopus, ipſi per omnia fideliſſimus & deuotiſſimus, tanta & talia ad nos veniens narrauit, vt indiſſolubilibus vinculis caritatis ita nos eius familiaritati & fidelitati colligauerit, quatenus nulla vnquam obliuione ipſius memoria à noſtris cordibus auelli poſſit in diuinis obſequijs. Nam quotidie pro eius pace, & ſalute corporis & animæ, poſt matutinas recitamus omnes generaliter Pſalmum: *Domine quid multiplicati ſunt.* Et per omnes alias horas: *Leuaui oculos meos*, vt Dominus eripiat animam & corpus eius ab omni malo, cuſtodiátque introitum & exitum illius, non ſolùm in præſenti, ſed & in ſæculum ſæculi. Rogamus prætereà vt hos Miſſos, quos Dominus SANTIVS Epiſcopus & nos mittimus, vſque ad ſanctum Ioannem conducatis. Vult enim Domnus Epiſeopus ſua omnia quę ibi dimiſit ſecum habere. Argentum, vt opus quod in nomine ipſius & in nomine Regis defuncti ſuper altare ſancti Petri cœpimus, ad perpetuum memoriale ſui, & ſupra dicti Regis perficiat. Ornamenta verò diuinis officijs conſecrata penes ſe quamdiu vixerit vult eſſe. Nam de auro, quod ad nos veniens ſecum detulit, duas liſtas tabulæ maioris altaris, dexteram videlicet & ſiniſtram, quæ deſtructæ erant, ſicut ſcitis iam perfecit. Subteriorem verò quæ remanet, & de vaccis quas apud Sanctum * ......

* Cætera deſunt in membranis.

---

## EPISTOLA

## IOANNIS PAPÆ.

EPIST. 7.

IOANNES ſeruus ſeruorum Dei ODILONI Abbati ſalutem cariſſimam cum benedictione Apoſtolica. Docente Beatiſſimo Gregorio, multa videntur bona, & non ſunt. Verumtamen cùm dicatur, ſi rogas, audies; quia omnia tua quæ videbantur bona, bona non eſſe ſentimus. Quid enim in Monacho obedientia ſanctius? quid in Chriſtiano

Pontifex Odilonem obiurgat quòd Archiepiſc. Lugdu. recuſauerit.

acceptabilius? nonne *melior eſt obedientia ſacrificio*, ſecundùm propheticum iudicium: & voce Dominica dicitur: *Obedientiam volo, & non ſacrificium.* Quantum verò Beatus BENEDICTVS eam ſuis præconijs extollat non eſt dignum hîc inſerere, cùm te non lateat. Percepimus igitur iniuriam ſanctæ Eccleſiæ Lugdunenſis petentis te in coniugium, quia competebat: cui etiam ſaliuam in facie iecisti. Obmittimus iniuriam ſanctæ plebis, cui regimen parcendo ſoli vitæ tuæ refugiſti, & refugis. Tacemus quòd auctoritatem tantorum Præſulum monentium & rogantium ad Epiſcopalem dignitatem accedere poſthabuiſti: quòd S. Romanę Eccleſiæ & nobis inobedientem te reddidiſti, & inultum relinquere nec debemus nec poſſumus. Niſi fortè obedientia diluat quæ inobedientia maculauit. Satisfactione purgetur quod tranſgreſſione inquinatum eſt. Idem niſi expetitur regimen iam dictæ Eccleſię, quod inobediendo vſque hactenus ſpreuiſti, obedienter ſuſceperis, quid amaritudinis vel ſeueritatis erga meritos ſciat Romana Eccleſia inijcere, ſenties. Nam hoc ſacrum regimen ſicut à nullo eſt temerè vſurpandum, ita petente Eccleſia à nullo tuo ſimili eſt vitandum. Quoniam tantorum perditionis reus eris, quantorum ſaluti exemplo & doctrina prodeſſe potuiſſes. Nota loquimur, & quæ te ſcire pleniter confidimus. Ideóque taceat iam carta, & lingua loquatur, verùm Epiſcopi Gaudfridi, cui luce clarius voluntatem meam reſerandam tam tibi, quàm Confratribus tuis, & omni Eccleſiæ commiſimus. Vale.

---

EPIST. 8.

## EPISTOLA II.

### *S. ODILONIS.*

MORVM *probitate regalia decenter ſceptra regenti, Domno* GARSEÆ *religioni* .......... ODILO *cum grege Cluniacenſium pauperum ſibi commiſſo, firmari cum fratribus & amicis, omnibuſque vobis iure ſubiectis pacem in Domino, ac de cunctis inimicis victoriam cum triumpho.*

Petit vt Rex Cluniacenſiũ inopiam ſubleuet.

Gaudemus, & omnipotenti Deo gratias referimus, quòd vos ſublimiter & glorioſè tam in ſui dilectione & notitia, quàm in ſæculari ſemper audimus creſcere & proficere po-

tentia. Scimus itaque ex indiſſolubili familiaritate & ſocietate quâ olim patri veſtro probamur copulati, ita in veſtra fidelitate deuoti, vt pro veſtra veſtrorúmque ſalute & incolumitate, atque de cunctis inimicis veſtris victoriam, Deum exoremus aſſiduis precibus, poſcentes eius clementiſſimam benignitatem, vt ſi cuncta veſtra ſecundùm ſuam voluntatem nobiliter diſponat, quò poſt præſentem gloriam & fœlicitatem, ad cœleſtia gaudia vos perducat. Præterea licet non ſine rubore pandere cogimur veſtræ ſublimitatis munificentiæ, noſtræ inopiæ neceſſitatem, quâ jam per duos & eò ampliùs annos affligimur continuè. Nam generalis totius Regni paupertas, famis quoque & inopiæ nos opprimit calamitas, ſicut & alios noſtrę vicinitatis compatriotas. Quod periculum vt euadere poſſimus, veſtro amminiculo, ſi placet, perquàm plurimùm indigemus. Pacem, & victoriam, atque perpetuam vitam vt Dominus vobis concedat, tota noſtra Fraternitas & optat & orat. Vale.

---

## EPISTOLA III. Epist. 9.

### *S. ODILONIS.*

NOBILISSIMÆ *Matronæ R. Frater* ODILO *fideles orationes.*

Mirarer, Domina, valde, cur me ignotum & immeritum toties ſalutationibus tuis lætificas, muneribus amplificas, niſi illam maternam bonitatem agnoſcerem, & in te ſentirem, quæ omnibus tam notis quàm ignotis, promeritis & immeritis, communis & æqualis eſſe ſoleat. Vnde non admirandum, ſed ad gratias referendum totus conuertor, ſcilicet de omnibus bonis quæ tua Caritas nobis & noſtris ſemper ſolet impendere. Orationibus noſtris fratrùmque noſtrorum per fratrem LVITFRIDVM dignata es te commendare; in quibus ſcias deuotiſſimè te eſſe ſuſceptam, atque aſcriptam, & non ſolùm te, ſed etiam Cariſſimum amicum noſtrum ſeniorem tuum A........ac dulciſſimum fratrem eius E........de quibus ſemper bene audiui, & adhuc,

Deo gratias, audio. Quos vtroſque vt officioſiſſimè ex noſtra parte ſalutes multùm tuam rogo Caritatem. Vale, & memor tui, nunquam immemor exiſtas.

---

Epist. 9.

# EPISTOLA

## *Cuiuſdam Monachi.*

FRATER H. *cunctis fratribus Divionenſe cœnobium incolentibus Chriſti gratiam, æternámque ſalutem.*

Quòd tardè Domni Sanctiſſimique Patris ODILONIS ad vos mihi aduentum mandaſtis, valde effectus ſum triſtis, quia quem longè poſitum dulciſſimæ ac benigniſſimæ gratia conſolationis decreueram quærere, propriam viſitantem patriam non potero videre. Cui quantùm poteſtis ſeruitij vice mea veſtráque precor ac moneo exhiberi, ne causâ noſtræ abſentiæ eius obſequium in aliquo contingat negligi. Fratres quoque omnes moneri volo, vt tanti reſpectu Patris ſtudioſiores fiant in Chriſti ſeruitio. Ego verò alibi poſitus pro poſſe veſtris inſiſto profectibus, quos Deus augeat veſtris iuuando precibus.

---

Epist. 10.

# EPISTOLA I.

## *Henrici Imperatoris ad S. Hugonem Abbatem Cluniacenſem.*

Conqueritur de filio quòd in illum inſurrexerit.

HENRICVS *Dei gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus, Cariſſimo atque dilectiſſimo Patri* HVGONI, *& vniuerſis ſanctis fratribus Cluniacenſis Cœnobij, dulcem filij affectum, ac deuotum fratris, immo ſerui obſequium.*

Quia tuam ſemper pietatem, & paternam erga nos ſollicitudinem benignè experti ſumus, ita vt de multis ſæpe periculis, tuis ſanctis orationibus credamus nos liberatos; idcircò, Pater Cariſſime, ad te poſt Deum quaſi ad ſingulare refugium neceſſitatis noſtræ recurrimus, & vt apud te ſal-

tem miſeriarum noſtrarum ſolatium inueniamus, humiliter expoſcimus. Et vtinam nobis contingeret faciem tuam Angelicam corporaliter videre, vt tuis affuſi genibus, caput noſtrum quod de fonte ſalutari ſuſcepiſti, in ſinum ſanctitatis tuæ familiariter poſſemus reclinare, ibíque peccata noſtra deflendo multitudinem tribulationum noſtraıum per ordinem enarrare. Sed quia talem nobis conſolationem inuident non ſolùm longa terrarum interiecta ſpatia, ſed etiam mira ſæuientium inimicorum odia, tuam paternitatem omni deuotione obſecramus, quatenus noſtræ humilitatis litteras nihil falſitatis aut ſimulationis, Deo teſte, continentes, non dedigneris ſuſcipere, & attentè, & miſericorditer intelligere, monſtrum inauditæ traditionis noſtræ. Quam quidem vt magis mirandum ſit, non tam domeſtica vel inimica manus (nam *ſi is qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo*) quam etiam filius vteri noſtri vnicè nobis dilectus, impiè, inhumanè, & indignè in nos exercuit; ita vt non abſque dolore vel ingenti ammiratione poſſimus clamare ad Deum voce illa Pſalmiſtæ Regis, à facie non diſſimilis filij fugientis: *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me.*

Scire enim te credimus, quia audiſſe non dubitamus, quanta affectione, & intima cordis dilectione, contra voluntatem multorum, eumdem filium noſtrum exaltauimus vſque ad Regni ſolium, qui in ipſa electione ſua nobis iurauit Moguntiæ vitam & ſalutem perſonæ noſtræ; & quod de regno & omni honore noſtro, & de omnibus quæ habebamus, vel habituri eramus, nullomodo ſe intromitteret me viuente contra voluntatem, & præceptum noſtrum. Idem quoque ſuper Crucem & Dominicum clauum cum lancea, coram omnibus Principibus, nobis iurauit, cùm intronizatus fuiſſet Aquis. Verùm his omnibus poſthabitis, & obliuioni traditis conſilio perfidorum & periuratorum, mortaliúmque inimicorum noſtrorum ita à nobis ſeparatus eſt, vt omnimodè nos perſequi tam in rebus quàm in perſona cupiens, nos priuare regno & vita, ab ea hora ſemper intenderet. Cœpit enim caſtra noſtra obſidere, & prædia noſtra vſurpare, quotquot potuit tam de familia, quàm & alios ſibi

contra nos ſacramento alligauit. Proh dolor! cùm de die in diem expectaremus, vt tactus dolore cordis intrinſecus humiliatus reſipiſceret, magis ac magis furore perfidiæ accenſus, nihili pendens Dei timorem & paternam reuerentiam, non dubitauit nos de ciuitate in ciuitatem perſequi, & omnia noſtra pro poſſe inuadere.

Sic venimus Coloniam. Proinde cùm ipſe in proxima Natiuitate Domini diſpoſuiſſet colloquium apud Moguntiam, congregatis fidelibus noſtris cœpimus illuc aſcendere. Quo audito, occurrit nobis obuiam in locum qui dicitur Confluentia, ibi cùm nihil vi contra nos poſſet agere, cœpit laborare aſtutiâ, dolo, & omni arte. Miſit namque nobis nuntios ſuos vt ſecum loqueremur: nos autem accepto conſilio noſtrorum fidelium annuimus. Poſtquam verò illuc conuenimus, ſtatim procidens ad pedes eius cœpimus pro ſolo Deo & anima ſua affectuoſiſſimè rogare, vt vellet iam ceſſare ab inhumana patris perſecutione. Ille autem è contra ſub ſpecie & velamine pacis & conuentionis, prouolutus ad pedes noſtros lacrymando rogabat & obſecrabat nos, vt fidei & animæ ſuæ nos committentes, quę* noſtrum & caro noſtra erat, non dubitaremus cum eo ad præfatum colloquium * Moguntiam, illuc nos ipſe duceret omni certitudine ſecuritatis, & cum Principibus quantò fidelibus poſſet de honore noſtro ſollicitè tractaret, & inde nos peracto negocio vel infecto, ad locum quem vellemus ſecuriſſimè reduceret. His omnibus auditis & intellectis, collaudantibus noſtris commiſimus nos fidei & animæ eius, dicentes: Committimus nos animæ tuæ ſub ea fide, qua Deus voluit Filium diligere Patrem. Ille verò datâ dextrâ ſub eadem fide ſalutis & honoris noſtri nos ſecuros reddidit. Hac igitur fiducia nihil dubitantes, remiſimus noſtros vt ad præfatum colloquium redirent; mandando etiam cæteris fidelibus noſtris, vt ibidem nobis occurrerent, & ſic cum illo profecti ſumus.

* Hîc corroſæ membranæ.

Cùm autem eſſemus in media via, nuntiatum eſt nobis priuatim quòd traderemur. Hoc cùm ipſe ſciret nobis relatum eſſe, cœpit iurare & deteſtari nullomodo eſſe verum, recipiens nos iterum ſub præfata fide. Deinde in ſequenti

die

die circa noctem peruenimus in locum qui dicitur Binga. Mane autem facto circumuenit nos armorum ſtrepitu, & omni genere terroris, dicens ſe nos nolle ducere Moguntiam, ſed ad caſtrum quoddam. Cùm igitur prouolueremur ad pedes tam ſuos quàm aliorum, vt ſecundùm fidem datam nos duceret Moguntiam, vel nos dimitteret liberos abire; redituros in termino quem diſponeret omni certitudine ſecuritatis. Reſponſum eſt nobis quòd nihil aliud liceret nobis facere, quàm ad præfatum Caſtellum ire. Quid plura? Contra omnem voluntatem noſtram captiuos nos duxerunt, ibíque retruſi in artiſſima cuſtodia traditi ſumus mortalibus noſtris inimicis, excluſis omnibus noſtris præter tres laicos, nec etiam relictus eſt nobis Sacerdos, cùm de vita noſtra deſperaremus, à quo poſſemus Corpus & Sanguinem Domini pro viatico accipere, & cui poſſemus peccatorum noſtrorum confeſſionem facere. Vbi etiam afflicti ſumus fame & ſiti, & omni genere contumeliæ & terroris, vſque ad ipſum articulum mortis, ita vt certiſſimum nobis eſſet nos vlteriùs non poſſe viuere, quantum in ipſo erat niſi voluntati eius ſatisfaceremus. Intereà mandatum eſt nobis, quòd liberationis noſtræ nullum eſſet conſilium, niſi ex templò daretur & crux & lancea, cæteráque regalia inſignia. Cùm ergo indubitanter intellexiſſemus, nos nullatenus aliter quàm hoc modo liberari poſſe, mandauimus illis qui erant in Caſtello vbi regalia habebantur, vt ſaltem hoc modo vitam nobis redimerent. Qui periculum vitæ noſtræ intelligentes, præfatam crucem & lanceam cum alijs inſignibus, licèt inuiti, tradiderunt.

His ita (poſt habito Deo, & omni iure & iuſtitię) inhumanè peractis, eduxerunt nos de horribili carcere in locum, qui dicitur Ingilheim iuxta Moguntiam, quò venit filius noſter cum mortalibus inimicis noſtris, & eorum multitudine, relictis fermè omnibus fidelibus noſtris Moguntiæ, ea ſpe, quòd nos illuc ad eos deberet ducere. Quibus omnibus hac ſpe deceptis, in præfato loco iterum producti ſumus ad crudeliſſimas quæſtiones, & iniquas exactiones, præſente Nuntio Papæ, vbi multa inconuenientia non tam zelo rectitudinis, quàm ſtudio noſtræ damnationis, ſunt nobis ab

DDd

inimicis noſtris obiecta, quæcumque ſcilicet saluti & honori noſtro potuerunt eſſe contraria. At verò nos cùm poſtularemus, vt liceret nobis reſpondere, & de omnibus obiectis digna ratione ſatisfacere: illi pro imperio renuerunt, quod etiam barbari alicui ſeruo non facerent. Cùm ergo videremus nobis violentiam & præiudicium fieri, tunc prouoluti ad pedes eorum cœpimus ſuppliciter implorare, cùm pro Deo, tum pro ſuo honore, vt huiuſmodi quæſtiones & obiectiones differrent vſque ad Apoſtolicam ſedem, conceſſâ interim nobis dignitate propriȩ libertatis, vſque ad locum præfatȩ ſedis; vbi præſente Romano Clero & populo, remoto odio & inuidia, & cæteris quȩ iuſtitiȩ ſunt contraria, liceret de obiectis vel dignè purgare, vel humiliter ſatisfacere. At cùm id quoque nobis inhumanè denegaretur, & nos deinde miſe* . . . . . . . . reremus, ſi qua ſpes vitæ aut ſalutis, vel quȩ tandem eſſet* . . . . . . . . copia liberationis. Tum nobis reſponſum eſt, quòd à graui captiuitate ita * . . . . . . . . poſſemus ſi ea exequi vellemus; quȩ nobis, licet contra ius & honorem noſtrum proponebantur, id eſt, vt ſecundùm eorum voluntatem redderemus imperij coronam. Quid plura? Poſtquam à nobis omnia pro voluntate & imperio extorſerunt, abeuntes Moguntiam, in eodem loco nos ſine honore reliquerunt: cùm ecce mandatum eſt nobis, quòd niſi æternam captiuitatem ſubire vellemus, quantocyùs diſcederemus. Quapropter locum ipſum deteſtantes, nauim conſcendimus, Coloniam feſtinanter venimus, & ſic gratuitâ miſericordiâ diuinæ maieſtatis à crudelibus inimicorum manibus vix liberati ſumus.

** Hæc etiam corroſa.*

Sed iam tempus eſt tam longȩ miſeriarum noſtrarum tragœdiȩ finem imponere; quam iccircò tuȩ, Pater Amantiſſime, pietati deflere curauimus, quia in Deo & in te magna & ſingularis ſpes eſt nobis conſilij & auxilij, ſalutis & liberationis noſtrȩ. Vnde qnod hactenus facere diſtulimus, nunc toto affectu & deſiderio animi totum conſilium noſtrum tuȩ fidei committimus, & quicquid de noſtra cum Apoſtolico reconciliatione, quicquid de pace & vnitate ſanctȩ Romanȩ Eccleſiȩ, ſaluo honore noſtro, faciendum eſſe decreueris, totum nos facturos ſine dubio Deo vbique promitti-

mus. Feſtina ergo, Pater Cariſſime, nobis conſulere, nec te pœniteat quæſumus, etſi non pro filij liberatione, quia peccauimus in cœlum & coram te, ſaltem pro mercenarij tui ſalute laborare. Prætereà conquerimus pietati tuę, quòd filius noſter litteris ſuis mandat vbique regalia omnia ſponte nos reddidiſſe, quòd nouerit Sanctitas tua omninò verum non eſſe.

---

## EPISTOLA

Epist. II.

### *Henrici Imperatoris ad Hugonem Cluniacenſem.*

Rogat Hugonem vt arbiter eſſe velit illum inter & Papam.

HENRICVS *Dei gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus* VGONI *venerabili Cluniacenſi Abbati, quicquid licet peccator, tamen ſpiritalis filius, deuotius & humilius ſuo deſiderantiſſimo & dilecto Patri.*

Et ſi per familiares Monachos & Fratres veſtros tribulationis, & à ſeculo inauditæ horribilis traditionis noſtræ omnem ordinem vobis, proprijs litteris, ſicut contigit, ſignificare & mandare diſpoſuimus; tamen noluimus prætermittere quin per hos nuntios veſtræ paternitatis ſanctitatem, vt publicanus peccatorum ſuorum refugium & naufragans ſalutis portum deſiderantiſſima deuotione depoſceremus. Rogamus igitur, venerande Pater, veſtræ ſanctitatis memorabilem probitatem, quatenus auditâ & intellectâ noſtræ monſtruoſæ traditionis deteſtabili miſeriâ, ita caritas Dei quę in vobis eſt accendatur pro ſolo Deo ad defenſionem execrabilis iniuriæ noſtræ, quòd manifeſtè appareat ſanctitatem veſtræ paternitatis ſolo diuino reſpectu ſollicitari pro inauditis tribulationibus noſtris. Nos enim coram Romano Nuntio de cauſa, quæ eſt inter nos & Papam, conſilio religioſorum virorum voluimus pleniter agere: verùm quia diſpoſuerant nos omninò de hac vita perdere, nullo modo voluerunt nos recipere. Iterum tamen qualitercumque tractati ſimus, ponimus nos in conſilio veſtro patris noſtri, aliorúmque religioſorum virorum, quos ad hoc habere vultis, ita vt ſaluo honore noſtro totum Papæ faciam quod diſ-

poſueritis. De cætero orationibus veſtris me committo, venerande Pater, & per vos ſanctæ congregationi veſtræ præſentari rogamus, & eorum orationi deuotiſſimè commendari.

---

Epist. 13.

# EPISTOLA.

## *Henrici Imperatoris ad Hugonem Cluniacenſem.*

Gratias habet Hugoni de reſtituta eius orationibus ſanitate.

HENRICVS *Dei gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus*, HVGONI *venerabili Abbati Cluniacenſi gratiam & ſalutem.*

Viſis ſanctitatis tuæ litteris, admodum gauiſi ſumus. Tuas tantò libentiùs ſuſcepimus, quantò feruentiori ſtudio diuinæ contemplationi te inhærere nouimus. In quibus quoniam te dixiſti nimium exultaſſe de reddita nobis ſanitate, de conceſſa cælitus filij adoptione, Grates paternitati tuæ referimus, grates ex intimo corde perſoluimus. Id etiam non tam ſummopere mandamus, quàm humiliter depoſcimus, vt tua apud clementiſſimum Dominum noſtrum iugiter non deſit oratio, pro Reipublicæ commodo, pro totius regni honore, pro noſtra noſtrorúmque ſalute, vt diuinitus nobis collata proſperitas, Eccleſiarum & populi totius pax poſſit eſſe & tranquillitas. Quis enim ſapiens tuam orationem, tuorúmque non exoptet? Quis inſolubili caritatis vinculo retinere non ambiget? quorum oratio tantò purior, quantò ab actibus ſeculi remotio; tantò dignior, quantò diuinis conſpectibus extat propinquior. Quòd autem te pro longinquitate itineris negaſti potuiſſe venire ſicut iuſſimus, quamquam gratanter tuum ſuſcepiſſemus aduentum, eo ignoſcimus tenore, vt in Paſcha ad nos Coloniam venias, ſi eſt fieri poſſibile, quatenus ſi audemus dicere eumdem puerum de quo ita lætatus es de ſacro fonte ſuſciperes, & ſpiritualis pater tuæ benedictionis munere ſignares, ſicque ſimul expiati fermento delictorum Paſchali ſolemnitate mereamur perfrui azimis cœleſtis gloriæ.

Rogat Abbatem vt è ſacro fonte filium ſuſcipiat.

## EPISTOLA

EPIST. 14.

### *AD HVGONEM ABBATEM.*

DILECTISSIMO *Patri & omni acceptione digno* HVGONI *Abbati ........ quæquæ modò Deo iubente ſit*, *Salutem*, & *deuotum obſequium.*

Orat vt pro defuncto preces Deo offerat.

Quia in luctum verſa eſt cithara mea, pro gaudio gemitum, pro exultatione, quam litteræ veſtræ fecerant, refero lamentabile planctum. Cor tamen mœrore tabidum refugit ex toto referre. Quapropter & quia velox fama malorum, vt credo, meum vobis dolorem nuntiauit, precor vt dominum meum, quem diutius in carne ſeruare noluiſtis, ſaltem orando cum veſtro conuentu defunctum Deo commenderis; filiúmque veſtrum diu ſibi hæredem fore ac Deo dignum obtineatis: & turbas ſi quæ contra eum in veſtris vicinis partibus regni ſui oriuntur, etiam conſilio ſedare ſtudeatis. Vale Pater.

## EPISTOLA.

EPIST. 15.

### *Henrici Imperatoris.*

HENRICVS Dei gratia Romanorum Imperator, Auguſtus HVGONI Reuerendo Abbati, quod filius Patri.

Abbatem precatur, vt illum inuiſet, quò pacem inire poſſit cum Summo Pontif.

Diu eſt Domne ac Pater quòd infirmum veſtrum ſicut ſolebatis non viſitaſtis, & quòd adhortationum & conſolationum fomentis contritum veſtrum non curaſtis. Sed próinde pietati veſtræ non æſtimamus derogandum, ſed totum iniquitatibus noſtris imputandum, quia fortaſſe Spiritus Domini prohibuit, ne propter infructuoſam arborem ſanctitas veſtra fatigari debuerit. Verùm quoniam tempus eſt omni rei ſub cœlo, & ſicut tempus eſt iræ Domini, ita & miſericordiæ eius, quam viciſſitudinem ſæpiùs in Iſraëlitico po-

pulo animaduertere poſſumus, qui peccans à Domino puniebatur, pœnitens dignus venia iudicabatur: ſicut planè factum eſt quando à Nabuchodonoſor muri Ieruſalem destructi ſunt, templum Domini dirutum populus captiuus ductus eſt, quando filia Sion ſedit per ſeptuaginta annos ſine Rege, ſine Sacerdote, ſine ſacrificio: Sed rurſum quando cœli diſtillauerunt miſericordiam Dei, ſub Cyro Rege Perſarum laxata eſt captiuitas, redijt populus, Ieruſalem reædificata, templum reparatum, & cæremoniarum ritus ex integro eſt reſtitutus. Si ergo, ſicut Apoſtolus loquitur, *hæc omnia in figurà contingebant illis*, nos qui ſimilem in deſtructione Eccleſiaſticæ Religionis, Domini diu ſuſtinuimus iram, quare in reparatione eiuſdem Religionis ſimilem non ſperemus miſericordiam? hoc itaque exemplo animati notum facimus Serenitati veſtræ, quòd pro reparatione eccleſiarum, quæ noſtris temporibus noſtris peccatis, heu! corruerunt, omnibus modis prout Deus vires dederit volumus laborare, & ſanis conſilijs omnium bonorum amodò acquieſcere, ſi quo modo valeamus diſperſa colligere, & hiantia cuneo ſchiſmatis, vnionis glutino coadunare, atque ruinam Eccleſiæ, quæ per nos facta eſt, pacis & iuſtitiæ inſtauratione recompenſare.

Præterea ſignificamus vobis, quòd ſi Deo propitio Regnum & Sacerdotium in vnum recolligere poterimus, poſt confirmatam pacem ire Ieruſalem diſponimus, & videre ſanctam terram in qua Dominus noſter in carne viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, ipſo propitio valde deſideramus, vt ibi expreſſiùs eum adoremus, vbi eum alapas, ſputa, flagella, crucem, mortem, ſepulturam, paſſum eſſe pro nobis cognouimus. Hæc autem omnia propterea Sanctitati veſtræ indicamus, vt enixiùs pro nobis oretis, & nos Deo cum ſancto Collegio Fratrum veſtrorum attentiùs commendetis, vt ipſe qui nos bonæ voluntatis præuenit miſericordiâ, ad fructuoſum effectum noſtra dirigere dignetur opera.

# EPISTOLA

Epiſt. 16.

*Henrici Romanorum Regis.*

HENRICVS Dei gratia Romanorum Rex P. Patri venerando, & ſanctę Congregationi domus Dei Cluniacenſis, fraternę dilectionis amplexus, & diuinæ militiæ quam exercent æternum comprehendere brauium feliciter triumphando.

Petit Cluniacenſ. Monachorum vociuas preces.

Relatu multorum frequenter audiuimus, quia noſter auus, & pater, Imperatores beatæ memoriæ, ſanctitatem huius loci plurimùm ſuis temporibus dilexerunt, & in magna veneratione habuerunt, quoniam orationum auxilio ſanctorum virorum qui hîc Deo militauerunt, ſe conſecuturos æternam ſalutem indubitanter crediderunt. Quorum enim fraternitatem, ſpem ſalutis veraciter promittentem, habuerunt, & huius loci bona vbicumque ſita fuère in eorum regno, tam Theutonico, quàm Italico, dilectionis ſtudio custodiuerunt atque defenderunt. Quos nos in hoc profectò corde & opere deſideramus imitari, commendantes eos vobis, rogando plurimùm, vt eorum memoriam in veſtris orationibus apud Deum inceſſanter faciatis. Hos autem veſtræ ſanctitatis fraternitatem, & veſtrarum orationum auxilium & conſolationem habere dignum ducimus, & humili deuotione poſtulamus; fiduciam habentes in Domino, quòd militiæ veſtræ merita, obtinebunt apud Deum nobis ſalutem corporis & animæ; regníque noſtri pacem & ſtabilitatem quam in Chriſto receptamus.

Bona quidem veſtra vbicumque fuerint in noſtra poteſtate, tam citra montes, quàm vltra nominatum locum ſancti Benedicti, vnde nos rogauiſtis, diligenter ſeruabimus: & ſi fortè aliquid aduerſi in eis acciderit, libenter emendare curabimus. Orate, rogamus, pro vnitate regni ac ſacerdotij, quam diligimus & quærimus; & vt dominus Papa ceſſet contra ire nobis de noſtra iuſtitia. Voluntas verò noſtra eſſet, ſi tibi placeret, vt conueniremus, & tu noſtram caperes

Bona eiuſdem Abbatiæ in ſuam tutelam accipit.

notitiam, & nos tuam, & inde poſſet oriri magnum bonum, tum quia noſter conſanguineus es; tum quia tuum vellemus habere conſilium antequam Romam tranſiremus. Quod Lauſamnæ poſſet fieri, ſi illuc nobis obuiam venires octauo die poſt Aſſumptionem ſanctæ Mariæ, quia tunc ibi erimus.

Abbas Regis conſáguineus.

---

EPIST. 17.

# EPISTOLA

## *Hugonis Abbatis ad Imperatorem.*

SERENISSIMO & Feliciſſimo Domino FREDERICO Imperatori Romanorum Frater * HVGO humilis Cluniacenſis Abbas vtriuſque vitæ iocunditatem.

* *Hugo* III.

Propoſueramus ad vos venire, & notitiam & gratiam veſtram quærere, ſed plures cauſæ propoſitum noſtrum impediunt. Parentes ROBERTI GROSSI, quem Dominus Papa damnauit, vndique Cluniacenſem Eccleſiam inquietant, & nouam plantationem noſtram valde concutiunt. Ad Dominum Papam ituri ſumus, & in præparatione itineris intenti occupamur. Conquerimur plurimùm Magnificentiæ veſtræ, quòd Fratres noſtri, & Confratres veſtri, qui pro ſalute & proſperitate veſtra, & regni vobis à Deo commiſſi, Deo quotidie ſupplicant, & anniuerſarium auunculi veſtri CONRADI annuatim celebrant, de Abbatia Balmenſi, quam Dominus Papa EVGENIVS in Prioratum Eccleſiæ Cluniacenſi dedit, & vos ſigillo auctoritatis veſtræ confirmaſtis, violenter expulſi ſunt. Rogamus autem obnixè, vt ipſum Prioratum, & poſſeſſiones eius & caldariam, quam AYMO Major de Ruuiniaco Eccleſię Balmenſi aufert, qua etiam anteceſſorem noſtrum inueſtiſtis, nobis, ſi placet, reſtitui faciatis. Præſentium latores ad Serenitatem veſtram à nobis tranſmiſſos ſciatis, & his quæ Serenitati veſtræ dixerint, fidem adhibeatis; & petitiones quas pro Cluniacenſi Eccleſia fuderint, miſericorditer exaudiatis.

Conqueritur de expulſione Monachorum è Balmenſi Monaſterio.

Monachi Confratres Imperatoris.

*Domino*

# EPISTOLA

EPIST. 18.

## *Hugonis Abbatis ad Philippum Regem.*

DOMINO PHILIPPO Dei gratia Francorum Regi Frater HVGO Cluniacenſis Abbas, cœleſtis Regni dignitatem & gloriam.

Ex ſingulari familiaritate, Regem, vt, abdicato Regno Monaſticam vitam arripiat, adhortatur.

Sicut veſtræ Sublimitatis prudentia recognoſcit, ſpontéque fatetur, nullo vnquam tempore, vel Dignitati, vel Coronæ, vel Amplitudini veſtræ contraire conati ſumus, nec Honorem veſtrum, aut Gloriam, aut Maieſtatem, in quoquam minui ſeu defraudari optauimus, ſed ea potiùs quæ iſtis contraria ſunt, quibúſue iſta corrumpi poſſunt, longè à vobis ſemper fore fide non ficta & optamus aſſiduè & oramus: & ſi quid horum, videlicet contrariorum ac corrumpentium ex humana vobis tentatione atque infirmitate inhæſit, illud Deus amoueat, illo vos purget, illo vos ad plenum emundet. Quia verò Manſuetudo veſtra ex multa qua vos præditum ſcimus humilitate ad hoc ſe non dedignatur inclinare, vt quod reſtat temporis, nobiſcum ſe vnanimem ac concordè viuere velle fateatur, ſuámque nobis beneuolentiam offerens, noſtram deuotè repoſcat, id gratulanter amplectimur, & ſuper hoc corde beniuolo exultamus, dicentes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Et quoniam Deus ianuam nobis dulcis familiaritatis ad vos de ſe alloquendum aperuit, nunc vobis primùm aperimus, quod de vobis non nunc primùm cogitare cœpimus & optare; vt propenſiorem affectum & intentionem maiorem amodò habeatis ad bonum: Ad verum dico bonum, ad ſummum bonum, quod Deus eſt. O magne amice recordamini quia me aliquando interrogaſtis, an aliquis vnquam de Regibus factus fuerit Monachus. Reſpondi, etiam. Sed etſi de nullo alio certi eſſemus, ſolius ſancti GVNTRANNI Francorum Regis exemplum ſufficeret, qui relictis ſeculi pompis, & vanitatibus, & illecebris, factus eſt Monachus

Rex Guntrannus olim factus Monachus.

imitans illum, qui cùm diues eſſet, pauper pro nobis factus eſt, vt ſua nos paupertate ditaret. Igitur ſi vos regnum delectat, & poteſtas, & dignitas, imitamini quod auditis; quia ſic & verè Rex, & verè potens, & verè dignitatis compos, & perenniter diues eſſe poteritis. Moueat etiam vos ac perterreat contemporalium, vicinorúmque veſtrorum,* WILLELMI, dico, Anglorum Regis, & HENRICI Imperatoris, lamentabilis caſus, plangendúſque interitus: quorum alter vnius ſagittæ ictu, non in bello, ſed in boſco ſub momento temporis interijt. Alter inter multos angores grauéſque ærumnas, quas diu ſuſtinuerat, nuper, ſicut vos audiuiſſe iam credimus, defecit. Qui quomodò nunc ſe habeant, quídue ſuſtineant, quis hominum nouit? Propter quod, ô Rex amicabilis, apprehendite iam ad plenum timorem Domini, aſſumite ſanum & tutum conſilium animæ veſtræ; ne, quod Deus auertat, contingat vobis, ſicut præfatis Regibus contigiſſe dolemus. Sunt enim caſus vitæ humanæ innumeri, innumerabilia mortium genera. *Et horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Igitur mutate vitam, corrigite mores, appropinquate Deo per veram pœnitentiam, & conuerſionem perfectam. Quam videlicet pœnitentiam, vel conuerſionem, nec faciliori, vt credimus, nec certiori via poteſtis apprehendere, quàm quod multùm volumus & optamus, monachica profeſſione. Ecce Principes Apoſtolorum, Iudices Imperatorum, & Regum, & orbis, Beatus Petrus & Paulus, parati ſunt recipere vos in domum ſuam hanc, quam Patres noſtri azilum pœnitentium nominauerunt. Et nos parati ſumus vos vt Regem habere, vt Regem tractare, vt Regi ſeruire, & pro vobis Regi Regum deuotiùs ſupplicare; vt vos propter ſe ex Rege Monachum, ex Monacho in Regem per ſe reſtituat; non iam in breuiſſimo atque pauperculo terræ angulo, tempore modico dominantem, ſed in ampliſſima ac feliciſſima cœli latitudine ſecum ſine fine regnantem. Amen.

* Is eſt Guillelmus Rufus.

Hẽricus V.

*Heb.* 10. 31.

## EPISTOLA

Epist. 19.

### *Geraldi Cadurcenſis Epiſcopi.*

FREDERICO Dei gratiâ Triumphatori & Glorioſiſſimo Romanorum Imperatori, & ſemper Auguſto, GERALDVS Caturcenſis dictus Epiſcopus, Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Orat Imperatorem vt è carcere eũ à militibus detentum liberari iubeat.

Ex quo, Sereniſſime Princeps, in feſto Dominicæ Natiuitatis apud Albam celebritati gaudij Coronæ veſtræ me ſublimitas veſtra intereſſe voluit & honorare, eámque mihi Excellentiæ veſtræ conferre gratiam, vt inter alia Benignitatis veſtræ indicia, litteras etiam ſecuritatis per vniuerſum Imperium veſtrum, & ad omnes fideles veſtros, mihi dignati ſitis concedere; tantum circa magnitudinem veſtram fidelitatis concepi feruorem, vt nihil poſſit eſſe, quod honori & beneplacitis veſtris conſonet, ad quod paruitas mea non ſit per omnia prona, & in omni puritate cordis promptiſſima. Cúmque tunc vt per vos haberem regreſſum Sublimitas veſtra mihi impoſuiſſet, & in Ramis Palmarum apud Placentiam aſpectui veſtro me præſentaſſem, Imperialis Magnificentia in tanta gratiæ veſtræ benignitate me ſuſcepit, & dimiſit, vt ſicut cariſſimo domino ſuo fidelis famulus fuerim honori veſtro ex tunc obnoxius factus, & pro viribus obligatus.

In hoc itaque fidelitatis propoſito conſtitutus, contigit quòd ad viſitandum quemdam conſanguineum meum Vicecomitem, EBORVM nomine, qui à Ieroſolymis rediens apud Sanctum Benedictum de Monte Caſſino infirmabatur, ad partes illas irem. Qui cùm eſſet iam mortuus, quia Dominus Rex Franciæ, conſanguineus veſter, mihi dixerat, quòd ad curiam, ad quam dominus Pauembergenſis pro reformanda pace Eccleſiæ ex mandato veſtro, & dominus Mendenſis de beneplacito veſtro ab eo miſſus erat, accederem, viſurus quid de ipſa pace factum eſſet; per curiam illam tranſiui, volens ſatisfacere & domino Marchioni Montis-

ferrati, qui mihi fideli ſuo, quædam negotia ſua impoſuerat. Cúmque inde redirem, à COITRADO nuntio veſtro, & Marchione Marchiæ Guarnerij, nullas prorſus litteras habens, captus, & ſub cuſtodia detentus, cum quibuſdam Clericis & Monachis de Regno Francorum, & Anglorum, non diuitibus quidem, ſed de nobilibus Eccleſiis, qui omnes ſub ſpe pacis Eccleſiæ perrexerant, quam & ipſi ſimiliter factam eſſe audierant. Inter quos etſi aliqui litteras portarent, nihil tamen contra honorem veſtrum, ſed tantummodò Eccleſiarum ſuarum iuſtitias continebant. Ad pedes igitur Imperialis miſericordiæ prouoluti Maieſtatem veſtram ſuppliciter exoramus, quatenus dignationis veſtræ miſeratio me & quemdam conſanguineum meum Vicecomitem de Albucione, illius terræ Marchionem, atque omnes alios cum honore & integra reſtitutione ablatorum faciat liberari. Religioſi ſiquidem ſunt Monachi & Clerici, & in via iſta qua ambulabamus abſque dolo & malitia euntes ſub ſpe pacis, quam factam eſſe audierant, qui nihil quod vobis credant contrarium volentes, ſi per alium ſuper alijs grauaminibus iuſtitiam aſſequi poſſent, ad eum vtique libentiùs iſſent. Iteratis itaque & lacrymoſis precibus ad pedes Serenitatis veſtræ prouoluimur, Imperatoriam humiliter flagitantes miſericordiam, vt amore Dei, intuitu domini Marchionis Montis ferrati, & domini Comitis ſancti Egidij fidelis veſtri, in meam liberationem aperiat pietas veſtra oculos ſuos ſuper me, & alios concaptiuos, quatenus ſuper hoc Deus vobis retribuat, & nos, qui ab omnibus Principibus Gallicani Regni multiplices faciemus vobis gratias reddi, ſemper pro incolumitate veſtra orare, & fideliores debeamus exiſtere. Ad hoc, Benigniſſime Principum, Celſitudinem veſtram exoro, vt litteras illas ſecuritatis ad omnes fideles veſtros, quas mihi olim conceſſiſtis, non quidem momentaneas, ſed ſicut credidi perpetuas, & nunc elargiri, & mihi velitis tranſmittere, quatenus pro tali gratiæ veſtræ argumento Imperij veſtri non ſolùm fideliſſimus, ſed & famulus efficiar deuotiſſimus. Liberalitas autem veſtra nullam diminutionem in liberatione noſtra inueniet, ſed id ad augmentum nominis & gloriæ veſtræ plurimùm poterit prouenire. Statim

enim vt captus fui ad Maieſtatem veſtram appellaui, me & mea, ac ſocios meos ſub protectione veſtra conſtituens, fidei iubere volens, quòd recto greſſu antequam ad propria redirem, veſtro me conſpectui præſentarem mandatis veſtris pariturus. Tantùm enim de gratia quam mihi dediſtis confidebam, vt mihi Benignitas veſtra indulgeret, ſi in aliquo neſcienter peccaſſem.

---

## EPISTOLA

Epiſt. 10.

### *Lugdunenſis Archiepiſcopi ad Mathildem Comitiſſam.*

MATHILDI Dilectiſſimæ in Chriſto ſorori, ac vnicæ filiæ beati Petri HVGO ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ ſeruus, Salutem in caritate non ficta.

Vt perſeueret opē Eccleſ. Rom. adferre, Mathildem adhortatur. Deinde ſibi impoſita ob quę fuerat excommunicatus diluere conatur.

Quamuis ſciamus, venerabilis Domina, hoc ſolùm te ſapere, hoc ſolùm inhianter te quærere, quod ad honorem Dei, & Apoſtolicæ Sedis pertineat, tamen diſſimulare non poſſumus, quin ex abundanti pietatem tuam ſuper hoc ammoneamus, vt ſanctis deſiderijs tuis paruitatis noſtræ ſtudia adiungamus. Scimus quidem qualiter ſupra fœmineum modum in virili pectore feruentem caritatis flammam concipiens in exemplum facta ſis omnium Principum, vt cùm te, quæ temporali potentia & opibus affluebas, cuncta pro nomine Domini expendiſſe, & mundi furorem, poteſtatémque tenebrarum fidei armatura eiciſſe cognouerint, ſimiliter ſe & non feciſſe erubeſcant, & facere prompta deuotione non dubitent. Sed inter hæc, Dilectiſſima Domina, ad mentem tibi ſæpe reducendum eſt, vt in omnibus modis contendas vſque in finem perſeuerare, & glorioſa principia feliciori conſummatione perficere, quia ſicut prudentiam tuam per Spiritum edoctam cognoſcimus, tunc ſalutis & præmiorum certa fiducia eſt, cùm vſque in finem ſancti propoſiti perſeuerantia dilatatur. Habetis ſiquidem in hac re fidiſſimos adiutores, & benignos deuotionis veſtræ apud Dominum commendatores, pijſſimum ſcilicet Patrem noſtrum ſanctæ memoriæ Papam, & beatum A . . . . . . . . .

Lucenſem Epiſcopum, qui ſicut cùm adhuc viuerent in omni pietate & iuſtitia vos inſtruxerunt, ita nunc ab illo æternæ quietis ſinu, in quo eos receptos eſſe confidimus, meritis ſuis & precibus, caritatis veſtræ opera commendabunt, ac amorem perpetuæ vitæ, quo ineffabiliter ſatiantur, deuotionis veſtræ viſceribus inſpirabunt. Eorum itaque patrocinijs adiuta in conſulendo Romanę Eccleſię totis viribus accingimini, ſummopere prouidentes, vt talem ibi perſonam eligi conſentiatis, in qua poſſit eſſe & tantorum laborum finis, & animarum ſalus, inimicorum confuſio, & Apoſtolicæ reparatio dignitatis.

Et nos quidem licet de recuperatione electionis Domni Abbatis Montis Caſſini à quibuſdam ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis & Cardinalibus Presbyteris diſſenſerimus, vnde aliquibus illorum cur nobis aliter videretur, etiam apud Capuam palam rationes reddidimus: tamen ſcire vos volumus ab vnitate eorum, qua in corpore ſanctę Eccleſiæ ad ſeruiendum Beato Petro diuina dignatione compacti ſumus, nec diſceſſiſſe, nec in perpetuum, Deo miſerante, diſceſſuros, immò habere propoſitum Apoſtolicę Sedis profectibus, modis omnibus deſeruire. Præterea notificamus vnanimitati veſtræ à Monachis Cluniacenſibus nobis tantas ſupergreſſiones & iniurias inferri, vt nullomodo eas æquanimiter ſuſtinere valeamus. Et quidem anno præterito, antequam Romam tenderemus, compertum nobis fuerat, Abbatem in Sancto Paraſceue orationem, quam pro Imperatore facere conſueuerat, quæ nunc pro excommunicatione & depoſitione HENRICI à Domino Papa GREGORIO facta, interpoſita eſt, publicè celebraſſe; de quo cùm eumdem ad rationem poſuiſſemus, conſcientia debilitatus reſpondit, orationem illam pro Imperatore quolibet ſe dixiſſe. Cùmque ex circunſtantia ipſius orationis ad Romanum eam ſpecialiter pertinere imperium proſequeremur, quia ex Apoſtolicæ ſedis iudicio nunc vacaret, veritate oppreſſus conticuit, neque tamen debita pœnitentia errorem cognitum emendauit. Poſt reditum verò noſtrum, cùm effrenatę inuaſioni Monachorum ſuorum reſiſtere conaremur, obiecit nobis quaſdam litteras, quas dicebat à Papa

*Abbas tunc erat S. Hugo.*

VRBANO ſibi directas, in quibus continebatur, vt tam ipſe quam ſancti fratres ſui à communione noſtra, & RICARDI Maſſilienſis abſtinere curarent, vt ſub prætentione litterarum noſtras iniurias retineret. Quæ litteræ contra Apoſtolicum moderamen, & grauitatem conditæ, manifeſta mendacia continebant. A tempore enim electionis quæ de Abbate Caſinenſi facta eſt, vſque ad Conuentum Capuæ habitum, integri anni ſpatium proteſtantur exactum; cùm verum ſit in eo ſpatio nullatenus annum integrum euolutum. Inter alia autem vnum impudentiſſimè mentiuntur, quia à communione Romanæ Eccleſiæ nos ſponte noſtra ſeiunximus; cùm teſtis nobis ſit conſcientia noſtra, & caritas, quâ in Domino copulamur, nos non ſolùm communionem eorum non euitaſſe, ſed omnibus hoc perſuadentibus reſtitiſſe. Adhibito ergo nobis Confratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum conſilio, & per eorum manum inter nos & Abbatem colloquio conſtituto, cùm intelligeret nos aliter cum illo concordiam non habituros, niſi culpa cognita præfatam orationem interponeret, iudicium nobiſcum ſubire prætenſis multis occaſionibus recuſauit, Epiſcoporum tamen qui aderant ſtudijs diſcordia noſtra aliquantulum modificata eſt, & per inducias vſque ad præfinitum terminum mitigata.

*Non mirum ſi excommunicatum ipſe Hugo fictitias prætendit litteras.*

Hæc de his quę circa nos ſunt Caritati veſtræ communicauimus, inuicem poſtulantes, vt ſi quid vobis de ſeruitio humilitatis noſtræ placuerit, ſine hæſitatione nobis hoc ſummoperè cupientibus aſſignetis. Si verò præſentium portitoribus Romam eundi occaſio, aut facultas defuerit, de Benignitate veſtra plurimùm confidentes, rogamus, vt litteras quas illis perferendas commiſimus, Epiſcopis ſanctę Eccleſiæ Romanæ filijs, & Cardinalibus Preſbyteris, celeriter dirigi faciatis. De cætero dilectum fratrem noſtrum domnum ROTGERVM ſanctæ Eccleſiæ Apoſtolicæ Sedis Cardinalem Subdiaconum, qui in proximo Romam per vos ad vtilitatem ſanctæ Eccleſiæ venturum ſe dicit, nobilitati veſtræ ſicut neceſſarium commendamus, rogantes vt in conductu, & in cæteris, in quibus Benignitatis veſtræ conſilio indiguerit, pro gratia Beati Petri & noſtra ſubueniatis: quo referente de his quæ circa nos ſunt plenius cognoſcetis.

EPIST. XI.

# EPISTOLA

## *Ad Petrum Priorem S. Ioannis.*

Is fortè eſt Petrus, de quo Petrus Venerab. epiſt. *contra eos qui dicunt Chriſtũ nunquam ſe apertè in Euãg. Deum dixiſſe.* Gratias agit de ſcriptis ab eo miſſis.

CARISSIMO Fratri & in Chriſti viſceribus amplectendo PETRO Priori ſancti Ioannis G. A. Cluniacenſium Fratrum minimus, æternam in Domino Salutem.

Litteras ſanctitatis veſtræ per nuncium veſtrum nuper accepi, quas luculento ſermone veſtro compoſitas clariſſimi veſtri vena ingenij rhetoricis floribus mirabiliter adornauit. Scitote ſiquidem quòd rem diu deſideratam habui, quando de manu nuncij veſtri epiſtolam ad nos delatam recepi. Nam anteà deſiderio deſideraueram, vt quia faciem veſtram videre corporaliter non poteram, ſaltem quandóque poſſem videre ſcripta ſtilo veſtro compoſita, & nomine veſtro titulata. Compleuit itaque Deus deſiderium meum; nam quod diu animo concupiui ipſe miſericorditer adimpleuit. Suſceptis itaque litteris veſtris, inducto aliquantulùm mihi ſpatio legendi; depoſitis quibuſdam commentarijs, libris Origenis atque Hieronymi, totum me adplicui ad legendum ea quæ mandaſtis. Septies etenim legi per diem & noctem vniuerſa ſcriptorum veſtrorum capitula, incipiens à primis per medium vſque ad vltima. Videbatur enim mihi quòd non eſſent tantummodò quaſi melle condita, ſed tanquam ſancti Spiritus rore perfuſa. Vidi etiam in prima fronte epiſtolæ, vnde gauiſus ſum gaudio magno valde. Vidi námque quòd gratia ſanitatis erat vobis in corpore, opulentia in rebus, cætera omnia in circuitu veſtro vndique in diuturna pace. Vidi etiam & multa alia, de quibus non eſt modò dicendum per ſingula; loco enim & tempore conuenienti proferentur in medium, tanquam profutura communi vtilitati legentium: valde quidem omnium bona ſunt, & his qui ea diligenter attendunt dulciora ſuper mel & fauum, quia non habent in ſe aliquid ruſticitatis amixtum. Magiſtri etenim huius temporis multa & amiranda canunt, ſed ſcripta veſtra aliter dicunt, & dulcius ſonant.

Et

Et ſciendum eſt, quia nihil de Magiſtrorum huius temporis iure ſnffumant. Ita enim ſunt omnia limata, & ad liquidum proſequuta, quod nihil ſupra. Ea propter ſi fieri poſſet volebam ad ea conuenientia dare reſponſa; ſed ad hoc etiam faciendum multa quidem & varia ſunt quæ voluntate mea vehementer præpediunt. Primum, quia virtus mea dereliquit me, & non eſt ſanitas in carne mea. Secundò, quia vena ingenij mei, quæ quondam ſatis abundanter per diuerſa loca currere conſueuerat, temporum antiquitate confecta iam formicino greſſu incedit: & . . . . . ſuo penè tota exaruit & tamen ne omninò videar eſſe mutus & elinguis, & ne aliquis veſtrûm exiſtimet me omnino eſſe præmortuum, pauca vobis ſcribere volui, ſicut amicus ad amicum. Et ſi fortè dixero in his aut plus aut minus, quàm dicere debeo, cum amico veniam poſtulo. Magnas ſiquidem omnipotenti Deo refero laudes & gratias, quòd ad decorem ſuę ſanctę Eccleſię ſanitatem & incolumitatem ſua pietate conſeruat. Et quidem cùm facta & opera tua frequenter mecum intueor: illud etiam magis inter cætera laudo & approbo, quòd à ſtrepitu huius ſæculi tam callidè & ſapienter exiſti, tanquam de Ægypto ſubito ereptus de duriſſimo Pharaonis Imperio. Ciues etenim ciuitatis qui videbantur tibi eſſe, non & proximi, ſub ſpecie conſulendi agebant negotium ſeducendi, nam clandeſtinis machinationibus inſtigabant Regiam maieſtatem contra te, & ſuper filios Orientis, qui nihil mali egerant contra celſitudinem ſuę dignitatis. Tu tamen quaſi vir ſapiens cognita cordis eorum nequitiâ laqueos, quos tibi parauerant, citiùs ſapienter euaſiſti. Quíque contemptis omnibus, Sancto Spiritu duce ac præuio, ſubitò & citiùs veniſti ad locum, quem iam anteà tibi oſtenderat Dominus Deus tuus. Ibíque indutus regularibus veſtimentis quicquid iuuentus tua & pueritia tua malè viuendo contraxerat, præmiſſis ieiunijs & orationibus multis citò deleuit, Dei magna miſericordia. Quapropter, Cariſſime, felicem te eſſe, me autem infelicem diiudico, qui ad vndecimam horam veni in vineam Domini, & tamen nihil in ea quaſi inutilis operarius deſudaui; propterea obſecro te, Cariſſime Frater, vt ad culpas abluendas operas quas iniquè

egi diuerſis temporibus, tuis ſacris orationibus iuues, vt quòd non valeo aſſequi meis præcedentibus meritis, tuo ſancto interuentu valeam à Domino veniam miſericorditer conſequi.

---

Epist. 22. INCIPIT TOMELLVS, SIVE EPISTOLA

*Ernulfi ex Monacho Benedictino Epiſcopi Roffenſis.*

## *DE INCESTIS CONIVGIIS.*

DOMINO *celſi conſilij, ac integerrimæ ſinceritatis viro, Vventanæ Eccleſiæ digno Pontifici,* VVALCHELINO, ERNVLFVS *ſub veſte religioſa viuentium minimus, dum hic viuitur fœliciter viuere, & in vita, quæ finem non habet, vera ac beata fœlicitate gaudere.*

Benedictus Deus & Pater Domini noſtri IESV Chriſti, qui benedictam animam veſtram copioſo ſui amoris ſuíque deſiderij feruore ditauit, conſilio, & prudentia tam ſeculari quàm diuina repleuit, ac repletam moribus honeſtauit. Quod ſanè diſcretum quemque non latet, dum pro defenſione pauperum conſtat beatitudinem veſtram quotidianas ſecularium negotiorum curas patienter ſuſtinere, pro tuenda libertate Eccleſiæ, neceſſitatibus regiæ maieſtatis, totiúſque Regni ſaluti certum eſt operam dare. Non latet profectò, dúmque ad pontificale officium ſpectant, ſine intermiſſione, manu, verbo, cæteráque ſollicitudine operamini, tam veſtram quàm ſubditorum vitam colentes, quæque ad culturam vtrorúmque valeant cautè ac diligenter indagare non ceſſantes. Cuius rei veritatem propriâ experientiâ cognoui, quando mihi Cantuarberiæ poſito colloquium veſtrum participare voluiſtis. Eo enim tempore quo regij Executores Cantuarberiam conuenerunt; contigit eminentiam veſtram ad eamdem vrbem deueniſſe: Vbi Cæſari quæ ſunt
Matt. 22. 21. Cæſaris, & Dei quæ ſunt Deo reddentes, paululùm ſemotis occupationibus, quæſtionem de cuiuſdam adulteræ con-

iugis faciendo diuortio mihi propoſuiſtis, mecúmque de ea conferre maluiſtis, non tam meam, quàm quæ mea eſſet, vt reor, appetendo noſſe ſententiam, ne fortè quæ mea eſſet, ei quam veſtram feceratis conſonantes.

Quæſtio ergo erat, *An vxor à filio coniugis non ſuo adulterium paſſa, à thoro coniugis merito ſuo ſit pontificali iudicio remouenda.* Accidit ergo, vt de propoſita quæſtione contraria ſentiendo, vterque noſtrum partem quam prætulerat tuendam ſuſceperit. Conabar igitur modis omnibus aſtruere ſeparationem coniugum prædicto modo, prædictâ causâ fieri debere, id tum ex Patrum conſilijs, tum ex libris pœnitentialibus, tum ex more Eccleſiæ, cui contradici non modò fas non eſſe, immo nefas eſſe creditur, aſſerens fieri oportere. Quod nequaquam ſentiendum, nequaquam eſſe faciendum Sanctitas veſtra conſtanter acclamabat, idipſum prolatis nitens approbare firmamentis, cùm Euangelicæ, tum Apoſtolicæ auctoritatis, quæ omni ſcripturæ, omni ſcientię, omni denique rationi opponenda ac præponenda ab omnibus ſcitur ac præſcitur, nemo qui neſciat. Vnde amica altercatione vtrobique modicè & modeſtè certatum eſt, ſed veſtris curis facientibus ab vtroque indiſcuſſa veritate manſuetè ceſſatum eſt. Perſpiciens itaque Reuerentię veſtrę diligentiam in quæſtionem præfatam; proſpiciens etiam Celſitudini veſtræ irruentibus curis tam Regiorum, quàm Pontificalium negotiorum facultatem veſtigandi negatam, decens & commodum fore ratus ſum, quod de re Majeſtati veſtræ ſentio Tomelli clauſulâ explicare, & explicando indicare. Opus quidem difficile, quia de coniugijs quæſtionem implicitam eſſe, non ignorat quiſquis eius nexus ac nodos non incautè contrectat. Quod magnus ille Doctor, beatum Auguſtinum dico, in libro de Adulterinis coniugijs his conteſtatur verbis: [Quæſtionem de coniugijs obſcuriſſimam & implicatiſſimam eſſe non neſcio. Nec audeo profiteri omnes ſinus eius, vel in hoc Opere, vel in alio, me adhuc explicaſſe, vel iam poſſe, ſi * vrgear, explicare.] Ad hoc ergo vt dicere cœperam quod de quęſtione propoſita teneo, breui ſcriptura volo excellentię veſtrę aperire, vt quod minus poterat verbo, enucleatius fiat ſcripto, &

Statu quęſtionis.

Lib. 1. cap. 25. propè fin.

al. * vrgeat.

quò planiùs & pleniùs dicitur, eò attentiùs audiatur, auditum faciliùs intelligatur, intellectum tenaciùs memoretur, ac ſubtiliùs iudicetur! Nec ab re depromendum videtur decreta Patrum, Eccleſiæ morem, Euangelicæ ſiue Apoſtolicæ auctoritati non modò nulla contrapoſitione occurrere; verùm familiari veneratione, ac veneranti familiaritate concurrere.

Vt ergo cuncta quę dicenda ſunt perſpicua luce clareſcant, primùm ea quæſtio, quam diſcutiendam arripio, in duas partes, id eſt, veſtram & noſtram, diſtributa diſponatur, vt omni ambiguitate remota, quid noſtra pars affirmet, quid veſtra neget Lector agnoſcat; & quæ affirmat vnde affirmet, quæ negat, vnde neget, coram poſitis rationibus indubitanter appareat. Et ea quidem pars cum ſuis firmamentis ordine prima digeratur, quæ à vobis iccircò præferenda iudicatur, quòd eam excellentia legis euangelicæ munit ac roborat, Apoſtolicæ ſuadelæ protectio aſſeuerat. Quod aſſeuerat dico, pro parte veſtra dico, non tamen ita fieri poſſe polliceor, hoc deinceps apparebit. Quod ergo ſtatuitis, quódque lege diuina ſtatuere, fulcire, firmare ſatagitis, hoc eſt coniux à coniugis filio paſſa adulterium, à coniuge pro ipſo facinore manu Præſulis non eſt ſeparanda. Cuius propoſiti teſtimonia ex Euangelio & Apoſtolo ſumpta, quibus id contenditis approbare, conſequens eſt conſequenter ſupponere. Matthæus: *Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam excepta cauſa fornicationis facit eam mœchari. Et qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Item poſt multa: *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et poſt pauca: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Marcus: *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et iterum: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur.* Lucas: *Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur.* Si reuoluat ac percurrat

Mulierem adulterã à coniuge haud ſeparandam aſſerit Epiſcopus.

*Matth.* 5. 32.

*Ibid.* 19. 5.

*Ibid.* v. 9.

*Marc.* 10. 7.

*Luc.* 16. 18

quiſpiam lector vniuerſas Euangeliorum ſcripturas, nihil me reliquiſſe, nihil quod ad veſtram propoſitionem tuendam atque roborandam putetur, me ſubterfugiſſe reperiet. Hęc ad veſtræ partis defenſionem accire contenditis, & vobis ſummum in eis fortitudinis eſſe robur confiditis; hæc ipſe quoque approbo, & digna veneratione approbanda cenſeo; ſed tamen ex eis approbari poſſe quod quæritur non adęò confido, immò plurimùm diffido. Id loco ſuo explanatione ſequenti clarebit. Sed ad propoſita redeamus.

Ex Apoſtolo quoque ſicut ex Euangelio geſſimus, probationis veſtræ iuuamina colligentes, hanc præordinatam ſummi Præceptoris doctrinam Apoſtolica prudentia prudenter intelligens, prouidenter ad Romanos ſcribendo: *Quæ*, inquit, *ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi.* Rom. 7. 2. *Si autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Item Corinthios de eadem 1. Cor. 7. 2. lege inſtruens, ſic ait: *Propter fornicationem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, & vnaquæque virum ſuum: vxori vir debitum reddat; ſimiliter & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir non habet ſui corporis, ſed mulier. Nolite fraudare inuicem, niſi forté ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi; & iterum reuertimini in idipſum.* Et paucis interpoſitis: *Præcipio*, inquit, *non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: Quod ſi diceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Prudenter dico intellexit, ac prouidenter Doctor Gentium ea conſcripſit, in quibus à ſuo, immo vniuerſali ac ſummo Doctore diſſentire non pręſumpſit, in vtroque ſexu neminem coniugum permittens relinquere ſuum, aut arripere non ſuum, indulgenter cuique conſulens habere ſuum; in altero iuſtus, in altero miſericors, in vtroque Domini ſui faciens voluntatem. Hanc legem tanto Pręceptore conceſſam, tanto teſtimonio roboratam, perhibemus nulla nouitate violandam, nulla inuectione contaminandam, nulla vllius vſquequaque oppoſitione eſſe temerandam.

Reſpondet Author.

Hanc in veſtræ cauſæ tutelam aſciſcitis, ſed quid ex ea

conficiatur, pace veſtra, acutiuſcula animaduerſione attendere debetis. Aliud enim quæritur, & aliud probatur. Quæritur an coniux à coniugis filio adultera facta, à ſuo coniuge Pontificali ſit auctoritate ſeparanda. Probatur quòd coniux à coniuge, innocens ab innocente, propria voluntate, propriáque poteſtate ſe non debeat ſeparare. Quid enim aliud loquuntur memorata Domini mandata de coniugibus lata, quæ conſtat Dominum ſiue interrogantibus reſpondentem, ſeu auditores docentem protuliſſe, reddidiſſe, inſinuaſſe; niſi qua lege, quo fœdere ad inuicem iuncti, ab inuicem teneri, nec poſſe alterum ab altero dimitti, niſi cauſâ fornicationis? Quid ipſa etiam præſcripta Apoſtoli verba ſiue dicant à coniugio non eſſe diſcedendum, ſiue moneant vicarijs motibus eſſe ſeruiendum, ſeu ad concordiam à diſcordia eſſe redeundum? Quid, inquam, aliud loquuntur, quid aliud clamant, quàm copula coniugali fœderatos fœdus mutuum non omittere debere? Fœdus dico, cœlitus mandatum, coniugibus datum, iure debito cuſtodire debere. In cuius obſeruantiæ mandato ideò etiam excepta eſt cauſa fornicationis, vt intelligatur quia innocens nocentem dimittere poteſt cauſa fornicationis.

Quæſtionis itaque propoſitę parte veſtra ita præmiſſa, ſicut fuerat promiſſa: deinde quid à parte noſtra ponimus, quid veſtræ opponimus, quid quibus firmamentis aſtipulamur, proximo loco digerere non incompetens eſſe reor, neque aſpernandum. Rectores Eccleſiarum intuentes nonnullorum imbecillitatem coniugum circa præfatarum cuſtodiam legum, quibuſdam quidem faciliùs ea in parte ruentibus, quâ eniti conſtantia maiore debuerant: peccabant enim viciſſim in coniugum parentela, eò fragiliùs ruentes, quò familiariùs colloquentes. Rectores, inquam, pro compeſcenda tali petulantia, habitis Concilijs tantæ ſeueritatis leges decreuerunt, quæ & huiuſmodi tranſgreſſores punirent, & ſectatores à tali nequitia deterrerent. Decreuerunt enim, vt qui pudicitiam coniugalem inceſtuosè fornicantes nollent exhibere, indictâ pœnitentiâ Epiſcopali iudicio cogerentur in æternum à licito vſu continere. Nec immeritò tali damno, talique pœna, talis præſumptio eſt

multanda, à iuſtis viris nequaquam ferenda, immo grauiter ferienda. Qui enim illicita perpetraſſe noſcuntur, ritè à licitis & conceſſis abſtinere iubentur. Quantò ergo magis diſtricta ſeueritate, ác ſeuera diſtrictione ſunt puniendi, qui petulantia ſtimulante ea admittunt, quæ ſceleroſi nefarium ducunt, adulteri immundum & infandum dicunt? Huiuſmodi ergo impudici dignè coguntur pœnitentiæ fructus agere, à carnalibus deſideriis abſtinere, amplexus deuitare, tum vt iram Dei placare valeant, tum ne ſimiles ſimilia committant. Id ſi quis Antiſtes præter regulam proprio fieri iuberet arbitrio, rem procul dubio nefandam præciperet, ad veritatem Euangelij minimè incederet, immò à ſemita prędicationis excederet. Id ipſum ſi fortè ſuperior quælibet poteſtas præſumere attentaret, à Deo ipſa ſeparata canonica vltione terribiliter eſſet percellenda. Vnde illa euangelica ſententia, quâ dicitur: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*: à quibuſdam ita eſt expoſita vt propriè contra humanæ præſumptionem potentiæ videatur eſſe poſita. Prouida námque veritatis diſpenſatione nomen, quod eſt, homo, appoſitum eſſe creditur, per quod humana poteſtas inſinuata eſſe cognoſcatur. Per hoc enim diſtinguitur, & diuinæ virtuti eſſe poteſtatem ſeparandi ſeruatam, & humanæ poteſtati eius rei poſſibilitatem ſublatam. Ea planè ſeparatio non eſt attribuenda virtuti humanæ, ſed iudicio Dei, vbi violenter nemo diuortium molitur, ſed conſilium Dei. Illud quippe diuinâ comparatum eſſe prouidentiâ comprobatur, quod decreto Patrum vigore Eccleſiaſticæ diſciplinæ, annoſa conſuetudine ſancitum eſſe dignoſcitur: nec quemquam perturbet, ſi per Deum coniuncti à Deo dicantur ſeparari, quaſi Deo contra ſe ſentiente, & conſilij ſui immutabilitatem mutabiliter agente. Non enim diuini permutatio fit conſilij, vbi pro ratione cauſarum, pro diuerſate temporum, cœleſtium conceditur diſtributio mandatorum. Quod ex Euangelio oſtenditur, vbi priori tempore ſacculus portari præcipitur, poſteriori non portari. De quo Beatus Auguſtinus in libro contra Fauſtum hæreticum edito, de quibuſdam calumniatoribus ſic ait: [ Iámne intelligunt quemadmodum nulla inconſtantia præcipientis, ſed ratione diſpenſantis, pro

pro temporum diuerſitate præcepta, vel conſilia, vel permiſſa mutentur? ] Itaque ſanctorum Antiſtitum præceptis, doctrinis, regulis inſtructi dicimus, quia coniux cum prole coniugis inceſtuosè peccans, canonicè ad pœnitentiam cogi, & tam concilijs, quàm more & auctoritate Eccleſiæ teſtantibus, perpetuò ab vſu coniugij paſtorali iudicio amoueri debet.

Probat ex Concilijs ſuam ſententiam *adde* * nupſerit. Conc. Mogunt. 1. an. 847 c. 19. *Variat hîc in nonnullis.* *a* Cap. 10. 11. 12. *b* 11. cap 18 *c* cap. 44 45

Ex Concilio Moguntino: [ Si quis viduam vxorem duxerit, & poſteà cum filiaſtra fornicatus fuerit, ſeu cum duabus ſororibus, aut ſi qua cum duobus fratribus; ſeu cum patre & filio. Si quis relictam fratris neptem, nouercam, nurum conſobrinam, filiam auunculi, aut eius relictam, aut priuignam polluerit, eos diſiungi, & vlteriùs nunquam coniugio copulari præcipimus: ] Idem in Concilio apud Vermeriam *a* habito, & in Maſticenſi *b* & Triburienſi *c* præceptum inuenitur. Quorum multiplicitatem, quia indifferenter loquuntur, epiſtolaribus compendiis minimè æſtimaui inſerendam, ne inſolentibus & tędioſis auribus moleſtus exiſtam. Similis ſententia de illis habetur qui proprios filios de ſacro fonte leuaſſe perhibentur. Id bene cautum eſt in ſacrorum ſerie Canonum, Patrum decretis ac conſilijs planè perfectéque definitum. De quo Deusdedit Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Præſul inter alia ſic ait: [ Inuenimus in archiuo huius Apoſtolicæ Sedis iam talia contigiſſe in * Eccleſia Iſauriæ Epheſiorum, ſimulque Ieroſolymæ, aliarúmque ciuitatum Epiſcopis ab hac Apoſtolica Sede ſcire volentibus, ſi viri & mulieres qui de ſacro fonte leuauerunt filios ſuos redirent ad proprium thorum. Beatæ memorię ſanctiſſimi Patres Iulius, Innocentius, & Cæleſtinus cum Epiſcoporum plurium & ſacerdotum conuentu in Eccleſia Beatorum Apoſtolorum Principis, prohibentes talia perſcripſerunt, & confirmauerunt; vt nullo modo ſe in coniugium reciperent mulieres & viri, qui per quamcumque rationem de ſacro fonte ſuſciperent natos, ſed ſepararentur, ne ſuadente diabolo tale vitium peccati inoleſcat per mundum, & vniuerſorum error eorum accreſcat. ] His & huiuſmodi ſententijs ea pars declaratur quæ ex præpoſita quæſtione à nobis ſuperiùs ſtatuebatur.

Epiſt ad Gord. Hiſpal. Ep. *al.* * Eccleſijs. *Variat lectio in editis.*

Prætereà

Præterea Eccleſiæ eſſe atque fuiſſe hunc morem, hanc eius conſuetudinem norunt omnes qui huius rei curam geſſerunt, qui in locis proprijs peregrinos, vel in peregrinis indigenas talium ſtudioſos de talibus conſuluerint. Hoc ipſe aliquando Venetię poſitus vidi, audiui; & quibus, & de quibus factum fuerat agnoui. Morem profectò Eccleſiaſticum ſicut à Sanctis Patribus eſſe cuſtoditum ſcio, ita conſona ſcripturarum veritate inuiolabilem eſſe cenſeo. Vnde Magiſter Gentium dicit: *Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus.* Inſinuans videlicet non eſſe temerandam Eccleſiæ conſuetudinem, cuius auctoritate præceptorum munire nititur rationem. Eccleſiæ morem quantum violare peccatum ſit, bene Beatus Auguſtinus in libro quem contra Fauſtum conſcripſit, his verbis oſtendit, dicens: [Quando mos erat habere plures vxores, crimen non erat. Nunc verò propterea crimen eſt, quia mos non eſt.] Item in reſponſionibus ad Ianuarium? [Quod faciendum diuinæ ſcripturæ præſciuit auctoritas, non dubitandum, quin ita faciamus vt legimus. Similiter de eo quod tota per orbem frequentat Eccleſia.] Quibus ſententijs morem Eccleſiaſticum firmum, ratum, nec vlla ſimultate immutandum fore liberè comprobare poteſt, quiſquis eius fidem confitetur, eius doctrinam ſanam ſanctámque eſſe fateatur. Porrò an non qui hæc ſtatuêre Catholici fuêre, Catholicè vixêre, euãgelia & Apoſtolum legêre, lecta prædicauêre, prædicando docuêre? Cur ergo talia mandauerunt, ſi non eſſe facienda intellexerunt? Aut quomodò Eccleſiam Dei rexerunt, verbo & exemplo illuſtrarunt, ſi contra Deum, contra Dei Apoſtolum contra denique totius fermè religionis Chriſtianæ ſalutem à veritate miſſi falſitatis præcones extiterunt? At, qui eos dignè ſanctis & Deum coluiſſe, & quæ Dei ſunt docuiſſe, & legimus, & memoramus, & allegamus. Proinde illorum prudentiam certiſſimè cognitam, ſancta Eccleſia prudenter ac venerabiliter accepit, fideliter tenuit, more & antiquitate firmauit, neminem reprobauit. Liquidò igitur conſtat præcepta corrigendæ præſumptionis illicitæ, caſtigandæ turpitudinis nefariæ talibus ſceleſtis impoſita, ſalubriter eſſe inuenta, diuinitus data, pro veritate non contra

Ex more Eccleſiarum.

1. Cor. 11. 16.

Conſuetudo Eccleſię ſeruanda.

Epiſt. 118. cap. 5.

veritatem loquentia. Prætereà ſi ab vniuerſa Eccleſia non fuerunt inſtituta, num iccircò ſunt reprobanda? Nunquid Decreta & Canones vniuerſi Chriſtianę fidei Confeſſores aut defenſores vno ſpiritu, eodémque ſenſu decreuêre? Pleraque enim ab vno, nonnulla à pluribus ſunt definita; quæ tamen ab omnibus gratanter ſunt accepta, à nemine contempta.

Huc accedit: ſi omne diuortium coniugum à Domino prohibitum erat, exceptâ causâ eius adulterinæ fornicationis, quam ex Euangelio aſſignatis, alia cauſa ſeparandi admittenda non erat. Quo ergo iure, quâ audaciâ ab ipſis Diuini eloquij Prædicatoribus noua exceptio eſt introducta? Aiunt enim, vt præfatum eſt, pro ſuorum ſuſceptione filiorum de ſalutari fonte, diuortia coniugum fieri debere. Qua ergo facilitate, qua fronte mandatum Dominicum, intellectu perſpicuum, nemini ambiguum, ab hominibus eſt derogatum, aliud ſubrogatum? aut cur ab Eccleſia memorata exceptio eſt accepta, quæ à Domino non eſt excepta? Cur, inquam, niſi quia mandata Dei probè intellexerunt, piè ſuſceperunt, ſibi id licere licenter poſſe cognouerunt, ſalua reuerentia canonicarum ſcripturarum? Ad hæc, quis gradus ac genera pœnitentiarum pro qualitate & quantitate peccatorum diſtribuit, niſi Eccleſia Dei, inſtructa verbo Dei, docente & regente eam Spiritu Dei? Non enim in tota veteris & noui ſerie Teſtamenti leguntur modi pœnitentiarum, quamquam tam exemplis quàm præceptis legatur eſſe pœnitendum. Quis ergo pœnitentiales libros decernente Eccleſia roboratos, more & antiquitate firmatos, quis, rogo, aut quo iure, quáue nouitate euertere queat, audeat, aut præſumat? Nemo equidem, nemo tantæ præſumptionis arcem ſibi arripiat. Si ergo in cæteris pœnitentiarum diſtributionibus accipiuntur, accepta diſtribuuntur, à quo hac in parte vtiliter data, nulli canonicæ ſententię aduerſa, abijciuntur, aut reprobantur? Poſtremò, luce clarius apparet Dominum Eccleſiam ſuam vbique & in omnibus regere, ac dirigere, iudicia ſua per eam decernere, ac diſcernere.

*Pſal.* 22. 1 Qua de re ipſa in Pſalmo lætabunda clamat: *Dominus regit*
*Matt.* 28. 20. *me*. Et Euangeliſta: *Ecce ego vobiſcum ſum*: Et alio loco: *Vbi*

*duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum ſum.* Et illud: *Vos non eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Si ergo Dominus habitat in ſuis, loquitur per eos & in eis, quis hominum, quis fidelium, quis, obſecro, ſanum ſapiens, & compos ſui abnuat, abdicet, contradicat, tantorum decreta virorum, decreta eſſe Dei, quæ ad ſalutem humanam miſericorditer ſunt procurata, dictante Spiritu Dei? Quia ergo euidenti ratione ea ipſius Domini eſſe edicta, quamquam enim à ſuis præconibus ſint prolata, ipſo tamen ſunt præſidente lata, magno gradu, magno locanda culmine, ſublimíque ſeruanda cenſentur veneratione. Nimirum non iniuriâ ea dignâ reuerentiâ cuſtodiuntur, quæ per ſeruos ſuos Auctor omnium inſtituit, & Eccleſiæ ſanctæ vſus & auctoritas roborauit. *Ibid. 18. 20.*

Nonnulli humanam fragilitatem attendentes, aiunt lapſos in coniugio nullo pacto eſſe ſeparandos, ne vnde procuratur eis medicina, amplior caſus deteriórque contingat ruina. Quia cùm putantur rigore huius diſciplinæ poſſe ſanari, ſua æſtuante incontinentia paratur eis laqueus & vorago fornicationis. Continentię quorumdam impoſſibilitatem comprobant ex ipſo Euangelij loco, vbi Dominus ait: *Non omnes capiunt verbum iſtud.* Et ex Apoſtolo, vbi coniugalia diſponendo cubilia: *Vnuſquiſque*, inquit, *proprium donum habet ex Deo.* Vnde & inter verba Euangelica appoſuit. *Aut viro ſuo reconciliari.* Id videlicet inſinuans potiſſimum eſſe reconciliari ſuæ, quàm miſceri alienæ. Quibus dictis inferunt: Quicumque ergo voluerit coniuges ſeparare, nouerit ſe contra Euangelium prædicare, contra Apoſtolum ſapere, contra ſalutem multorum, immò in perniciem miſerrimam * laborare. Huiuſmodi ergo obiectionibus puto eo modo eſſe reſpondendum, quo de eiuſmodi inobedientibus à Beato Auguſtino legimus eſſe reſponſum: Nunquid propter incontinentiam eorum cenſes legem Dei eſſe mutandam? Quid ſi captiuitate, violentiâ, aut ægritudine concubitus impediatur, nunquid deſerta caſtitate coniugali, ſpreta lege Dei, incontinentia cuiuſquam coniugati Chriſtiano iudicio remedium inueniet ſibi? Cæterùm ſi cæteris propter incontinentiam miſericorditer cuique ſuum conceditur poſ- *Obiectis occurrit.* *Matt. 19. 11.* *1. Cor. 7. 7.* *Ibid. v. 11.* *f * labare.* *Lib. 2 de Adult. cõiug. c. 10. med.*

ſidere, huiuſmodi impudicos quemque ſeparari à ſuo digna cenſetur vltione. Illos quidem incontinentia adiuuat, ne non habendo ſuum non valeant continere; iſtos incontinentia impugnat, quia habentes ſuum cùm poſſent noluerunt continere, eò miſeriùs ruentes, quò negligentes ſuum, præſumpſerunt irruere in alienum.

Diluit obiecta.

Dicit aliquis eum qui non peccauit iniuſtè damnari, videlicet vt ſeparetur ab vxore, qui non peccauit cum vxore. Non enim æquo iudicio ei eſt inferenda pœna, in quo non fuit par culpa. Cui Apoſtolica voce reſpondemus: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Cui, inquam, omnipotens Deus reuelauit conſilia ſua? Quid ille peccauit, cuius vxor recens nupta infirmatur, aut eripitur, aut quolibet alio modo tantopere alienatur, vt ipſe viuente ea continere cogatur ſine ea? Occulta ſunt Dei iudicia, ſed iuſta. Vnde ſcis ſi ad hoc permiſit Deus cadere periturum, vt propter humilem patientiam, & obedientiæ obſeruantiam, coronaret quem prædeſtinauit ſine fine victurum? Ideò fortaſſis voluit innocentem pati in hac vita, vt tali patientia comprobatum collocaret in æterna vita. Aut vnde noſti ſi ipſe, quem iuſtum pronuncias, eo ipſo pœnam promeruit, veniam obtinere non debuit, qui id genus dilectionis, correctionis, cuſtodiæ, negligentia aut maleuolentia faciente coniugi non adhibuit, quod aut quale ſit iuſtus aut prudens eſſet adhibere debuit? Prætereà etſi de coniugis reatu coniux innocens nulla ſorde inquinatur, nonne id ei ſufficere videtur ad communem pœnam, quòd vnum ſunt corpus & vna caro, vt propter vnitatem coniunctionis in ea re meritò communiter affligantur, pro qua facti ſunt vna caro?

*Rom. 9. 20.*

Poſita vtraque portione propoſitę quæſtionis, appoſita confirmatione eiuſdem vtriuſque portionis; hîc breuiter memorandum videtur Euangelicum mandatum, quod ad probandum affertis, & afferendo præfertis quid quibus iubeat, quid ad quæſtionem attineat, vt aliud à vobis ſtatui, & aliud Euangelio allegari indubitanter appareat. Deinde non incommodè, neque non ſuo loco dicendum erit, quo pacto poſteriora prioribus ſtatutis nec contraponantur, neque contradicant, quóque modo eis conueniant, eíſque quo-

dammodo ſubſidium ferant. Redemptor noſter in eo ſermone quem apud Matthæum celebrauit in monte, quibuſdam præmiſſis, ait: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam exceptà causà* fornicationis, adulterat. Et in alio eiuſdem Euangelij loco legitur, eum de eadem re à ſuis tentatoribus interrogatum eſſe his verbis: *Si licet homini dimittere vxorem ſuam*? Quod Marcus remota ambiguitate ſic protulit: *Si licet viro dimittere vxorem ſuam*? Vbi planè oſtenditur quòd ille dixit homini hoc eſſe, quod iſte dixit viro. Huic ergo interrogationi Saluator reſpondens, & in reſpondendo rationem reddens, iuxta vtrumque Euangeliſtam eodem modo intulit: *Quod ergo Deus coniunxit homo non ſeparet.* In hac igitur illatione quid aliud intelligere debemus, valemus, hominem, niſi virum; & ſeparare, niſi dimittere? Idem enim & de eodem debuit reſpondere, vnde & de quo interrogatus fuit. Veritas quippe non venerat vt falleret, potiùs vt fallaciam amoueret, veritatem doceret. *Eloquia* enim *Domini, eloquia caſta.* Idem ergo valet, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, ac ſi dictum eſſet, quod Deus coniunxit, vir non dimittat. Hac igitur explanatione comperimus euangelicam doctrinam id ſimpliciter habere, nulli viro vxorem ſuam, id eſt, caſto caſtam, dimittere licere. Quia ergo addidit: *Exceptà causà fornicationis*, tali cautela inſinuauit caſtum inceſtam dimittere poſſe. Idipſum ex ſupradictis Apoſtoli verbis Apoſtolum ſentire innuitur & docere. Quia ergo excellentiâ vtriuſque ſcripturæ id accipitur, firmiter tenetur, nullum virum vxorem ſuam, id eſt, caſtum caſtam, ſicut ibidem cautum eſt, dimittere debere; rationabiliter colligi poſſet, quòd vir, de quo ſermo cœpit, videlicet cuius filius eius thorum fœdauit, propriam vxorem non deberet abijcere, aut dimittere, exceptâ causâ fornicationis, ita quidem ſi ambo eſſent iuſti. Quia verò ille eſt caſtus, illa inceſta, ex ſcripturis poteſt potiùs probari, quòd ipſe eam licitè dimittere poteſt; ad hoc enim valet quod dicit: *Exceptà causà fornicationis.* Illud quidem quod dixi, quia ad caſtos coniuges Euangelium loquitur, ratione docente, & ad id ducente, poſſet probari, ſed quod à vobis propoſitum erat, ſicut debuit, ac decuit, ex ea ſententia nequit approbari.

*Matt. 5. 32.* — *Ibid. 19. 3.* — *Marc. 10. 2.* — *Matt. 19. 6.* — *Marc. 10 9.* — *Pſal. 11. 7.*

Vxor, quæ adulterium commiſit, poteſt dimitti.

Propoſitum quippe, & quâ poteratis elocutione à vobis aſſertum erat, coniugem à coniuge quacum filius eius peccarat, pro nequitia tali manu Pontificis minimè ſeparari debere. Quæſtio ergo de caſto & inceſto coniuge erat. Id, vt dixeram, præfata Euangelij ſententia, quæ de vtroque caſto loquitur, nec approbat, nec conteſtatur. Si quis enim ex ea generali propoſitione Euangelica, quæ dicit, *Nullus vir dimittat vxorem ſuam*, id eſt, caſtus, caſtam, *exceptà cauſà fornicationis*, concludere conetur, quòd coniux, de quo ſermo cœptus eſt, à coniuge non debet ſeparari manu Pontificis pro inceſtæ cauſa fornicationis, nunquid argumentatio rectè procedit, atque ad ſuum regulariter finem decurrit? Fidenter dico nequaquam. Adeò enim Euangelica illa propoſitio, quæ ſeparationem caſti à caſto coniuge perhibet non eſſe faciendam, disiuncta ac ſeparata eſt ab ea veſtra propoſitione, quæ ſeparationem coniugum caſti ab inceſta prohibet eſſe faciendam, vt nulla ſe virtute rationis, nulla probationis affinitate aſpiciant. Sicut enim plurimùm refert inter pudicos & impudicos, ita cum an ad hos, an ad illos ſermo dirigitur; vel an de iſtis, an de illis ratio conficiatur, parua diſtantia eſt.

Eſt tamen quiddam quod à ſanctitate veſtra ex Apoſtolo ſumptum, non parum confidentiæ videtur vobis ſumminiſtrare. Apoſtolus dicit: *Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu.* Vbi conſenſum auditis, pari iudicio nullos coniuges à coniugali debito præter conſenſum remouendos eſſe intelligitis. Sed animaduertat Sanctitas veſtra, quia Apoſtolus eo loco non eis loquebatur coniugibus, qui debita defraudaſſent, qui indebita ſurripuiſſent. Quo genere ij extitiſſe feruntur, de quibus & à vobis quæſtio fuit propoſita, & à nobis diutina eſt diſputatione ventilata. Verùm eis ſcribebat, qui vicariam ſibi fidem ſeruarant, qui quatenus, qualiue concordia ea fides ſeruanda eſſet, diſcretiùs intelligere indigebant. Quâ cauſâ ad tales loquens de pudicitiæ coniugalis cuſtodia piè commonens, iura coniugij prudenter ipſos edocebat, & cum infirmis infirmus compatiens fragilibus, ne in adulteria prorumperent, reddere debitum conſulebat. Vnde conſtat Apoſtolicam illam admonitionem

1. Cor. 7. 5.

nihil ad illam dubitationem attinere, quæ de caſto & inceſta coniugibus nos deſignabat ambigere. Porrò quod dicitur, coniuges reconciliari licere,hoc ſolùm eſt quod ad rem pertinere, & ad quæſtionem magis videtur accedere. Hoc enim ſolùm de caſto & inceſta coniuge dictum, caſto inceſtum inſinuat eſſe reconciliandum. Hoc eſt, illud præcipuum in cuius virtute pars veſtra ſuperior, noſtra inferior, veſtra ſuperans, noſtra ſuperata putatur. Dicit enim Apoſtolus, *mulierem viro poſſe reconciliari.* Proponitis ergo, ſi ſecundùm Apoſtolum licet reconciliari, quis eſt qui contra Apoſtolum prohibeat reconciliari? Acutè quidem dictum, ſed acutiùs intuendum, ſubtiliùs diſcutiendum. Neque enim & in hac parte deerit miſericordia Dei, quæ & ignorantium cœcitatem queat illuſtrare, & quæſtiunculæ aſperitates velit explanare. Apoſtolus memorans legem à Domino latam: *Præcipio*, inquit, *non ego, ſed Dominus, mulierem à viro non diſcedere; quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam; aut viro ſuo reconciliari.* Hoc quidem aut illud neceſſe eſt fieri. Sed non hoc tantùm, aut illud tantùm fieri neceſſe eſt. Non enim neceſſe eſt manere innuptam, neque neceſſe eſt reconciliari. Quæ verò ſeparata manet, innuptam eſſe neceſſe eſt. Ita enim faciendum eſſe Dominus iubet. Reconciliari verò non eſt Domini iuſſum, ſed Apoſtoli permiſſum, ſiue conſilium. Iccircò licet reconciliari, & licet non reconciliari. Nec tamen omnibus licet reconciliari. Quæ enim ex conſenſu continentiam vouent, poſt votum iam non debent omninò denegatum expectare coniugium. Vnde Beatus Auguſtinus: [Quæ rectiſſimè vouentur, cùm homines vouerint, nulla conditione rumpenda ſunt, quæ ſine vlla conditione vouerunt.] Sufficit ad eneruandam veſtræ argumentationis oppoſitionem oſtendiſſe quoſdam non poſſe reconciliari. Non ergo omnes mulieres à viris ſeparatæ, Apoſtolicâ licentiâ eiſdem ſunt reconciliandæ. Cùm ergo quibuſdam permiſſum ſit reconciliari, quibuſdam illicitum eſſe peruideatur, entimema propoſitum non immeritò fragile iudicatur & infirmum. Illæ quippe valent reconciliari, quibus Dominica lex id non contradicit. Porrò illæ non ſunt reconciliandæ, quæ per reconciliationem & concordiam viri ſui, offendunt

*1.Cor.7.11.*

De Adulter coniug. lib. 1. c. 24.

in odium Dei ſui. Vnde apparet quia neque ex iſta Apoſtoli ſententia vlteriore veſtram partem tueri valetis, neque noſtram infirmare. Quod non ignorat quiſquis veritatem rerum agnoſcere, ſenſum ſcripturæ diſcutere, verborum proprietatem diſcernere, ac quidque quò debeat referre non ignorat.

Ecce, vt propoſueramus, manifeſta ratio docet, ſacrę paginæ ſacras auctoritates, quas aſciſcitis ad probationem, nil valere, nil facere, in eam quam probandam ſtatueratis propoſitionem. Sicut autem nullum parti veſtrę, vt oſtenſum eſt, ſubſidium præſtant, ita nec noſtræ aduerſantur, nec à noſtra aliquatenus impugnantur, Non enim eâ causâ inuenta ſunt ſtatuta poſteriorum vt pereant, aut infirmentur antecedentium præcepta Doctorum. Verùm eo fine libidinoſis, ac negle-ctoribus impoſita noſcuntur, quò verba Dei cautela maiore illibata cuſtodiantur. Dum enim Dominici mandati præuaricatores, coniugalis pudicitiæ contemptores, coniugum parentelæ violatores, prædicta ſeueritate puniri iubentur, nonne peccatores eiuſmodi circa mandatorum obſeruantiam ſolliciti redduntur, tantò cautiores effecti, quantò præceptorum aſperitate conterriti? Quibus rebus dubium non eſt, morem Eccleſiaſticum, ſiue Concilia Patrum, non modò Euangelicę ſiue Apoſtolicæ inſtitutioni non opponi, verùm quaſi quodam venerabili obſequio famulari. Qua in re etiam perſpicua probabilitate coniectari poteſt, quæ ad tantam data ſunt hominum ſalutem placita eſſe illi qui venit hominibus miniſtrare ſalutem.

His ita digeſtis, nunc ipſa opportuni commoditas loci videtur admonere diu dilatam quam veſtra celſitudo poſtularat de quæſtione ſententiam, proximo loco prodere debere. Sicut ſæpe dictum eſt, præcepit Dominus ne dimittat vir vxorem exceptâ causâ fornicationis: quam fornicationem Beatus Auguſtinus in eo libro quem de ſermone Domini in monte declarato compoſuit, dicit generalem eſſe, aſſeuerans videlicet fornicationem eſſe omnem illam præuaricationem, quæ animam malè vtentem corpore ſuo, alienam facit à Creatore ſuo. Non igitur ſolo concubitu intelligendum eſt fornicari, verùm furto, ſacrilegio, homici-

*Variè fornicatio ſumitur.*

dio, idololatria, aliíſque capitalibus peccatis priuantibus hominem ab æterna vita. Et iuxta eiuſdem Doctoris explanationem, non licet virum recedere tantummodò cauſa fornicationis vxoris ſuæ, ſed & etiam causâ fornicationis ſuæ; hoc eſt, vel quia ipſa fornicatur; vel ne ipſe fornicetur. Cuiuſlibet enim vtriuſque modi cauſa recedens, fornicationis cauſa recedere docetur. Si ergo pudicus cum impudica vxore quouis genere fornicationis deluſa, ea ſanctitate cohabitare valeat, vt animæ ſuæ periculum pro eius conſortio non incurrat, nec ſe incurſurum metuat, ſperans etiam ſe illius offenſionibus eſſe conſulturum. Hic ſalubre conſilium ſibi inuenit, ſi ab ea facilè diſcedere nolit, & offenſam eius dimittens, meliorem ſibi viam oſtendere ac docere velit. Ad quod pertinere intelligitur illud Apoſtoli conſilium dicentis: *Si quis frater infidelem habet vxorem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Quod non eſſe dictum gratiâ imponendæ neceſſitatis, ſed miſericordia conſulente amborum ſaluti, paucis interpoſitis aperuit, dicens: *Vnde ſcis vir ſi mulierem ſaluam facies?* Qui verò ita ſe facilem cernit ad lapſum, procliuem ad periculum, vt à prauæ mulieris peſſima voluntate in partem aliam nequeat declinare; hic vrgente periculo eam prudenti conſilio dimittit, ſine qua Deo placitam poteſt facere vitam ſuam, cum qua inter eius ſordes nullo pretio poteſt redimere animam ſuam, ſicut Apoſtolus dicit: *Voluntariè peccantibus, iam non relinquitur hoſtia pro peccato.* Vt ſi qua mulier tanto furti deſiderio teneatur, ſiue maleficiorum, ſeu immunditiæ corporalis, vt non modò à viro non corrigatur, ſed potiùs vir ab ea quadam violentiâ grata ſeu moleſta ad ea, vel ad eorum conſenſum cogatur. Satius eſt talem relinquere, quàm cum tali æquo iudicio perire. Cuius ſententiæ bene conſonat Eliberitanum Concilium dicens, [Si conſcio marito vxor fuerit mœchata, placuit, nec in fine dandam eſſe ei communionem. Si verò eam reliquerit, poſt decem annos accipiat communionem: * ſi eam cùm ſciret adulteram aliquanto tempore in domo ſua retinuit.] Hoc quippe Canone datur intelligi quanto peccato ſit inuolutus, quantóque iudicio à Deo ſit damnandus, qui peccato vxo-

*1. Cor. 7. 12*

*Heb. 10. 26.*

Cap. 70.

* *Quæ ſequuntur in edit. non extant.*

ris voluit conſentire, quíque etiam peccantem noluit excludere, maluit retinere. Quàm ſapienter ſapiens Salomon ſuam vxorem omninò exterminaſſet, quàm per eam ſe à Deo exterminari permiſiſſet, Idola coluiſſet. Præſtantius fuerat Deo æternaliter adhærere, quàm talibus amplexibus mulieris ad horam diſſolutè inhærere.

Quòd ſi quiſpiam Eccleſiæ Paſtor certiſſimè ſciret aliquos in ſuo regimine coniuges aliqua in hunc modum ſpurcitia covtentes, nonne rectiſſimè eorum miſeriam corripere, arguere, increpare, ad vltimum etiam, ſi res id exigeret, ſeparare deberet? Cùm ergo non ſit dubium, mundum coniugem ne immundus fiat immundum dimittere debere, nemo dubitauit iuſtum virum inceſtæ nequaquam reconciliandum eſſe, quando certum habetur capitale peccatum per ipſum ſibi reconciliationem imminere. Sicut enim expedit illi relinquere illum vt ſaluet animam ſuam, ita expedit iſti non reconciliari ne perdat animam ſuam. Porrò veteri teſtamento continetur: *Qui concubuerit cum nouerca ſua, vel qui dormierit cum nuru ſua, morte moriatur.* Quæ præcepta non magis præceſſores Saluatoris venientes in mundum accipere, quàm & ſucceſſores accipere meruêre. Refert enim Magnus Auguſtinus præcepta agendæ vitæ quæ data ſunt antiquis, non impariter collata eſſe & nobis, in quos finis ſæculorum venit. Non quòd in nouo Teſtamento huiuſmodi peccatores corporali ſint morte puniendi, poſtquam morte vnius vniuerſus orbis à morte eſt redemptus, & ſingularis hoſtia pro peccatis omnium eſt oblata; ſed ad mortem oſtenditur eis eſſe hoc peccatum, quibus pœnitentiæ ſatisfactione non fuerit indultum. Ideò enim illo in tempore tali morte plectebantur, quia nullis adhuc hoſtiis à tali peccato redimebantur. Quia ergo hoc genere concubitus eius operis auctores ad æternam mortem creduntur peruenire, dum quę ore Dei ad Moyſem facie ad faciem colloquentis minaciter prohibita ſunt, non verentur temerare, dum immobilitatem mandatorum ſeueritate tonitruorum, ignium, nubium, fulminum terribiliter teſtatam, renuunt cuſtodire, cubare filium cum ea cum qua pater cubuit, aut patrem offendere in eam quam filius habuit, horrendum nefas eſſe, dicitur, & intra ſumma ſcelera eſſe deputatur.

*Leuit.* 20. 11. & 12.

Præcepta moralia vet. Teſtamenti quî obligant.

Ampliùs: *Qui adhæret*, inquit Apoſtolus, *meretrici, vnum corpus efficitur.* Quia ergo filius, de quo prælocuti ſumus, nouercæ admixtione effectus eſt vnum corpus, cuius filius illi eſt, illa filia facta eſt. Si ergo pater appoſuerit ampliùs cubare cum ea, cubabit ſimul cum vxore & filia. Quod quantum nefas ſit, me tacente omnibus innoteſcit. Quod tamen & ex antiquis ſancti Dauid geſtis dilucidè valet aſſignari. Quem cùm Abſalon regno priuaſſet, idem conſultò ingreſſus eſt ad patris concubinas, teſtante ſcriptura: *Tetenderunt Abſalon tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſraël.* Quo mortuo, & Rege in domum regiam conſenſu communi reſtituto, exhorruit Rex ad eas denuò introire: non ignorans ſibi illicitum eſſe poſt tantum facinus vlteriùs ad eaſdem ſecedere. Vnde ſcriptum eſt: *Cumque veniſſet Rex in domum ſuam Ieruſalem, tulit decem mulieres concubinas ſuas, quas dereliquerat ad cuſtodiendam domum; & tradidit eas in cuſtodiam, alimenta eis præbens, & non eſt ingreſſus ad eas, ſed erant incluſæ vſque ad diem mortis ſuæ, in viduitate permanentes.* Prætereà tam Decretis quàm Concilijs legitur eſſe definitum, quatenus vſque ad ſeptimum gradum cognationis nemini cubare liceat cum ea, cum qua cubuit aliquis cognationis ſuæ; vt qui hoc violare præſumpſerit, dignus æſtimetur aut legibus corripi, aut perpetuo anathemate feriri. Quod & nos ſentimus, vniuerſi acclamamus, neminem diſſentire nouimus. Id ſi quis aliter fieri perſuaderet, aut cogeret, profectò inſolubilia ſtatuta ſolueret, præfatas auctoritates damnaret. Poſt quorum edictum, eſt etiam in eandem peſtem coërcendam etiam ſequenti tempore coniugibus indictum, vt nunquam ad operam coniugalem redeat quicumque ſimile fecerit inceſtum. Nec id tantummodò indictum eſt inceſtis coniugibus, ſed, vt dictum eſt, carnalem filium ſpiritualiter regenerantibus. Hæc indictio, vt legitur in libro Pœnitentiali, ſolo diſciplinæ vigore quibuſdam eſt impoſita; ijs verò, de quibus prælocuti ſumus, à fornicationis timore eſt appoſita, vt tantò cautiores eſſe debeant, quantò eos & fornicationis timor repellit, & obedientiæ ſeueritas compeſcit.

1.Cor.6.16

2.Reg 16. 22.

2.Reg 20. 3.

Si quis itaque contemptor, inobediens, præſumptor hæc

tranſgreſſus fuerit mandata Dei, ille rectiſſimè i ntelligitu à Deo fornicari, id eſt animam ſuam alienare, pro vnius quidem ſolius vna ſola præuaricatione meritò damnandus, pro omnium verò contemptu maximè à Deo repellendus, ac modis omnibus exterminandus. Si ergo tanta præcepta à Chriſtianis veneranter obſeruata, prò ſeruanda Chriſtiana ſocietate ſtudioſè imperata, per reconciliationem caſti & inceſtæ euacuantur, quis iudicet talem tali ſub tali peccato licere reconciliari, præſertim cùm anima quæ pœnitere debuerat, ipſa concordia deterius incipiat periclitari, & poſt corporalem fornicationem, mente, quod peius eſt, fornicari? Quæ ratio, quod conſilium ſiue permiſſum adducit hominem ad eam reconciliationem, quæ eum introducit ad mortiferam fornicationem? Quis ſuadeat quemquam eo pacto oportere quippiam reconciliari, quo videt eum non poſſe à Deo non ſeparari? Quis Pontificum, quis ſanum ſapiens moneat eum ad eam concordiam redire, quam rectè exigentibus culpis ab alio factam anathemate crudeli debuerat ferire? Hieronymus in epiſtola ad Amandum Presbyterum ſciſcitantem, [vtrum mulier, relicto viro adultero & Sodomita, & alio per vim accepto poſſit abſque pœnitentia communicare Eccleſiæ, viuente adhuc eo, quem priùs reliquerat:] data de quæſtione ſententia ait: [Rem nouam loquor, immò non nouam, ſed veterem, quæ veteris Teſtamenti auctoritate firmatur. Si reliquerit ſecundum virum & reconciliari priori voluerit, non poteſt. Scriptum eſt in Deuteronomio. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam in conſpectu eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit ei, & dimittet eam de domo ſua. Cumque egreſſa alterum maritum duxerit; & ille quoque oderit eam; dederitque ei libellum repudij, & dimiſerit eam de domo ſua; aut certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam vxorem; quoniam polluta, & abominabilis facta eſt coram Domino.* ] Si ergo non licet huiuſmodi adulteras patrato adulterio redire ad viri thorum, quo iure, qua lege licebit eam reconciliari, quæ tam grande fecit inceſtum, reconciliata inceſtum duplicabit, præceptum violabit? Quod præceptum eſt; non fieri non licet, quod

Tom. 3. Epiſt. 148. ſub med.

Paulò ante fin.

*Deut.* 24. 1.

permiſſum eſt, non fieri licet. Licet enim quemquam ſine peccato & reconciliari, & non reconciliari ſi non offenditur in præceptum Dei. Vbi verò occurrit præceptum, ceſſabit permiſſum. Maius eſt enim præceptum, quàm permiſſum. Præceptum vſquequaque ſanctum eſt. Permiſſum verò alquando peccato non caret. Præceptum eſt, Vxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam. Permiſſum eſt, Vnuſquiſque habeat ſuam vxorem propter fornicationem: Hoc autem ſecundùm indulgentiam dico, non ſecundùm imperium. Vbi indulgentia fuit, locus erat peccati. Quia ergo maius eſt pręceptum, minus permiſſum, vbi adeſt præceptum, quieſcat permiſſum.

De præceptis Dei & Apoſtolicis permiſſis Magnus, ac reuerenter nominandus Auguſtinus in libro de Adulterinis coniugiis ita diſputat: [ Teneatur primitus ac maximè, ne committantur illicita. Vbi autem aliquid ita licitum eſt, vt aliud facere omninò non ſit illicitum, fiat quod expedit, vel quod magis expedit. Illa igitur quæ Dominus ita dicit vt Dominus, id eſt, non monentis conſilio, ſed dominantis imperio, facere non licet, & ideo nec expedit. ] Et poſt pauca: [ Hæc conſtituta Domini ſine vlla retractatione ſeruanda ſunt. Habet enim hæc iuſtitia, quæ coram illo eſt, ſiue approbent, ſiue improbent homines: & ideò dici non oportet propter offenſiones hominum, aut ne impediantur homines ab ea ſalute, quæ in Chriſto eſt, non eſſe ſeruanda. ] Et item aliquibus interpoſitis: [ Nihil expedit quod illicitum eſt, & nihil quod prohibet Dominus, licitum eſt. * Quæ autem nullo Domini conſtringente præcepto, in poteſtate dimiſſa ſunt, in his audiatur Apoſtolus in Spiritu Sancto monens & conſulens, vt vel meliora capiantur, vel ea quæ non expediunt, caueantur. Ibi audiatur dicens: *Præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Hæc modulum meum cognoſcens non ex meo ſenſu, non ex propriæ intelligentiæ virtute approbo, verùm ex ſacrarum doctrina ac magiſterio ſcripturarum conijcio, arbitrans nihil in Chriſtiana religione temere fore definiendum, nihil ſi fieri poteſt ſine diuini examine eloquij terminandum, nonnihil tamen quantum fieri poteſt, & ratio poſtulat, rationabilis diſputa-

Lib. 1. cap. 11. ſub med.

Ibid. cap. 12. init.

Ibid in fine cap. 24.

* Ibid. init. cap. 25.

1. *Cor.* 7. 25

tionis à nobis adhibendum. Si verò quis aliter ſapit, & quod ſapit indeficienti animo efferre, atque præferre maluerit, non præiudicio ſententiæ electiori tantummodò, ſi eam teſtimonium ſcripturę adiuuat, & dominici auctoritas mandati non obumbrat. Hanc ſancti viri cenſuram obſeruantes, &, vt ſæpe dictum eſt, terrore diſciplinæ ſceleris immanitatem cohibere diſponentes, coniuges quibus fallente diabolo offenſio tanta contigerat decreuêre non eſſe reconciliandos, callentes tutius eſſe, rationabili cauſa mutare permiſſum conſulentis ſerui, quàm irreuerenter offendere in venerandum ac reuerendum pręceptum omnipotentis Dei. Quorum tamen vinculum coniugale nullo pacto dirumpi licet, quod, dicente Apoſtolo, non niſi morte alterius ſolui poteſt. Semper enim & ille dicetur vir vxoris, & illa vxor viri. Hoc tantummodò audiant, vt à debito abſoluti debitum non exigant, non reddant, de cætero vterque contineat caſtus in inceſti vita, inceſtus in ſua vita. Propter idem fornicationis genus iuſſi ſunt coniuges ſimili modo vnà continere; ij videlicet qui vnà proprios de aqua baptiſmatis filios accepêre. Dictum eſt enim illos à Deo & contra Deum fornicari, qui contemptâ obedientiâ tranſgrediuntur mandata Dei. Mandatum Dei eſt: Ne cubauerit compater cum ſpirituali commatre. Vnde in decretis Gregorij minoris ſcriptum reperitur: [ Si quis ſpiritualem commatrem in coniugium duxerit, anathema ſit. ] Inde Eccleſiæ obtinuit conſuetudo, vt qui cum tali cubare non abhorruerit, vt nefandi ſceleris auctor à liminibus Eccleſiæ arceri, & cunctorum aſſenſu Chriſtiana communione iubeatur priuari. Si ergo pater & mater filij quem carnaliter genuerunt, ſpirituales profitendo pro eo extiterunt genitôres, ex mandato Dei, ex Catholica conſuetudine, ex decreto Patrum, non licet eos redire ad proprium thorum. Si enim reconciliati fuerint, inducentur in prædictæ perniciem fornicationis.

Gregor.2. Conc. Rom. 4. c. 4

Ad exaggerandam probationum contra-poſitionem, adijcitis etiam Dominum glorioſæ memoriæ LANFRANCVM Archipræſulem de diuortio caſti & inceſtæ quod dicitis ſenſiſſe, quod ſentitis celebraſſe. Celebriter enim memoratur ſimile negotium inter matrem & filiam pro filiæ marito in-

uicem contendentes, coram eodem Præſule nonnullis conſidentibus Epiſcopis extitiſſe, matri quem ſibi vſurparat maritum filiæ Epiſcoporum iudicio ablatum fuiſſe, filiæ redditum fuiſſe. Et quidem, venerande Pater, idem venerandus Antiſtes fecit quod debuit, ſed non perfecit quod decuit. Quia enim quæſta erat filia de rapina matris, de fraude viri, dictante iuſtitia, meritò & raptrix rapina priuanda erat, & quod ſuum erat, videlicet fraudulentus ei, quæ fraudem paſſa fuerat, reſtituendum erat. Quæ dum iure debito reparauit, fecit quod debuit. Quia verò quantitatem patrati facinoris per pœnitentiam non indicauit, nec qualitatem futuræ cautelæ per doctrinam inſinuauit, non perfecit quod decuit. Decuerat enim eum propter excellentem peritiam, ne poſteritati dubietatem relinqueret, ea terminaſſe, ſed querelâ terminatâ maluit ea interminata relinquere, ne iura Epiſcopi, cuius id intererat, videretur vſurpare. Nouerit glorioſa Beatitudo veſtra, nos de hac ſententia cum Domno Archiepiſcopo nonnumquam ſermonem habuiſſe, & pro amanda eius humilitate, pro veneranda patientia, de eadem quia familiares ei aſſiſtebamus familiariter cum eo contuliſſe, & quod nobis obijcitis quia ſic eo tempore intelligebamus ei obieciſſe, quod vobis reſpondemus eum nobis reſpondiſſe.

---

## EPISTOLA II.

Epiſt. 23.

### *Ernulfi Roſſenſ. Epiſcopi,*

### *Quâ variis Lamberti quæſtionibus reſpondet.*

VENERABILI, *ac gremio caritatis venerabiliter confouendo*, LAMBERTO, *Frater* ERNVLFVS *in ſanctorum ſœlicitate conſortium fœlicitatis æternæ.*

Faciem veſtram in carne nunquam vidi; quam vt viderem terrarum intercapedo non conceſſit. Per ea verò quæ de moribus veſtris, de humilitate, benignitate, affabilitate, cæteríſque animæ veſtræ ornamentis latore litterarum vo-

ſt rarum referente cognoui, notitiam veſtri certiùs in animo meo teneo impreſſam, quàm ſi præſens præſentem his incognitis aſpiciam. Ita fit, vt animi veſtri egregiæ compoſitioni ea nectar dilectionis qualitate, quæ neſcit amico rectè petita denegare, largitur propria, vendicat aliena. Cuius rei dilectione veſtra condigna poſtulante, experientia veſtra meam poſſibilitatem ſeruata ordinis integritate inueniet efficacem. Ante biennium, ni fallor, quamdam ſchedulam, quam ad me veſtra beatitudo direxerat, ſuſcepi, præferentem conſcriptas quæſtiones quinque, nonnullas habentes pauca verba, ſed tegentes myſteria immenſa. Cuius portitor ſe obſequio veſtro aiebat poſtulare, quatenus ad interrogata reſponderem, & quod ibi tenebroſum claudebatur, nonnullorum tarditatem fallens, aliquo ſplendore veſtirem. Per idem tempus graui ægritudine correptus diutiſſimè lecto decubui, eâ languoris vehementiâ fatigatus, vt præ doloris impatientia penè omnibus membris extiterim diſſolutus. Hæc iccircò poſuerim, ne petitioni dignationis veſtræ videar parere noluiſſe; dum tanto tempore ſit dilatum, quod ante tantum temporis fuerat poſtulatum. Proinde ſedato aliqua ex parte languore diuturno, de veſtris inquiſitionibus quam petieratis ſententiam fero, ponens mea, ſupererogans aliena.

1. Quęſtio, cur mutata cõſuetudo antiqua de porrigendo corpore Chriſti sãguine intincto.

Prima ergo poſita eſt percunctatio de Sacramento Altaris; ita propoſita, vt quæratur, cur hodierna Eccleſiæ conſuetudo alio & penè contrario ritu cenſeat porrigi corpus Dominicum, quam à Domino in Cœna Diſcipulis ſuis fuerit diſtributum. Id enim quotidianus Eccleſiæ prætendit vſus, vt tribuatur hoſtia ſanguine intincta, cùm à Domino priùs Corpus, deinde Sanguis porrectus fuiſſe memoretur. Quem etiam morem Eccleſiæ ex Decretis Iulij Papæ nitimini improbare, quibus idem Papa dominicum commendat ordinem, & Apoſtolica confidentia Eccleſiaſticam arguit diſpoſitionem, adijciens intinctam panis buccellam Dominum proditori ſuo contuliſſe, & ex ea mentis eius impuritatem prodidiſſe. De cuius dubietatis ambiguitate quod intelligimus, quod à noſtris Doctoribus accepimus, edicere parati ſumus.

Decret. 7. & de conſec diſt. 2. Cùm omnes.

Redemptor

Redemptor noſter veniens in mundum, quia propter hominum ſalutem inter homines apparuit, quæque reparationi infirmitatis humanę commoda ſeu neceſſaria fore pręuidit, ſicut oportere vidit in ſapientia ſua, ita ab hominibus fieri & eſſe voluit in Eccleſia ſua. Hęc eis, cum quibus conuerſari dignatus eſt, verbo vel exemplo inſinuauit, quæ facienda erant docens, certum quo facienda erant modum præfigere omittens. Hinc eſſe videtur quod ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Non ait, hoc modo facite. Et: *Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Non ait, hoc modo baptizate, non ait, ſemel mergite, aut tertiò mergite. Non ait, ſcrutinium facite, chriſma ſacrate. Qua in re inſinuaſſe videtur quæ præcepta ſunt non fieri non licere; pro ratione verò neceſſitatis, vel honeſtatis, alio & alio modo fieri licere. Vnde nonnulla Chriſtianę religionis inſtituta eum in Eccleſia naſcentis initio ſuę modum originis accepêre, quem in progreſſu eiuſdem creſcentis propter quaſdam rationabiles cauſas non diu tenuêre. Id Beati Auguſtini reſponſiones ad Ianuarium euidenter oſtendunt de eo ipſo de quo agitur ſacramento, hęc dicentes, [Sacramentum Corporis & ſanguinis Domini apparet diſcipulos non accepiſſe ieiunos. Ex hoc placuit ſancto Spiritui, vt in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.] Idipsum ex S. Hieronymi ſcriptis poteſt approbari, in expoſitione Epiſtolę Pauli ad Titum ita loquens: [Antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis: *Ego ſum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephæ*, communi conſilio Preſbyterorum Eccleſię gubernabantur. Poſtquàm verò vnuſquiſque eos quos baptizauerat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti, toto orbe decretum eſt, vt vnus de Preſbyteris electus ſuperponatur cęteris, ad quem omnis cura Eccleſię pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.] Quibus documentis manifeſtum redditur, aliquos Eccleſię ritus alio modo cœpiſſe, & alio modo per eius incrementa cucurriſſe. Vbi patet atteſtantibus ſcripturis, ſacramenta Altaris, quę ieiuni modò accipimus, Diſcipulos

Modum, quo ſacramenta cōferantur, ordinandi poteſtatem Eccleſiæ Chriſtus reliquit.

1. *Cor.* 11. 24.

*Matt.* 28 19.

Epiſt 118. cap. 6. poſt init.

In cap 1 ad hæc: *Et conſtituas, &c*

1. *Cor* 3. 4.

Domini cœnatos accepiſſe. Patet etiam quod ſumimus de menſa lapidea ac ſacrata, illos ſumpſiſſe de menſa lignea, non ſecundùm morem Eccleſię ſacratâ, aut fortaſsè nullâ. Ibi panes quotidianos comederunt, de genimine vitis biberunt. Nos in forma nummi panem accipimus, vinum aqua mixtum potamus. Neminem ergo dubitare licet, tanti ritum ſacramenti multis ac longè diuerſis modis in præſentis Eccleſia temporis celebrari, quos in primordio non accepit.

Qui ergo quærit, cur non accipiantur exemplo Dominico ſingulatim, quæ de altari ſumuntur noua conſuetudine ſimul mixta; ſimili ratione quærere poteſt, cur non ſumantur in ſimili loco, aut de ſimili menſa, vel in ſimili forma, aut cur etiam aliud ſumatur, videlicet aqua, quæ à Domino non legitur in Cœna eſſe porrecta. Si verò ea neceſſarijs cauſis intelligit rationabiliter eſſe parta ac reperta; nouerit & ea de quibus quæritur, & cur aliter fiant quàm à Domino facta ſunt inquiritur, râtione non inferiori eſſe comparata. Porrò cur miratur quiſpiam, quòd ſacramenta porriguntur ſimul mixta, nonne indeſinenter in Dominici Corporis & Sanguinis conſecratione diuiſo corpore in tres partes, vna à Sacerdote, videlicet quæ ab ipſo ſumenda eſt, in calice reſeruatur ſanguini admiſcetur, ſanguine infunditur, cum ſanguine ſumitur? Quis ſacerdotem peccare dicat, dum in quotidiano tanti myſterij officio carnem cum ſanguinis ſuſcipit admixtione? Si ergo bonum eſt ſumere hoſtiam ſanguine infuſam, malum erit porrigere hoſtiam ſanguine intinctam? Quod qui malum non eſſe agnouerit, deſinet mirari, cùm ratione factum eſſe cognouerit. Arguitur iſte mos ex eo quod buccellæ intinctæ à Domino Traditori ſuo porrectæ ſimilitudinem videtur habere. Id ſi diligenter inſpiciatur, nihil dignum reprehenſione continere videbitur. Si enim exteriora penſentur, nemo dicet iuſtum hominem edere non debere panem intinctum in ſua cœna, quia id proditor manducauit Iudas in Dominica Cœna. Aut nemo ideò non dabit oſculum pacis, quia Iudas oſculo dedit ſignum proditionis. Simili modo quid nobis obſtat accipere corpus Domini

Quare corpus Domini intinctũ ſanguine nõ eſt porrigendum, ſeu potiùs Calix cum corpore Domini non eſt offerendus.

Dominico ſanguine intinctum, licet Iudas accepit buccellam de manu Domini dominico vino intinctam? Si autem interiora cogitemus propter aliud ille, propter aliud nos. Ille in ſuæ ſignum nequitiæ, in ſignum doli & proditionis, quam mente gerebat, de manu Domini buccellam intinctam intinctus fraude ſuſcepit. Nos carnem Domini intinguimus in ſanguine Domini, non vt deſignemus malitiam eſſe in cordibus noſtris, ſed ne accipientes, ſiue porrigentes, peccemus non habita fortè competenti cautela in labijs, & manibus noſtris. Euenit enim frequenter, vt barbati, & prolixos habentes * granos, dum poculum inter epulas ſumunt priùs liquore pilos inficiant, quam ori liquorem infundant. Ij ſi acceſſerint ad altare liquorem ſanctum bibituri, quomodò periculum deuitare poterunt inter accipiendum, quomodò vterque accipiens videlicet & porrigens effugient grande peccatum? Prætereà ſi imberbes, & ſine granis, aut mulieres, ad ſumendam Communionem ſanctam conueniant, quis Sacerdotum poterit tam prouidè miniſtrare, tam cautè calicem Domini diſtribuere, vt multis eum ſingulatim diuidat, diuidens ſic in ora eorum fundat, vt infundens nihil effundat? Sæpe enim dum ſibi ſoli calicem infundere diſponit, negligentia aut imprudentia faciente effuſionis periculum incurrit: quantò faciliùs in multitudine poſito Sacerdoti, multis diuerſarum formarum miniſtranti, contingere poteſt, vnde grauiter offendat, vnde eum aſperam pœnitentiam agere oporteat?

*Id eſt, * pilos ſparſos.*

Ne ergo polluamus ſanguinem noſtræ redemptionis, ne tanquam impietatis manibus effundamus poculum humanæ ſalutis, à religioſis viris prouidè actum eſt, vt Dominici portiuncula corporis non ſicca ſicut Dominum egiſſe nouimus porrigatur, ſed Domini infuſa ſanguine fidelibus tribuatur. Quo pacto euenit, vt ſecundùm Saluatoris præceptum eius carnem edat, ſanguinem bibat, periculum euadat, quem in tanta re offendere oppidò formidat. Id enim ſolidum edimus, id liquidum bibimus, quod ſimul ſeparatímue ore ſumptum per guttur traijcimus: in qua diſtributione nemo vt dictum eſt formidare debet, quòd buccella panis intincta proditori Domini à Domino ſimiliter eſt porrecta. Non

**Mos porrigendi Corporis ſanguine infuſi.**

enim ea operatio congruam habet ſimilitudinem, quæ cauſæ habet diſſimilitudinem. Vnde IVLII Papæ decreta quamquam rationabiliter data perſuêre, apud aliquos modernos hac in parte quieuêrę, Eccleſiæ præualuit conſuetudo, quæ pondere rationis antecellit eminentiore. Nec mirum, rationabilem vſum tantis actam neceſſarijs cauſis Iulij decretis anteponi, cùm legamus, & ipſis quotidianis actionibus frequentari videamus, cæterorum inſtituta Pontificum propter ſimiles aut inferioris, vt videtur, generis cauſas diſcretiore prudentia eſſe mutata. Teleſphorus Papa in decretis ſuis Miſſarum officia quâ horâ celebranda ſint, his verbis abſoluit: [ Nocte ſancta Natiuitatis Domini Miſſas celebrent, &c. Reliquis temporibus Miſſarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè ſunt celebrandæ; quia eadem hora & Dominus crucifixus, & ſuper Apoſtolos Spiritus ſanctus deſcendiſſe legitur. ] Quod cuius decretum quam pauci ſeruauêre, quam multi abiecêre, teſtatur Eccleſiaſtici frequentia ſeruitij; teſtatur ipſa pro fidelibus viuis ac defunctis ſacerdotalis oratio, & Dominici corporis & ſanguinis quotidiana immolatio; teſtatur nec non pro ſe ac ſuis ſiue id fieri petens, ſeu præſentiam ſuam exhibens popularis multitudo. Intellexerunt enim ſatius eſſe, multis horis multas fieri oblationes, quàm vſque ad horam tertiam pluribus omiſſis paucarum oblationum fieri dilationes. Similiter VICTOR Papa in decretis ſuis docet Baptiſmum faciendum eſſe in Paſcha, ſic dicens: [ Eodem tempore, id eſt Paſchæ, Baptiſmus eſt celebrandus Catholicis. Si tamen mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes quocumque loco, vel tempore baptizentur. ] Quod etiam Papa Syricius decretali aſſertione corroborat, ſic dicens: [ Baptiſmi priuilegium apud nos, & apud omnes Eccleſias, dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte Paſcha defendit. * Quibus tamen in qualibet neceſſitate opus fuerit, omni volumus celeritate ſuccurri, vt ipſo ſuæ paſſionis myſterio per prædicta martyrij genera ad vitam migrandum eſſe inſinuaret, ſignans etiam per certamen legitimum neminem poſſe coronari, qui non vno horum ſtuduerit corporaliter ſeu ſpiritualiter crucifigi.

Decreta Pontificũ ſubinde abrogari probat exemplis.

Epiſt. c. 1.

Epiſt. 1. cap. 1.

* *Quæ ſequuntur in edit. non reperi.*

Quæſtio 2. Cur quarta pars hoſtiæ in calice ponitur.

Secunda quæſtione percunctatum eſt : *Cur quarta pars hoſtiæ in calice ponitur.* De qua ita reſpondemus: Non eſt noſtræ conſuetudinis vt quarta pars hoſtiæ dimitti debeat in calice, ſed tertia. Alicui fortaſſis quarta iccircò mitti videtur, quòd hoſtia per medium ſecta, medietatis quaſi medietas in calice ponitur, quæ quia ad totius hoſtiæ quantitatem ceu quadrans eſt, quarta ideò eſſe videtur. Sed nouerit dilectio veſtra, quia non attendimus quanta quæque pars ſit in toto, ſed quota ſit de toto. Sufficit enim in diuiſione hoſtiæ ternarium numerum conſummare, non quæ partium maior, quæue minor ſit, attendere. Vnde nonnullæ Eccleſiæ illum habent vſum, vt hoſtiam non per medium diuidant, ſed eam trium æqualitate partium comminuant. Cur autem in tres determinatè diuidatur, ex decretis Anacleti Papæ probabiliter coniicitur. In eiſdem námque legitur: [Quia Epiſcopus ſacrificaturus Deo in ſolemnioribus diebus ſeptem aut quinque aut tres Diaconos & Subdiaconos, & reliquos miniſtros ſecum habeat. ] Et paulò poſt. [Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus. ] Inde Eccleſiaſtica inoleuit conſuetudo, vt Epiſcopo, aut Presbytero ſacrificante, & Diacono ac Subdiacono cooperante, eiuſdem obſequij nemo aut rarò quiſquam à ſanctæ communionis excipiatur participatione. Quia ergo ipſis tribus Dominici altaris ſeruitoribus commiſſa ſunt Dominica ſacramenta, quibus ſcriptura communicare iubet, ſtatutum eſt, vt arcanæ recordationis hoſtia in tres partes diuidatur, quæ diuiſæ à ſingulis ſeruitoribus ſingulæ ſuſcipiantur; quarum vna ſacerdos in calice ſecuriùs ſibi reſeruata, cæteras in patena miniſtris, ſi præſentes fuerint, porrigendas cuſtodit. Eis abſentibus ſicut agit quod erant acturi, ita accipit quod erant accepturi. Nec tamen vacat à myſterio, quod numero Trinitatis illa ſolet fieri diuiſio. Corpus enim Domini, quod in Altari conficitur, ſacramentum eſt eius corporis, quod eſt Eccleſia. Quæ quia in tribus electorum ordinibus conſummatur, Præpoſitis, Continentibus, & Coniugatis, rectè corpus Domini tripertitò diuiditur, quod electis omnibus ſignum eſt vnitatis, ſignum concordiæ & pacis, & cauſa æternæ ſalutis. Hi

Epiſt. 1 c. 2 *Paulò aliter in edit.*

In tres partes quare hoſtia diuidatur.

ſunt illi ordines, in quorum figura Ezechiel Propheta ſe tres liberatos viros cogitur audiſſe: Noë ſcilicet, Danielem, & Iob. Noë quippe qui Rector Arcæ extitit, inter vndas Præpoſitorum ordinem ſignat. Daniel pro ſua excellenti abſtinentia, à mundanis delectationibus Continentium vitam figurat. Sanctus Iob figuram gerit Sanctorum Coniugum, de acceptis bonis Deo miniſtrantium in operibus bonis.

Altera ratio. Dicunt non improbandæ auctoritatis viri, iccircò trifariam tanti fieri ſacramenti diuiſionem, vt ipſo numero præſentia Trinitatis æternæ adeſſe cognoſcatur, cuius de modica creatura tantam fieri operationem credimus & miramur. Videtur etiam nonnullis ſummę peritiæ viris, hanc iccircò inter ſacra Miſſarum ſolemnia Dominici corporis triformiter fieri diuiſionem quatenus illo partium numero ſolemniter recolatur, qualiter ipſa eadem carnis ſubſtantia in figura humani corporis à verbo Dei aſſumpta ſub trina varietate hominibus propter homines fuerit exhibita. Mortalibus enim oculis mortalis apparuit, in ſepulchro mortuus iacuit, immortalis ſurrexit. Quibus contractæ infirmitatis quaſi medelis, clementię placuit diuinæ deſperantes animos ſtoliditatis humanæ ad fidem erudire, ad amorem accendere, ad venturæ ſpem reſurrectionis attollere,

Tertia.

Quæſtio 3. An corpus Domini ex toto, an ex parte ſumatur.

Tertio loco tertia ſequitur quæſtio: hæc ita proponitur: *In perceptione Euchariſtiæ corpus Domini aut ex toto ſumitur, aut ex parte. Si verò ex toto ſumitur ore fidelium, & integer Chriſtus in partes non ſcinditur, quemadmodum certum tenemus, quomodò tunc vel quare ſeparatim ſanguis ſine corpore ſumitur?* Duas in vna proponitis quæſtiones; videlicet quare & quomodò ſeparatim ſanguis ſumitur; hæc verò, quare ſumitur, nulla reſponſione indigere videtur. Puto enim à me ſufficienter abſolutum eſſe, quare ſumitur Corpus Domini ſine ſanguinis admixtione, puto abſolutionis perſpicuitatem diligenter attendenti ſufficere debere. Quia ergo in manifeſtæ rei veſtigatione ineptum eſt ſuperfluè laborare, omittimus de ea vlteriùs loqui, factores dominici ordinis nequaquam arguentes; Eccleſiaſticæ verò diſciplinæ cautelam minus prouidis commendantes. Altera verò quæſtio quæ dicit, *Quomodò ſumitur ſanguis ſeparatim ſine corpore*, non

magna diſcuſſione videtur egere. Si enim eam paulò attentiùs aſpiciatis, facili explicatione ſeipſa prodit vobis. Quia enim omnem corpoream ſubſtantiam conſtat corpus eſſe, ſanguinem Domini corpus eſſe manifeſtum eſt remota omni ambiguitate. Sed cùm Dominus paſſionis ſuæ ſacramenta commendaret, dicens: *Hoc eſt corpus meum.* Et item: *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Corpus à ſanguine diſtinxit, corpus propriè intelligens quod ſolidum erat, quod cruci affigendum erat, per ſanguinem aſſignans quod erat liquidum, quod erat effundendum, in vtroque paſſionis ſuę qualitatem pręfigurans: Et nos quoties de corpore & ſanguine Domini loquimur in eadem ſignificatione nomina ipſa memoramus. Domini ergo corpus quamquam in ſacramentorum velamine ſumatur, ex toto ſicut videmini aſſeuerare, ſeparatim tamen & ſanguis ſine corpore & corpus percipitur ſine ſanguine; dum & liquor ſine ſoliditate, & ſoliditas conſumitur ſine liquore. Nec repugnare videtur, ſi totus ſanguis ſeparatim ſumatur ſine corpore, quem totum credimus ſumi cum corpore, cùm & totum ab vno, totum à multis corpus Dominicum percipi certiſſimè teneatis. Quomodò autem totum ab iſto, totum ab illo ſumitur, ſeparatim verò ſumitur ab iſto, & ab illo, ita cùm totum corpus accipitur per ſe, & totus ſanguis per ſe ſeparatim & ſanguis ſine corpore, & corpus ſumitur ſine ſanguine. De quæſtione verò tanti Sacramenti modeſtiùs, vt opinor, eſſet, colloquendo dicere quod dici opus habet, quàm diſcutiendo ſcribere quod periculoſum iudicium habet; ne fortè quod perſpicuum eſt inutiliter exponatur; aut quod obſcurum eſt incautè relinquatur; ſeu ambiguo verbo dum ſcriptor non aduertit, auditor offendatur. Familiari enim colloquio commodiùs oſtendetur & quantum dici debet, & quantum credi oportet, & quod dici ſiue credi Catholica fides abhorret.

*Matt.26. 26.*
*Ibid.*

*Cùm ſanguis ſumitur, Corpus etiam percipitur; & dum Corpus, ſumitur & ſanguis.*

In quarta quæſtione ſic quęritur: *Si integer Chriſtus ſumitur, vtrum ſolum corpus ſine anima, an etiam anima cum corpore ſumitur.* Cuius generis percunctationes ab his frequenter proponi ſolent, qui appetunt ſapientes videri, quos magis delectat philoſophicis diſputationibus elatè inſeruire, quam Eccleſiaſticis diſciplinis, & ſacris auctoritatibus humiliter ac

*4 Quęſtio. An Corpus cũ anima ſumatur.*

fideliter obedire. Hi timentibus Deum, & fide potiùs quàm ratione probantibus corpus Chriſti ſanguinémque eſſe quod ſumitur de altari, decipulas huiuſmodi obtendere ſolent. Corpus Chriſti quod ſumitur de altari, aut eſt animatum, aut eſt inanimatum; ſi eſt animatum, cur non ex ſe mouetur? Si verò inanimatum, quomodò eſt illud quod ſurrexit à mortuis & viuit in ſæcula ſæculorum? Itémque ſic aiunt Corpus Domini aut eſt corruptibile, aut eſt incorruptibile. Si eſt incorruptibile, quomodò frangitur, minuitur, inueteratur? Si autem eſt corruptibile, qualiter verum eſt veram reſurrectionem illud accepiſſe, verę incorruptelę particeps eſſe? Has, vt dictum eſt, nodoſas diſputationes illi obijcere moliuntur, quos amor humanæ laudis, quos fauor fatigat popularis, qui gaudent imperitis ſcrupuloſarum parare laqueos quæſtionum, quibus ſacrarum non ſufficit robur & auctoritas ſcripturarum, quibus cordi eſt, potiùs ſequi rationem ſapientiæ ſecularis, quæ ſtulta facta eſt à ſapientia Dei, quàm fidei veritatem quæ inſcrutabilia penetrat, & rationis impotentiam pertranſiens aſcendit vſque ad ipſum nutum Dei. At iuſtus ex fide viuens, humiliter ſapiens non ſenſum ſuum præferendo, ſed Domini ſui mandata reuerenter amplectendo, omnia credit quæ Spiritus Sanctus credenda eſſe præcepit, non quærens quomodò hoc vel illud eſſe poſſit, ſed ad omnia diuinitus imperata quæ legit, vel audit, vt pote mitis & humilis corde, humillimè adquieſcit. Hæc iccircò dixerim, vt quæ fide ſola intuenda ſunt in quæſtionem non adducatis, quia non eſt vtile animæ Chriſtianæ inſolitis diſputationibus diſcutere myſteria redemptionis noſtræ. Quoniam de ſua ſalute dubitare videtur, qui de myſterijs ſalutis quæſtiones facere cognoſcitur: Scriptum quippe eſt, *Qui dubitat, non credit.*

*Obiectionibus occurrit Author.*

Cæterùm quo argumento, quáue ſubtilitate diſputandi queat quis approbare, panem & vinum corpus ſanguinémque fieri Chriſti per verba Chriſti? Tamen quia omnipotens veritas locuta eſt, ita dicens: *Hoc eſt corpus meum.* Et, *Hic eſt ſanguis meus*, neminem dubitare licet ita verum eſſe vt ſcriptura docet; tum quia veritas mentiri non poteſt, tum quia omnipotens non facere hoc non poteſt. Porrò ſi rationis

*Matt. 26. 26.*

rationis acumine comprehendi non poteſt, vtrum panis & vinum per conſecrationem fiant corpus & ſanguis, nemo diſputandi arte fretus veſtigare debet quomodò ſit corpus, aut quale ſit corpus, aut quomodò ſit ſanguis, vel qualis ſanguis. Cùm enim ſecreta cœleſtia nequeat quis ratione ſcrutari, ineptus ſit ſi quamuis quod de ipſis legitur fide teneat, quod non legitur, videlicet quàm pulchra, aut quomodò ſint diſpoſita, ratione inquirere ſeu diſcutere præſumat. Qui enim de quacumque re an ſit ignorat, fruſtra de ea qualis ſit, aut quomodò ſe habeat, interrogat. Ita huiuſmodi ſacramenta cùm quid ſint nemo ratione apprehendere queat, qualia ſint ſuperflua curioſitate indagare curat. Id ſanè myſterij genus idcircò myſterium fidei vocatur, quia eius ſecreta ſola capit fides, quæ ratio aſſequi non poteſt. De quo nimirum ita ſcriptum eſt: *Si quid reſiduum fuerit, igni comburetur.* Eius profectò ſecreta abſcondita ſunt in theſauris ſapientiæ cœleſtis, quæ inde ſacrilegium eſt, furari, præſertim ſic prohibente Spiritu Dei: *Altiora te ne quæſieris.* Et illud: *Ne tranſgrediaris terminos patrum tuorum.* Vnde id ſacrilegij perpetrare cauendo quod fidei ſolius arcano cuſtoditur, diſputationis acumine diſcutere deuito. Nihil enim pro arbitrio meæ intelligentiæ ponere volo, ſed id ſolùm quod ex ſcripturis authenticis, vel probatorum ſententia Doctorum collectum eſt, proferre intendo. Aut certè ſi dicendum ſit quid aliud, vel quare aliud debet de carne noſtræ redemptionis quàm quod omnipotens veritas allegauit? Quæ vbi inter cœnandum carnem ſuam diſcipulis edendam protulit, dicens: *Hoc eſt corpus meum*, de qualitatibus tacuit, ſubſtantiæ mutationem eſſe factam inſinuauit. Quid ergo? Nonne ſicut dixit, facere potuit? Nonne potuit mutare panem in ſubſtantiam carnis, ſine aſſumptione qualitatum ipſius carnis? Quid omnipotens facere non potuit? Credimus & certum tenemus, ſubſtantiam panis verborum virtute eſſe mutatam in ſubſtantiam Dominicæ carnis. Certiſſimè tamen ſcimus, & ſenſibus corporeis comprobamus qualitates panis immobiliter permanere, cuius ſubſtantiam quia caro facta eſt credimus non manere. Viſu enim candorem, tactu contrectamus panis ſaporem, cæte-

[Marginal notes: Quare myſteriũ fidei vocatur Eucharistia. — *Exod.* 12. 10. — *Eccli.* 3. 22 — *Prou.* 22. 28. — *Matt.* 26. 26. — Panis ſubſtantia in corpus Chriſti mutatur.]

ráſque eiſdem cæteríſue ſenſibus qualitates panis ita iudicamus, vt panis, cuius ſubſtantia deeſt, qualitatem nullam deeſſe videamus, carnis ſubſtantia adeſt, qualitatem nullam adeſſe ſentiamus. Cùm ergo manentibus panis qualitatibus, non miremur panis abeſſe ſubſtantiam, ſed integritate fidei in ſubſtantiam carnis credamus eam adeſſe, non mutatis eius qualitatibus, permutatam; quid mirum ſi præſente carnis ſubſtantia, qualitates carnis ſicut non videntur adeſſe ita dicantur abeſſe? Quo pacto quod ſacratur quamuis concedatur eſſe Chriſti caro, non tamen rectè quæritur mortalis, mortua, ſiue immortalis exiſtat; ſicut non rectè fideles à fidelibus quærimus an hoſtia ſacrata, cùm qualitates panis aſpiciamus, panis exiſtat. Sicut enim, vt dictum eſt, tranſlatâ panis ſubſtantiâ qualitates eius videntur non eſſe tranſlatę, ita admiſsâ carnis ſubſtantiâ, qualitates eius non ſentiuntur eſſe admiſſæ. Sed ad me redeo, mei exceſſus præſumptionem caſtigo, malens cum ſimplicibus ſimpliciter credere, quàm ſimplicitati columbæ amarus exiſtere.

Quæſtio 5. De Sentẽtia Ioël Prophetæ. Quinto loco veſtra venerabilis diligentia verſiculum de Propheta Ioël ſumptum digerit, percunctans videlicet quid intelligere voluit Propheta, cùm dicit: *Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem?* (*Ionæ* 3. 9.) Huius lucubratiunculam de Beati Hieronymi commentariolo ſuper duodecim Prophetarum expoſitionem compoſito decerpere potuiſtis, ſi fortè librum apud vos habuiſtis. Quod quia liber idem nobiſcum eſt, & ego poſſem, niſi breuitatem eius ſufficere vobis non poſſe dubitarem: Dicam itaque quid ſentio, iudicet qui vult, capiat qui poteſt. Propheta ſuos auditores, Domini contemptores, hortatur ad pœnitentiam, dicens: *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum.* (*Ioël.* 2. 13.) Et quaſi quis quæreret, qua ſpe conuertemur? Id eſt, vnde poſſumus ſperare nos veniam conſecuturos? Subiungit, dicens: *Quia benignus & miſericors eſt, patiens, & multùm miſericors, præſtabilis ſuper malitiam.* (*Ibid.*) Quo poſito æquipollenter interrogatiuam pro enunciatiua oratione ſubinfert, ſic dicens: *Quis ſcit ſi conuertatur?* Hoc eſt, forſitan conuertetur; ac ſi diceret: Quia Deus miſericors eſt, ſi conuertamini à prauis operibus, forſitan & ipſe conuertetur ab ea ſenten-

tia quam merentur peccata veſtra. Scriptum eſt enim, *Mutat Deus ſententiam, conſilium nunquam.* Quomodò autem conuertatur, mutétque ſententiam, exponit dum dicit: *Et ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem*, id eſt, & peccata remittat, & remiſſis peccatis gratiam tribuat. Quod verò dicit relinquat poſt ſe, id eſt ſequentibus ſe, eſt ſicut illud. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*: Quod expoſitor ſic dicit: [Sequentibus relinquo, peruenientibus do.] Quod ibi dicitur ſequentibus, eſt id ipſum quod hîc dictum eſt, *poſt ſe.* Relinquit igitur benedictionem, id eſt, pacem ſiue gratiam poſt ſe, id eſt, ſequentibus ſe; ijs ſcilicet qui volunt facere voluntatem Dei, non quærunt vt Deus faciat voluntatem ſuam. Quamuis & eumdem verſiculum ſed apertiùs poſitum in Prophetia Ionæ valeamus inuenire, ſic: *Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus?*

*Ioan.14. 27.*

---

# EPISTOLA

*Epist. 24.*

## *Canonicorum Petengenſis Eccleſiæ.*

CANONICI *ſancti* MARTINI *Petengenſis Eccleſiæ, Capitulo Tornacenſi Salutem, & in omnibus obſequium.*

*De violenta Præpoſiti electione agitur.*

Nos quidem Eccleſiæ noſtræ fidelitatem, vtpote illi filiali fœdere aſtricti debentes, illi prouidere, conſulere, ex debito & pro poſſe noſtro debemus. Neceſſitate autem incumbente quam per nos dijudicare, vindicare nequimus, ad vos illam diſcutiendam referimus, quippe quod nos illi ex debito, vos pro gratia debetis. ERPOLPHVS ergo, quem nec vos latet omni fraude imbutum, Præpoſitum habentes, euerſorémque potiùs Eccleſiæ, quàm Rectorem noſcentes, canonica ratione inde remouere propoſuimus, aliúmque, quem vtilem fore Eccleſiæ credimus, vobis mediantibus introducere. Quod vt ille prænouit, ne non itinere quo cœpit percurreret, alium non per oſtium, ſed aliunde induxit ſui ſucceſſorem. Domino Ioanne námque mediante, & illicita munera ſibi impertiente, LIBERTVM de Ceſonia

nos & Eccleſiam recturum, ſuo loco ſuccedere voluit: de quo vt nos taceàmus, qualis paſtor futurus ſit vos ipſi cognoſcitis. Introduxit autem eum hoc modo.

Die feſto Omnium Sanctorum, finitâ Miſſarum celebratione Dominus Ioannes ſtipatus militibus, cum Erpulſo, & Liberto chorum noſtrum intrâuit, & nos primùm multis ambagibus ſibi attrahens beniuolos, ad quid intenderet ſic tandem nobis profatus oſtendit: Sæpe conqueſti eſtis & mihi & maioribus veſtris, quòd hic Erpulfus Eccleſiam malè rexerit, & hinc ergo eum remoueri velletis. Nunc verò ſine veſtro labore, & veſtra impenſa, eum remouebo, hoc pacto, vt hunc Libertum idoneam ad hoc perſonam, diuitijs præditum, ſuo loco reſtituatis. Vnde à nobis conſilio accepto, ſic illi reſpondimus. Magnum eſt, Domine, quod petitis, & maioris conſilij, quam in nobis eſt, eget. Nos quidem pueri & ſenſu & ætate, hanc rem ad Capitulum Tornacenſem transferemus, vnde quod illi viſum eſt, ſecundum priuilegium noſtrum diſponemus. Tunc ille commotus ira; verè, inquit, non ex vobis hæc res, ſed ex me pendet. Nòſque priùs contumelioſis verbis obiurgans, Erpulphum prouocat, & ait: Date huic Liberto vt mihi pacti eſtis beneficia veſtra, & quicquid veſtri iuris eſt in Eccleſia. Tunc ille procedens, omnia ſua Liberto ſubdidit. Nobis verò ne hoc videremus exire parantibus, milites obſtiterunt, & nos tandem, vt verum fateamur, laïca violentiâ coacti, hunc elegimus; hac conditione tamen interpoſita, ſi Epiſcopus vobis conſulentibus hunc idoneum conſiderans, nobis præponeret. Ad vos ergo conſultum venimus, & obnixè petimus, quatenus rem ordine perſpiciatis, & qualem nobis, & quali electione elegerimus, conſiderate, & nos, & Eccleſiam in proſpero ſtatu reſtituite. Valete.

# EPISTOLA

Epist. 25.

## *Rainaldi Rhemorum Archiepiſcopi.*

RAINALDVS *Dei gratia Rhemorum Archiepiſcopus, Cariſſimo ſuo* ROBERTO *Tornacenſis Eccleſiæ venerabili Archidiacono, Salutem.*

Vt in Eccleſiæ Petengenſi Monachos ſubſtituat, Robertum adhortatur.

Significatum eſt nobis, quòd Domnus INGELBERTVS ſignifer Comitis Flandriæ impetrauit à bonæ memoriæ Rabodo Nouiomenſi ac Tornacenſi Epiſcopo, vt Eccleſia de Petingen libertate donaretur, & Monachi in eadem ponerentur: Vnde & ab eodem Epiſcopo Priuilegium habuiſſe & habere dicitur. Poſtmodum tamen hortatu & rogatu matris ſuæ in eadem Eccleſia Preſbyteros & Clericos poſuit. Qui ſiquidem quia contra priorem & meliorem inſtitutionem ibidem poſiti fuerunt, nec ſibi nec Eccleſiæ proficere potuerunt, immò penè defecerunt. Quocirca dilectionis veſtræ deuotionem exhortamur, rogamus, atque monemus, quatenus pro ſalute animæ veſtræ hoc omnimodè efficere ſtudeatis, vt Monachi Beati Theodorici qui regulariter viuunt & in ſancta religione Deo ſeruiunt, in Eccleſia illa ponantur. Intelligimus etenim quod eis eſt plurimùm neceſſaria, & præueniente diuina miſericordia, & veſtro adiutorio, per eoſdem poterit ad honorem Dei regulariter ordinari.

# EPISTOLA

Epist. 26.

## *Gualteri Abbatis S. Martini Laudunenſis.*

GERAVLDO venerabili Dei gratia Tornacenſium Epiſcopo, GVALTERVS Eccleſiæ ſancti Martini Laudunenſis Abbas vocatus, Salutem. Controuerſiam quamdam inter vos, & Abbatem ſancti Theoderici, ſuper quodam altari habitam, jamdudum audiuimus. Cui diſce-

Arbiter decernit quoddam Altare ad Petingenſem Eccleſ. pertinere.

ptationi prædictus Abbas finem ponere cupiens, obnixè nos rogauit, vt quemdam Fratrem noſtrum ſacerdotem, SIMONEM nomine, virum boni teſtimonij, qui in Petegenſi Eccleſia ad quam prædictum Altare pertinere dicitur, Canonicus extitit, ad audientiam Domni Archiepiſcopi Rhemenſis, quatenus veritati huius rei atteſtaretur, producerem. Eius itaque iuſtis petitionibus annuentes, præfatum Fratrem ante Archiepiſcopum ſtatuimus, & præcepto virtutis obedientiæ, vt quæ ſibi ſuper hac re nota fuiſſent, aperiret, conſtrinximus. Ipſe autem præfatum Altare ad Eccleſiam Petegenſem pertinere incunctanter proteſtatus eſt: & per triginta annos, vel eo ampliùs, pro præbenda liberè ab ea poſſeſſum. Hoc igitur Fratris teſtimonium ſcripto mandare, veſtræque Sanctitati præſentare curauimus. Vale.

---

EPIST. 27.

# EPISTOLA

## *Ad* GERAVLDVM *Tornacenſ. Epiſcopum.*

Altare de Thidingen iuris eſſe Eccleſię de Petingen.

GERAVLDO *Dei gratia Tornacenſium Epiſcopo, Frater* A. *eiuſdem Dei vocatione Euerſamenſium miniſter, licet indignus, Salutem, & vtriuſque hominis ſoſpitatem.*

Vt diutina contentio, quæ ſuper altari de Thidingen inter vos, & Abbatem ſancti Theoderici, in cuius manu altare de Pintingen nutu Dei incidit, in Chriſto terminaretur, prout rationabilius potuimus, eiuſdem rei veritatem inueſtigare curauimus. Statuentes igitur in medio Fratrum, fratrem Arnulfum, cuius idem altare cum ſeculo viueret, ceſſit vſibus, vt nobis quomodò res ſe habuerit, elucidaret, per virtutem obedientiæ coniurantes iniunximus. Frater autem, quòd prædictum, inquit, altare de Thidingen, ad altare de Pithingen iure Cœli pertinere debeat, virtute obedientiæ adiuratus, affirmare non timeo, præſertim cùm illud à Præpoſito ERPOLFO canonicè ſuſceperim, & inde deinceps Canonicus extiterim. Hoc itaque à Fratre ſacerdote audientes ſcripto commendare, & vniuerſitati veſtræ intimare ſategimus. Vale.

## EPISTOLA I

Epist. 21.

### *Petri S. Remigij Rhemenſis, aliàs Cellenſis Abbatis, pòſt Epiſcopi Carnotenſis.*

CARISSIMIS *in Chriſto Fratribus* WILLELMO, PETRO, VVIDONI, PETRVS *Rhemenſis ſpiritum conſilij & fortitudinis.*

Ne deſerât Ciſterciēſem ordinem quem in Pontiniacenſi Monaſterio profeſſi fuerât, adhortatur.

Primùm loquar tibi, Frater Vvillelme, quia in te & propter te commota ſunt viſcera mea, turbatus ſum à facie commotionis, dicam commutationis tuæ. Audieram enim propoſitum tuum, laudaueram fortitudinem, approbaueram diſcretionem, modò autem neſcio quo ſpiritu exagitatus nutare cœpiſti qui debueras eſſe columna immobilis, qui portaueras iugum ab adoleſcentia tua, & modò tandem ad frugem melioris vitæ, ſcilicet ad ordinem Ciſtercienſem veniens; leuaueras te ſupra te. Timeo, Dilecte, verſutias illius qui transfigurat ſe in Angelum lucis; timeo ne in te mutetur color optimus; ne argentum, immò aurum vertatur in ſcoriam: ſiquidem *cùm immundus Spiritus exijt ab* Luc. 11. *homine, ambulat per loca inaquoſa quærens requiem, & tunc* 24. *aſſumptis ſeptem aliis ſpiritibus nequioribus ſe redit in domum ſuam: vnde & fiunt nouiſſima illius hominis peiora prioribus.* Nec hoc quod à te exierit ſpiritus immundus, qui per gratiam Dei in te non fuit, ſed quòd à te magis elongatum, modò quadam mutabili tua leuitate, & leui mutabilitate vicinior tibi fieri conatur: & qui, vt ita dicam, ſubſtantiam religionis, & ſinceritatem zeli tui mundanis iſtis & manifeſtis immunditijs non poteſt corrumpere, quibuſdam peſſimis accidentibus, locorum, ſicut & ordinum mutationibus, & occultis illuſionibus nititur te abſorbere. Quippe ſpem habet vt influat Iordanis in os eius. Teſte Philoſopho primum argumentum bene compoſitæ mentis exiſtimo poſſe conſiſtere, & ſecum morari. Diſcurrere enim & locorum mutationibus inquietari, ægri animi iactatio eſt, non enim coaleſcit vel conualeſcit planta quæ ſæpe transfertur.

Quod autem de profeſſione prioris voti moueris, nullum ſcrupulum habet. Auxiſti enim votum, non fregiſti: modò
*Pſal. 127. 2.* enim imples, & pleniùs adimplebis illud Dauidicum: *Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit.* Quid plura? Credo, fateor, & obteſtor, quòd de minori ad maius inſtinctu & inſpiratione Spiritus ſancti aſcendiſti, & quantò aſcenſus altior, tantò deſcenſus, ne dicam caſus, grauior. Proinde obſecro te, Cariſſime, ego tuus Petrus iam ex ſolo auditu pro te vſque ad effuſionem animæ vulneratus, ne mihi dolorem ſuper dolorem adijcias, ne Clero, populo, & diabolo materiam riſus præbeas, ne te moueas ne in fœlici aſcenſu vbi non eſt voti fractio, ſed integratio, vbi non eſt metus, timeas.

Tibi, Frater PETRE, incognitus facie, abſens corpore, præſens autem ſpiritu, & deuoto corde conſulo, & ad pedes profuſus anxiè & obnixè ſupplico, vt non obtentu priſtinę ad quam ſuſpiras quietis te & alios inquietare incipias. Vera enim quies eſt in Ordine Ciſtercienſi, vbi Martha Mariæ iungitur, vbi iuxta verbum ſapientis, & agenti
*Luc. 10.* quieſcendum, & quieſcenti agendum. Sanè quod de priore quiete & otio obijcis, vt pace tua loquar, ita ſine quæſtione omni procul eſt à ratione, vt reſponſione non indigeat: vbi enim plus ſilentij, plus ieiunij, minus ſollicitudinis mundanæ, & ideò plus contemplationis & ſanctæ quietis, quàm in ordine Ciſtercienſi? Quieſcat ergo, quieſcat iſta tua commotio, & dum paruula eſt, allidatur ad petram, dum vulpecula parua eſt, capiatur, & in matutino occidatur, ne demoliatur vineam Domini, id eſt, conſcientiam tuam: ne ſub obtentu cuiuſdam vanæ quietis, ad piſces, non dico Ægypti, & ad alia, non dico Pharaonis, videaris ſuſpirare. Inualidæ ſunt ad exprimendum quod ſuper tuis & Fratris Vvillelmi phantaſticis illuſionibus ſentio, litteræ: Sed tu cum fratre Vvillelmo ex paucis multa perpende: Conſilium meum eſt, immò vt paululùm audaciùs loquar, ſacræ ſcripturæ mandatum, vt in ordine Ciſtercienſi ſic curratis, ſic in agone contendatis, vt brauium æternæ vocationis fœliciter comprehendatis.

De te nunc, VVIDO, minùs ad præſens ſollicitus ſum, tibi nouiſſimè

nouiſſimè non tanquam abortiuo, ſed quaſi perfecto, cui non opus lacte, ſed ſolido cibo ſoliditati tuæ congratulans pauca ſcribo more matris, quæ magis anxiatur circa paruulum & debilem filium, quàm circa fortem & perfectum. Tu ergo robuſtus in Domino alios conforta, viriliter agens, argue, obſecra, increpa; opportunè, importunè.] Arduus quidem eſt Ordo Ciſtercienſis, ſed tendit in ardua virtus: ſiquidem iuxta verbum Philoſophi, *ſerpens ſitis ardor arenæ, Dulcia virtuti gaudet patientia duris.* Expergiſcimini ergo glorioſi milites Chriſti, mementote quia tranſit mundus, & figura, & gloria, & omnis concupiſcentia eius. Valete. Magiſtrum ARRAVDVM, fortem & prudentem Chriſti Athletam ſalutat anima mea, & per vos orationum munus ab eo expoſtulat.

---

## EIVSDEM EPISTOLA II. Epist. 19.

Vt in Ordine Ciſt. permaneāt admonet.

HVMILIS Abbas ſancti Remigij Vvidoni, Petro, Fratribus Monaſterij Pontiniacenſis, ſalutem & omne bonum. Vt breuiter tumultuoſis cordium veſtrorum quæſtionibus ſuper profeſſione facta, tam in ordine Grandimontis, quàm in Ciſtercienſi reſpondeam, id mihi videtur, quòd fidem promiſſi non lædit, qui ſoluit quod promiſerit. Is quoque gratiæ meritum ſuperaddit, qui plus ſoluerit, quàm ex voto debuerit. Non eſt meum ordines ſanctos iudicare, neque meis ſtateris merita illorum appendere, ſuo domino ſtant aut cadunt: ſtant autem: opinionis tamen meæ eſt, plus rigoris, plus iuſtitiæ, plus ſeueritatis, plus etiam diſcretionis eſſe in Ordine Ciſtercienſi, quàm in illo qui mihi incognitus eſt, & de quo propter incertitudinem nullam audeo ſententiam præcipitare. His omiſſis ranam & muſcam perturbantes penetralia cordis veſtri, vtinam abijcere, vel potiùs exterminare breui ammonitione poſſem. Non ignoro apud Ariſtotelem dubitare de omnibus non eſſe inutile. Teneo autem apud Hipocratem quòd

mutationes maximæ generant morbos. Dicunt quòd plantæ quæ ſæpe transferuntur, radices non mittunt. Paulus anathematizat qui aliud euangelium prædicauerit, quàm quod ipſe prædicauit: Dominus IESVS de Ioanne Baptiſta
Matt. 11. 7. dicit: *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* In parabola quoque Euangelij, dum fatuæ virgines irent emere oleum, clauſa eſt ianua. Harum auctoritatum ſenſus hic eſt, ne inſtabiles ſimus, ne fluctuemur, ne omni
Epheſ. 4. 14. vento circumferamur, ne dicamus: *Ecce hic, ecce illic Chriſtus.*

Videte itaque vocationem veſtram, & baſes & plantas
Marc. 13. 21. veſtras ſtatuite ſupra petram, & cum Iob dicite: *In nidulo iſto moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Rogo amicitiam & fraternitatem veſtram, vt parcatis vobiſmetipſis, & pro certo ſciatis, quia vnum ad ſalutem ſufficiens eſt & neceſſarium, Deo ſe committere: Nunquam cum Deo diſputare: Prælato in omnibus obedire: Omnia ſua onera humeris eius imponere; & ſufficientem in Dei iudicio contra omnes aduerſarij allegationes tam veras quàm falſas, illum conſtituere: In ſimplicitate, non in ſubtilitate Deum quærere. Valete.

---

Epist. 30.

## EPISTOLA G.

Conſiliis prudentum eſt acquieſcendum.

DILECTO *in Domino Fratri Vv. frater G. de ſancto V. ſpiritum conſilij & pacis.*

Iuxta conſequentiam eorum quæ nobis intimata ſunt ab his qui pro te & de te loquuti ſunt, miramur quòd conſilium quæris & reſpuis, cùm plurium & magnorum audis conſilia. Inde vides exempla ad perſeuerandum in Ciſtercienſi Ordine monentia, multorum millium martyrum ſudore & ſanguine conſecrato. Et de conſcientia tua opponis, quaſi eſſe poſſit conſcientia ſine ſcientia, vel ſcientia ſine
Eccli. 32. 24. conſilio, immò veritatis negligens dicentis: *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.* Sanè vt ſano acquieſcas conſilio, propriam neceſſe eſt primò humiliter inſipientiam recognoſcas, iuxta Spiritus ſancti conſilium per Apo-

ſtolum loquentis: *Si quis vult ſapiens eſſe ſtultus fiat, vt ſit ſapiens*: ideſt ſuam humiliter, vt diximus, ſtultitiam recognoſcat, vt initiari valeat ad ſapientiam: alioquin de peſſima ſuperbiæ filia præſumptione, quâ diſcretione naſcitur, quòd contra ſapientum conſilia iudicare præſumis de votorum mutatione, diſpenſatione, vel diſpenſationis recompenſatione? Superbam igitur caueas præſumptionem, ne incurras illam maledictionem: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobis ipſis prudentes.* 1.Cor.3.18 Iſai.5.21.

---

# EPISTOLA

Epist. 31.

## *Reginæ Angliæ Domino Alexandro Papæ.*

REVERENDO *Patri ac Domino ſuo* ALEXANDRO *Dei gratia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici* ALIENOR *humilis Regina Angliæ, debitum cum omni deuotione famulatum.*

Alienor Henri II. vxor gratias agit de literis à sũmo Põt. miſſis. Logatque pro Abbate S. Maxentij.

Super hac tanta Sereniſſimi Patris mei dignitate humilis filiæ deuotio exultare, Deúmque laudare non deſinit, & filialis ac veræ dilectionis furor exuberans paternam ſæpe numero prorumpit in laudem. Non poteſt extingui tantorum æſtuans cumulis gaudiorum, & iuſtiſſimi fauoris gratia intempeſtiuo neſcit interire ſilentio: vnde quoties me præſente fit ſermo de partibus, ego pro parte veſtra confidenter defendens inimicæ auſus poteſtatis impugnare, imo meis rationibus expugnare non vereor. Ante vtique iuſtiſſimè lætabar, & veſtros meritò amplectebar ſucceſſus, ſed illa ſcripturæ & ſalutationis veſtræ, plurimæ etiam commendationis atque in finem veriſſimæ promiſſionis glorioſa dignatio paruitatis meæ omnem ſufficit impetrare fauorem. Neſcio quam hauſi ſpiritualem & intimæ ſuauitatis dulcedinem, ac ſingula verba tanquam ſingula diuinæ benedictionis munera lætiſſimè ſimul deuotiſſiméque ſuſcepi. Prætereà filij veſtri, & domini mei Cardinales, *Henricus* Piſanus, & Magiſter *Guillermus*, Dei, noſtríque gratiâ, multùm honorificentiæ & beneuolentiæ mihi exhibuerunt.

Gratulor itaque tales à latere veſtro delegatos fuiſſe, qui & noſtrę electionis cenſurâ, & omnimodâ ſubditorum reuerentiâ digniſſimi æſtimantur. Sed quia non illis meus, ſed illorum mihi neceſſarius eſt & ſalutaris interuentus, jam pro P. conſanguineo meo, Abbate ſancti Maxentij, ſublimitati veſtræ ſupplicans, & ad ſcabellum pedum veſtrorum humillimè proſtrata, poſtulationem continuo; vt cariſſimo meo ordinis ſui vſum, & liberam miniſtrandi poteſtatem miſeratio veſtra piè reſtituat, aduentum veſtrum ad partes noſtras in Dei noſtríque beneplacito deſiderans deſiderarē; ſed & abſenti & præſenti paratiſſima ſiue omnem exhibere humilis & fidelis miniſtrę deuotionem. Vniuerſis eccleſię filijs Patrem ſuum diuina miſeratio conſeruet incolumem.

---

Epist. 52.

## EPISTOLA II. EIVSDEM.

### *Domino Iacinto Cardinali.*

Orat vt Abbati S. Maxentij faueat.

DOMINO *& dilecto ſuo* IACINTO *Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diacono Cardinali*, ALIENOR *Regina Angliæ, Salutem & debitum dilectionis officium.*

Non eſt enim aut nouus aut dubius veſtrę fauor excellentiæ, ſi ſemper habitus ſemper exhibitus, nec remitti nouit nec intermitti. Gaudeo in tanta perſona, tantum me habere & habuiſſe amicum. Cuius ſolius auctoritate & diligentia mea quælibet & quantalibet negotia ſuo valeant lætari peruentu. Teſtantur enim litteræ veſtræ, & litteris veſtris mea teſtatur conſcientia vos ex propoſito ad honorem meum & meam plurimùm intendere magnificentiam. Ego quod ſum, quod poſſum, totam mentem meam, omnes facultates meas vobis deuotè, fideliterque expono. Spero autem & plurimùm deſidero veſtrum in partes iſtas aduentum, quem ſi Deus meus præſtiterit, vobis ſeruiendi, & affectus mei ſinceritatem exequendi, copiam habebo pleniorem. Interim ſi quæ in his locis ſunt, aut reperiri poſſunt, quæ veſtræ placeant maieſtati; agnita veſtra ſuper his voluntate tam læta de mandato, quàm deuota in obſequio, ea vobis mittere

non differam. Præterea fratri cariſſimo, conſanguineo meo P. Sancti Maxentij Abbati, precor & ſupplico, vt pro mea in vobis confidentia, pro veſtra etiam erga me beneuolentia, ordinis ſui vſum, & liberam miniſtrandi poteſtatem ei à Domino Papa veſtra impetret dignatio. Valeat Caritas veſtra in Chriſto.

---

# EPISTOLA

EPIST. 33.

## *Philippi Abbatis de Eleemoſyna, Alexandro Papæ nouiter facto.*

AMANTISSIMO *in Chriſto Patri & Domino Alexandro Dei gratia ſummo Pontifici, & vniuerſali Papæ,* *Frater* PHILIPPVS *de Eleemoſyna, modicum id quod eſt.*

Gratulatur Alexandro quòd ad ſummam dignitatem fuerit euectus; atque vt eius partes alliceret Reges Franc. & Ang. conuenerit.

Suſceptis veſtræ dignationis apicibus reſpirauit in gaudio cor meum, & tanquam corona ſpei quæ ornata eſt gloria, refloruit in ſpiritu meo iucunda ſerenitas, & cathedratum veſtrum vlnis veræ dilectionis amplectens, ſupplicationem pro vobis exhibui deuotam bonorum omnium Largitori, ſonuítque in commune actio, & vox laudis, & de veſtra promotione carmen referimus Deo noſtro, væ denunciamus homini per quem ſcandalum venit. Confidimus in miſericordia Conditoris quia impetus partis ad nihilum deueniet, tanquam aqua decurrens, & ſicut cera quæ fluit auferentur tranſgreſſores, quia cecidit ſuper eos ignis abominationis; & non videbunt ſolem iuſtitiæ Chriſtum, qui ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam. De reliquo, Beatiſſime Pater, celſitudini veſtræ ſignifico, quia nunc mandatum veſtrum deuotione quâ debui, ſollicitudine quâ oportuit & commendatione, litteras veſtras Domino HENRICO Anglorum Regi cum reuerentia præſentaui, quas ipſe benignè ſuſcipiens habitâ cum ſuis & vobiſcum deliberatione, vos in Patrem ſpiritualem ſummúmque Pontificem cum omni alacritate ſuſceptum, obſequium & obedientiam ſuam per nos humiliter repræſentat. Miſſurus enim ad vos eſt in breui nuncios ſuos. Hic paruitati noſtræ contulit in mandatis, vt opus

ſuum deuotæ ſedulitatis miniſterio prænenirem, vt quod poſtmodum facturus eſt, ad vos ſecretiùs & celeriùs perueniret. Literas autem generales quas Prælatis Angliæ vniuerſaliter deſtinatis, per fidelem virum, cum venerabilibus Epiſcopis GILLEBERTO Herefordenſi, & HILARIO Ciceſtrenſi, ſtudui delegare, qui perſonam veſtram, & opus veſtrum, quod aſſeritur, ſiue quantum intelligimus, fouent & diligunt, & ſtudebunt negotium veſtrum fideliter promouere.

Continuato labore acceſſi ad deuotum filium ſanctę Romanæ Eccleſiæ Dominum Regem Francorum, cuius, ſicut Catholicum Principem decet, fidelis affectus, & prompta deuotio, perſonam veſtram, & opus veſtrum certa dilectione proſequitur, & ſui ſententiam jam operis exhibitione firmaſſet, niſi grauia eum impedimenta & cauſæ multiplices perturbaſſent. Dirigitur vobis noſtro miniſterio & ſuo ſpiritu dictata ſalutatio, ſed ſignaculo prouidentiæ conſcientiæ ſuæ liber tegitur, inuolutus donec oportunum tempus occurrat, quo vobis tanquam Patri, & ſincerè dilecto, immò & diligenter electo, & commodè vobis conuenientes vterque vtiliter obedientiam ſuam & ſeruitium ſuum debita caritate cum triumpho iucunditatis exhibeat. Sed hoc ipſum per Dei miſericordiam in ianuis eſt, quia inter ipſum & Regem Angliæ de reformatione pacis agitur, & in breui credimus terminari; quod inter manus virorum fidelium pro communi regnorum concordia deuotè & fideliter agitatur.

Factum eſt quod iuſſiſtis, quod ad me pertinuit ſollicitus fui, & opus meum vobis certa & fideli narratione tranſmitto, & de ſtatu & continentia veſtra & ſanctæ matris noſtræ Romanæ eccleſiæ recurrente dignationis pagina certificare deſidero. Confidimus autem de diuinę pietatis adiutorio, quia conteret Dominus ſathanam ſub pedibus veſtris velociter; & educet ad victoriam iudicium certum: & in iudicium juſtitia conuertetur: vt iuxta illam ſint omnes qui recto ſunt corde. Scitote prætereà quòd Archiepiſcopi & Epiſcopi omnes, & eccleſiæ Rectores in electione veſtra vnanimiter conſentiunt.

## *Epiſtola* LAVRENTII *Abbatis Vveſtmonaſterij ad* ALIENOREM *Reginam Anglorum.* EPIST. 34.

AMANTISSIMÆ *Dominæ* ALIENORI *Dei gratiâ Anglorum Reginæ & ſemper Auguſtæ, Laurentius ſuus dilectus Abbas Vveſtmonaſterij modicum munus ſeipſum.*

*Precatur vt Monacho Malmeſburienſis Monaſterij inſolentiam compeſcat.*

Virtus Principum in nullo clariùs eluceſcit, quàm ſi populis pacem, Eccleſijs libertatem, Monaſterijs ordinem firmare ſtudeant, & vitijs infligant diſciplinam: Circa quæ, Dulciſſima Domina, idcircò ſolertior eſſe debet vigilantia veſtra, vt ſi quid propter abſentiam ſereniſſimi Domini mei Regis defuerit; induſtria prudentię pariter & prouidentiæ veſtræ ſuppleat;* Debeo quidem in eccleſia Malmeſburienſi mox contigiſſe diſpendium, & honeſtatis iacturam: Iam enim ſecundò vel tertiò inſurrexit filius in patrem, ouis in paſtorem; adeò vt Monachi ordinis ſimiliter & honoris obliti, & fræna ruperint obedientiæ, & Abbati ſuo debitum ius ſubtraxerint reuerentiæ. Nuper eò miſſi à Domino Archiepiſcopo, Abbas ſancti Albani & ego, quàm dilapidatum inuenerimus ordinem in prouincia veſtra cùm placuerit monſtrabimus. Iuxta Apoſtolum arguimus, increpauimus, obſecrauimus, oportunè importunè, donec ſpem aliquam pacis concepimus, ſed *fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo.*

*f. * video.*

Emendationem námque promiſerunt, ſatisfactionem obtulerunt & quantum æſtimare licuit cum omni humilitate ſeſe ad pedes Abbatis ſui proiecerunt, ſed facta ſunt nouiſſima eorum peiora prioribus. *Expectauimus* ergo *pacem & non venit. Quæſiuimus bona, & ecce turbatio.* Expectauimus quidem vinea illa faceret vuas, & fecit labruſcas; quoniam terra maledicta, quam tamen ille pius pater & manſuetus Abbas cum omni diligentia excoluerat, non dedit fructus ſuos, ſed potiùs ſpinas & tribulos germinauit ei. Innotuit nobis, Pia Domina, pleniùs rei veritas per Abbatem ipſum, quem nuper præſentem vidiſtis, innoteſcat & nobis ſi placet zelus correctionis veſtræ, & cenſura regię poteſtatis, quandoquidem & virtutibus reuerentiam, & flagitijs diſtrictio-

*Hierem. 14. 19.*

nem conſueuit irrogare. Et quoniam huiuſmodi malitia per momenta temporum ſolet incrementum ſuſcipere, zizania iſtud dum in herba eſt, antequam ad meſſem concreſcat, eradicare curate:

*Serò* enim *medicina paratur,*
*Dum mala per longas conualuere moras.*

---

Epist. 35.

# EPISTOLA

## *Leonis Papæ Noni ad Francos.*

Galliæ Epiſcopos admonet vt feſtum S. Remigij Remenſ. celebrent.

LEO *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Fratribus & filijs Catholicis per vniuerſum Regnum Francorum conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Compertum Caritati veſtrę credimus, quòd poſt conſecrationem noſtram, illam videlicet quâ benignitas Dei humilitatem noſtram ſanctæ Romanæ Eccleſiæ præeſſe voluit, Germaniam, Galliámque viſitauimus, ac Remorum vrbem adeuntes maximo voto & ſumma deuotione Eccleſiam Beati Remigij (vt longè ante deſiderauimus) Deo annuente; & eiuſdem ſanctiſſimi Viri patrocinantibus meritis, cum magna gloria dedicauimus; atque poſt conſecrationem Eccleſiæ in eadem ſynodum celebrantes, plurima ad vtilitatem Chriſtianę religionis neceſſaria conſilio Coëpiſcoporum noſtrorum, aſſenſu etiam & laude Cleri & populi, quorum innumera multitudo ad tantę deuotionis celebritatem confluxerat, ſtatuendo confirmauimus. Quæ omnia capitulis digeſta, inter canones haberi præcepimus, & poſteà in omnibus ſynodis, quę habuimus, idipſum confirmare curauimus. Et quoniam Beatiſſimum Remigium gentis Francorum prædicatorem & Apoſtolum ſcimus, venerari & honorare illum, quem Dominus in terris & in cœlo mirificauit, prout poſſumus debemus, pręſertim cùm ſemper in noſtro pectore inde ipſius amor feruentiùs ardeſcit, quòd pretioſiſſimum corpus ipſius ſanctiſſimi viri proprijs manibus transferentes, in locum ſibi pręparatum, miráque pulchritudine exquiſiti operis decoratum repoſuimus; vnde veſtram admonere

monere volumus dilectionem, vt ſicut nos in eius obſequijs perpendiris gratulari, ita & vos cauſa noſtri amoris, maximéque ex debito paterni honoris, ſolemnitatem eius, quæ eſt Kalendis Octobris celebrem habeatis: quia etſi alijs non eſt Apoſtolus, tamen vobis eſt. Nam primitiæ Apoſtolatus eius vos eſtis in Domino. Hunc itaque honorem Patri & Apoſtolo veſtro exhibete, vt iuxta promiſſum Domini, longæui ſuper terram viuere, & eiuſdem Patris precibus ęternę beatitudinis fœlicitatem mereamini poſſidere. Valete.

---

## EPISTOLA

EPIST. 56.

### *Henrici II. Anglorum Regis ad Innocentium Papam II.*

INNOCENTIO *Dei gratiâ ſummo Pontifici, Patri ſuo venerando* HENRICVS, *eadem gratia Rex Angliæ, & Dux Normaniæ, Salutem & debitam obedientiam.*

Conqueritur de Hugone Archiepiſ. quòd obedientiam ab Abbatibus exigat.

Conqueror apud paternitatem veſtram de HVGONE Archiepiſcopo Rothomagenſi, qui perſonam meam conturbauit, & ducatum meum Normanniæ grauauit, & contra me, & dignitates, & ſtatum Ducatus mei à patre meo, & ab omnibus anteceſſoribus meis, & à me ipſo vſque ad nouiſſimum diſceſſum veſtrum de Normannia in pace habitos, & tempore Beatiſſimorum Romanorum Pontificum anteceſſorum veſtrorum, & ſanctorum Rothomagenſium Archiepiſcoporum prædeceſſorum eius, inconcuſsè, illibatéque poſſeſſos, vehementer & irreuerenter egit. In benedictionibus ſcilicet & extortis profeſſionum ſcriptis, extra Ducatum meum, & prouinciam ſuam, ab Abbatibus meis Normanniæ, me inconſulto, vobis in Concilio querimonijs inde propoſitis, cùm eos in pace dimiſerim quando nouiſſimè in Regnum meum transfretaui, & ipſum Archiepiſcopum amicabiliter ad vos deſtinaui.

Attentiùs itaque ſuppliciter rogo paternitatem veſtram, vt his & cæteris quæ contra honorem, & conſuetudines, & dignitates regni mei, & ducatus mei ſpectare videritis, eo modo manum correctionis imponatis, tam de his qui fece-

runt, quàm de his à quibus exigitur vt faciant; ne, quod abſit, inſolitis nouitatibus, & conſimilibus grauaminibus me ab amore, & fidelitate, & ſeruitio veſtroveſtrorúmque diſcedere cogatis, quoniam ſine honore olim habito & debito terram tenere non poſſem, nec vllo modo à Baronibus & hominibus meis, ſine quorum conſilio & auxilio eſſe non poſſum, in huiuſmodi vilitate & ignominia terram tenere ampliùs permittar, qui inde vehementer & frequenter improperant mihi & inſultant, tanquam qui honorem priſtinum, & Regni mei iura tam integrè ſemper hactenus conſeruata, meo tempore tam negligenter & nimis remiſsè mihi ſurripi ſuſtineam: nec vllo modo ampliùs adquieſcent Barones terræ, me, & ipſum Archiepiſcopum, in eadem terra cum pace vel amore remanere, niſi vos, & ipſe, hæc & huiuſmodi ſtudueritis emendare. Quoniam ſi ipſe Archiepiſcopus in præſentia veſtra dum Rothomagi fuimus ſuper hac re verbum feciſſet, ego in omnibus quæ Deum velle, & contra honorem meum non eſſe cognoſcerem, adquieuiſſem. Qui itaque in his quæ ad Deum ſunt, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & veſtræ perſonæ dignitatem, ſemper obedire paratus ſum & fui, poſtulo mihi à vobis honorem debitum, & habitum hactenus integrè conſeruari, ac de his de quibus prætaxatum eſt reueſtiri. Conſeruet autem Deus Apoſtolatum veſtrum ad honorem ſuum & pacem Eccleſiæ ſuæ.

---

Epist. 37.

## EPISTOLA

### *Innocentij Papæ II. ad Hugonem Archiepiſcopum Rothomagenſem.*

Vt nonnihil iuris Eccleſiaſtici Regi deferat exhortatur.

INNOCENTIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimo Fratri* HVGONI *Rothomagenſi Archiepiſcopo Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Quemadmodum ſit concedendum Regibus, & terrarum Principibus, quorum poteſtate ac iuſtitia Dei Eccleſia & Chriſtianus Populus proteguntur, prout credimus, tua Fra-

ternitas non ignorat. Cæterùm Cariſſimus filius noſter Rex Anglorum HENRICVS, prout accepimus, eſt aduerſum te grauiter indignatus, quòd contra conſuetudinem ſuam, & aliorum Ducum Normanniæ, à quibuſdam Abbatibus profeſſionem & obedientiam ſuſcepiſti. Quod profectò quamuis iuſtum fuerit, & nobis in Concilio Rhemenſi mandatum: pro eius Caritate à rigore iuſtitiæ aliquando condeſcendere debemus, & pro tempore ipſius voluntati aſſenſum præbere. Credimus enim, ſicut noſtris auribus intimatum eſt, & nos ei per ſcripta noſtra mandauimus, quoniam ſi ei detuleris, quod ad honorem & ius Rothomagenſis Eccleſiæ pertinet, cum plenitudine gratię ſuę impoſterum obtinebis. Vnde fraternitatem tuam rogamus atque mandamus, quatenus de Abbatibus illis eius voluntati conſentias, & ſi quem de Abbatibus ligaſti, abſoluas.

---

# EPISTOLA

EPIST. 38.

## *Gualteri de Mauritania Epiſcopi Laudunenſis.*

## EPISTOLA I.

MAGISTRO GVILLELMO *Monacho* GVALTERVS DE MAVRITANIA *ſalutem.*

Effectus Baptiſmi non pendet ab inæqualitate meritorum Miniſtri.

Dixiſtis quòd non credatis firmiter peccatorum remiſſionem conferri paruulis ante tempus diſcretionis ab hæretico Chriſti baptiſmo baptizatis. Indubitanter verò credendum eſt Chriſtum æqualiter in diſpenſatione ſuorum Sacramentorum per quoſcumque miniſtros operari. Quis enim dubitet hæreticum, qui per ignorantiam ab Eccleſiâ ordinatur, & Catholicum ſe eſſe ſimulat, in adminiſtratione ſacramentorum æqualem Catholicis habere poteſtatem; cùm ipſa veritas dicat: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite.* *Matt. 23. 2.* Quo'd non dixiſſet Dominus, niſi Phariſæi, quamuis Chriſtum perſequentes, veritati non crederent, tamen eamdem quam & Moyſes haberent in ſacramentis poteſtatem. Iudas

quoque fur & proditor inter Apoſtolos poteſtatem dæmones expellendi, & morbos curandi, & poſteà ligandi & ſoluendi recepit à Domino. Nec legimus eum hanc amiſiſſe quamdiu fuit cum Domino, quamuis Dominum prodere moliretur. Caïphas quoque nequam Pontifex cùm tractaret de morte Domini ex officio Pontificatus prophetauit. Sic igitur cùm occultus hæreticus in Eccleſiâ ordinatur, & iuxta poteſtatem quam in ordinatione ſuſcepit, & iuxta inſtitutionem Eccleſiæ diuina celebrat ſacramenta, quis audeat affirmare ſacramenta ab hæretico celebrata eſſe minus ſancta & efficacia, quàm ea quæ fuerunt ab Apoſtolo Petro celebrata? Alioquin veram non haberent Scribæ & Phariſæi æqualem Moyſi poteſtatem.

Præterea hoc attendite in ſacramentis Eccleſiaſticis qualeſcumque ſint miniſtri, ſolus Deus inuiſibile donum gratiæ ſpiritualiter operatur, non illi per quos ſacramenta diſpenſantur. Quod Dominus in libro Numeri declarauit de Aa- 6. 27. ron & filijs eius, ſic dicens: *Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* Sacramenta quoque ſolius Dei ſunt, non eorum per quos diſpenſantur. Quis enim homo ſanæ mentis audeat dicere: Hic Baptiſmus meus; Hæc Confirmatio mea? Cùm ergo ſacramenta ſolius Dei ſint, & talia qualis eſt ille cuius ſunt, non quales illi per quos adminiſtrantur: manifeſtum eſt Deum, qui totius generis auctor eſt & largitor, eamdem ſanctitatem & efficaciam ſuis conferre ſacramentis, & per ea æqualem præſtare gratiam baptizatis paruulis per quoſcumque miniſtros. Abſurdum eſt enim dicere, quòd Chriſtus remiſſionem præſtet paruulo per Petrum baptizato, & non ei quem ipſe Chriſtus baptiſmo ſuo baptizat per miniſterium hæretici, vel etiam ipſius Iudæ proditoris. Iam enim videtur miniſtri fides Chriſto ſuffragari, ſine qua nil conferre poſſunt paruulis. Etiam indubitanter prodeſſet vel noceret baptizatis baptiſmo Chriſti diuerſitas baptiſtarum, ita vt meliùs eſſent baptizati per baptiſtam fidelem, & peiùs per infidelem, etiam illi qui eſſent à fidelibus baptizati non irrationabiliter præſumendo de fide & ſanctitate ſuorum baptiſta- 1. Cor. 1. 12. rum, dicere poſſent: *Ego ſum Apollo, ego Cephæ.* Sed de tali

præſumptione Corinthios reprehendit Apoſtolus.

Fateamur igitur æqualiter inundari paruulos Chriſti baptiſmo, per quoſcumque miniſtros baptizatos. Ait enim Auguſtinus: Quos baptizauit Iudas, Chriſtus baptizauit. Non timeo adulterum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic eſt qui baptizat*, Nicolaus quoque ad conſulta Bulgarorum ſic dicit: A quonam neſcitis, vtrum Chriſtiano an Pagano multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid inde agendum ſit conſulitis. Hi profectò ſi in nomine ſanctæ Trinitatis baptizati ſint. Vnum quippe & idem eſt, ſicut exponit Ambroſius.

Prætereà quod per quemque baptiſtam baptiſmo Chriſti baptizantem conferat dona ſuæ gratiæ Spiritus ſanctus, niſi infidelitas, vel alia baptizati peruerſitas impediat, teſtatur Iſidorus dicens: Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam baptiſmi, licet paganus ſit qui baptizat. Nec vos moueat quòd Simoni Mago à Philippo baptizato nil profuit baptiſmus Chriſti, & Paulo ab Anania baptizato profuit. Nec ideo dicatis Deum inæqualiter per diuerſos miniſtros in ſacramentis ſuis operari. Non enim ideo dicimus Deum in baptiſmo ſuo per quoſcumque miniſtros celebrato æqualiter operari, quòd omnes baptizati veniam peccatorum inde conſequantur, ſed quia in ſimilibus perſonis baptizatis per quoſlibet miniſtros æqualiter operatur Spiritus ſanctus. Iuſtis ſcilicet qui baptizantur gratiam conferendo tam per malos quàm per bonos; iniuſtis autem omnibus gratiam ſubtrahendo tam his qui à Catholicis ſacerdotibus, quàm eis qui ab hæreticis baptizantur. Inueniuntur tamen nonnullæ auctoritates Romanorum Pontificum, qui videntur aſſerere quòd baptiſmus Chriſti per hæreticos conſecutus nihil conferat baptizatis. Quibus superſedendum iudicaui, cùm prædictæ auctoritates magis conſentiant rationis. Vale.

Epist. 39.

# EPISTOLA II.

## *Gualteri Epiſcopi Laudunenſis.*

Agit de Incarnationis myſterio.

GALTERVS *omnibus in fide Catholica ſanam intelligentiam.*

Quia frequenter ſolet contingere quando aliqua feſtinanter proferuntur, & curſim, vt aliter prolator & aliter auditor intelligat. Idcircò mihi placuit explicare quædam verba ad vnionem Diuinæ & humanæ naturę pertinentia. Comperi enim quoſdam quaſi de verbis illis malè ſentiant latenter ſuſurrare. Sunt autem hæc verba: ASSVMPTVS HOMO EST DEVS, & ſimilia. Pauca ergo de myſterio Incarnationis ad quod hæc verba pertinent præmittamus.

Cùm genus humanum in vtraque natura ſua, id eſt corpore & animo, corruptionem & originalis peccati maculam contraxiſſet, Vnigenitus Dei Filius, coæternus & æqualis Patri per omnia, & cum Patre idem Deus, & humani generis maculam mundaret, aſſumpſit in vtero Virginis totum hominem, id eſt corpus & animam, vt per naturam noſtram quam aſſumpſit nos redimeret. Aſſumptio autem illa facta eſt tam miro & ineffabili modo, vt Creator, id eſt, Dei Verbum, & creatura, id eſt aſſumpta humanitas, in eandem vnirentur perſonam, ita tamen quòd aſſumens natura, id eſt, Verbum, non eſt aſſumpta humanitas, nec in ipſa aliquatenus immutata, nec vllo modo imminuta. Similiter aſſumpta humanitas non eſt aſſumens Diuinitas, nec in eam eſt conuerſa, ſed vtraque in integritate ſuę proprietatis ſine omni verſibilitate perſeuerant: quamuis vna non ſit altera; tamen ſicut anima & corpus ſunt vna pars hominis & vnus homo, ita Diuinitas & humanitas ſunt vna pars & vnus Chriſtus, id eſt Verbum humanatum. Vnde Auguſtinus: Vna pars eſt Deus & homo, & vterque eſt vnus Chriſtus IESVS; vbique eſt per id quod Deus eſt; in cœlo tamen per id quod homo eſt. Hæc autem perſona eſt in ſancta Trinitate, & idem Deus cum Patre. Iuxta illud: *Vita æterna eſt, cognoſce-*

*Ioan.* 17. 3.

*re te vnum Deum, & quem miſiſti* IESVM *Chriſtum.* Eſt etiam verus homo propter aſſumptam humanitatem, iuxta illud: *Verbum caro factum eſt.* Hîc enim caro pro homine accipitur: *Ioan.* 1. 14.
nam ipſe Dei Filius à Patre genitus ab æterno, in tempore natus eſt ex Virgine, in ea carnem aſſumendo, quod declarauit Angelus ſic dicens ad Mariam: *Quod ex te naſcetur ſan-* *Luc.* 1. 35.
*ctum vocabitur Filius Dei.* Quem ſecutus Origenes ait: *Patris* vnigenitus Filius ex Virgine generatus eſt. Auguſtinus: Ingreſſus eſt vterum virginis Dei Filius, vt iterum naſceretur. Suſcepit totum hominem qui à Patre habebat pleniſſimam Deitatem. Ex his patet quia eadem perſona, id eſt, verbum humanatum, Deus eſt verus, & homo verus, & Dei Filius, & hominis Filius. Et quamuis in hac vna & eadem perſona aliud ſit aſſumens Verbum, & aliud aſſumptus homo, id eſt, corpus & anima, tamen non eſt alia perſona Verbum, & alia perſona humanitas: nec alius verbum per aſſumptionem carnis ex Maria generatum, & alius homo quem aſſumpſit, nec alius Filius Dei, & alius Filius hominis; ſiue per Filium hominis intelligamus Verbum ex MARIA generatum, ſiue hominem aſſumptum. Velut in alio homine non eſt alia perſona corpus, & alia anima; nec alius homo corpus, & alius anima; ſed ſicut corpus & anima ſunt eadem perſona & idem homo, & idem Filius. Vnde Auguſtinus: Sicut non alius homo corpus & alius animus, ſic poſt partum virginis non alius Dei Filius & alius hominis, ſed idem Chriſtus Dei Filius & hominis; ſed ſicut in vno homine aliud animus, ſic in vno mediatore aliud Dei, & aliud hominis Filius; ſed idem tamen, & non aliud Dei quàm hominis Filius.

His pręmiſſis ſignificationes nominum ad Incarnationem pertinentium breuiter exponamus. Chriſtus nomen Verbi ex temporali aſſumptione hominis: Chriſtus enim græcè, Meſſias hebraïcè, vnctus latinè interpretatur; Filio autem Dei nullius gratiæ vnctio conuenit ab æterno, ſed propter aſſumptum hominem in tempore in quo plenitudo gratię redundauit. Chriſtus, id eſt vnctus, dicitur. Vnde Auguſtinus: Quid eſt homo? anima habens corpus. Quid eſt Chriſtus? Verbum habens hominem. Et quamuis Verbum Chriſtus,

id eſt vnctus, appelletur, tamen nihil accreuit ei, nec aliqua gratia collata fuit ei, ſed tantummodò homini quem aſſumpſit. Et quamuis propter incarnationem ex tempore Chriſtus appelletur, tamen hoc nomine ſignificare poſſumus Dei verbum, quando etiam de æternitate eius loquimur, hoc modo. *Chriſtus fuit ſemper & eſt æternus*: nec per hoc affirmamus Filium Dei ſemper fuiſſe hominem, ſed eum, qui homo eſt factus ex tempore, affirmamus ſemper fuiſſe.

Sola humanitas aliquando appellatur Filius hominis iuxta illa præmiſſa verba Auguſtini. Aliud eſt Dei Filius, & aliud hominis Filius. Aliquando verò Verbum appellatur Filius
*Ioan.3.13.* hominis, ideò quia carnem aſſumpſit in Virgine. Quod ipſa Veritas inſinuat dicens: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit Filius hominis qui eſt in cælo*, Hîc enim per Filium hominis Verbum humanatum, id eſt Dei Filius, debemus accipere, qui vbique præſens erat, non corpus & animam, id eſt aſſumptum hominem, qui nondum in cœlum aſcenderat, nec aſſumpta caro vbique præſens erat: quia loca permutando de loco ad locum receſſerat. Quod monſtrat Do-
*Ioan.11.15* minus ita loquens ad Apoſtolos: *Gaudeo propter vos quia ibi non eram.* Et hoc idem monſtrat Angelus mulieribus ita di-
*Marc.16.6.* cens: IESVM *quæritis crucifixum; ſurrexit non eſt hic.* Vnde Gregorius. Non eſt hîc per præſentiam carnis, qui tamen nuſquam deerat per præſentiam maieſtatis. Homo aliquando ſolam humanitatem nominat iuxta hæc verba Leonis.
*Pſal.86.5* Verus homo vbi vnitus eſt Deo aliquando eſt nomen Verbi incarnati, non ſolius humanitatis, iuxta illud: *Homo natus eſt in eà: & ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Hîc enim per hominem intelligitur Dei Filius ex tempore humanatus, cuius altitudo præcellit omnia, & eſt creator & fundator Eccleſię. Iuxta quam ſignificationem ait Leo: Dicimus Chriſtum Dei Filium natum de Deo Patre ſine initio temporis; eundémque hominem verum natum de Matre homine in plenitudine temporis.

Iam nunc reſtat inquirere quid in perſona Chriſti aſſumptus homo ſignificet. Cùm igitur in perſona Chriſti duæ ſint naturæ, ſcilicet Diuina aſſumens, & humana aſſumpta, Diuina

uina aſſumptus homo vocari non poteſt: ipſa enim non eſt aſſumpta, ſed aſſumpſit hominem. Similiter perſona Chriſti, in quâ vnitæ Diuina natura & humana, aſſumptus homo vocari non poteſt. Non enim perſona Chriſti aſſumpta, ſed in ea humanitas ſola aſſumpta eſt. Liquet igitur cur humanitas ſola, id eſt anima & corpus, quæ à Verbo aſſumpta ſunt, aſſumptus homo appellatur. De hoc autem homine aſſumpto quidam imperiti, vt non dicam inſenſati, audent dicere, quòd ſit Deo coæternus; quòd anima quæ Verbum aſſumpſit, omnia & ſeipſam creauerit. Nec ſufficit eis hoc verbis affirmare, ſed ad ſeducendam ſimplicitatem minus eruditorum errores ſuos audent ſcripto committere, & peruerſâ expoſitione ſcripturarum, quas non intelligunt, confirmare. Quorum ſtultitia manifeſtis authoritatibus facilè conuincitur. Apoſtolus enim de Chriſto ait: *Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* Non eſt ergo æterna caro quam aſſumpſit Verbum, cùm facta ſit & creata. Vnde Auguſtinus: Non ſuſceptam in Chriſto carnem perpetuitate Diuinæ generationis extrahendo. Et Leo Papa: Non animam quæ antè extitiſſet, nec carnem quæ non materni corporis eſſet, accepit: natura quippe noſtra non ſic aſſumpta eſt, vt priùs creata pòſt aſſumeretur, ſed in ipsâ aſſumptione crearetur. His authoritatibus liquet hominem, quem aſſumpſit Verbum, non eſſe creatorem aut æternum. *Rom. 1. 3.*

Iam nunc ad exponendas propoſitiones, de quibus me malè ſentire quidam æſtimant, veniamus. Hæc propoſitio: *Aſſumptus homo eſt Deus*, iuxta vſum locutionum ſimilium exponi poteſt hoc modo: Homo quem aſſumpſit Verbum, id eſt corpus & animam, eſt Deus, id eſt aſſumens Diuinitas. Et hunc ſenſum quidam imperiti, de quibus ſupra mentionem fecimus, affirmant eſſe verum. Et quia tanto errori eorum contradico contra me murmurant, & de expoſitione prædictæ propoſitionis me malè ſentire dicunt. Nunc autem audiant omnes qui volunt, & reprehendant ſi poſſint. Sæpè dixi & adhuc dico, & liberâ voce pronuncio, falſum eſſe quòd homo aſſumptus ſit Deus in hoc ſenſu, aſſumpta humanitas eſt aſſumens Diuinitas: quamuis enim hæ duę naturæ in eadem perſona ſint vnitæ, tamen ſicut ſupra dictum *Quædam ſibi obiecta diluit.*

eſt, vna non poteſt mutari in alteram, nec vna earum aliquo modo altera poteſt eſſe; vnde Hieronymus ait: Deus eſt Verbum, non caro quam aſſumpſit. Licet autem ſuperiorem ſenſum prædictæ propoſitionis non approbem, tamen propter vnionem aſſumpti hominis & Verbi aſſumentis, non nego quin veraciter exponi queat prædicta propoſitio, ſed aliter quàm ſuperiùs. Si enim Dij appellantur homines ad quos factus eſt ſermo Dei, multò magis dici poteſt aſſumptum hominem eſſe Deum: idcircò quòd illæ duæ naturæ ſint vnitę in vna eadémque perſonâ Chriſti, quæ eſt verus Deus, nec tamen recolo hanc propoſitionem in aliquo authore inueniſſe, ſed multas alias reperi ex quibus conijcitur cur dici poſſit, Aſſumptus homo eſt Deus, etſi nuſquam poſſit inueniri. Dicit enim Auguſtinus: Gloriam ſuam dicit ille Deum quem ſic ſuſcepit Verbum, vt ſimilis cum illo Deus fieret. Et alibi: Quæ bona opera præceſſerunt quibus mereretur iſte homo vna fieri perſona cum Deo? nempe ex quo homo eſſe cœpit, non aliud eſſe cœpit quàm Dei Filius. Ad ſimilitudinem harum locutionum poteſt etiam dici cur aſſumptus eſt homo Deus, nec tamen propter hæc verba vel iſtis ſimilia aliquatenus concedendum eſt, cur humanitas aſſumpta, ſit aſſumens Diuinitas, & cur aſſumptus homo ſit æternus aut creator. Hoc autem ideò de aſſumpto homine toties replico, quia ad noſtras manus venerunt quædam litterę nullius authoritatis nomine prænotatæ, quę affirmant aſſumptum hominem non ſolùm eſſe Deum, ſed inſuper Deo coæternum, & animam quam aſſumpſit Verbum, rerum omnium & ſui ipſius extitiſſe creatricem: quod nemo Catholicus recipere debet, ſed vt rem profanam & hæreſim manifeſtam reſpuere & prorſus abdicare. Valete.

## EPISTOLA III.

Epist. 407

### *Gualteri Epiſcopi Laudunenſis.*

MAGISTRO THEODORICO GVALTERVS *ſalutem.*

Theodorici ſententiam, quòd eſſentia Dei vbique non adſit, explodit.

Peruenit ad nos quod dicere ſoleatis, eſſentiam Dei non vbique adeſſe. Quod de vobis credere non potui, cùm plures auctoritates tam veteris quàm noui Teſtamenti Deum vbique præſentem, & totum eſſe atteſtentur. Quia verò aſſerunt quidam imperiti, quòd Deus vbique tantummodò potentialiter non eſſentialiter, idcircò contra eorum errorem partim rationibus quas inuenire potui de natura Dei incomprehenſibili, partim auctoritatibus confirmare propoſui. Quòd Deus eſſentialiter vbique ſit, in multis locis ſcripturarum inuenitur. Quòd Deus vbique præſens & totus eſt, nec æſtimo eſſe aliquem qui verbis iſtis contradicat. Si autem Deus vbique præſens & totus eſt, tunc non ſolùm potentialiter vbique eſt, ſed etiam eius eſſentia vbique eſt. Non enim verum eſſet Deum præſentem & totum vbique eſſe, quia ſuam potentiam vbique exerceret, niſi etiam eius eſſentia vbique præſens eſſet. Sicut non eſt verum de aliquo Rege potentiſſimo, quòd vbique ſit præſens & totus ſuis in ciuitatibus omnibus, quamuis voluntatem ſuam per totum Regnum ſuum potenter exerceat. Conſtat ergo quòd eſſentia Dei vbique eſt, cùm ipſe Deus vbique præſens & totus ſit. Si verò eſſentia Dei vbique eſt, tunc Deus eſſentialiter vbique eſt.

Prætereà quicumque negant in multis & diuerſis locis eſſe diuinam eſſentiam, hæc attendant. In vtero Virginis conceptus eſt Dei filius, qui cum Patre idem eſt Deus, ibique humanitati quam aſſumpſit vnita eſt diuina eſſentia, quod nemo ſanæ mentis denegabit. Conſtat itaque quòd tunc in terra fuit Deus eſſentialiter, nec tamen à cœlo receſſerat Deus. Quod Romana ſynodus confirmat his verbis: Si quis dixerit quia in carne degens Dei filius, cùm eſſet

in terra, in cœlo autem cum Patre non fuit, anathema ſit. Sicut autem in cœlo eſſentialiter erat Dei Filius quando præſentiâ corporis aſſumpti & diuinitatis in terra fuit, ſic quoque in terra eſt præſentiâ diuinitatis, cùm in cœlo ſit ad dexteram Patris præſentiâ corporis & diuinitatis. Quod ipſe in cœlum coram Apoſtolis aſcenſurus declarauit dicens:
*Matt.* 28. 20. *Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Quæ verba exponit Gregorius ſic: Verbum incarnatum manet & recedit; recedit corpore, manet diuinitate. De ipſo quoque Dei Filio dicit Origenes: Verbum Dei vnigenitus vbique totus eſt & in cœlo & in terra, & apud Patrem & in Virgine; & non diuiditur neque in partes efficitur, ſed totum totus tenet, totum implet. Cùm autem conſtet Dei filium qui eſt Deus, & vt dicam expreſſiùs, qui eſt ipſa diuina eſſentia, in cœlo & in terra eſſentialiter fuiſſe, vel eſſe in præſenti, quæ ratio eſt cur magis in illis mundi partibus eſſe concedatur, quàm in aëre, & in mari? Vbicumque autem eſt Dei filius; neceſſariò eſt Pater & Spiritus ſanctus; cùm ſancta Trinitas tota ſit inſeparabilis.

Nec ſolum apparet ex præcedentibus vbique eſſe diuinam eſſentiam, ſed etiam ex ſacris ſcripturis. Ipſe quippe
*Iere.* 23. 24. Deus per os Prophetæ ſic loquitur: *Cœlum & terram ego impleo*: & Dauid: *Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero*
*Pſal.* 138. 8. *in infernum, ades.* Et Paulus in Actibus Apoſtolorum: *In quo viuimus, mouemur, & ſumus.* & Leo Papa: Cùm ad conſiderandum Deum aciem mentis intendimus, diſcedat à corde quod ſpatio extenditur, quod fine concluditur, & quicquid nec ſemper nec vbique totum eſt. Auguſtinus: vt eum amitteremus non eius abſentia qui vbique eſt, ſed noſtra fecit auerſio Hieronymus: Nunquid localis eſt Deus? & localis eſt & non localis: localis eſt ad ſe venientibus; & non localis eſt, quia vbique eſt. Caſſiodorus: Adeſt per ineffabilem naturam ſuam vbique totus cuncta penetrans & continens, nec more creaturarum vt alibi ſit & aliunde diſcedat.

Sufficiunt hæc ad confutandum errorem eorum qui diuinam eſſentiam vbique adeſſe negant, ad confirmandam contrariæ ſententiæ veritatem, quam breuiter ſubnotaui. Deus eſt quædam eſſentia incorporea, indiuiſibilis, penitus ſim-

plex; quæ proculdubio eſt in mundo quem creauit, dicente Euangeliſta: *In mundo erat, & mundus eum non cognouit.* Nec aliqua eſt particula mundi, in qua non ſit diuinæ maieſtatis præſentia. Vnde liquet quòd omni creaturæ adeſt Deus eſſentialiter, & in ipſo eſt omnis creatura, dicente Apoſtolo: *Ex quo omnia, & per quem omnia.* Licet autem ſit vbique, id eſt in omni loco, non tamen in loco, ſed ſine loco eſt. Vnde Auguſtinus: Intelligamus Deum quantum poſſumus ſine ſitu præſentem, ſine loco vbique totum. Non igitur eſt localis, ſed incircumſcriptibilis, quia cùm vbique ſit, in nullo loco incluſus continetur. Nec reperitur locus canonicæ ſcripturæ, qui huic veritati contradicat. Si quis vero propter quorumdam locorum immunditiam abhorret credere quòd vbique ſit Deus, ſciat quòd ita præſentialiter omnibus locis adeſt, quòd tamen nullam ex eorum propinquitate contrahit maculam, nec ſuæ gloriæ patitur detrimentum, dicente Auguſtino: Qui cum illo non eſt, de quo dicitur: *Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades?* Cum illo totum eſt, ſed non ſic eſt cum illo, vt aliquam ex his quæ creauit contagionem, aut eorum indigentiam patiatur. De diuina eſſentia quæ vbique eſt, iſta ſufficiant. Illos verò qui de Deo turpiter & irriſoriè loqui ſolent, moneo vt reſipiſcant. Si enim contra mortales dominos proferre turpia non audemus, quantò magis cauendum eſt, ne de Deo turpia, & irriſoria proferamus. Vale.

*Ioan.* 1. 10.

*Rom.* 11. 35

*Pſal.* 138. 8.

---

# EPISTOLA IV.

EPIST. 41.

## *Gualteri Epiſcopi Laudu.*

MAGISTRO ALBERICO GVALTERVS *ſalutem.*

Confutatur Albericus Chriſtum aſſerens morte non timuiſſe nec fuiſſe contriſtatum.

Aſſeritis, vt quidam dicunt, Saluatorem noſtrum nullo modo timuiſſe mortem, nec eſſe contriſtatum imminente ſua paſſione, nec eſſe turbatum. Quia verò in hoc à vobis diſſentio, quid inde credam vobis explanare propoſui; vt ſi à

veritate deuio, à vobis corrigar cum amore. Credo Dominum Chriſtum (qui, vt ait Leo, in ſe ſuſcepit omnia infirmitatis noſtræ, præter peccatum) timuiſſe mortem, & eſſe contriſtatum, & conturbatum. Ipſe enim dicit: *Anima mea turbata eſt, & quid dicam?* In reſurrectione quoque Lazari: *fremuit ſpiritu & turbauit ſemetipſum.* Hieronymus ſic ait: *Cor meum conturbatum eſt*, id eſt ſecundùm hominem, ſed diuina virtute confirmatum & confortatum eſt. Nam & Euangeliſta inquit, *Angelus aſcendens confortabat eum.* Liquet his auctoritatibus Dominum conturbationis moleſtiam ſuſcepiſſe, nec tamen credimus ex ipſa conturbatione eum aliquam peccati maculam contraxiſſe, nec obliuionis defectum incurriſſe. Quòd autem contriſtatus ſit, Matthæus inſinuat, dicens: *Cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe.* Ipſéque ait: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Et beatus Ambroſius de infirmitate Chriſti loquens ait: Triſtitiam prædico, quia crucem prædico. Et Auguſtinus: Triſtitiam ſic aſſumpſit, quomodo carnem. Si enim non fuit triſtis cùm Euangelium dicat; Triſtis eſt anima mea: ergo & quando dicit: *Dormiuit* IESVS, non dormiuit Ieſus. Ergo triſtis fuit, ſed voluntate triſtitiam ſuſcepit veram. Et Hilarius ait: Non erat ſine perturbatione, qui infirmitatem & triſtitiam fatebatur. Et Leo Papa de Chriſto: Nec quia in illo omnia erant plena ſacramentis, ideò aut falſis lacrymis fleuit, aut mendaci eſurie cibum ſumpſit, in noſtra mœſtitudine contriſtatus, in noſtro dolore eſt crucifixus. Nec moueant vos verba Hieronymi, quibus videtur affirmare Dominum non eſſe contriſtatum, quæ ſunt hæc: Ne paſſio in illius animo dominaretur, propter paſſionem cœpit contriſtari. Aliud eſt enim contriſtari, aliud incipere contriſtari. Sic Hieronymus. Sed ſciendum eſt, quòd quamuis hoc dixerit, non tamen triſtitiam ab eo ſeparauit; ſed eum contriſtatum verbis ſequentibus affirmauit; addidit enim: Contriſtabatur propter infœliciſſimum Iudam, & ſcandalum Apoſtolorum. Nos igitur tot apertis teſtimoniis Euangelium, & ſanctorum Patrum fidem adhibentes, credimus Saluatorem noſtrum eſſe contriſtatum & conturbatum. Nec aliquas auctoritates reperimus quæ apertè contradicere huic veritati videantur.

*Ioan.12. 27.*
*Ioan.11.33*
*Luc.22. 43.*
*Mat.26. 37.*
*Ibid.v.38.*

De timore autem Domini diuerſas & quaſi contrarias auctoritates inuenimus; quarum quædam videntur timorem Domini aſſerere, aliæ remouere. Nam quòd Dominus timuerit inſinuat Euangeliſta, dicens: *Cœpit pauere & tædere.* Hieronymus quoque ex perſona Domini ſic ait: *Timor & tremor venerunt ſuper me.* Timor animi & tremor corporis: Hilarius verò ſuper illum verſum: *Inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei*: ſic ait: Si alibi Dauid ait: *Mortis metus cecidit ſuper me; & operuerunt me tenebræ*, rectè hæc tenebra ex timore mortis veniens, quam nimiam fuiſſe in filio Dei non conuenit, nec nox, ſed quaſi nox appellatur. Beatus quoque Leo de Chriſto ſic ait: Per omnia incrementa corporea in virum perfectum veri hominis natura profecit, non ſine fletu miſerationis, non ſine pauore formidinis. Hæ ergo auctoritates manifeſtè indicant Saluatorem ex veritate aſſumptæ humanitatis timuiſſe.

*Marc.14.33.* *Pſal.54.6* *Ibid.54.6*

Inueniuntur autem aliæ ſiue prædictorum, ſiue aliorum Auctorum quæ videntur ab eo timorem paſſionis penitus remouere. Beatus Hieronymus ſic ait: Erubeſcant qui putant Saluatorem timuiſse mortem & paſſionis pauore dixiſſe: *Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte.* Poſt biduum tradendum ſe vt crucifigeretur nouit, & tamen non trepidus fugit, in tantum vt cæteris ire nolentibus pergat intrepidus. Beatus etiam Auguſtinus infirmos in ſe præſignans ait: *Tranſeat à me calix iſte.* Non enim timebat Dominus pati tertia die reſurrecturus, cùm arderet Paulus diſſolui & eſſe cum Chriſto. Beda quoque ſic ait: Transferri à ſe calicem poſtulat, non quidem timore patiendi, ſed miſericordia prioris populi, ne ab illo bibat calicem propinatum. Hæ poſteriores auctoritates affirmant Dominum mortem non timuiſſe, & prioribus videntur repugnare; vnde quidam arbitrantes has ſuperioribus eſse contrarias diuerſa ſentiunt; alij autem credunt Dominum timuiſse, alij non timuiſse. Ego autem æſtimo has omnes auctoritates veras eſse; & licet verbis diſsentire videantur, in ſenſu tamen non arbitror diſſentire, ſed potiùs credo eas ſecundùm vſum loquendi prolatas, & de diuerſis timoribus agere, & nil niſi quod verum ſit affirmare.

*Matt.26.39.*

Dicendum ergo de diuerſitate timorum, quorum alter in Chriſto fuit, alter eſſe non potuit. Eſt vnus timor de morte corporali, ſiue de alia temporali aduerſitate proueniens, qui quandoque tam vehemens eſt, & intantum ſubiugat rationem, vt hominem contempto Domini præcepto inducat in peccatum grauiſſimum. Pro tali ſiquidem timore negauit Petrus ſe nouiſſe Dominum, qui priùs cum eo in carcerem & in mortem ire promiſerat. Pro tali etiam timore multi fideles à fide receſſerunt, cùm pro fide trucidari Martyres aſpicerent. Quicumque autem hunc timorem habuerit, de illo veraciter dici non poteſt iuxta aliquem vſum loquendi, quòd non timuerit. Eſt alius timor moderatus, qui pro morte imminente naturaliter ineſſe ſolet omni homini, etſi modum non excedat, ſine peccato eſt: quemadmodum fames, & ſitis, & alia naturalia: tali timore moderato Helias Propheta timuit, quando timens crudelitatem Iezabel in ſpeluncis latuit. Nec in eo tamen fuit timor vehemens; non enim propter hunc à lege Domini declinauit. Paulus quoque tali timore timuit, quando timens ne à Romano Præſide traderetur Iudæis occidendus, Cæſarem appellauit. Nec tamen timor vehemens in eo præualuit, qui in fide perſeuerans paſſionem fortiter tulit. Quando autem homo aliquis caret timore vehementi, & timet timore moderato, iuxta communem loquendi vſum ſolent homines ita loqui, vt ipſum indifferenter affirment timere & negent. Alij enim attendentes quòd homo ille contriſtatus eſt, & tormentis imminentibus trepidat, credunt & affirmant quòd mortem verè timeat, & hoc eſt verum qui timet timore moderato. Alij verò attendentes quòd poſſet aufugiſſe ſi vellet, & mortem euaſiſſe, dicunt quòd mortem non timeat. Nam aufugiſſet ſi timeret; & hoc quod iſti dicunt verum eſt, quia non timet timore vehementi. Itaque iuxta hunc locutionis modum, verum eſt Saluatorem timuiſſe mortem, quam ſicut verus homo naturaliter & moderatè timuit. Verum eſt igitur quòd dicit Euangeliſta: *Cœpit pauere & tædere.* Et quod alij ſancti dicunt, qui affirmant Dominum timuiſſe. Quia verò Dominus caruit timore vehementi, & vt Patris compleret voluntatem, paſſioni ſe obtulit, idcirco iuxta vſum loquendi

loquendi verum eſt etiam quòd non timuit mortem, ſicut teſtantur alij Auctores quorum verba ſuperiùs apposui. Et cùm quidam Auctores dicant, *Dominus mortem non timuit*: alij verò dicant, *Dominus mortem timuit*: in ſententia non diſcrepant; licet eorum verba repugnare videantur. Nam, vt ſupra dictum eſt, verum eſt eum timuiſſe, quia timore moderato timuit, & verum eſt iuxta vſum loquendi eum non timuiſſe, quia timore vehementi non timuit. Sed falſum eſt dicere quòd nullomodo timuerit. Vale.

---

# EPISTOLA V.

Epist. 41.

## *Gualteri Epiſcopi Laudunenſis.*

MAGISTRO PETRO *Monacho* GVALTERVS *Salutem.*

Petrum Abaelardum qui nonnulla fidei Catholicæ haud conſona docuerat, ſugillat.

Quidam diſcipuli veſtri ſubtilitatem & ſapientiam veſtram, ſicut iuſtum eſt, latè & gloriosè prædicantes, affirmant inter cætera vos in tãtum eſſe rimatum ſanctæ Trinitatis profunda myſteria, quòd perfectè & ad plenum cognoſcatis, qualiter tres perſonæ ſint in vna diuina eſſentia, & in perſonarum pluralitate vnitas diuinæ eſſentiæ. Dicunt etiam quòd ad plenum diſſerere, & alijs intimare ſoleatis, qualiter à Patre ſit genitus Filius; & qualiter Spiritus ſanctus procedat ab vtroque. Solet autem frequenter contingere, quòd diſcipuli diſcordent à ſenſu magiſtrorum, ſiue per imperitiam verba eorum malè exponendo, ſiue ad oſtenſionem ſui aliquas nouitates inducendo, quas causâ maioris auctoritatis magiſtris ſuis licet ignorantibus conſueuerunt aſcribere.

Ego igitur hoc attendens, ea quæ ſupra diximus à diſcipulis veſtris prædicari, nullatenus aſcriberem vobis, niſi quòd ad oculos noſtros peruenit pars prima cuiuſdam tractatus veſtri, quam librum theologiæ appellatis, in qua parte ſatis confidenter de diſtinctione & proprietatibus perſonarum diſſerendo promittitis in parte poſteriori exponere modum generationis Filij à Patre, & proceſſionis ſancti Spiritus ab vtroque: vbi etiam quædam legi quæ à conſuetudine ſcri-

ptorum orthodoxorum diſcrepant, velut illud quod in prologo poſuiſtis in hæc verba: Summam quaſi diuinæ ſcripturæ introductionem conſcripſimus, non nos tam veritatem docere promittentes, quàm opinionis noſtræ ſenſum quem efflagitant exponentes: hoc in tractatu veſtro legi. Quis autem orthodoxus de fide Catholica tractaturus, non veritatem, ſed ſenſum opinionis ſuæ promittat exponere? Quis etiam audiens non veritatem, ſed opinionem promitti, fidem audeat ſequentibus adhibere? Quædam etiam ibi legi quæ videntur à fide Catholica diſcrepare; vbi ſcilicet maiorem omnipotentiam eſſe Patris, & Filij minorem, videmini affirmare his verbis: Si potentiam tam ad naturam ſubſiſtendi, quàm ad efficaciam operationis referamus, inueniemus ad proprietatem perſonæ Patris ſpecialiter attinere potentiam, quæ non ſolùm cum cæteris duabus perſonis æquè omnia efficere poteſt, verùm etiam ipſa ſola à ſe non ab altero exiſtere habet: & ſicut ex ſe habet exiſtere, ita etiam ex ſe habet poſſe. Cæterę verò perſonæ ſicut ab ipſo Patre habent eſſe, ita & ab ipſo habent poſſe quod volunt efficere. Et poſt pauca: Per Filium quippe intelligimus diuinam Sapientiam; Sapientia autem cùm ſit quædam potentia diſcernendi, ſcilicet quaſi quædam portio eſt diuinæ omnipotentiæ, ſicut quilibet filius quædam propriè patris portio eſſe dicitur. Hæc verba in tractatu veſtro legi. In quo etiam auctoritate Martini Epiſcopi conamini aſtruere, quòd omnipotentia Patris conſiſtat in vtroque.

Quis autem ex verbis veſtris diligenter attendens nequeat manifeſtè concipere, quòd omnipotentiam dicitis Patri conuenire, non ſolùm in hoc quòd omnia facere poteſt, ſed inſuper in hoc quòd ex ſe habet exiſtere & poſſe, non ex alio. Si verò in his duobus conſiſtit omnipotentia Patris, tunc nimirum Filius qui de alio eſt cùm altero de prædictis duobus careat, id eſt non à ſe eſſe vel poſſe habeat, ſed à Patre, & alterum ſolummodò habeat, id eſt poſſe quemcumque quodcumque vult efficere, inæqualem & minorem habet potentiam, &, ſicut verba veſtra teſtantur, partialem, velut cùm humana p otentia, partim ex diuinis, partim ex ſtrenuitate proueniat; profectò minoris eſt potentiæ, qui

ſolas habet diuitias, & maioris qui cum ſtrenuitate æquales poſſidet diuitias. Eſt autem nefas affirmare Patris maiorem & Filij minorem eſſe potentiam, cùm Patri ſit æqualis Filius, veritate teſtante, quæ ait: *Ego & Pater vnum ſumus.* Et Apoſtolo dicente: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo.* *Ioan.* 10. 30. *Philip.* 2. 6.

Nunc autem interpoſitis his, ad ea redeamus de quibus cœpimus ſuperiùs. Inſpecto ſiquidem Tractatu veſtro, in quo proprietates perſonarum diſtinguere, & generationem Filij, & proceſſionem Spiritus exponere, confidenter promittitis, cùm promiſſiones veſtræ dictis diſcipulorum veſtrorum conſonarēt: ferè compulſus ſum credere illius iactantię, vt non dicam veſaniæ, originem à vobis proceſſiſſe. Sed rurſus compellor non credere cùm ſapientiam veſtram & modeſtiam conſidero, quæ nollet aliquatenus à ſcriptis canonicis deuiare, nec tantis & manifeſtis auctoritatibus obuiare, quæ affirmant homines in hac vita non poſſe peruenire ad perfectam & plenam ſanctæ Trinitatis notitiam. Vnde Dominus loquens Moyſi ait: *Non videbit me homo & viuet.* Et Ioannes: *Deum nemo vidit vnquam.* Ipſa quoque veritas ſanctę Trinitatis perfectam notitiam non ad præſentem, ſed ad futuram vitam & æternam pertinere inſinuat, dicens: *Vita æterna eſt cognoſcere te vnum Deum, & quem miſiſti* IESVM *Chriſtum.* Fortaſſe autem vobis viſum eſt, ſicut etiam diſcipuli veſtri teſtantur, cum quibus locutus ſum, quòd iſtæ auctoritates non remouent ab hac vita ſanctæ Trinitatis perfectiſſimam notitiam, id eſt ſcientiam, ſed perfectam delectationem de illa ſcientia prouenientem, quę perfecta Dei notitia non pertinet ad hanc vitam, ſed ſolis Sanctis conuenit ęterna vita fruentibus & fortaſſe prædictas auctoritates ad veſtram ſententiam quoquomodo retorquere conamini, vt ſic aliquomodo eas exponatis: *Nemo Deum vidit vnquam*, videlicet: Nemo habuit de viſione Dei perfectam delectationem. Verumtamen quàm abſurdum & ab omni vſu ſit remotum, pro viſione delectationem exponere ſatis nouit veſtra diſcretio. Sed concedatur modò vt prędictas auctoritates tam abſurdè, tam euidenter exponatis, nunquid tamen omnes alias ſimiliter exponetis; audite Cle-

*Exod.* 33. 20. 1. *Ioan.* 4. 12. *Ioan.* 17. 3.

mentem Petri Apoſtoli ſucceſſorem falſitati quę nobis imponitur ita manifeſtè repugnantem, vt nulla expoſitio quantumcumque violenta prętexatę falſitati Clementis verba valeat applicare, quę ſunt huiuſmodi: Nec quęratur quomodo genuit Filium, quod Angeli neſciunt, & Prophe-
*Iſay.53.8.* tis eſt incognitum. Vnde & illud dictum eſt, *Generationem eius quis enarrabit?* Quis ſecretam originem cum proprio filio ſuo nouit ipſe ſolus qui genuit? Cùm itaque dicat Clemens Angelos neſcire genituram Filij à Patre, an de ipſa ſententia, vel de ipſa delectatione loquitur? Sancti quidem Angeli iam ad pręſens habent eandem beatitudinem & delectationem, quam ſancti homines habituri in futuro. Reſtat igitur vt loquatur de perfectiſſima ſcientia illius genituræ. Sed ſi ad eam ſancti Angeli non aſcendunt, tunc profectò eſt incredibile vos ad illam perfectiſſimam ſcientiam perueniſſe, quod veſtri iactitant diſcipuli. Nondum enim, vt opinor, perfectionem Angelicam tranſcendiſtis.

Quòd ſi vobis Clemens non ſufficit, attendite Paulum Apoſtolum contra temeritatem illius iactantiæ, quam vobis imputant, apertè reclamantem, qui ait: Siue prophetię euacuabuntur, ſiue ſcientia deſtruetur, ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Nonne Apoſtolus hîc apertè teſtatur ſe imperfectam habere ſcientiam? Si verò Apoſtolus imperfectam habuit, quid aliud eſt niſi furor manifeſtus, ſi quis ſe perfectam habere iactauerit? Verumtamen ne dicatis Apoſtolum habere ſcientiam imperfectam de rebus cæteris, perfectam autem de Deo, quæ tamen præ cæteris ſcientijs profunda eſt & inſcrutabilis, au-
*1.Cor.13. 12.* dite ſequentia verba Apoſtoli: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* His equidem verbis apertè inſinuat ſe ad præſens imperfectè & obſcurè videre Deum, ſed in futuro ad perfectam & claram Dei notitiam peruenturum, & ſicut à Deo eſt cognitus, ita in futuro ſe diuinam eſſentiam noſciturum. His auctoritatibus monſtratum eſſe arbitror homines adhuc humano more conuerſantes in corpore, quod adgrauat animam, ad perfectam Dei

notitiam non poſſe peruenire.

Vt autem de incomprehenſibili natura Diuinæ maieſtatis deſcendam ad res inferiores, quæ ad eius comparationem nihil ſunt, quis hominum carnem fragilem adhuc gerens, naturam animæ propriæ, nedum alienæ, valeat perfectè cognoſcere? Quid enim occurrit animo contemplanti, & in rem incorpoream interiorem oculum figere volenti, niſi imagines corporeæ quæ à ſpecie rei inuiſibilis penitus ſunt diuerſæ? Quis etiam animæ ſuæ varietates, & augmenta meritorum in bono vel in malo ad plenum poteſt comprehendere? Præterea quis adeò ſapiens eſt, vt ſui patris & ſuæ matris animas, poſtquam ſolutę ſunt à corporibus, recognoſcere queat, & ab inuicem diſcernere, etiam ſi fortè eas præſentes adeſſe contigerit? Proinde vt adhuc deſcendam inferiùs, ſcilicet ad naturam corporis, nemo eſt ita peritus in mundana ſapientia vel diuina, qui omnes naturas proprij corporis, & cauſas varias morbi ſanitatis plenariæ inueſtigare & cognoſcere valeat. Cùm igitur nemo de ipſis creaturis, & natura propriæ animæ & corporis perfectam habeat notitiam, quis audeat aſpirare ad comprehendendam ſanctę Trinitatis maieſtatem, quæ exſuperat omnem ſenſum, & humanam rationem?

Poſtquam monſtratum eſt quòd ſumma & plena ſanctæ Trinitatis notitia ad hanc vitam temporalem minimè pertineat, conſequenter propoſui facere mentionem de quibuſdam locis Scripturæ, ex quibus forſitan videri poſſit illam ſummam ſanctæ Trinitatis notitiam ad vitam præſentem pertinere. Si quis itaque in mortali adhuc corpore poſitus ſe æſtimat ad eam perueniſſe exemplo Pauli Apoſtoli, qui ad eam tunc peruenit quando raptus ad tertium cœlum audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui; quiſquis ille eſt, hoc attendat quòd nondum raptus eſt vſque ad tertium cœlum, verùm adhuc nobiſcum in terra moratur. Nec ideò credat aliquis hominem in hac vita ad perfectiſſimam Dei venire notitiam, quia ſcriptura dicit à Patribus antiquis Deum eſſe viſum, & Moyſi locutum, ſicut loquitur vicinus ad vicinum. Non enim de ipſo Deo, ſed de Angelis ſcriptura hoc aſſerit, quos ſibi loquentes ex perſona Dei Moyſes &

reliqui Patres viderunt in aſſumptis corporibus. Si enim de ipſo Deo hæc ſcriptura diceret, quare Moyſes poſt multas
Exod.33. viſiones & collocutiones oraret Dominum dicens: *Oſtende*
18. *mihi gloriam tuam*? & quomodò reſponderet ei Dominus: Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & viuet.

Præterea in Euangelio inueniuntur quædam verba Domini, ex quibus non bene expoſitis fortaſſe poſſit intelligi, quòd perfectiſſima Dei notitia hominibus in hac vita conueniat,
Matt.11. uelut illa in Euangelio Matthæi: *Nemo nouit Patrem*
27. *niſi Filius, & cui voluerit filius reuelare.* Et illa in Euangelio Ioannis: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me?*
Ioan.14.9 *Philippe, qui videt me videt & Patrem.* Et alibi: *Omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Poſſunt verò hæc verba Domini referri non ad præſentis vitæ notitiam, ſed ad eam quam habebunt ſancti in futuro, quando videbunt Deum facie ad faciem. Nec mirum ſi per verba præteriti temporis Chriſtus agit de illis quæ ad futurum pertinent, cùm non ſolùm Chriſtus ſed & Prophetæ hoc frequenter facere ſoleant pro certitudine futuræ veritatis Si autem ſuperiora verba ad notitiam vitę præſentis referantur,
Ioan. 6. quemadmodum & hæc alia: *Hæc eſt voluntas Patris, vt om-*
40 *nis qui videt Filium; & credit in eum, habeat vitam æternam*: proculdubio in eis agitur de imperfecta Dei notitia, in qua nondum perfectè videmus Deum facie ad faciem, ſed per fidem obſcurè tanquam per ſpeculum in ænigmate. Nec intelligendum eſt quòd Sanctis in hac vita poſitis, Filius notificauerit omnia quæ audiuit à Patre, ad futurum ſæculum pertinentia, ſed potiùs omnia quę ſunt eis in præſenti neceſſaria, vt ſalutem conſequantur. Iuxta quem modum etiam
Ibid.16.13 illa verba Domini intelligenda ſunt; *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, ille docebit vos omnem veritatem.* Non enim ait omnem veritatem eorum quę ad futurum ſæculum pertinent, ſed quę in præſenti eſſent neceſſaria ad ſalutem aſſequendam. Hactenus determinaſſe ſufficiat ea loca ſcripturarum, quæ malè intelligentibus videntur affirmare quòd ad homines huius vitę perfectiſſima Dei notitia pertineat.

Hæc ſcripſi vobis non præſumens vos docere, qui in di-

uina ſcriptura prę cæteris eminetis , ſed per litteras veſtras ſcire deſidero ſi in notitia Dei vos imperfectum eſſe creditis, aut ſi iam in hac vita ad ſummum eius augmentum vos perueniſſe confidatis. Hoc enim veſtri iactant diſcipuli, quibus ſcripta veſtra videntur atteſtari. Prætereà notificate mihi ſi adhuc creditis, quòd Deus eſſentialiter non ſit in mundo vel alibi, & quòd Angeli & animæ nuſquam ſint. Quod ſi bene memini audiui vos fateri, quando nouiſſimè inuicem contulimus de quibuſdam ſententijs. Prætereà apud nos ventilatum eſt veſtram affirmare ſapientiam , quòd Chriſtus prædicando , laborando , ad extremum moriendo, nihil meruerit , & quòd nemo propter opera ſua bona vel mala niſi pro ſola voluntate remunerari debeat vel puniri. Quid itaque de his ſentiatis mihi breuiter reſcribite , & ſcribendo materiam vobis inuicem reſcribendi mihi præbete. Nec conuenit vt aliquam occaſionem prætendatis , quo minus mihi reſcribatis , cùm nullo alio modo tam quietè, tam exquiſitè poſſit inueſtigari veritas , ſicut in ſcribendo de abſentibus ad abſentes. Qui enim ſcribunt ad abſentes auctoritates intuentur, & in omnes apud ſe perſcrutantur ſine ira & diſceptatione , quę animos diſputantium , & præſentialiter colloquentium frequenter ſolent commouere, & mentis oculum offuſcare. Præterea quod ſolo verbo à diſputantibus profertur obliuione deletur. Sed è contra quod ſcribitur, memorię commendatur, & quę pars præualeat, indicio ſcripturæ declaratur. De ſupradictis igitur mihi reſcribite, & quod in aure diſcipulorum dicitis ſuper tecta prædicate , ne incurratis reprehenſionem illius ſtultæ mulieris, quæ cùm ſit inops panis & aquæ , prætereuntes tamen inuitat occultum panem & aquæ latentis dulcedinem attingere. Vale.

*Edidit quæ ſequi debuerat epiſtolam Gualteri ad Hugonem à S. Victore noſter Hugo Mathoud in ſuis ad Robertum Pullum eruditiſſimis Obſeruationibus pag.* 332.

Epist. 43.

## *Epiſtola* LOTHARII *Imperatoris.*

Lotharius II. ſtans à parte Innocentij Papæ II. Petrum Leonis; atque eius gregarios, iure damnatos fuiſſe ſcribit.

LOTHARIVS Dei gratiâ Romanorum Rex, Regibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Principibus, & vniuerſis Dei fidelibus, ad quos litteræ iſtæ peruenerint, Salutem.

Maieſtatis diuinæ diſpenſationi & conſilio placuit nos Patronum & Defenſorem ſanctæ Eccleſiæ Romanæ ſtatuere. Ideóque neceſſe habuimus pro ipſius liberatione propenſiùs laborare. Cùm igitur aſcitis nobis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, & Marchionibus Regni noſtri; Epiſcopos etiam, Comites, & alios Barones Italiæ nobiſcum ducentes, bellico apparatu ſtipati, ad Vrbem proficiſceremur, nuntios ſchiſmatici illius PETRI LEONIS frequenter habuimus. Qui nimirum ex parte illius iuſtitiam prætendentes, ipſi in ius ire parato non debere audientiam denegari, nec hoſtilibus impugnationibus moleſtari, publicis clamoribus aſſerebant. Diutinis ergo eorum interpellationibus prouocati, idipſum Epiſcopis & Cardinalibus, qui cum Domno Papa INNOCENTIO erant, ſignificare coacti ſumus. Ipſi verò tanquam canonicarum ſanctionum, & inſtitutionum Eccleſiaſticarum non ignari, vniuerſam Dei Eccleſiam iam ſuper hoc promulgaſſe ſententiam, Petrum Leonis ac complices ſuos damnaſſe aſſerentes, quod erat vniuerſitatis non debere priuatum fieri reſponderunt.

Nos autem idipſum cum patientia ſupportantes, & Patrem noſtrum Papam Innocentium ad vrbem cum gloria duximus, & Lateranenſi cathedræ reſtituimus, atque in monte Auentino caſtrametati fuimus. Ibíque Petrus Leonis aures noſtras, & Principum noſtrorum, per Petrum olim Portuenſem Epiſcopum, & per alios fautores ſuos prætendendo iuſtitiam ſollicitare non deſtitit. Qui etiam munitiones, & obſides, ſe nobis daturos ad ſufficientiam pro ſeruando iudicio, & viua voce, & litteris promiſerunt. Pacem igitur ſine effuſione ſanguinis reformare in Dei Eccleſia cupientes, quæ nobis illi dixerant, Fratribus qui cum Domno Papa Innocentio erant

per

per nos ipſos ſignificauimus. Cæterùm ipſi, vtpote pacis amatores, de iuſtitia confidentes, tam perſonas ſuas, quàm Leonis, & filiorum ſuorum, necnon Cen. Pet. Fraiapanis, & Petri Latronis, & munitiones in manu noſtra liberè obtulerunt. Aduerſa verò pars dies redimere cupiens, ſub velamine fraudulentarum promiſſionum nos aliquanto tempore à noſtra intentione retraxit. Tandem quia ipſi ſæpe commoniti implere quod promiſerant, noluerunt, tanquam fallaces & perfidi, & tam diuinæ quàm Regiæ maieſtatis rei, cum Petro Leonis, eiúſque complicibus damnati, & hoſtes à Principibus noſtræ curiæ iudicati. Videlicet NORBERTO Magdeburgenſi Cancellario noſtro, & A. Bremenſi Archiepiſcopo, & P. Oſemburgenſi, P. Adelbronnenſi, An. Brandeneburgenſi, & B. Parmenſi, R. Albenſi, O. Aſtenſi, O. Cremonenſi, G.* Ipponenſi, Epiſcopis. & Abbatibus, HENRICO Fuldenſi, ALBERONE Noemburgenſi, & Luneburgenſi: Proceribus, ALBERONE, & Henrico Marchionibus: OTHONE SAGIFREDO vexillifero, Hermanno, WILLELMO de Lomello, GOTHONE de Marchuingo, HIDEBRANDO, & TANCREDO de Prato Comitibus, & ALBERTO de Caſtello. f. * *Vibenena.*

---

## *Epiſtola* INNOCENTII *Papæ, ad* PETRVM *Abbatem.*

EPIST. 44

INNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis Filijs PETRO Abbati, & Fratribus Cluniacenſibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex variis periculis ereptus votiuas orationes expoſcit.

Protexit nos Deus à conuentu malignantium, & à multitudine operantium iniquitatem. Olim námque debacchante Iudaïca rabie, diuinæ virtutis dextera de profunditate ſui conſilij nos & Fratres noſtros ad ſua reſeruatos obſequia, de vrbe ſub protectione ſuę commiſerationis eduxit. Modò verò in faciem ſuæ reſpexit Eccleſiæ, atque nos ſanos & incolumes ad ſedem propriam reuocauit. Dignum eſt igitur quatenus pro tantis nobis collatis à ſuperno Numine beneficijs nobiſcum pariter gratulemini, & diuinæ Majeſtati

grates debitas referatis. Illud omnimodis exorantes, vt cauſam Eccleſiæ nunc vſque in ſuo patrocinio ſuſtentatam magis ac magis attollat, & bonis principijs exitus meliores adhibeat. Credimus enim quòd preces veſtræ maiorem efficaciam apud Deum obtineant, quàm ſæcularis potentia quorumlibet armatorum. Nos autem in vrbe cum Cariſſimo filio noſtro Romanorum Rege LOTHARIO conſtituti, ſuper ſollicitudine ac ſtudio quod ſuper ſanctam Romanam Eccleſiam geritis deuotioni veſtræ multimodas gratias exhibemus; & quæ ad liberationem Eccleſiæ pertinent, Deo gratias, ſalubriter operamur. Data Laterani 10. Kal. Iunij.

---

Epist. 45.

## EPISTOLA I.

### ARNVLFI *Lexouienſis Epiſcopi, ad* LVCIVM *Papam.*

Iniurias à ſuis Canonicis (qui litem moueant) illatas repellere conatur.

QVIDAM de Canonicis noſtris Lexouienſibus anno præterito de paucorum, non de vniuerſitatis conſcientia, ad Maieſtatem veſtram litteras pertulerunt, liberè aduerſum me quæcunque voluerunt mendacia conſcribentes. Quia verò aduerſum me de nulla in falſum poterant veritate confidere, & me ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ab ineunte adoleſcentia mea notum nouerant & acceptum; famæque meæ integritatem multa apud eam gloria reſplendere, ad mentiendum ſecuriùs mirabili proceſsêre commento, vt multa velut infinita confingerent, vt velut auctoritatem faceret falſitas falſitati, nec ipſi mendaces poſſent de tot falſitatibus æſtimari, & falſitati teſtimonium fallax videretur aſſertio perhibere. Vix enim credi poterat quòd quiuis prçſumeret ſinceritatem veſtram tot & tantis obfuſcare mendacijs, nec aliquis erat qui meo poſſet nomine reſpondere, ſatíſque erat eis ſi vel ad momentum opinionem meam poſſent in aliquo denigrare, veſtrámque ad ambiguum aliquatenus trahere ſanctitatem. Audiſtis eos, & magis quàm expediret mihi etiam exaudiſtis, quoniam abſens & innocens,

nullóque citatus edicto punitus ſum, & ex magna Officij Epiſcopalis mei parte ſuſpenſus, ipſóſque ad dicenda & facienda quæ vellent remiſiſtis amplius animatos, vt & alij quilibet inuitari poſſent, & ampliùs animari. Miratus ſum ego, & nihilominus qui audiêre mirati ſunt, qua ratione in filium, ipſúmque ſpecialem, tam immitis ſtatim ſententia proceſſiſſet. Continui tamen manus meas neque eas etiam vſque ad protectionem capitis mei tremebundus oppoſui, quo demiſſionem Epiſcopatus, quam ſemper optaueram, veſtra me indignatio confirmauit. Super quo veſtræ gratias refero Sanctitati, quòd me tam miſericorditer ab importabili onere liberaſtis, & ad prouidendum animæ meæ liberiorem procedere permiſiſtis.

Aduerſarij verò mei litteris & Iudicibus ad arbitrium impetratis, ſtuduerunt meum multis artibus impedire proceſſum, & me ex litteris veſtris ad iudicium Abrincenſis Epiſcopi, & Beccenſis, & Sauiniacenſis Abbatum continuò pertraxerunt, quos ex multis cauſis mihi tota Prouincia nouerat aduerſari. A quibus ſuper tot tantiſque capitulis, nulla potuit impetrari dilatio, neque deliberatio reſpondendi. Confeſſi ſunt ab initio Iudices dum ageremus, nullam ſe iuris habere peritiam, nec exceptionum, vel quarumlibet allegationum compendia receptuuos, ſed ijs tantùm inſiſtere quod eis prima facie velle littera videretur. Accedebat ad grauamen meum Regis indignatio, & infatigabile ſtudium VVALTERI Conſtantienſis, quem illi factionis ſuæ, quam aduerſum me iurauerant, promiſſo Epiſcopatu principem ſtatuerunt, & ipſe eis in omnibus auxilium, & fauorem Regium conſeruabat, ſigillóque Regis, quod ipſe ſeruabat, ſecurè præſumebat quicquid vellet aduerſum me, etiam ſi non Regis conſcientiâ, conſignare, vt de ipſius voluntate procedere crederetur. His itaque dolis inſtructi etiam Iudices à veritate iudicij terroribus abierunt, parati quidem ad omnia quæcunque eis poſſent ab aduerſarijs imperari.

*Suſpectos habet Iudices.*

Propoſuerunt itaque me bona Eccleſiæ dilapidaſſe profuſiùs, cùm me mille ducentas libras & eo ampliùs perpetuas adquiſiſſe conſtaret, & theſauro etiam intuliſſe quingentas, & duodecim millia librarum extantibus ædificijs

*Bona Eccleſiæ haud dilapidaſſe, imò auxiſſe probat.*

impendiſſe : ipſamque Eccleſiam Epiſcopalem ex magna parte ſumptibus meis, & acquiſitionibus innouatam: ad Communiam quoque Canonicorum ſexcentas libras annuas & perpetuas acquiſiui, atque menſam Epiſcopalem quingentis libris,& eo ampliùs, annuis & perpetuis augmentaui. De ipſo autem theſauro, vt nihil ſubtraham, decem & ſeptem marcas in initio meæ promotionis aſſumpſi, quia bona omnia Epiſcopalia redimere de manu Comitis Andegauenſis angebar, quæ ipſe mihi per duos annos & tres menſes abſtulerat, quia electus canonicè ſine ipſius deſignatione fueram conſecratus. Quod ego quidem de permiſſione Domini mei glorioſæ memoriç Papç Innocentij feci, cùm ego priùs de meo nongentas libras in eam cauſam & ampliùs expendiſſem. In expeditione quoque Ieroſolymitana ad quam me Sanctus Pater Eugenius Papa deſtinauit inuitum, mandato ipſius calicem aureum triginta & quatuor vnciarum expendi, cùm ipſe mihi, ſi ampliùs oporteret, meam cauſam aſſumere, conceſſiſſet. Prætereo, ne fortè iactantia videatur, quanta interim fuerit hoſpitalitatis effuſio, quam etiam frequens donorum charitas illuſtrabat, adeò vt ab homine mediocritatis meæ vix tanta poſſet largitas expectari; quod ab his qui viderunt, & his qui experti ſunt, publico paſſim teſtimonio confirmatur. Supplicaui iudicibus vt eorum quæ appoſita ſunt & detracta, quantitate perſpecta rationem compenſationis admitterent, ſi tamen æſtimandum videretur quod in tam pias & neceſſarias cauſas expenſum fuerat, & poſteà pluſquam ſeptuagies ſepties reſtitutum. Non ſum exauditus in aliquo, quia ora eorum & corda noui motus,& antiquæ ſimultatis obſtinatio clauſerat : neque jam latens odium, ſed prærupta in omnibus audacia videbatur. Condemnarunt me itaque in centum libras donandas Canonicis,quas in vtilitates Eccleſiç & legitimos ſumptus expenderant, mihíque de Capella prorſus noua quam mihi paraueram, caſulam, dalmaticam, tunicam abſtulerunt; ſícque me priuatum pecunia, & ſacris ſpoliatum veſtibus emiſerunt. Quod ſanè cùm ad veſtram audientiam perueniſſet, ſententiam eorum Apoſtolica ſeueritate quaſſaſtis, & me ſicut ex litteris veſtris intelligi poteſt ab ipſorum voluiſtis perui-

cacia liberari. Rogo itaque vt veſtra in decreto ſuo ſententia perſeueret, ſuúmque litteræ veſtræ conſequantur effectum, mihíque quod ex iniuſta cauſa ſublatum eſt, reſtitui faciatis, vt ad * fratres, ad quos conceſſi, peruenire poſſit quod eis ab initio fuerat deſtinatum. Inſultant illi ſi quidem, ſuóque quod ad pias cauſas deputatum fuerat, diſtribuunt arbitratu, & me quaſi nudum & inopem exiſſe improba congratulatione lætantur. Faciat itaque veſtra miſericordia quod cœpiſtis, & quod à vobis quaſi decretum eſt diſtricta ſeueritate præcipite conſummari, ne de noſtris gaudeat ſimplex vel imperita malicia detrimentis.

** Canonicos Regg. S. Victoris Pariſ. innuit.*

---

# EPISTOLA II.

Epist. 49.

## *Arnulfi Lexouienſis Epiſcopi, ad S. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, cùm exularet in Gallijs.*

MAGNAM mihi lætitiam dignationis veſtræ litteræ contulerunt. Omnibus quidem diligenter iterata lectione perſpectis, nihil inuentum eſt quod non aut humilitatem ſaperet, aut zelum iuſtitiæ redoleret. Placuit mihi zelus veſter, quia ipſum robuſta commendabat humilitas; mutuóque ſibi inuicem fauore zelus & humilitas concurrebant. Sic enim oportet, vt humilitas feruoris incendia temperet, & humilitatis modeſtiam zelus excitet & accendat, ne aut in puſillanimitatem deſcendat humilitas, aut in furorem zelus incitatus excedat. His igitur ſeſe inuicem mutua charitate complexis, intellexi tertiam duabus acceſſiſſe conſtantiam, quæ ſanctis initijs lætos exitus, & felices forti patientiæ repromittit euentus. Hæc ſiquidem in vobis nec damna, nec labores attendit, ſed omni ſtudio ſincerę conſcientię teſtimonium quærens, fortunę ſimul & perſonę naufragium minoris æſtimat, quàm iuſtitiæ vel virtutis.

Media ſubminiſtrat quibus cóſtanter agens poſſit in Regis gratiam redire.

Arbitrabantur aliqui, quorum malitia conſueuit de aliena conſcientia diuinare, quod neſcit opus veſtrum de ſuperbia, non de virtutis procedere veritate, affectare vos priſtinos

Quæ S. Thomæ imponabantur.

Cancellariæ mores,in hac quoque dignitate ſeruare , vt nullus potentatui veſtro , nullus audeat reſiſtere voluntati: Glorioſum vobis fore, ſi procedentem olim de lubrico voluntatis alienæ potentiam veſtro poſſetis nomine vendicare , cùm rectiùs Eccleſiaſticę dignitati reuerentia debeatur , quàm officio ſæculari. Sublimatum enim vos , & ad altiora diuina bonitate prouectum; nec jam vos ſcabellum pedis , vel lateris etiam obſeruare conceſſum , ſed ipſius diademati capitis imminere, quod ſcilicet adeò de veſtra auctoritate pendeat, vt ipſius ad vos principalis aſſignatio , & aſſignationis conſignatio debeat pertinere. Idcircò ſanè vos inter initia Regalibus obſtitiſſe mandatis,vt in ipſo crederetur vniuerſitas expugnata,cùm nulla relinqueretur alijs fiducia reſiſtendi , vbi regia illi poſſent imperia præualere. Addebant & vos inter amicos aliquando dixiſſe , non fouendos in Principe inconſultos elatæ iuuentutis affectus , ſed ſtatim viriliter intemperantię reſiſtendum , ne diſſimulatio creet audaciam , vel inſolentiam indulgentia prona confirmet. Notos vobis eſſe omnes Regalis animi motus , quid lenitatis habeat, quid virtutis audeat attentare , ipſúmque prudentiæ veſtrę magnificentiam nihilominus agnouiſſe , quam totiens in oportunitatibus vtilem , & in difficultatibus expertus ſit efficacem. Non repudiandum ab eo blandis adulatorum fallacijs conſilium ſalutare , quo conſueuerit fulcire nutantia , complanare ſcrupulos , obſtantia dimouere. Quæ verba cùm ad Regis notitiam malignitatis inuidia detuliſſet , aſſerebant irreuocabiliter indignatum dixiſſe , quòd totis vtendum eſſet viribus , totis artibus obſiſtendum , quoniam ei de dignitate contentio parabatur : Impoſſibilem fore concordiam , quoniam neque vos deſtinata dimittere , nec ipſe quicquam vellet dignitati regię derogare.

Conſtantiam eius extollit Author.

Igitur de incerto opinionis & malignitatis inuidia procedente iudicio variæ diſſentienteſque ſententię ferebantur. Porrò iam proceſſu temporis omnis eſt ſublata dubietas, propoſitíque veſtri ſanctitas euidentibus argumentis innotuit, adeò vt boni certè compatiantur & gaudeant, & debita cœperit operire confuſio malignantes. Certum eſt hoc, & luce clarius apud omnes extitit; minoris reputaſſe vos diui-

tias quaſlibet, & præcelſæ faſtigium dignitatis, quàm iuſtitiam quæ ex Deo eſt, & gloriam Eccleſiaſticæ libertatis. Si enim fauori diuino fauorem præferretis humanum, & ad inducendos profanę nouitatis abuſus veſtra conſentiret authoritas, poteratis non ſolùm cum ſumma tranquillitate degere, ſed ipſi etiam magis quàm olim Principi conregnare. Quod autem veſtram familiam intereſſet, veſtro temperaretur arbitrio, & expoſito ſanguine cæterorum, domeſticus ſtatus veſter ex omni parte ſeruaretur illæſus. Verùm Sanctitas veſtra debitum Epiſcopalis officij recognoſcens, maluit interim ſequeſtrare potentiam, facultates exponere, ipſam quoque perſonam quibuſlibet iniurijs patienter offerre. Euangelicum ſiquidem illud fideli memoria retinetis ſummis Paſtoris doctrina proditum, & firmatum exemplo, quòd pro ouibus & fratribus noſtris debeamus animas ponere, non de ipſorum detrimentis deteſtabilem lucri materiam comparare. Poterat autem onus diſtributionis leuari, ſi cauſa communis communi tractata conſilio, communi ſuffragio niteretur. Firmatam quippe concordiâ Spiritus vnitatem, verum eſt vexationibus concuti, nulla tamen improbitate conuelli. Igitur inualeſcente malitia, qui ad tempus crediderant tentationis tempore receſſerunt, duciſque ſui non tantum facti ſunt deſertores, ſed in caſtra hoſtium facto transfugio tranſceſſerunt. Si verò cœptis perſeueranter inſiſterent, & quoſlibet patienter experirentur euentus, in ſemetipſam vehementia colliſa recederet, & conceptos immunitas deſperata frænaret affectus. Sed vbi pertractatis animis ſingulorum communi cauſæ priuata præualuit, deſperatio reſumpſit audaciam, & ſepultas ſpes rediuiua ſuſcitauit denuò quæſtiones. Verùm tergiuerſantibus, imò præuaricantibus vniuerſis ad ſtandum ex aduerſo, & opponendum ſe murum pro domo Iſraël, virtutis veſtræ magnificentia ſola relicta eſt, quæ redemptam ſemel ſanguine Chriſti ſuo iterum ſanguine redimat libertatem. Licet enim nondum vſque ad ſanguinis effuſionem cauſa peruenerit, ſupplet tamen deuotio meritum paſſionis, quæ perſonam veſtram minis & terroribus non ſolùm expoſuit, ſed obiecit. Et cùm prorſus incredibile ſit ipſum in veſtram

aliquid crudelius excogitaſſe perſonam, tamen non ſatis poterat inter tot indignationis motus bonitas abſcondita diuinari: præſertim cùm rerum omnium ſigna in veſtram viderentur perniciem conuenire. Sperauit ſiquidem vos ad obſequendum terroribus inclinare, tantóque ſeueriùs terrendum cenſuit, quantò à maiori læſione cenſuit abſtinendum. Denique ſi veſtrum voluiſſet impedire diſceſſum non ſerenitas aëris, non ventorum gratia, non tranquillitas maris, non vos nautarum induſtria deduxiſſet. Vbique enim vobis manus regiæ poteſtatis occurreret, cuius nec diligentia falli poterat, nec potentia circumſcribi: ſed & quamdiu domeſtica vos complectentis Inſulæ brachia continerent, neque vobis tanta nocendi pateret occaſio, nec tanta inuidiæ materia garriendi. Nunc verò quibuſlibet querimonijs ſilentia veſtra præponderant, & quolibet improbior eſt fuga veſtra congreſſu, dum nobis fauorem publicum modeſtia veſtra conciliat, & ipſum efficacius apud opinionem publicam typo quodam excuſantis accuſat. Mallet igitur ſi animum eius ſeuerior indurauit affectus præſentem frequentibus vexare moleſtijs, quàm ad indulgentiam qualibet importunitate compelli; mallet ſi mitius aliquid quandoque propoſuit, vt id liberalitati eius in beneficium, quàm patientiæ veſtræ cederet in triumphum.

Ad ſummam, frequenti vobis eſt conſideratione tractandum, quæ cauſa veſtra ſit, quis aduerſarius, quæ parti veſtræ ſtudia ſuffragantur. Et cauſæ quidem iuſtitia manifeſta eſt; quoniam pro Eccleſiæ Dei libertate contenditur, quam ille ſemel in cruce liberatam euicit, & redemptam impretiabili pretio vniuerſis qui ipſius nomine cenſerentur reddidit vniformem. Sicut enim vna fides eſt, vna eſt & libertas, quam identitas Sacramentorum, & operantis omnia Spiritûs ſimplicitas conſecrat & confirmat. In hoc quippe conſiſtit vnitatis Eccleſiaſticæ mirabile Sacramentum, quòd ſicut vna fides eſt, vnus Spiritus, & vnum baptiſma, ita eſt vnum manumiſſionis perpetuæ teſtamentum, quo nos diuinę bonitatis adoptio non tantùm liberos efficit, ſed & cohæredes. In quo quotiens libertati detrahitur, conſtat fidei nihilominus derogari; quoniam mutuo ſibi inuicem ratione connexæ eadem

eadem ſemper & diſpendia ſentiunt & prouentus.

Porrò aduerſus eum vobis agendum eſt, cuius aſtutiam remoti vicini; potentiam, ſeueritatem ſubditi reformidant: quem adeò crebri ſucceſſus & fortunæ fecit gratia delicatum, vt quicquid non obſequitur, ducat iniuriam: quem quantò moueri facilius, tantò ſit difficilius mitigari; apud quem temeritatem non fouet impunitas, ſed indilatam delictis irrogat vltionem: Verùm humilitati & patientię præparat ſe quandoque tractabilem: viribus non ſuſtinet expugnari, ſed planè quicquid fecerit de voluntate videatur non de impotentia proueniſſe. Quod erit potiùs gloriam quærere, quàm prouentum: quod in Principe poſſet ſatis commendabile reputari, ſi gloriæ materiam virtus, & veritas non vanitas, & dulcis vſque in exitium adulatio compararet. Magnus eſt, multorúmque maximus, quoniam nec ſuperiorem habet qui terreat, neque ſubditum qui repugnet, nec alienis extrinſecus pulſatur iniurijs, quibus ab innato domeſticæ feritatis manſueſcat affectu, ſed omnes qui aduerſus eum contentionis cauſas habent, potiùs ad vanæ pacis fœdera peritura conueniunt, quàm ad virium experimenta decurrant, quoniam diuitiarum copiâ, multitudine fortium, amplitudine poteſtatis excedit.

Regis deſcribit indolem, ac vitia.

Quod ſanè contemplati, quorum ope niti, quorum muniri conſilio, quorum fulciri ſuffragio debuiſtis, à vobis velut facto agmine diſceſſerunt; quando maximè nominis ſui rationem deberent agnoſcere, & ſe vobis ſuffraganeos non refraganeos exhibere. Vtinam priſtinæ profeſſionis ſuę memores extitiſſent, quæ concepta ſemel in ſeriem totam futuræ ſucceſſionis extenditur, & nouo ſuccedente vetus ſemper in idipſum obligatio reformatur. Hi ſunt qui ad veſtram cauſam, imò cauſam Chriſti per omnia diſcrimina proſequendam tenebantur obnoxij, ſi debitum Ordinis ſui, & detrimentum Eccleſiaſticæ libertatis attenderent: ſed qua fide, qua caritate vobiſcum, imò cum Deo cœperint ambulare vidiſtis, quia in neceſſitate veſtra nec vtendum diſſimulatione, nec ſermonibus temperandum, nec parcendum contumelijs cenſuerunt, ſed totis ſtudijs ſeſe inuicem pręuenire certabant, vt vnuſquiſque vos vel magis odiſſe crede-

Epiſcopi S. Thomæ aduerſantur.

retur, vel in nihilo peperciſſe. Mirabatur Romanus Pontifex, & hi penes quos cum eo ſumma diſponendæ Eccleſię cura conſiſtit, quòd oues in paſtorem, quòd in patrem filij, quòd in ſeipſos denique tantâ vehementiâ gladios contorquerent. Si enim potuiſſent efficere quod quærebant, nec ipſum libertatis nomen, nec ſpes libertatis aliqua reſediſſet, ſed tanta iam regiminis Eccleſiaſtici fuiſſet ſecuta confuſio, vt nihil ordine tractaretur, ſed omnia ſtolido permiſcerentur errore, cùm ſublatis priſtinis inſtitutionibus nihil ad debitos ſuo iure dirigeretur effectus. In his igitur, quantum mihi videtur, non niſi inanem vobis poteſtis collocare fiduciam, quia fidelem reconciliationi operam non impendent, qui cauſam diſſidio præſtiterunt.

Multi in Anglia à partibus eius ſtant, ſed occultè.

Reliqui verò fere omnes qui in inferioribus ſunt gradibus conſtituti perſonam veſtram ſinceræ caritatis brachiis amplexantur, altis, ſed in ſilentio ſuſpiriis implorantes, vt ſponſus Eccleſiæ ad gloriam ſui nominis felici vota vſtra ſecundet euentu. Nullus tamen eſt qui ſe vobis amicum audeat confiteri, ſed quò magis odiſſe credantur, veteres inimicitiarum cauſas allegant, ne indicta velut in cæteros proſcriptione damnarentur. Fertur enim de ſuſpicione ſententia, nec ad irrogandam pœnam veritatis argumenta quæruntur, ſed inuoluuntur æqualitate ſupplicij, quos culpa non æquauerat qualitate delicti. Profectò gratiſſima vobis eorum debet eſſe compaſſio, quia licet animos ſublimium, minorum vota non moueant, indignationem tamen diuinæ etiam Majeſtatis expugnant, vt tantò fiat ad indulgentiam pronior, quantò ab humiliore fuerit reuerentia ſupplicatum. Reſpicit enim in orationem humilium, cauſam potiùs reputat, quàm perſonam, vt cauſæ ſemper iuſtitia ſua quantumcunque dilata reſpondeat, & perſonæ nihilominus merces meritis compenſata concurrat. Eorum igitur apud Deum vobis poterit prodeſſe deuotio, ſed apud Regem ſicut nullam impetrandi fiduciam habent, ſic nullam fiduciam ſupplicandi.

Proceres, ei & Eccleſiæ ſunt aduerſarij.

Ad hæc ſi ſtudia Procerum ducitis inquirenda, certum eſt eos aduerſus Eccleſiam Dei quaſi fœdus inuicem contraxiſſe, vt vtilitates eius ſemper impediant, & dignitatibus

inceſſanter obſiſtant, quia totum ſibi reputant deperire, quicquid eius vel honori, vel prouentui viderint acceſſiſſe. Inſtant alacriùs, eo quòd eis grata de temporis oportunitate refulget occaſio, quia vires eis Regiæ ſuffragantur, quoniam prædicant ſe in his ad ſtatum Regni conſeruandum fidelem diligentiam adhibere. Aiunt prædeceſſores nec tantas vires, nec tantam poteſtatis amplitudinem habuiſſe; non oportere eum indigniùs regnare, vel remiſſiùs operari, dignitati magis quàm vtilitatibus intendendum, cùm plerumque cupiditatem lucra redoleant, dignitas ſemper reuerentiam augeat, & gloriam maieſtatis illuſtret. Attribuunt ergo dignitati quicquid olim de poteſtate conſtat eſſe præſumptum, licèt illud nec fidei concordet, nec rationi conueniat, nec conſentiat æquitati. Ille verò auidiùs quàm expediret blandos adulantium ſermones amplectitur, fidem reputans, quod nihil aliud quàm dolum malignitatis eſſe nouiſſimo deprehendet effectu. Si quis enim eorum altius vota diſcutiat, intelliget quia callidè ſibi gratiam eius, & ipſi laboris ac detrimenti materiam præparant in futurum. Ad hoc totis anhelant deſideriis, totis artibus elaborant, dummodò eorum non innoteſcat intentio, vel ſcilicet eius quandóque potentia reprimi poſſit, ipſíſque vetus delictorum impunitas, & noua delinquendi licentia reparetur. Horum quantò promptior eſt malignitas, tantò eſt efficacior ad nocendum, quia eis familiaritas occaſionem præſtat, & auctoritatem excellentia ſubminiſtrat.

Præter hæc ſi extraneorum ſubſidia diſcretio veſtra conſideret, in illis cum gratia ſtatim effuſæ liberalitatis concurrunt, ſed poſtmodum tædio diuturnitatis tepeſcit affectio, & liberalitas impendij quantitate laſſatur. Onus quippe modicum itineris longitudine certum eſt ingrauari, & domeſticæ ſarcinæ onus ſæpe præponderat alienum. Hęret altiùs, difficiliúſque conuellitur qui de præcedentibus meritis adoleuit affectus, ſempérque ſe verecundia reputat obligatam, donec ſaltem quæ præcepta ſunt vberiùs compenſata ſoluantur. Conſtat itaque delicatè tractandos eſſe quos ad beneficium vltroneæ gratia caritatis inuitat, nec oblatum liberaliter poculum quis abſorbeat alienum, ſed

citra votum etiam largientis manus continendæ ſunt ', ne alienam virtutem neceſſitas vel impudentia noſtra conſumat.

Vt prudenter rationũ momenta apud ſe pertractet.

Hæc ſunt quę bonum eſt veſtram crebriùs tractare prudentiam, & rationis inſtrumentis ſæpiùs expenſa reuoluere; & ſic omnia quaſi ſub vnum conferatis aſpectum, vt quid ſingula ponderis habeant, pleniùs de ipſa poſſit collatione perpendi. Cęterùm media vobis erit via ſecurior, vt nec propoſitum veſtrum aduerſitatis auſteritas interuertat, nec conſcientia veritatis obduret, ne vos vel pauor deſperatum faciat, vel confidentia pertinacem. Tolerandum quippe eſt quod ſine crimine poteſt, fideique periculo temperari, multáque ad tempus diſſimulare neceſſe eſt, quæ ſtatim nequeunt emendari, donec tranquillior nobis Spiritus auræ leuioris aſpiret. Non enim ſemper eoſdem diuerſa tempora repræſentant euentus, ſed præſentia nobis quandóque prę- teritorum detrimenta reſtaurant. Circa contingentia nihil ſtabile ſibi poteſt infirmitas humana præfigere, nec de ſuorum etiam niti poſſunt affectibus animorum; ſed & ipſos fortuitis caſibus cohærere neceſſe eſt, & ad ſingulos eorum motus ſingulas effingere voluntates. Totis ſiquidem ſtudiis coguntur exquirere quod ab eis modò nullis poterat precibus impetrari, quia dexteræ Excelſi repentina mutatio totam docet illicò manſueſcere feritatem; ſic eſt: In manu Dei corda ſunt hominum pariter & perſonæ, parique facilitate, & perſonas de medio tollere poteſt, & animos immutare. Super quo ſpem vobis certiſſimam tribuant conſcientię puritas, & momenta fortunæ; quia nec ea quæ vobis aduerſantur æterna ſunt, nec ſperantem in ſe confundi iuſtitia diuina permittet. Inclinabit ſiquidem Deus animum Principis, & aduerſum ſua bonitate conuertet, vt Regnum & ſacerdotium paribus ſibi inuicem cooperentur auxiliis, mutuam ſibi reuerentiam, mutuam exhibeant caritatem. Si quis enim prouida prudentiæ veteris inſtituta conſideret, à quibus tam religionis Eccleſiaſticæ quàm Regalis excellentiæ iura fluxerunt, cognoſcet ea tanta ſibi inuicem rationis neceſſitate connexa, vt plurimam alterum de altero contrahat firmitatem. Vnde ſi quid inuicem violentiæ

vel iniuriæ fuerit irrogatum, in eum qui irrogauerit conſtat eſſe vertendum: quia neque pax Eccleſiæ ſine Regno, neque Regno ſalus poterit niſi per Eccleſiam prouenire. In caput igitur actoris reuertetur iniuria, ipſumque ſibi manus intuliſſe nouiſſimo comparebit effectu.

Interim ſi quid vobis ſerenitatis cœperit apparere occaſionem veſtra ſapientia non repellat, ſed oblatam prompto colligatis amplexu. Super quo ſi quid tractandum inciderit, nolite ſingulos articulos nimia ſubtilitate diſcutere; quia ſubtilitas contentionem parit, contentio verò ſopitos odiorum ignes quaſi quibuſdam flatibus excitat & accendit. Non erit vobis ad ſingularia decurrendum, ſed quaſi generalibus ſtudioſiùs inhærete, quia ſalua res eſt, niſi pactiones ſpecialiter expreſſæ perimant libertatem. Si enim nos fidei profitemur, & reuerentiæ & obſequij debitores, ſi bona, & perſonas noſtras honori & vtilitatibus eius offerimus impendendas, ſed Regias dignitates, & antiquas conſuetudines, in quibus legi Dei non obuiant, promittimus obſeruare, non lędit, quia in his omhibus contra debitũ nullatenus obligamur. Si ergo ſub hac, vel ſimili verborum conceptione, pacem vobis & veſtris bonitas diuina parauerit, interpretationes verborum futuris reſeruate temporibus, quia nec ipſe vobis tot mouebit de cætero quæſtiones, & vos in omnibus poterunt experimenta præſentia reddere cautiorem, ſed neque vobis apud homines gloriam videamini quærere vel triumphum, ſed Regi tanquam præcellenti omnis honor, omnis victoria conferatur, dum tamen vobis liceat coram Deo conſcientiæ veſtræ teſtimonio gloriari. Ego verò fidele paci veſtræ miniſterium, vt deuotus, ita promptus impendam, quoniam aduerſitati veſtræ, Deo teſte, compatior, & perſonam veſtram, & cauſam ſincerę brachijs caritatis amplector. Certum ſiquidem eſt quia fortunam veſtram & perſonam velut quoddam holocauſtum pro fratribus veſtris Deo in odorem ſuauitatis offertis, vt labor veſter nobis cedat ad requiem, inopia veſtra noſtras redimat facultates, & quod reſiduum libertatis eſt patientia nobis veſtra confirmet. Proinde ſic agendum erit mihi, vt me vobis prima facie profitear inimicum, quia amicum profitenti neque fides

*Si quid de pace tractandũ occurrat, non anxiè ſubtiliúſue diſcutere oportet.*

haberetur, nec aliquis præſtaretur acceſſus. Poterit igitur conciliando fauori ſimulatio deſeruire, vt vtilitati veſtræ cautiùs virtus operis, & induſtria ſermonis incumbat.

Hoſtes Regem ad concordiam impulſuros aſſerit.

Proinde conſolamini, quia de aduentu eius ad partes iſtas plurima nobis commoditas incipit apparere, quia præſens efficaciùs ab his qui vos diligunt poterit eorum auctoritati cedere, adquieſcere conſilijs, precibus inclinari. Venit autem animi ſolito manſuetioris, vt aiunt, quia animum eius licet ipſe diſſimulet, quædam præſagæ futurorum amaritudines compellant, quoniam intelligit in pleriſque factis ſcintillas quaſdam ad excitanda incendia confoueri. Mouetur enim Francorum inuidia, calumnijs Flandrenſium, Galenſium improbitate, Scotorum inſidijs, temeritate Britonum, Pictauorúmque fœderibus, interioris Aquitaniæ ſumptibus, Gaſconum leuitate; & quod grauius eſt, ſimultate ferè omnium quoſcunque ditioni eius conſtat eſſe ſubiectos. Suſpectam etiam habet Romani Pontificis quam ipſe motu repentino contraxit offenſam; Regnique ſtatus adeò de abſentiæ veſtræ cauſa confuſus eſt, vt nec Eccleſiaſtica, nec ſæcularia ſuo procedant ordine, neque quiſquam ſciat quid iuri Eccleſiaſtico, quid ſæculari debeat aſſignare. Pro his omnibus propoſuit primò cum Rege Francorum quibuſdam conditionibus conuenire, vt ſuo & ipſius terrore conuicto faciliùs poſſit cætera complanare. Diſpoſuit etiam, ſicut aiunt, in pleriſque mitiùs agere, vt in pacem omnia diſſimulatis reuocentur iniurijs, & ipſe celeri reditu ad reprimendam Galenſium reuertatur audaciam, priuſquam cum eis Scoti Britonéſque conueniant, & Albania ſicut Prophetatum eſt, incipiat indignari. Venit igitur imperata facturus, ſi fuerit qui ſciat vel audeat imperare, vtilius æſtimans aliquid ad tempus de faſtu veteris ſupercilij ſequeſtrare, quàm expectare, vt in perniciem eius quæ prædicta ſunt omnia vel pleraque concurrant. Valete. Dominus perſonam veſtram conſeruet incolumem, & aduerſitatem veſtram velociter ad ſecundos reducat euentus.

# EPISTOLA III.

Epist. 47.

## *Arnulfi Lexouienſis Epiſcopi ad Domnum Papam Alexandrum.*

QVæ detrimenta, quos labores, quas iniurias Eccleſia Cantuarienſis hac tempeſtate pertulerit, veſtra compaſſio non ignorat. Verùm afflictam diutiùs, & miſerabili mœrore confectam miſerator & miſericors Dominus oculo miſericordiæ reſpexit ad præſens, ipſamque cœpit ad ſtatum priſtinæ dignitatis & excellentiæ per glorioſa Beati Thomæ noui Martyris magnalia reuocare, quibus eam frequentiùs magnificentia diuinæ majeſtatis illuſtrat. Certum eſt autem ibi nouiter quoddam inter cætera contigiſſe miraculum, quod nulla ſpes anteà, nulla fiducia præſumebat: ſcilicet quòd ibi perſona ad regimen Eccleſiæ ſine deſignatione laïcæ poteſtatis electa eſt, cùm ibi nullus anteà promoueri potuerit, niſi de quo priùs potentia ſecularis edixit. Siquidem cùm opus illud ad veterem abuſum reuocari multis fuiſſet artibus attentatum, per merita prædicti Martyris omnis ſemper machinatio eluſa eſt; quia ea, quam ipſe ibi proprio redemerat ſanguine libertatem, perſonæ committi non pertulit, cuius non electio libera, & canonicus probaretur ingreſſus. Si enim tam recenter conualere veteris ritum violentiæ contigiſſet, inanis fortaſſe à pluribus pretioſi ſanguinis reputaretur effuſio, & in defectum decertata tot laboribus victoria concidiſſe. Cæterùm nunc tota prouincia in ſpecie optatæ tanto tempore libertatis aſpirat, & confirmatum Chriſti ſanguine teſtamentum nouo gaudet iterum ſanguine conſignari.

Quòd electio Cantuarienſis Archiep. ſecluſa ſæculari potentia facta fuerit, meritis S. Thomæ aſcribit.

Omnium igitur ad triumphum nouiter euictę libertatis concurrente licentia, exorato ſpiritu, & eos in vnum ſuauiter dirigente conſenſum, electus eſt vir cuius religio, cuius prudentia, cuius magnificentia tanto operi idonea crederetur, quòd non externis indicijs, ſed inter domeſtica clauſtra

per longum tempus ipſis rerum conſtiterat argumentis. Nulla inuidia, nulla ambitio, nulla denique vis obuiare prȩſumpſit: quoniam ſanctus ille ſucceſſoris ſui conſecrare videbatur initia, & altari, cuius ipſe ſacerdos extiterat, gratum ſibi ſubſtituere ſacerdotem: felicitati temporum veſtrorum hæc licentia ſeruabatur, vt hoc ad veſtrorum accederet gloriam titulorum; ſcilicet quod vbique virtus veſtra ſuam reſtituerit Eccleſiȩ libertatem. Benedictus autem Deus qui ad conſenſum hunc deuoti filij veſtri ſenioris Regis animum inclinauit, factúmque hoc debito fauore proſequitur, quod aliquando conſueuerat deſignatione neceſſaria præuenire.

Electioni Rex iunior reluctatur.

Verùm filius, quem ad ſuccedendum ſibi in Regno fecit præmatura patris affectio conſecrari, tanto bono cœpit obſiſtere, eorum ſcilicet impellente conſilio qui eum de ſinu patris abſtrahere potuerunt, & ſimplicitatem adoleſcentiæ eius in proprium magis quàm in patris conuertere detrimentum. Studium igitur eorum eſt ipſum patri ſemper opponere, vt ex omnibus cauſis inter eos quæ ipſi ſeminauerunt odia conualeſcant, ne aliquando conuerſus ad cor debitum gratiæ naturalis agnoſcere, & ad paternos incipiat redire complexus. Super quo prudentiam veſtram neceſſe eſt ſollicitè præuidere, ne violentia neceſſariæ deſignationis quæ in patre per gratiam Dei & gloriam veſtram penitus expirauit, intuitu manſuetudinis, vel diſſimulationis veſtræ reſurgat in filio, ne tam ſublata quam tranſlata videatur in alium, tantóque vehementior paret inſiſtere, quantò paternam abrenuntiationem propoſito ſuo conſiderat obuiare. Perſonam itaque in qua deſideratæ diu libertatis cœperunt initia conſecrari benignè ſuſcipite, ipſique ad executionem tanti operis neceſſariam de magnificentia virtutis Apoſtolicæ conferte fiduciam, vt primitiæ veſtræ veſtris ſemper auſpicijs conualeſcant, & læto conſummentur effectu. Ad vos omnium fidelium oculi, ad vos omnium Eccleſiarum vota ſuſpirant, vt ex hoc qui libertatem habent, retinendi fiduciam, & qui non habent, ſpem concipiant obtinendi. Ad hæc hoc opus, hoc ſtudium, hæc Martyris illius iugis fuit intentio, Eccleſiȩ cui præerat redimere libertatem. Hic laboris fructus, hæc merces ſanguinis, hoc prȩmium

mium paſſionis. Quia verò ille hunc velut hæredem & ſucceſſorem conſeruandę libertatis elegit, glorioſum vobis eſt cooperari Martyri, & ipſius initijs veſtrum addere complementum, vt operationi eius operatio veſtra velut eodem ſpiritu vegetata concurrat. Ipſum ergo ad opus ad quod tam ſanctè, tam celebriter aſſumptus eſt, cum feſtinatione remittite, ne de abſentia eius occaſionem malitia contrahat, & rediuiua potentiæ ſæcularis incipiant germina pullulare, ſed per iſtum Beatitudo veſtra renaſcentes paruulos teneat, & allidat ad petram: ſublatóque priſtinę ſeruitutis elogio Eccleſia Dei lętabunda procedat, meritíſque illius, & veſtris; de antiqua ſemper iniquitate triumphans hoſtibus ſuis incipiat apparere terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Porrò intelligat ſapientia veſtra, non ſolùm Prouincię illius & Regni, ſed aliorum etiam Regnorum deſideria ſupplicare ad quæcunque Sancti illius tam relatione, quàm præſenti inſpectione magnalia peruenerunt.

---

## EPISTOLA IV. 

Epiſt. 48.

### ARNVLFI *Lexouienſis Epiſcopi ad* HENRICVM *Regem Anglorum ſeniorem.*

VENTVRVS eram ad vos, ſed me ſenectus, & infirmitas, & debilitas retinent quaſi quibuſdam reprimentis impotentiæ vinculis alligatum. Sed & à multis partibus multis vexor iniurijs, in quibus nullum remedium niſi de gratia veſtræ bonitatis expecto. Mitto itaque ad vos Ioannem de Abbatia hominem fidelem vobis pariter & deuotum, quem audire vice mea, & precibus meis ad momentum velitis aures regias inclinare. Obſecro reminiſcatur Excellentia veſtra fidei, deuotionis, & obſequij, honori & vtilitati veſtræ ab ineunte pueritia veſtra à me ſemper exhibiti, & in oportunitatibus meis apud vos merita mea mihi quandóque reſpondeant, nec impotentiam ſenectutis meę dignetur magnificentia veſtra conterere, ſed hominem ad omnem patientiam cum omni humilitate voluntati veſtræ

Regi obijcit obſequia ab ſe præſtita, quo gratiā eius ſibi conciliet; & quantam de regia dignitate rationem Deo ſit redditurus, indigitat.

ſemper expoſitum, liberalitate regia confouere, & nouiſſimos dies meos, quibus adhuc apud vos modico tempore futurus ſum, permittatis, imo faciatis in lætitia conſummare. Non me permittit puritas conſcientiæ meæ de veſtra ſapientia deſperare, apud quam ſæpiùs in multis & maximis gratiam merui, & ſi quid quandoque per ignorantiam aut ſimplicitatem minus prudenter actum eſt, fides ſemper & ſedulitas impenſi inceſſanter officij compenſauit. Ad ſummam, meliora ſunt verè diligentis ſeuera conſilia, quàm fallax aſſentatio blandientis, ſicut nouiſſimo tempore grauibus indicijs veſtra majeſtas experta eſt; quando ſcilicet amicis ferè deſperantibus magnificentiæ veſtræ terror inualuit, & omnes conatus hoſtium veſtrorum Deo propitio veſtra ſunt induſtria pariter & virtute compreſſi.

Memini adhuc, neque hoc vnquam aliquid à mea poterit extorquere memoria, ſublimitatem veſtram me inter initia veſtra in vlteriorem gratiam recepiſſe, meúmque ſemper quo ſæpiùs vtebamini vobis in omni tranquillitate profeciſſe conſilium; adeò vt nihil vnquam diſpendij, nihil laboris, nihil cuiuſlibet confuſionis attulerit, ſed omnium operum veſtrorum quaſi de miraculo procedere magnalia videbantur. Non erat qui veſtræ præſumeret obſiſtere poteſtati quia tunc omne opus veſtrum diſponebat ratio, dirigebat iuſtitia, miſericordia temperabat. Poſtquam verò mendax adulatorum turba conualuit, potuítque lethalia venenati mellis blandimenta licenter infundere, affectioni iuſtitia, ratio cœpit cedere voluntati, & meliore conſilio præformatos olim ſenſus in contrarios quandóque doloſa ſedulitate conuertit affectus. Vnde nimirum certum eſt, ortum eſſe ...... quia radix quæ viriditatem de iuſtitię, & veritatis humore non contrahit, ad iocundos & vtiles fructus nouiſſime peruenire non poteſt. Sanè verum eſt bona quandóquę vexationibus concuti, & quæ mala ſunt fallaci quadam ad tempus lætitia proſperari, ſed diuino iudicio ſemper ſuus nouiſſimè rerum meritis reſpondet euentus. Sic eſt, inconſultorum operum, exitus infelices pœnitentia ſera proſequitur, quę dolori quidem materiam comparat,

ſed nulla eorum quæ prouenerunt detrimenta reſtaurat. Inde verbum celebre ſapientis illius eſt: *Omnia fac cum conſilio & pòſt factum non pœnitebis.* Porrò conſilium eſt, aliquid faciendi vel non faciendi benè excogitata ratio, ſicut Tulliana nobis eloquentia definiuit. Intelligat dominus meus tria diffinitionem formare conſilij, veritatem, diligentiam, rationem, vt ſcilicet quod fit aut dicitur nitatur veritate, dirigatur ſtudio, ratione formetur. Quicquid enim ſtabilem non contrahit de veritate ſubſtantiam, ruinæ & defectui neceſſariò tenetur obnoxium, vt videlicet quod de nihilo ortum eſt redigatur in nihilum, nec in fundamenti alicuius ſoliditate ſubſiſtit, quod quaſi de inani quodam præſtigio falſitatis effulſit. His etiam quæ vera ſunt oportet ſemper cum inſtanti diligentia rationis adhibere iudicium, ne quis alienam quietem turbare, vel ius alienum confidentia poteſtatis præſumat inuadere, ſed modum iuſtitię continenter amplexus ſuperioribus reuerentiam, gratiam inferioribus, parem proximis exhibeat caritatem; & ad omnem partem mentis acie callidè circumducta, ſic omnes omnium de propria conſcientia metiatur affectus, vt alijs ſe talem in beneficijs & offenſis curet impendere, quales eos vellet in ſuis opportunitatibus inuenire. Quid conſilium.

Verùm qui præſunt officij ſui debitum arctiùs tenentur agnoſcere, vt ſe dominium potiùs ad cuſtodiam, quàm ad violentiam accepiſſe cognoſcant, nec eum cui cura eſt de illis, Deum ſcilicet, putent ob aliam cauſam eis faſtigium dignitatis, copiam diuitiarum, potentiæ gloriam contuliſſe, niſi vt eos in opus miniſterii collocaret, reddituros nimirum de ſingulis ſuo tempore ſub ſeuero diſtricti Iudicis examine rationem. Qui ergo periculum adminiſtrationis accepit, rationem præparet ad reddendum, quia vſque ad quadrantem comminatur ſe qui credidit exacturum. Quòd ſi ſua cum huiuſmodi potentibus gloria non deſcendit, nec enim eis aſcenſus promittitur, ſed deſcenſus, quid exigenti proferet qui nihil reſeruauit ſibi quod habeat ad ſoluendum; nempe carnem & ſpiritum; quia nihil eſt eorum quę rapta ſunt quod ſubſiſtat, neque alius eſſe poterit ſatisfactionis modus, niſi vt pœnam perpetuam ſoluat, qui non habet aliud vnde Regibus, & his qui præſunt, cur Deus potẽtiam, gloriam, diuitias &c. confert.

Non alijs ſe præferre debent.

poſſit à debito perpetuo liberari. Meminiſſe debent ab eo ſibi commiſſos eſſe, qui eos proprii ſanguinis redemit impendio, & mortis etiam amaritudine liberauit, à quo eiuſdem ſubſtantię naturam idem redemptionis pretium perceperunt, & eiuſdem gratiam mercedis expectant. Vnde ſi omnium eadem natura, omnium idem præmium, omnium eadem conſummatio & merces eſt, non eſt de quo alii aduerſus alios poſſint priuilegio gloriari, niſi quia qui præſunt grauiori ruinę, & maiori periculo ſunt obiecti. Scripſi diffuſiùs quia verborum copiam deuotio miniſtrabat, ſingulaque mihi dictu neceſſaria videbantur, vt fidelis ammonitio veſtrę vos faciat gloriæ reminiſci. Vtinam viros virtutis, & conſilia fortium Regia maieſtas æſtimet & agnoſcat, ne ſpiritus iniquitatis & mendacii fallacibus blanditiis robur animi regalis eneruet, & ad opera malitiæ vel defectus contrahat, & inclinet.

---

Epist. 49.

## EPISTOLA V.

*Arnulſi Lexouienſis Epiſcopi ad Dominos* ALBERTVM *&* THEODINVM *Eccleſiæ Romanæ Cardinales, & Legatos.*

Petit vt ratam habeant electionem.

PRo viro venerabili REGINALDO Batonienſi Electo Excellentiæ veſtræ nos ſupplicaſſe meminimus, quòd ſcilicet ab Eccleſia illa concorditer electus ſit, & vnanimi omnium voluntate ſuſceptus. Quod quidem adeò certum eſt, vt nihil in toto Regno ſit notius, nec aliquis eſt qui vel perſonæ diſponat obſiſtere, vel facto electionis velit in aliquo derogare. Sanè negotia & bona Eccleſiæ quietè cum omni poteſtate diſponit, & quidquid ab electo Epiſcopo citra gratiam conſecrationis expediri poteſt, ordinat, & diſpenſat. Quia verò ſine conſenſu auctoritatis veſtrę ad perfectionem gratiæ illius peruenire non poteſt, miſit ad vos Eccleſia illa venerabiles & electas de tota vniuerſitate perſonas, quæ vice omnium à bonitate veſtra complementum

promotionis eius pro moribus votis exquirerent, & obnixis precibus implorarent. Vidimus eos, Thomam ſcilicet Archidiaconum, & A. Monachum Eccleſiæ illius (quoniam Eccleſia illa Conuentum Monachorum habet, non Collegium Clericorum) & Magiſtrum Ranulfum, viros litteratos quidem & prudentes, & approbatæ à pluribus honeſtatis; negotium ſcilicet iſtud ex delegatione omnium omni ſtudio proſequentes, ſed viam quâ ad vos peruenire poſſent nullatenus inuenire potuerunt. Laborauimus cum eis, & plerique alij, nec vlla ſecuritas penetrandi ad vos potuit inueniri; præſertim quia negotio illi Rex iunior, qui in partibus illis commoratur, dicitur aduerſari. Ad ſuffragandum itaque votis, litteris tam ab humilitate noſtra, quàm ab alijs diligentiùs impetratis, nuntium pro ſe, quem habitus arctioris religionis & paupertas abſconderet, ad perferendum negotium, quia aliter id fieri non poterat, tranſmiſerũt. Quia igitur tantæ rei effectus nonniſi inſtantium bellorum importunitate & caſibus fortuitis impeditur, ſanctitati & officio noſtro credimus conuenire, ad idem etiam deuotas preces duximus adiungendas, vt quod reſiduum eſt auctoritas veſtra compleat, & confirmet, ne vota Eccleſiæ ludificari diutiùs permittatis, & ipſius vtilitates amplius impediri.

---

## EPISTOLA VI.

Epist. 59.

### ARNVLFI *Lexouienſis Epiſcopi ad* VVILLELMVM *Cenomanenſem Epiſcopum.*

VERVM eſt in Archiepiſcopi electione Suffraganeanorum deſiderari præſentiam, vt eorum, qui præeſſe habet, conſilio res vtiliter diſponi poſſit, & conniuentiâ confirmari. Aſſerunt autem Canonici Turonenſes ſe nihil in offenſam veſtram de præſumptione aut ſuperbia facere voluiſſe, ſed plurima neceſſitate compulſos acceleraſſe quod factum eſt; quoniam ſi differrent multa eis impedimenta in detrimentum Eccleſiæ, multa obſtacula comparebant. Sed & de opportuno Epiſcoporum aduentu maximè dubitabant;

Rogat vt electioni Turonenſis Archiepiſ. & ſi præſẽs non fuerit, aſſenſum præbeat.

cùm tempeſtas iſta, quæ circumquaque diffuſa eſt, ſingulos in partibus ſuis detineat, & multis neceſſitatibus occupatos. Audiuimus autem multis eorum non diſplicere quod factum eſt, ſed adhibito confirmare conſenſu, quoniam ſi quid in ordine facti minus obſeruatum eſt, nota laudabilis perſonæ merita recompenſant. Sanè vt in electionibus ordinis diligentia requiratur inſtitutum eſt, vt cautiùs & fideliùs poſſit de perſona idonea vtilitati Eccleſiæ prouideri, ſemperque perſonæ meritum ſpecialis amplectendum eſt; quoniam principali bono obſeruantijs quibuſlibet obſiſtendum. Quod enim fauore alicuius introductum eſt, hoc ad læſionem eius retorqueri non debet; maiórque fauor perſonæ debet eſſe quàm ordinis, quem inſtitutum conſtat ad inquirendam potiùs perſonam idoneam, quàm tollendam. Super quo apud Excellentiam veſtram multorum deſiderijs deſiderium noſtrum, & preces precibus duximus adiungendas, vt ad conſenſum operis & effectum veſtra benignitas inclinetur, & cùm id ad vos principaliùs habeat pertinere, veſtra poſſit promptior in operis executione & complemento gratia recognoſci. Siquidem hoc facto multorum vobis laudem & gratiam acquiretis, neque bonum eſt vt ſanctitas veſtra inter tot perturbationes & ſcandala, quæ omni ex parte peccatis noſtris exigentibus inceſſanter emergunt, ad vindictam tolerabilis iniuriæ, veſtræ Eccleſiæ, cuius tanquam maior, & primogenitus filius eſtis, tantum & laboris inferat & perturbationis. Et res fortaſſis ad ſuperius deducta iudicium proſperos ſortietur euentus. Satiúſque debet eſſe prudentiæ veſtræ omne rei complementum quaſi de veſtro beneficio cum multis gratiæ actionibus prouenire, quàm vobis inuitis à ſuperiori procedere poteſtate.

*Sequentia duo fragmenta haud prætermittenda, quin & publico bono profutura putaui. Siquidem Claudius Minos dum Arnulfi Lexouienſis Opera ex Bibliotheca Odonis Turnebi codice manu exarato. typis cudenda curaret, vtrumque, finem videlicet Sermonis ſynodalis Epiſtolæ ad Cæleſtinum Papam, aſſutum (quòd dubio procul auulſum eſſet folium vnum aut alterum è Turnebi Manuſcripto, San-Victoriano fortean, qui id detrimenti paſſus eſt) itidemque Colonienſes ac Pariſienſes in editionibus Bibliotheca veterum Patrum minimè compererunt. At verò hallucinationem hanc prior*

*animaduertit Doctiſſ. Iacobus de Sainte-Beufue, Regius Theologiæ Profeſſor; atque ſuis in Scriptis ope Manuſcripti Bibliothecæ Regiæ palam fecit; cùm nempe in Sorbonæ Scholis Eucharistiæ Sacramentum ſingulari eruditione aperiret Anno* 1654.

# FRAGMENTVM

## Sermonis in Synodo.

*Cuius eſt initium:* Quis putas fidelis ſeruus, &c.

VT ſemper Domino prouentus, & familiæ prouectus accreſcat. Oues Chriſti ſunt, quarum cùm ipſe ſit Dominus, tamen paſtorem & nihilominus profitetur, vt ſuam circa eas, & poteſtatem prædicet & affectum, vt ipſæ ei tanquam Domino in auditu auris obediant & ipſe eas tanquam bonus paſtor ſuper aquas refectionis in loco paſcuę collocet, & conſeruet. *Oues*, inquit, *meæ vocem meam audiunt.* Ecce quia quærit ab his, quæ ſuæ ſunt, tanquam Dominus exaudiri: *Et ego* Dominus *cognoſco eas.* Ecce quia ipſe rependit eis benignum mutuæ cognitionis, & agnitionis affectum. Quanta verò eas caritatis gratia complectatur facilè pretio redemptionis oſtenditur, quod ad eorum liberationem beneficentiâ Redemptionis impendit. Emptæ enim ſunt pretio magno, impretiabili ſcilicet ſanguine Crucifixi, quem licet appretiauerit Iudas, non poteſt tamen ſub pretij recidere vilitatem, cui nihil in rebus comparabile, quod omni prælatum creaturæ, quod in patris etiam dextera collocatum. Ignorabat homo quanti poſſet eius humanitas æſtimari; quia licet de Creatoris imagine ſimilitudinem contraxiſſet, nulla ſpe tamen, nulla ratione præſumere poterat aut præſcire vel Incarnationis humilitatem, vel amaritudinem paſſionis. Quippe rerum creatio gloriam quodammodò diuinæ majeſtatis illuſtrat, dum opus admirabile ſapientiam declarat opificis. Et per ea quæ ab eo viſibilia facta ſunt, ſempiterna virtus eius, & diuinitas innoteſcit. Videbatur ſibi feciſſe quod fecerat, vt ignotus à ſeculis in rationalis naturæ notitiam deueniret, & fieret quaſi quoddam cognitionis alternę

commercium, dum ipſe ſciret figmentum noſtrum, & nos aliquatenus intelligeremus diuinæ ſubſtantiæ veritatem. Quòd autem minoratus eſt ab Angelis; quòd breui virginalis vteri thalamo clauſus formam noſtræ ſeruitutis aſſumpſit; quòd iniurias hominum, quòd denique dolorem ſuſtinuit paſſionis; hoc ſaluti noſtræ ſingulariter impenſum veritas manifeſta declarat, vt mors temporalis ipſius nos ab antiquę damnationis elogio ſolueret, & ad vitam reuocaret æternam noui conſignatio Teſtamenti. Ipſe itaque ſingulare pretium redemptionis eſt, quod pari benignitate pro ſingulis & omnibus eſt oblatum, vt nullus ibi maioris amplitudinem gratiæ, nullus ſibi cuiuſlibet priuilegij prærogatiuam valeat arrogare. Vniformitatem creationis ſequuta eſt redemptionis æqualitas, vt pariter omnibus proficeret ad futurum prædeſtinatę retributionis euentum. Poterat enim ſuperbiæ vel inuidię parare materiam ſi, aliquos indulgentia prætuliſſet cęteris, quaſi defectu quodam deterioris eſſentiæ, aut minoris miſericordiæ condemnatis. Itaque ſi ortum hominis & proceſſum diligenter attendimus, apparet circa eum incomparabilis bonitas Conditoris, Redemptoris admirabilis caritas, inæſtimabilis gratia Saluatoris. Super quo magnæ dignationis eſt, nobis commiſſum eſſe quod tanta bonitate formatum eſt, quod tanta ſeruatum caritate, quod tanta nouiſſimè creditur gloria ſublimandum. Porrò quantò maior eſt dignatio, tantò maius conſtat eſſe periculum. Quantòque maiora ſtudium diligentiæ præmia recompenſant, tantò maior negligentiæ vindicta procedit. Sicut enim retributor bonorum, ita Deus vltionum Dominus eſt; apud quem ſicut nihil irremuneratum dimittitur, ita nihil relinquitur impunitum. Beati itaque ſerui, quorum cùm venerit Dominus fides & prudentia complacebit. Super omnia ſiquidem bona ſua, ſuper ea ſcilicet quæ præparauit Deus diligentibus ſe, conſtituet eos. Nihil reſeruabit abſconditum, ſed velut in omnes munificentia largietur diuitias gloriæ ſuæ cœleſtium ſcilicet plenitudinem gaudiorum, Regníque cœleſtis cohæredes admittet, vt de manu eius diadema ſpeciei recipiant, quo ſpecioſi facti, eum, qui ſpecioſus eſt forma præ filijs hominum, in decore ſuo reuelata facie contemplentur, & de-

le ctentur

lectentur in multitudine pacis, præparante eodem Domino noſtro IESV Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

*Initium Epiſtolæ* ARNVLFI *Lexouienſis,*

*Ad* CELESTINVM *Papam pro Eccleſia Sagienſi.*

PRO Sagienſi Eccleſia tota mente pedibus veſtræ pietatis aduoluor, confidens de vobis in Domino, quia bonum quod in illa per anteceſſores veſtros Deo auctore fundatum eſt, &c.

*Subijci quoque debuit hîc altera ad* CÆLESTINVM *Papam Epiſtola, quæ Sermonem illum inter & initium iſtius Epiſtolæ in codice Regio erat interiecta. Ita ſe habet:*

---

# EPISTOLA VII.

Epist. 51.

## ARNVLFI *Lexouienſis Epiſcopi ad* CELESTINVM *Papam, de promotione ſua.*

SVSTVLIT virum glorioſæ memoriç INNOCENTIVM Papam neceſſitas humanæ conditionis è medio, cuius Eccleſia Dei liberata triumphis, cuius adornata virtutibus, cuius denique magnificentia fuerat ſublimata; qui eam humilibus placabilem, tyrannis autem formidabilem reddens, quantò plus prauitati terroris intulerat, tantò Religioni plus exhibuit caritatis. Quod ſanè tam regularis diſciplinæ, quàm monaſticæ Religionis prouectus oſtendit. Cùm ciuitates & caſtella paſſim pro ſecularibus Regulares Clericos habent, & deſerta plus hodie Monachorum quàm ferarum quondam habuerunt beſtiarum. In morte igitur eius ſpem ſibi rediuiuam poſuerat deſperata malignitas, vt tunc ad nefarios liberè conatus erumperet, & ſtatum triumphantis in omnibus Eccleſiæ conculcaret. At verò in promotione veſtra quaſi quodam ſtatim languore ſpes maligna contabuit; bonis orta eſt ex timore ſecuritas, & exultationes Dei

in gutture omnium ſonuerunt. Non enim ambigunt quin veſtræ Sanctitatis ſtudio propagetur quod pio eius labore plantatum eſt. Quis enim audeat ſperare diſſimilia & minora de vobis, quem adeò & prioris vitæ rudimenta commendant, & modernæ promotionis auſpicia diuina probant voluntate prælatum. Sapientia enim cuius eſt à fine vſque ad finem fortiter ac ſuauiter bene cuncta diſponere, fortiter hoc de vobis, quia efficaciter, ſuauiter, quia concorditer adimpleuit.

Sed nec ſoli ſibi Romana Eccleſia tanti operis laudem arroget, nec inuidiosè aduerſum nos de tanta concordia glorietur, quoniam in hoc ipſum à multo iam tempore minorum Eccleſiarum vota conuenerant, nec alium adeò magnificentiæ tanti prædeceſſoris idoneum Roma nobis offerre poterat ſucceſſorem. Fecit ſanè tantam excellens virtutis veſtræ prærogatiua concordiam, contra quam vel nullus erat, vel nullus auſus eſt aduerſarius apparere. Verum eſt etiam electores veſtros longè anteà inde à nobis quaſi quoddam accepiſſe mandatum, cuius fines excedere non habebant, quoniam quod multò antè aduenarum præſagio præſumptum erat, incolarum voce completum eſt, ipſorúmque conſenſum noſtra deſideria creauerunt. Loquar ergo ad Dominum meum cùm ſim puluis & cinis; loquar deuotus filius vnico patri meo. Quantò, Domine, pluribus deſiderijs expetitus es, quantò faciliore concordia prælectus, quantò maiore omnium exultatione ſuſceptus, tantò te Deo & hominibus intelligis obligatum. Gratiam diuinæ dignationi, gratiam humanæ beneuolentię debes. Inſiſtendum tibi eſt, vt dignus ſit expectatione prouentus, vt Deo ſcilicet reuerentiam, hominibus exhibeas pietatem. Inter alios verò obſecro ne ſerenitatem tuam mihi maieſtas tantę dignitatis obducat, ſed viuat mihi apud te ſemper priſtinæ benignitatis affectus, teque prædeceſſori tuo in gratia mihi & beneuolentia ſentiam ſucceſſiſſe. Veniſſem autem ad vos, niſi circa confirmandam mihi recentem noui Principis gratiam, & reſarciendas Eccleſiæ, & domus noſtrę ruinas, & curanda germanorum funera, grauiùs occuparer. Quibus cauſis nec tempus adhuc, nec alacritatem habui, nec expenſas.

Veniam autem, Deo volente, quàm citiùs, vt oculis meis vultus veſtri ſerenitas illuceſcat, & ariditatem meam quaſi vberior de proximo nouæ benedictionis riget vbertas, quia modicum id quod ſum, totus ſum Sanctitatis veſtrę, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ deuotiſſimus ſeruus.

---

## EPISTOLA

Epiſt. 52.

### Gavfridi *de Meduana ad* Petrvm *Abbatem.*

Dilectissimo ſibi Petro Abbati SS. Martyrum Sergij & Bachi, omníque ſibi commiſſæ Congregationi Gavfridvs de Meduana, bene viuere. Gratia Dei, veſtríque & religionis veſtræ odor ad nos vſque diſtillans fragrauit. Vnde factum eſt Deo donante, & Fratribus veſtris noſtríſque G. atque R. mihi jamdiu eſt nimium dilectis inſtigantibus, quatenus pro redemptione animæ meæ, parentúmque meorum, Deo & Eccleſiæ veſtræ, vobíſque ea quę ſummatim perſtringam in eleemoſyna dederim. Decem aratra cum bobus, quæ carucas vocatis, & terram duabus * ſeſſionibus aptam ad laborandum dedi. Dedi etiam ducentos modios terræ ad opus ruſticorum veſtrorum, quos * ſextariatas dicitis. Addidi inſuper decimam totius laboris mei proprij pertinentis ad Caſtrum quod Seſula vocatur; & decimam * fuſariæ meæ, atque plateæ propriæ (alteram verò plateam anteà vobis dederam) & decimam omnium molendinorum meorum. Hanc itaque eleemoſynam propria manu ſub ſacramento confirmaui, & omnes Barones mei ſub eodem ſacramento ſuis manibus hanc eamdem eleemoſynam; ea videlicet ratione, quatinus me decedente nullum recepturi ſint Dominum, niſi priùs hæc eadem ſeruare adiurauerit. Vnde vobis ſupplico, quòd me & patrem meum, & Rotbertum anteceſſorem meum, vxorémque meam, quę Filqvelgardis vocatur, atque fratrem meum Amelinvm, qui nuper defunctus inibi tumulatus eſt, in beneficio veſtro vti Monachos ſuſcipiatis, & omnes Barones meos, qui huius rei auxiliatores ſunt in beneficio veſtro re-

al. * *ſatio-nibus.*

al. * *Setrée. f. à ſextario, ſexta parte congij*

f. * *Silua,* Gal. *Foreſt.*

cipiatis. De hac autem conceſſione ſcriptum remittite.

Supplico iterum vobis, & toto affectu deprecor, quatinus ſeptem Monachos electos & vtiles, ſi locus fuerit, ſin autem, quatuor, nobis ad præſens mittatis: Officinas cum clauſtro quas ego facio, præparatas inuenient. Valete. Illud verò vobis notifico, quòd vnoquoque anno vnam cappam pallij aptam ad minus, & ampliùs ab eodem loco habebitis. Ea verò quæ Monachi in equis & procuratione ſua mittent vſque ad natiuitatem Domini, redditurus ſum. Iterum valete. Fr. W. & Fr. R. his interfuerunt verbis, voſque ſalutant. Hæc autem omnia conceſſerunt, & auctoriſauerunt, atque ſigillis ſuis corroborauerunt, R. Princeps, & R. Comes, & filij, & fratres eorum.

---

Epist. 53. *Litteræ Commendatitiæ Gregorij VII. datæ Berengario poſt Concilium Romanum.*

GREGORIVS ſeruus ſeruorum Dei, Omnibus Beato Petro fidelibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Notum vobis omnibus facimus nos anathema feciſſe ex authoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omnibus qui iniuriam aliquam facere præſumpſerint Berengario Romanæ Eccleſiæ filio, vel in perſona, vel in omni poſſeſſione ſua, vel qui eum vocabit hæreticum, quem poſt multas quas apud nos, quantas voluimus fecit moras, domum ſuam remittimus, & cum eo fidelem noſtrum FVLCONEM nomine.

# EPISTOLA

Epist. 54.

## FROLLANTI *Epiſcopi Siluanectenſis ad* BERENGARIVM.

DOMINO & Fratri BERENGARIO FROLLANTVS Siluanectenſium Epiſcopus ſuus, quantum ſapit fidelis gaudia futuræ felicitatis. Detentus vtraque infirmitate non poſſum prout diſpoſueram, & tibi mandaueram huc ad te venire: ſed quæſo ora pro me & attentiùs, vt ea liberer, quæ animam meam necat, ægritudine; & neſcio ſi in hoc præſenti ſeculo ampliùs te, Cariſſime Domine, videre potero. Sed ſatage vt in alio cum tranquillitate merear te videre. Et tamen ſi tandiu Deus mihi vitam cum ſoſpitate ſeruarit, vt opportunitas ad te mihi veniendi eſſet, non quam dimitterem quin diu conceptum deſiderium tui ad te accedendo adimplerem, quia illud non auderem dicere, vt tu ad noſtras partes vel in hac Quadrageſima orandi gratia dignareris aduenire. Quòd ſi tanta circumſeptus fuero infelicitate, quòd neque huc ego, neque tu ad me valeas venire; etſi præoccupatus morte fuero animam meam tibi committo: mitte pro ea ad cœleſtem curiam obſecrationes nuntias, roga Archangelorum & Apoſtolorum Principes, & cæteros illius aulę Centuriones, qui tanto Regi adſiſtunt familiariores, vt illi dignentur ſuggerere quatenus peccatricem meam animam liberari præcipiat de mortis carcere: immò tu ipſe fultus orationis munere interdum & ſæpiùs pijſſimum & benigniſſimum Regem, vt pro alijs ſoles, pro me aggredere, & per te fiducialiter obſecra, vt dignetur mihi parcere. Domnum R. Abbatem, & cæteros dominos & fratres, quos mihi tua dilectio acquiſiuit, ſub meo nomine ſaluta, & in orationibus ſuis vt mei meminerint obſecra. Quicquid tibi placuerit mihi remanda. Illud volo Fraternitas tua nouerit, quòd multùm firmiter adquiſiui tibi gratiam Domini mei Regis. Vale. Et quamuis monitore non egeas, vt mei memineris attende.

Vt preces Deo fundat pro eo rogat Berengarium.

## *Epiſtola* BERENGARII *ad* RICHARDVM.

DILECTO Fratri RICHARDO BERENGARIVS ſalutem ac ſoſpitatem. Quia facilè vobis factum eſſe cum Rege loqui non neſcio, vellem ſi videretur & vobis verbum illi aliquod pro me faceretis, ſi fortè humanitatis, liberalitatis, dignitatiſque Regię, atque Chriſtianitatis reputatione aliqua munificentia compenſaret damnum quod in Clerico Eccleſiæ ſuæ iniuſtiſſimè, ac Regia Majeſtate indigniſſimè tantum intulit. Quòd ſi facit, ab immodica culpa, ſi modicâ expensâ, non modicum exoluit. Si autem non facit, me tamen præſto nihilominus habet in eo vno ſeruire Regiæ Maieſtati, vt ſatisfaciam ſecundum ſcripturas illi & quibus velit: iniuſtiſſimè damnatum Scotum Ioannem, iniuſtiſſimè nihilominus aſſertum Paſchaſium in Concilio * Vincellenſi, peruerſè & Regio auditu indigniſſimè expoſuiſſe illi Clericos Carnotenſes: ſi ita res acta eſt quomodò ad me peruenit, ſententia de Euchariſtia, quam in ſcriptura habet glorioſæ memoriæ Fulberti Epiſcopi, quam quidam ipſius Epiſcopi putant fuiſſe ſententiam, ſed eſt B. Auguſtini. *Væ* autem *Prophetis qui prophetant de corde ſuo, qui dicunt hæc dicit Dominus, cùm Dominus non ſit loquutus.* Propter Aſcellinum dico, quòd B. Auguſtini verba ad prauitatem ſui erroris detorquere non timuit; ſicut quidam compatriota illius qui apud Pictauum inter diſcutientes eamdem B. Auguſtini ſententiam, hanc coniecturam non eſt confuſus inferre. Propheta dicit tranſitorium Sacramentum quod per fauces tranſiret in ventrem. Quod autem hoc minus fidelitatis meæ ſeruitium refugiat, nouerit quæ ſcribit Ioannes Scotus, monitu illum ſcripſiſſe precarióque * Karoli Magni anteceſſoris ſui, qui quantùm circa res gerendas perſtrenuus, tantùm circa religionem deuotus, ne ineruditorum, carnaliúmque illius temporis præualeret ineptia. Erudito verò Ioanni illi impoſuit colligere de ſcripturis quæ ineptiam illam conuerterent. Vnde ferat oportet defuncto patrocinium contra calumnias

* Vercellenſi.

*Cuius epiſtola in Not. ad vitam Lanfranci p.24.*

** Seu Calui; non ille quem viſus poſterioribus ſeculis Magnũ cognominauit.*

nunc viuentium, ne ſi maluit exhibere indignum ſucceſſione, & ſede illius magnifici anteceſſoris ſui, qui etiam circa negotium intelligendarum ſcripturarum ſollicitus ab erudito viuo viro, non ad tenebrandum veritatis lumen, tale exegit obſequium.

Sacramentum quidem tranſitorium eſt, virtus verò quæ per ipſum operatur, & gratia, qua inſinuatur æterna participatio ſacramenti multorum eſt, paucorum communio caritatis. Qui Dominum purè diligit, bene ad ſacramentum accedit. Mandatum nouum, caritas. Teſtamentum nouum, promiſſio Regni Cœlorum, pignus hæreditatis, id eſt Sacramentum Communionis.

---

# EPISTOLA

Epist. 56.

## *Ad Magiſtrum Militiæ Templi.*

*Ut opem celeriter ferat obnixè Milites precantur.*

DE... *Dei gratiâ pauperis Militiæ Templi Magiſtro, Domino & Patri ſuo Frater A. eiuſdem militiæ Dapiſer dictus, & omnium Fratrum humillimus Conuentus, cum ſalute obedientiam, ac deuotarum orationum munus.*

Poſtquam à nobis diſceſſiſtis peccatis noſtris exigentibus contigit, quòd Principem Antiochiæ cum ſuis omnibus Baronibus, & hominibus Mœtuum in quodam prælio perdidimus. Quo mortuo, ſtatim Parthi terram Antiochiæ inuadentes, nullo reſiſtente, illam totam acceperunt, & Caſtella munierunt, & munita tenuerunt, tenent & tenebunt, niſi diuina nobis ſubuenerit clementia. Poſt hoc flebile infortunium cum Rege Ieruſalem congregatis Fratribus noſtris Antiochiam venire ſubueniendi gratiâ non diſtulimus. In quo exercitu centum & viginti Milites, armigeros, & ſeruientes bene armatos, vſque ad mille pugnantes, duximus. Pro quorum apparatu, antequam pontem Tyri tranſiſſemus, ſeptem millia Biſſantiorum, Accar, & mille Ieruſalem mutuò accepimus Sed quia vos petitioni domini noſtri Regis Francorum conceſſimus, & vt audiſtis inopiâ Militum, & ſeruientium, & pecuniæ vndique coartamur; ſup-

plicamus veſtrę paternitati, vt citò ad nos reuertamini, & ita munitus, quatenus Deo auxiliante, armis & pecunijs, Militibus & ſeruientibus, matri veſtræ Orientali Eccleſiæ miſerabiliter depreſſæ, ſubuenire poſſimus. Clamat enim ad vos,
*Iob.19.21.* *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos*, ô filii mei, qui propoſuiſtis mori pro mea defenſione. Manus enim inimicorum Domini grauiter tangit me. Et dùm Antiochiam veniſſemus, ſuperueniente Soltano de Eſtanconia, & ex alia parte Parthis de Corrozana irruentibus, vt intra muros ciuitatis nos incluſerunt, meſſes & vindemias nobis ex toto abſtulerunt. His igitur doloribus compulſi, vobis ſcribimus, vt omni dilatione remota ad nos redire feſtinetis. Meliorem enim cauſam reuertendi nunquam habebitis, nec vllo tempore aduentus veſter Deo poterit eſſe gratior, domuíque noſtrę & Ieroſolymitanę terrę vtilior. Domus namque noſtra Patre, Rectoréque ſuo viuente non debet eſſe orbata. Et quicquid de nobis ſit, de quibus nihil niſi miſericordiam Dei expectare poteſtis, venite. Sicut enim potens eſt Deus de lapidibus ſuſcitare filios Abrahę, ita ſi ei placuerit nos de manibus inimicorum ſuorum liberare; tamen nobis nulla patet euaſio, niſi nobis ille ſubueniat, qui nos terrámque redemit ſanguine ſuo. Nec miremini quòd tam paucos, aut fere nullos Fratres vobis mittimus, vtinam enim vos, & omnes Fratres in tranſmarinis habitantes partibus, nobiſcum haberemus. Plures enim eorum quos nobiſcum in exercitu duximus, mortui ſunt. His igitur de cauſis neceſſe habemus vt nos viſitetis, & quos idoneos ad hoc noueritis de Fratribus & ſeruientibus vobiſcum adducatis. Nam licet multùm properetis minimè tamen nos, vt credimus, viuos inuenietis. Venite igitur, & nolite tardare; ſic enim volumus, monemus, & poſtulamus, & inter cætera, domus noſtrę neceſſitatem attendite, quam vobis nec litteris, nec viua voce explicare poſſumus.

Præterea terrę perditionem, Domino Papæ, & Regi Francorum, & perſonis Eccleſiæ, & Principibus nuntiate, eos admonendo, vt ſubueniant deſolatæ Matri ſuę, aut præſentiâ corporum, aut bonorum ſuorum participatione. Et licet vos tardè venturos intelligamus, tamen venite. Tempus

enim

enim eſt, vota Deo perſoluamus, ſcilicet animas noſtras pro Fratribus noſtris, defenſionéque Orientalis Eccleſiæ, & ſacri ſepulchri ponamus: Hæc enim ſunt vota quæ reddere debemus in hoc tempore opportuno, ſi votorum cupimus habere merita. Memores anxietatum & paupertatum noſtrarum cum Magiſtro Fratres eſtote, & venditis omnibus quæcumque poteritis, Venerande Pater, vobiſcum, vt viuere poſſimus, nobis afferte. Valete.

---

# EPISTOLA

Epist. 57.

## *Decani, & Capituli Eccleſiæ Turonenſis.*

AMANTISSIMO *Domino & ſpeciali amico* PETRO *Dei gratia venerabili Redonenſi Epiſcopo I. Decanus, totumque Capitulum Eccleſiæ Turonenſis, Salutem, & pro miſericordiſſimo Iudice indigentibus facere miſericordiam.*

Petit Capitulum vt permittat Epiſcopus eleemoſynas in ſua diœceſi expoſcere.

Ad aures veſtras non ſine compaſſione ac triſtitia veſtra credimus perueniſſe, quomodò noua tempeſtate bellorum, quæ, peccatis noſtris exigentibus, partibus noſtris vehementiùs incubuit, malorum & dolorum cumulus ſpeciem & decorem Turonicæ ciuitatis obtriuit. Illa Chriſti famoſa ciuitas quondam plena diuitijs, quondam referta populis, ad tantam eſt calamitatem perducta, quòd in ea vbique eſt dolor, vbique miſeria, cui hodie infœliciſſimum infortunij genus eſt fuiſſe fœlicem, cùm iam non habeat quòd filijs ſuis præparet niſi ſepulchrũ. Porrò inter calamitatum anguſtias noſtra domus eleemoſynaria, refugium pauperum, requies infirmorum, operibus caritatis ſatis celebris,& famoſa, non occulto, ſed ſemper iuſto illius iudicio, qui propter peccata populi Sanctuarium ſuum alienigenis in direptionem & prædam contulit; hinc incendio & prædonum horrenda feritate nulla parcere conſueta; hinc miſerabili terræ ipſius deſtructione vnde ſubſidium expectare ſolebat rebus ſuis amiſſis,in tantam redacta eſt paupertatem, quòd confluente ad eam maiori ſolito captiuorum & ægrotantium multitudine,

cui ſolitam non poteſt denegare miſericordiam, jam non habet vbi membra Chriſti valeat refouere, non minimorum debitorum onere prægrauata. Timendúmque eſt ne ſub dulci pauperum onere pia nutrix ſuccumbat, niſi prouidente Domino, qui dat eſcam timentibus ſe, pietas fidelium cibi ſubminiſtrauerit alimenta, quæ ſe gerit vniuerſis expoſitam, licet miſerabiliter oneratam.

Ea igitur ad nos in ſuis indigentiis his habente recurſum, qui & rebus noſtris damnificati ſumus & plurimùm diminuti, & alios pauperes habemus nobiſcum, quos non ſufficimus conſolari, Clementiam veſtram quanta poſſumus affectione rogamus quatenus amore Dei & noſtri Fratres de gremio eius tranſmiſſos, præſentium portitores, liberaliter admittere, & plebanis veſtræ diœceſis dignemini commendare, dando eis ſicut vobis videbitur in mandatis, vt eos in parochijs ſuis benignè recipiant, & ad benefaciendum eis, plebes ſuas attentiùs moneant & inducant.

---

Epist. 58.

## EPISTOLA ENCYCLICA

### *Monachorum Burgidolenſis Abbatiæ, vitam, libróſque Heruei continens.*

CVM Propheta dicit: *Dominus virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo.* Si ipſe non pro ſua ſed pro auditorum ſalute proprias enarrat laudes, quomodò nos, quorum tota ſalus in laudibus eius eſt, tacere audebimus magnalia ipſius, quæ noſtris temporibus oſtendere nobis dignatus eſt? Nouerit itaque quiſquis hæc auditurus eſt, vel lecturus, nos nequaquam vanis vel falſis laudibus velle mortuos extollere, ſed ad laudem & gloriam Chriſti, ſalutémque audientium, pro amore veritatis, de veritatis ipſius amatore veraci ſtilo pauca deſcribere.

Profeſſione Monachus, patriâ Cenomanenſis.

Fuit igitur vir tam vita, quàm doctrina Venerabilis, HERVEVS nomine, Dolenſis Cœnobij Monachus, degens ibi circiter quinquaginta annis in prædicanda morum probitate; Patriæ autem Cenomanenſis indigena. Multa apud

nos ſuæ fidei & ſapientiæ, necnon & innocentiæ monimenta relinquens. Iam námque iuuenis, & à puero ſcholarum dogmatibus multipliciter imbutus, cùm prædictum Monaſterium ingreſſus fuiſſet, totum ſe ſtudio ſanctarum Scripturarum dedit, atque Catholicos tractatores, Auguſtinum videlicet, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, ac reliquos frequentare cœpit, iugitérque diebus ac noctibus eorum lectioni incumbere, meditationi inſeruire, non deſtitit; nec quolibet impedimento ab inquiſitione veritatis auelli potuit. Cúmque ſingularis ingenij, atque inæſtimabilis memoriæ eſſet, cœpit in vaſculo cordis ſui multa profutura recondere, & columbæ more meliora grana eligere, ſibíque memoriter retinere, ſcriptoque commendare.

S. ſcripturę & SS. Patrũ lectioni iugiter incumbens.

Fecit ergo primùm Expoſitionem mirabilem ſuper librum B. Dionyſij de hierarchijs Angelorum. Deinde expoſuit totum librum Iſaiæ Prophetæ, & Lamentationes Ieremiæ, extremámque partem Ezechielis, ibi incipiens vbi ſanctus Gregorius Papa dimiſerat, & ad finem vſque perducens. Simul etiam Deuteronomium Moyſi; & Eccleſiaſten Salomonis; necnon quoque librum Iudicum; & libellum Ruth; librúmque Tobiæ, omnia quæ in illis minus intelligentibus ſolam litteram ſonare videntur, inconuincibili ratione oſtendens Chriſti & Eccleſiæ conteſtari, & prædicare myſteria. Præthereà Apoſtoli & Pauli Epiſtolas cum tanta ſapientiæ affluentia expoſuit, vt qui eas legerunt, aſſerant nunquam ſe illis comparabiles cognouiſſe, & vix aut nunquam tantâ expoſitas diligentiâ poſſe alicubi reperire. Ad vltimum cum fama doctrinæ eius circumquaque ſpargeretur, & jam nullus ei, ſicut atteſtantur qui eum veraciter cognouerunt, Canonicarum ſcripturarum ſcientia primus haberetur: Librum duodecim Prophetarum, & librum Geneſis ex integro, tam mirabili ſenſu expoſuit, vt expoſitionem ſuper illos necdum potuerimus inuenire, quæ ſuæ æquiparari poſſit. Inter hæc quippe fecit plurimas expoſitiones de lectionibus ſanctorum Euangeliorum; Canticorum etiam quæ in Eccleſia leguntur: Libellum quoque de connexione quarumdam Lectionum, oſtendens aliter in quibuſdam Eccleſijs legi, quàm in ſacra Hiſtoria continentur. De quibus

Elucubrationes enumerantur.

Commẽt. is B. Anſelmo ſolet aſcribi.

vnum quod ſubditur exemplum ſufficiat. Legitur in Quadrageſima lectio quædam de libro Eſter; & ita in quibuſdam Lectionarijs incipit lectio libri Eſter: *Orauit Eſter ad Dominum dicens: Domine Deus Rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita.* Quam orationem ipſe illic ex Authore Sacræ Hiſtoriæ probat non feciſſe Eſter, ſed feciſſe Mardochæum, & ideò non eſſe legendum orauit Eſter, ſed legendum eſſe, *Orauit Mardochæus*, & multa ſimilia ibidem aſſerit. Librum etiam non minimum fecit de Miraculis ſanctæ MARIÆ Dei Genitricis, quæ eadem inuiolata Virgo temporibus eius geſſit in Dolenſi templo, quæ ipſe mox poſtquam geſta erant, ſicut audiebat ab ipſis in quibus fiebant, & à Monacho Cuſtode Monaſterij ſine aliqua dilatione ſcribebat.

*Eſter.* 13. 9

Demum quamuis propinquum finis ſui terminum paulàtim vigore deficiente ſenſiſſet, tamen ſine conſueto ſcribendi opere eſſe non poterat; & rogatus à nonnullis, vt qui omnes ſcripturas ſuper cunctos memoriter retinebat, de cœna ſancti Cypriani Cæcilij Carthaginenſis Epiſcopi, ferè de omnibus libris Canonicis aggregata, quæ quid intimaret eatenus apud nos incognitum erat, edoceret, ipſe quid de ea ſentiret. Acquieuit rogantibus, dicens dum ſcriberet, ſe fortaſſis cum iſta præſentem vitam finire. Et quia prior liber Expoſitionum ſuarum de dictis Sanctorum Patrum, Dionyſij videlicet Areopagitæ, extiterat, de eorumdem ſanctorum Patrum dictis iſte poſterior eſſet. Sicque contigit. Namque cùm eandem cœnam vſque ad illum locum expoſuiſſet, quo dicitur: Confundebatur Elizabeth, ſtupebat MARIA, ridebat de facto Sara. Quo loco videlicet apud nos terminabatur. Arbitraretur autem de ea non nimiam abeſſe partem tam ipſe, quàm Domnus Abbas Girbertus, qui hoc ei tanquam Monacho & filio ſuo mandauerat, eámque quæ deerat partem ab Abbate Sancti Sauini, qui ſe eam habere dicebat, & mittendam eis promiſerat, expectabant. Multa ſiquidem in ea vel dempturus fortaſſe, vel additurus, illam ſicut erat in abolitione reliquit.

Auſterriſſimam vitam agebat.

Et cùm tempus Quadrageſimæ in maxima mentis & maiore corporis quàm nuper fuerat virtute, in multa abſtinen-

tia, multiſque quotidianis virgarum verberibus, deuotis atque aſſiduis orationibus; & in quotidiana Sacroſancti ſacramenti corporis & ſanguinis Domini reuerenda celebratione; cum alacritate & gaudio ſancti Spiritus conſummaſſet; & in die ſancto Cœnæ Domini nos dulcifluo verbi Dei pane in Capitulo refeciſſet, in die ſancto Paſchæ Miſſæ hebdomadarius fuit, & ſermonem in Capitulo fecit. Secundâ feriâ Miſſam in Conuentu cantauit, & poſtmodum debilitate correptus, quarta feria inunctus eſt; ſed tunc communicari non potuit: quod ipſe poſteà aliquantulùm conualeſcens, diuina prouidentia accidiſſe aſſeruit, dicens non Dominum ad ſe, ſed ſe ad Dominum venire debere; & ſic ſequenti quam præcedenti die non audierat, ipſiúſque diei Miſſam audiuit, & confeſſus priùs Sacroſancta Myſteria Corporis & ſanguinis Domini in tutelam exituræ in proximum animæ deuotiſſimè accepit; ſicque per totam hebdomadam cùm Miſſam quotidie audiſſet, quam nullomodo amittere volebat: & Domnum Abbatem, qui tunc fortè deerat, antequam recederet multùm videre vellet; poſtquàm venit, ab eo viſitatus, atque abſolutus, inter manus ipſius cui ſe accuſabat, cœpit acri quidem, ſed breuiſſimo dolore fatigari vſque ad mortem, Dominicâ in octauis Paſchæ tranſiens ex hac vita, & ſcandens, vt credimus, ad ſyderea Regna.

Quotidie ſacrum faciebat.

Ne verò longiùs protrahatur Epiſtola, de omni tempore vitæ eius breuiter dixerimus: In diebus noſtris maioris abſtinentiæ, pudicitiæ mundioris, ſanioris conſilij, humilitatis altioris, taciturnitatis magis aſſiduæ, locutionis plus circumſpectæ, prorſúſque à vanitate alienæ; purioris, vel ampliùs Catholicæ doctrinæ, inque vniuerſa morum honeſtate prçclariorem nullum nos cognouiſſe. Hæc ſcribimus vobis, quoniam frater erat, vt de tanto fratre gaudeatis, & quod ei promiſeratis deuotè perſoluatis in Regno Dei, ad quod eum euolaſſe confidimus, ei conſociari ſperantes. Valete.

Epist. 59.

# EPISTOLA ENCYCLICA

## *Monachorum Caſalis-Benedicti.*

Geſta Andreæ Abbatis Caſalis-Benedicti compendio narrantur.

VNIVERSIS ſanctæ Eccleſiæ filiis, præcipuè Clericis, Religioſis, & orthodoxis, nec non fratribus monaſticæ profeſſionis,& degentibus ſecundum regulam Beati Benedicti, quin etiam ſanctis mulieribus regulariter viuentibus, puſillus grex ſancti Petri Caſalis-Benedicti ſalutem, pacem, gaudium, fœlicitatem perpetuam.

Quamuis ſanctam Eccleſiam per diuerſarum regionum loca conſtet eſſe diuiſam, tamen teſtante ſancto Spiritu in Canticis eſt vna in fide. Dicitur enim in eiſdem Canticis: *Vna eſt columba mea, vna eſt perfecta mea.* Vnde cùm aliquod de ſuis membris ab hoc ſæculo nequam eripitur, ſupplicando, deprecando, flagitari debet à Sponſo ſuo, videlicet Domino noſtro IESV Chriſto, quatenus ſeruum ſuum promiſſæ hæreditatis cohæredem faciat, & in ſuperna cæleſti Eccleſia cum Hymnidicis choris illum gaudere, & tripudiare iubeat. Hac igitur vniuerſali ſententia ammoniti, Fratres Cariſſimi, pro Domno Andrea Abbate noſtro, Fratre verò veſtro, pijſſimas aures Omnipotentis Dei nobiſcum pulſare ſatagite, quatenus cui deuota mente ſeruiuit, dum ſpiritus membra vegetauit, inhærere membris corporis à vita deſtitutis perpetualiter valeat. Hic etenim Beatus vir Anno ab Incarnatione Domini noſtri IESV Chriſti, milleſimo centeſimo duodecimo, Indictione quinta, duodecimo Kalendas Februarij, expleuit naturæ iura, mortis perſoluens debita. Pro cuius anima fundere Deo preces non ſit vobis deſidia, quia illum credimus regnare in cœleſti gloria, & pro noſtris exceſſibus ſupplicare Deo in ſuperna curia.

Cantic. 6. 8.

An. MCXII. die 21. Ian. obijt.

Quàm auſterè vitam egit.

Iſte etenim vitæ ammirabilis, cilicinis veſtibus & laneis poſt conuerſionem ſuam ſuper propriam carnem ſemper vſus fuit: eandem quoque multis macerans ieiunijs, viginti & octo annis Quadrageſimalem vitam duxit. Prætereà pietate, miſericordiâ, caritate ineffabili plenus, multis ſubuenit egenis,

quibus conſilium, quibus auxilium, quibus refugium fuit. Primus quoque Abbatiam noſtram quæ vocatur Caſale-Benedictum conſtruxit, pluréſque cellulas ſibi ſubpoſitas, ſcilicet Corneliacum, Contras; Altaria, S. Benignum, Beeſcam, Polinas, S. Anianum, Cambonum, Saluiniacum. In quibus locis duntaxat pro Dei amore Monachos ſub norma Beati Benedicti victuros, & diuinæ pietati quotidie militaturos coadunauit, quos verbis diuinis ſpiritualiter, & temporalibus cibis corporaliter, provt potuit paſcere non deſtitit. Sæpe etiam cùm fratres paupertatis onere nimiùm grauarentur, non habentes vnde humanam naturam vt deceret reparare valerent; iſte non ad modum mercenarij, ſed ad ſimilitudinem pij & boni paſtoris, ſemetipſum periculo mortis tradens, pro eorum vtilitate non ſolùm per loca vicina mendicando ibat, ſed etiam mare tranſiens in Anglicam terram pergebat. Vnde gratia Dei cum ornamentis pluribus, & marcis argenti redibat: Quibus Eccleſiam ſuam honorificè decorabat, & Fratrum ſuorum inopiam ſuſtentabat.

Primus Abbas Caſalis-Benedicti.

Cœnobiola, ſiue Prioratus eiuſdem Abbatiæ.

Clericos verò tam pauperes quàm diuites, & laïcos, prædicando vt mundum cum ſuis delectationibus derelinquerent, & religionis habitum ſuſciperent, hortabatur: quibus ſi rerum deeſſet copia, vnde indumenta non poſſent ſibi emere ad religionem pertinentia, libenter, gratulanter, properabat amminiſtrare propria. Quid per ſingula referam? Omnibus ferè quibus potuit, nulli nocere volens, proficere ſtuduit. Cui mos inerat celebrando Miſſas quotidie ſe in holocauſtum Domino mactare: quin etiam multoties totum ex ordine pſalterium legendo offerre Deo antequam cibum ſumeret, conabatur.

Hæc pauca ſuper vita prætextati bonæ memorię viri ad ædificationem veſtram huic Rotulo ſcribendo commendauimus. Cætera ne dilectioni veſtræ faſtidium generent, relinquentes, quæ gratia largiente diuina in noſtris voluminibus dictando reſeruare deſudabimus. De tanti Patris obitu nos inconſolabiliter lugentes, non parem, non ſimilem nos vlteriùs habentes, lacrymabiliter pietatis veſtræ oculis, Fratres Cariſſimi, ſupplicamus, & ſupplicando Caritatem veſtram, per eam quæ inuicem eſt fidem veſtram atque noſtram

obſecramus, quatenus, ſicuti ſupra taxauimus, pro eiuſdem Patris requie, & pro defunctis noſtris ALGERIO, GERADO. *

* Cætera in membranis deſiderantur.

Epist. 60.

# EPISTOLÆ

## *Mauricij Rothomagenſis Archiepiſcopi.*

Monet vt debitum ſoluant.

MAVRICIVS *vniuerſis Decanis in Rothomagenſi diœceſi conſtitutis, ſalutem in Domino.* Quantùm ſollicitudo ac diligentia quam circa collectionem debiti præteriti Pentecoſtes impendiſtis fideliter & deuotè, dignè debeat commendari, rei nobis exitus declarauit, cùm ferè totum debitum fuerit perſolutum, quod nunquam aut raró credimus contigiſſe. Verùm cùm ex præteritis ad ſpem futurorum ſimus vberiùs prouocati, dilectionem veſtram requirimus & rogamus, quatenus cùm præfatum debitum non ſit integrè perſolutum, adhibeatis operam efficacem, vt prima die plenè fiat ſolutio debiti memorati, tantam ſuper hoc curam & diligentiam adhibentes, quòd gratia quam propter prædictam diligentiam & ſollicitudinem eſtis conſequuti, diminutionem non ſuſtineat, ſed potiùs incrementum.

Epist. 61.

# EPISTOLA II.

IN nomine Patris, &c. Amen. Cùm peteret coram nobis auctoritate ordinaria I. à tali decem annui redditus certo loco & competenti non habente curam animarum annexam ad vitam præfati I. ſibi aſſignari, prout D. promiſerat, vt dictus I. dicebat. Tandem lite coram nobis legitimè conteſtatâ, inſtrumento quodam ex parte I. coram nobis exhibito: confeſſionibus in iure factis, die ad ferendam ſententiam aſſignata, præfato D. per procuratorem, & dicto I. perſonaliter comparentibus, & ſententiam inſtanter poſtulantibus, omnibus ritè peractis per procuratorem præfati D. nomine eiuſdem de bonorum virorum conſilio

per

per diffinitiuam ſententiam condemnamus ad aſſignandum eidem decem annui redditus, prout ſuperiùs eſt expreſſum.

---

## EPISTOLA III.

Epist. 61.

Quòd Rex Eccleſiam bonis ſpoliauerit, iubet deponi imagines B. Virginis, & in naui Eccleſiæ coloçari.

ARCHIEPISCOPVS *Rothomagenſis vniuerſis Decanis.*

Cùm bona Rothomagenſis Eccleſiæ, quibus nos pro voluntate ſua minus iuſtè excellentia regia ſpoliauit, & ob reuerentiam Beatæ Virginis in cuius honore eadem Eccleſia dignoſcitur eſſe fundata, eidem fuerint ab antiquo collata; nóſque regiam majeſtatem de nouo duxerimus requirendam, vt eadem bona nobis reſtituere dignaretur; qui nec ſolùm monitioni noſtræ ſatisfaccre non curauit, ſed nec ſuper hoc certum voluit dare reſponſum: Vobis in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus; quatenus cùm prædicta violentia in iniuriam Beatæ Virginis ſpecialiter redundare noſcatur, & vt offenſa quæ eidem in hac parte irrogatur in cœlis circa imagines ipſius repræſentetur in terris, vos vniuerſas imagines Beatæ virginis in Eccleſiis veſtrorum decanatuum collocatas, ſingulas iuxta aliquod altare in naui Eccleſiæ conſtitutum, non ad terram nudam, ſed ſuper cathedram aliquam, ſedem, aut ſellam; aut ſi fortè Eccleſia in naui altare non habuerit, in aliquo loco competenti ipſius nauis per earumdem eccleſiarum preſbyteros faciatis infra inſtans feſtum N. collocari. Eaſdem item imagines ſpinis immediatè circundari, & aliquibus repagulis, aut obſtaculis ne ab aliquo contingi, aut ſordidari contingat, eaſdem circumuallari cum debita diligentia faciatis. Hoc autem tam in regularibus quàm ſecularibus eccleſijs præcipiatis inuiolabiliter obſeruari. Hoc idem etiam de imaginibus Saluatoris à quindena eiuſdem N. Dominicæ faciatis: niſi infra eamdem quindenam à nobis aliud receperitis in mandatis. Datum &c.

Epist. 63.

# EPISTOLA VI.

Anathemate percellit ſibi ſubiectos ob bona Eccleſiæ à Rege ſublata.

ARCHIEPISCOPVS *Rothomagenſis dilectis in Chriſto vniuerſis Decanis.*

Cùm Dominus Rex monitus fuerit competenter, vt res noſtras nobis reſtitueret, quas pro voluntate ſua detinet occupatas, & reſtitueret Abbatem ſancti Wandregiſili, & quoſdam Monachos eiuſdem Eccleſiæ excommunicatos à nobis, diu eſt, pro manifeſta offenſa, ſecundùm conſuetudinem Normaniæ coram nobis compellerent ſtare iuri, nec adhuc placuerit regiæ maieſtati preces noſtras aut monitiones in aliquo exaudire: ne per longam diſſimulationem negligere videamur Eccleſiaſticam libertatem, cùm à die Tranſlationis ſancti Benedicti rebus noſtris per Dominum Regem fuerimus ſpoliati, & quidam de dictis Monachis à principio Quadrageſimæ excommunicationis vinculo innodati; de bonorum conſilio interdicimus omnes capellas domini Regis in diœceſi Rothomagenſi, niſi quandò fortè Dominum Regem vel Reginam adeſſe contigerit; in quo caſu quamdiu præſentes erunt capellarum illarum ſuſpendimus interdictum. Interdicimus etiam omnes Balliuos, & Subballiuos Domini Regis, qui in diœceſi Rothomagenſi tenent Balliuas vel Subballiuas, & eorum clericos, & vxores, totámque eorum familiam. Interdicimúſque omnia cimiteria in toto dominico Domini Regis in diœceſi prænotata. Inhibentes ſub pœna excommunicationis, ne aliquis præſumat in eis corpora ſepelire, vel in terra, vel ſuper terram, in plaſtro, vel in trunco, vel lapide vel aliquocumque modo, aut etiam ponere ſuper arbores cimiterij, niſi fuerint corpora Religioſorum vel Clericorum qui ſunt beneficiati, vel in ſacris ordinibus conſtituti, quos in ſuis cimiterijs ad præſens permittimus ſepeliri. Inhibemus etiam ſub pœna excommunicationis ne aliquis præſumat corpora illorum qui manent in dominico Domini Regis in noſtra diœceſi ad ſepulturam in aliis cimiterijs admittere, ſicut nec in cimiterijs interdictis.

Interdicimus item omnes Eccleſias & Monaſteria noſtræ iuriſdictioni ſubiecta in diœceſi prænotata, & dicto dominico, à pulſatione campanarum, & diuinorum celebratione cum nota; ne fortè ſi aliquę Eccleſiæ clauderentur, & à diuinis ceſſarent omninò, contingeret hæreſes pullulare, & ad ea quæ Dei ſunt populum indurari: quare præcipimus admitti in Eccleſijs illos, qui non ſunt interdicti aut excommunicati, & etiam corpora defunctorum, vt celebretur pro ipſis ſubmiſſa voce, & ſine nota officium conſuetum. Concedimus item benedictiones nuptiales, & mulieres ad purificationem admitti.

Præcipimus etiam per totam diœceſim cùm celebrabitur Miſſa in ſingulis Eccleſijs poſt Orationem dominicam, antequam incipiatur, *Libera nos*, &c. quòd ſacerdos flectat genua coram altari, & doceat Clericos & populum ſimiliter genua flectere, & orare pro libertate Rothomagenſis Eccleſię. Et ſacerdos, & Clerici dicant hunc Pſalmum: *Ad te leuaui, & Gloria Patri, &c. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Et ne nos, &c. Mitte nobis Domine, &c. Et de Sion, &c. Dominus vobiſcum.* Orat. *Eccleſiæ tuæ Domine quæſumus preces placatus admitte*, &c. Dicto pſalmo pulſitentur campanæ, vt populi, qui erit extra Eccleſiam, excitetur deuotio, ſimiliter adorandum: nec aliquo modo liceat alicui pulſare in dominico Regis, vel etiam pulſitare campanas.

Quare vobis mandamus in virtute obedientiæ, firmiter iniungentes, quatenus quiſque veſtrûm omnes Priores & Preſbyteros ſui Decanatus conuocare feſtinet, ita quòd hac die Martis in vigilia ſancti M. in loco competenti compareant còram ipſo, & formam mandati noſtri exponant eis in gallico diligenter, eam bis vel ter repetendo, iniungens eis ſub pœna ſuſpenſionis & amiſſionis beneficiorum, vt quod præcipimus diligenter obſeruent, & faciant à ſuis ſubditis obſeruari. Sciturì quòd ſi inueniremus eos tranſgreſſores, vel tranſgreſſiones aliorum ſub diſſimulatione tranſire, eos animaduerſione debita puniemus, & quilibet veſtrûm Abbatibus ſui Decanatus in dominico Domini Regis manentibus auctoritate noſtra præcipiat ab ipſis & ſuis ſubditis in eo-

dem dominico manentibus interdictum huiuſmodi obſeruari. Si verò infra diem Mercurij proximam poſt inſtans feſtum N. non receperitis à nobis ſuper his aliud in mandatis, diſtrictione præmiſſa vobis iniungimus quatenus quilibet veſtrûm ex tunc per totum Decanatum ſuum interdictum huiuſmodi faciat obſeruari, & hoc hac die Martis Preſbyteris iniungatis, ita quòd nec nos, nec vos pro iteratione mandati oporteat ampliùs laborare. Valete. Datum, &c.

---

Epist. 64.

## EPISTOLA V.

Eiuſdem argumenti.

MAVRICIVS *vniuerſis Decanis.* Cùm pluries Dominum Regem moneri fecerimus, vt reſtitueret nobis res noſtras quas pro ſuę voluntatis arbitrio detinet occupatas, nec ipſe nos exaudierit in hac parte, & propter hoc, & alias non modicas iniurias, quas nobis & Eccleſiæ Dei infert in noſtra diœceſi: primò dominicum Domini Regis, & poſteà totam diœceſim tali quali ſuppoſuimus interdicto; nec ob hoc idem Rex ab his iniurijs ceſſare curauit, ſed iniurias iniuriis cumulans in ſuo adhuc propoſito perſeuerer: Libertati Rothomagenſis Eccleſiæ condolentes cum cordis amaritudine & anxietate manum compellimur aggrauare. Quocirca vobis præcipientes mandamus, quatenus viſis litteris vniuerſas eccleſias in veſtris Decanatibus conſtructas, tàm in feodis noſtris, quàm in aliis, à diuinis officiis ceſſare penitus faciatis. Itaque nullum ibi diuinum officium celebretur, nullum ibi miniſtretur euchariſticum ſacramentum, præter baptiſma paruulorum, & pœnitentias morientium. In qualibet tamen parochiali Eccleſia permittimus, vt ſacerdotes ſemel in hebdomada, ianuis clauſis, excluſis interdictis, diebus non feſtis, & voce ſubmiſſa legant populo Introitum, Epiſtolam, Euangelium, & dent populo panem benedictum, & eis mandata eccleſiaſtica exponant, & excuſent nos erga populum, quòd cum anxietate & dolore cordis iſtud ponimus interdictum, non vt iniuriemur Domino Regi, ſed vti libertatem Rothomagenſis Eccleſiæ defendamus. Datum, &c.

# EPISTOLA I.

Epist. 65.

## *Odonis Canonici Regularis.*

FRATRI *R. Frater* ODO *Canonicæ profeſſionis votum perſoluere.*

Vt tibi ſcriberem, Frater Cariſſime, plus me coëgit otium, quàm aliquod certum negotium; plus fraternæ dilectionis fiducia, quàm aliqua litterarum ſcientia: ſed quia verba mea qualiacumque ſint puto tibi placere, iccircò malui aliquid ſcribere, quàm ſilere. Precor itaque quatenus otioſi verba non otioſè perpendas, & quicquid inſipienter dixero, ſapienter vt corrigatur attendas.

Agit de regulari obſeruantia Canonicorum Regg.

In profeſſione igitur noſtra quam fecimus tria, ſicut bene noſti, promiſimus, Caſtitatem, Communionem, Obedientiam. Si verba iſta ſuperficie tenus tantùm attendimus, mox quaſi de profeſſione obſeruata ineffabiliter, ſed tamen pueriliter exultamus. Dicet enim forſitan aliquis: Profeſſionem quam Deo inſpirante promiſi, vſque huc ipſo adiuuante ſeruaui: Caſtitatem quippe corporis teneo: nihil habendo proprium communiter viuo: faciendo quod mihi pręcipitur, obedientiam ſeruo. Ecce ſi ita eſt, vt dicit, bene vtcumque ſe habet, ſed tamen qui hoc dicit ſecurus eſſe non debet: ſi enim profeſſionis verba diligentiùs attendamus, & quod intus latet paulò ſubtiliùs inquiramus, videbimus planè necdum nos forſitan inchoaſſe, quod inaniter putabamus nos perfeciſſe.

Quid votis promiſſum.

Sed quia caſtitatem priùs promiſimus, priùs vtrum bene ſeruata fuerit videamus. Scriptura quippe ſacra duplicem aſſerit eſſe caſtitatem, carnis videlicet integritatem, & animi puritatem. Quæro igitur quæ ſit peior corruptio, mentis an corporis? Sed huius quæſtionis ſapienti patet ſolutio, ſi eum vera comitatur diſcretio. Mentis quippe corruptio tantò eſt longè deterior, quantò natura eius incomparabiliter melior. Quæ ſit autem carnis integritas, eſt omnibus ferè notum; ſed quæ ſit mentis puritas, multis, quod peius eſt, ignotum. Sed quãtum mihi videtur, illa mens caſtiſſima comprobatur,

Duplex caſtitas.

Mens caſta quæ.

quæ cùm ſit inter omnia Deum ſuper omnia diligit, & pro eius amore nulli peccato vel ſaltem in cogitatione conſentit. Quoties enim peccato alicui quantumlibet minimo conſentimus, quoties aliquid prꝛter Deum diligimus, toties caſtitatem noſtrꝛ mentis corrumpimus, quia Creatorem ſponſum animæ relinquentes, & creaturæ nos per illicitum amorem coniungentes, quodammodo ſpiritualiter fornicamur. Plus aliquid dicam. Quoties de tranſitorijs rebus otiosè & inutiliter cogitamus, toties puritatem animi in conſpectu Domini violamus. Hoc quod dico ſenſerunt eſſe veriſſimum qui dixerunt, Fornicationem eſſe momentaneum à Chriſti contemplatione receſſum. Perfecti etenim viri internæ dulcedini tanto dilectionis ardore per contemplationem inhærent, vt cùm per deſidiam, ſeu per negligentiam, vel modicum ab ea receſſerunt, fornicaſſe ſe iudicent. Hanc Dauid fornicationem deuitans, hanc caſtitatem deſiderans, aiebat:
*Pſal.72. 27.* *Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Sed huiuſmodi caſtitatem tenere fragilitati noſtræ eſt valde difficile, & penè impoſſibile, vt enim de corpore taceam, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? Atque ideò forſitan dicis, hanc caſtitatem nemo promiſit, nemo ſeruauit. Quis enim auderet promittere, quod ſciret ſe ſeruare non poſſe? Quis vnquam hanc tenuit caſtitatem, vt nulli prorſus peccato aliquatenus conſentiret, aut per contemplationem Deo iugiter inhæreret?

Hac igitur quæſtione, infirmitate noſtra compulſi, quamuis ſuperiora nos dixiſſe non pigeat, talem in ſequenti caſtitatem deſcribimus, quam per Dei gratiam & habere poſſumus & debemus. *Caſtitatis deſcriptio.* Dicamus itaque caſtitatem eſſe illam carnis integritatem, quæ vel in virginibus nunquam corrumpitur, vel in iam corruptis per confeſſionem & pœnitentiam reparatur, & religionis amore de cætero iugiter conſeruatur. Adiungamus etiam ſi placet illam animi puritatem, de cuius corruptione ſic in Euangelio legitur: *Matt. 5. 28.* *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Huiuſmodi caſtitatem nullus noſtrum, vt puto, negabit ſe eſſe profeſſum, id eſt, vt nec per carnem fornicationis expleat actum, nec in corde habeat fornicationis conſenſum.

Si igitur ſuperiorem caſtitatem tenere non poſſumus, vt nihil peccato quamuis minimo conſentiamus, hanc ſaltem vltimam teneamus; vt nec immunda violatio corrumpat carnem; nec illicita fornicandi concupiſcentia per conſenſum polluat mentem. Hæc de caſtitate.

Dicamus de Communione: Sicut ſuperius diximus quia nihil exteriùs proprium ſe videt habere, ideò communionem ſe perfectè putat tenere. Attendit forſitan quòd proprium non habet panem, quòd non habet propriam veſtem, & non attendit quòd habet propriam voluntatem. Attendit ſe habere communem cum cæteris manſionem, & non attendit ſe non habere cum cæteris communem dilectionem. Qui ſic attendit cœcus eſt, foris eſt. Redeat intus, aperiat oculos cordis, & attendat veritatem internæ communionis. Illa quippe communio vera & ſancta eſſe putatur, de qua in Apoſtolorum Actibus legitur: *Erat illorum cor vnum & anima vna.* Plus valet inter multos cor vnum, quàm commune cellarium: plus anima vna, quàm communis menſa. Quid verò prodeſt in cibo & potu alijs eſſe coniunctum, & per propriam voluntatem ab alijs eſſe diſiunctum? Parum prodeſt communio facultatum, vbi fuerit diſciſſio voluntatum. Ampliùs, ſi vni placet ſobrietas, alteri ebrietas; vni ſilentium; alteri multiloquium; vni fraterna concordia, alteri fraterna diſcordia; quomodò, rogo, poteſt eſſe valens exterior rerum communio, vbi fuerit tam nefanda & deteſtanda morum diſiunctio? Non ergo propter vnius domus habitationem, vel vnius menſę participationem, vel, quod maius eſt, propter vnam Dominici corporis & ſanguinis perceptionem, putet ſe implere aliquis communionis profeſſionem, qui ſibi aut propriam retinet voluntatem, aut per malos mores fraternam diuidit vnitatem. Hæc de communione.

*Quæ vera paupertas religioſa & communio.*

*Act. 4. 35.*

Nunc de obedientia pauca dicamus. Magna eſt certè virtus obedientia, & ſubiectis omnibus neceſſaria. Sed quid eſt aliud obedire, niſi omni terreno timore & amore poſtpoſito, pro ſolo Dei amore quæ ſibi iubentur implere? Sed ſunt nonnulli qui iccircò obedientiam exhibent, quia Prælati eorum nihil eis niſi quod eſt proſperum iubent: at ſi eis aliquid aſperum, & quod eos grauet, imponitur, continuò

*Obedientia quando vera.*

eorum obedientia vtrum vera fuerit demonſtratur. & hi tales rectè lilio comparantur, quod dum non tangitur, ſuauiſſimum reddit odorem; cùm verò premitur, peſſimum emittit fœtorem. Sciendum verò eſt, quòd iniunctæ nobis obedientiæ debemus aliquando voluntatem noſtram adiungere, aliquando autem ab eadem penitus remouere. Cùm enim Abbas meus mihi præcipit ieiunare, ſilentium tenere, pro offenſis meis correptionem accipere, vel aliquod opus, quamuis ſit viliſſimum, facere, obedientiam talem debeo gaudens & cum læta voluntate ſuſcipere. At ſi mihi præcipit lautiores cibos pro aliqua cauſa comedere, pro diuerſis negotijs huc illúcque frequenter diſcurrere, villarum procurationes ſuſcipere, & cætera quæ carni placent, & quæ proſpera ſunt, agere: huiuſmodi obedientiam non debeo quidem arroganter quaſi pro religione reſpuere, ſed delectationem propriæ voluntatis non debeo in illa aliquatenus quærere. Itaque in obedientia exhibenda, iſta eſt diſcretio retinenda, vt ſcilicet ſi obedientia grauis vel etiam vilis iniungitur, hanc bonæ voluntatis diſcretio vel deuotio comitetur. Si autem ſuauis & quæ carni placet imponitur, mox ab ea propriæ voluntatis cupiditas repellatur. Quicumque enim ſemel pro amore Dei ſæculi blandimenta & impedimenta reliquerit, peccat proculdubio ſi adhuc quandoque ex propria voluntate redierit.

Quòd ſi aliquis contendat profeſſionem noſtram ſimpliciter & ſecundùm quod verba ſonant, intelligi oportere, meliùs volo eius intellectui humiliter & pacificè cedere, quàm ſuperbè & contentioſè reſiſtere. Ego enim quando fragilitatem & imperfectionem meam reſpicio, etiam illum qui eam ſimpliciter & humiliter ſeruat, magnum apud me iudico. Sed tamen meliùs mihi videtur, quaſi de non ſeruata prudenter eſſe ſuſpectum, quàm de ſeruata imprudenter eſſe ſecurum.

Sed hæc hactenus: Ecce, mi Frater, quia eram aliquantulùm, immò nimiùm otioſus, longè protrahendo epiſtolam factus ſum in loquendo verboſus. Sic vitium de vitio naſcitur, ſic de mala radice malus ſurculus propagatur. Ecce enim quia ſectabar otium, incurri multiloquium, in quo ſecundùm

Salomonem

Salomonem non puto me effugiſſe peccatum. Sed quia iam inſinuaui quod volui, verboſitati terminum poſui. Vale, & ora pro me, gratia tecum. Fratres noſtros ex toto corde ſaluto, & vt ſe inuicem diligant; nihil per contentionem agant; id ipſum ſapiant, extraneos aduenientes cum caritate ſuſcipiant, ſupplex deprecor & exoro.

---

## EPISTOLA II.

Epist. 66.

FRATRI *N. Frater* ODO *fœlicitatem & fœlicitatis perpetuitatem.*

Fratrem conſolatur, adhortaturque vt in Monaſterio permaneat.

Cùm adhuc, Cariſſime Frater, in Apponi-villa maneres, voluntatem tuam mihi inſinuaſti, & vt Dominum Abbatem pro reditu tuo rogarem, per internuncium monuiſti: velles verò ſi fieri poſſet, nobiſcum libenter manere, velles Fratres, quos amas, videre, velles eorum dulci colloquio intereſſe. Dulce eſſet tibi eorum conſortium, dulce colloquium, dulce ſolatium. Non miror iſta; ſunt enim, vt verum fatear, Fratres noſtri ad ſocietatem amabiles, ad imitandum vtiles. Sunt, inquam, amabiles ad ſocietatem, tum pro vitæ ſanctitate, tum pro morum ſuauitate. Verumtamen, mi Frater, noli pro abſentia noſtra dolere, noli hoc grauiter ferre; certè ſi ex propria voluntate nos reliquiſſes, pro aliqua ſeculari delectatione, & per licentiam foris exiſſes, tunc meritò dolere debuiſſes. Nunc verò quoniam vera obedientia te coegit propriam relinquere voluntatem, & inſuper fratrum tuorum amabilem ſocietatem, exulta & gaude, & virtutem obedientiæ toto cordis amore complectere. Quòd ſi propter diſcendi ſtudium, noſtrum velles habere conſortium, ad hoc non ego, ſed in vitis Patrum ille Sapiens ſenex reſpondeat: *Cella tua*, inquit, *omnia te poteſt inſtruere.* Quomodò, inquies? Quomodò inſtruit quæ non intelligit? Quomodò docet quæ vocem non habet? Audi breuiter: Inſtruit planè ſi ſit qui intendat, ſi ſit qui aures cordis aperiat? cella quippe inſtruere dicitur, cùm qui in ea ſedet, Spiritu Sancto illuſtratus inſtruitur, cùm in ea poſitus diuerſis tentationibus agitatur, ſed per Dei gratiam liberatur. Magna

quidem doctrina tentationum, cùm & per eam homo ſuam intelligit infirmitatem, & tentantis diaboli malignitatem, & Dei liberantis benignitatem.

Videmus pleroſque illiteratos in cellulis habitantes de moribus ſubtiliter diſputare, diaboli occultas inſidias mirabili celeritate deprehendere, & deprehenſas cauere, & inſuper Deum ſuper omnia amare & quærere. Quis quæſo docuit iſtos? Non docuit eos Magiſtrorum eloquentia, ſed Spiritus ſancti gratia, & tentationum experientia. Huic igitur doctrinæ intende, & in cella tua iugiter propter Deum ſede: quia, ſicut ſcriptum eſt, qui ſedet in cella ſua propter Deum, ibi erit vbi Abba Antonius. Habes certè tecum grande ſolatium, Fratrem videlicet G. qui te poteſt & verbo docere, & bonis operibus informare. Vale & ora pro me. Gratia tecum.

---

Epist. 67.

## EPISTOLA III.

Quã præſtans obedientiæ virtus.

Prouerb. 21. 28.

Ibid. 16. 32

Heb. 13. 17

NOSTI, Frater Cariſſime, quia *melior eſt obedientia, quàm victimæ.* Et iterum: *Vir obediens loquitur victorias.* Et, *Melior eſt vir patiens viro forti & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Apoſtolus: *Obedite per omnia præpoſitis.* Sed quare tot obedientiæ teſtimonia profero? Si aliquis extraneus audierit iſta, vel legerit, forſitan te de inobedientia ſuſpectum habebit. Sed hoc penitus abſit. Non intendo per iſta verba te de inobedientia reuocare, ſed potiùs in virtute obedientiæ quam fideliter exhibes confirmare. Sed tamen cùm hoc inceperim, ſic tibi relicto quodam velamine manifeſto, vt & quod volo dicere tibi ſit manifeſtum, & neſcientibus quoque ſi legerint maneat occultum. Nouit conſcientia tua, & ego ſimiliter te reuelante cognoui, quia priùs quàm Dominus Abbas obedientiam iſtam, quam modò exerces, tibi iniungeret, quiddam tibi aliud agere libuiſſet, ſi licuiſſet; & quidquid agere diſponebas bona voluntate & pia vtilitate facere cupiebas. Nam ſi diſpoſitionis tuæ ſequeretur effectus aliquis inde vt ſperabas, proueniret fructus. At poſtquam ſubitò & inopinatè à Do-

mino Abbate vt huc venires mandatum obedientiæ ſuſcepiſti, continuò totum quod diſpoſueras, quamuis bonum, quamuis vtile, reliquiſti, & voluntatem propriam deſerens, cum domino IESV dixiſti: *Non veni facere voluntatem meam.* *Ioan.5.30*

Scire tamen te conuenit, quia plerumque diabolus eos, quos non poteſt ad inobedientiam trahere, facit in obedientia murmurare, vt ſaltem per occultum murmur obedientiæ meritum minuat, qui per apertam inobedientiam non ſupplantat. Sollicitè igitur contra diaboli inſidias nos vigilare oportet; quia ipſe eſt aduerſarius ille, qui *tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Sed quia verba iſta de Apoſtolo poſui, ea breuiter non neceſſariò, ſcilicet quaſi ex ſuperfluo, pro capacitate mei ſenſus expoſui. Rectè itaque diabolus aduerſarius dicitur, quia quibuſdam in via Dei exiſtentibus, & ad eum toto deſiderio cordis currentibus, ſeipſum opponere nititur, & ne ad eum perueniant, quantumcumque potuerit, aduerſatur. Qui etiam cùm deuorare quemlibet appetit, tanquam leo rugiens circuit. In rugitu notatur ſæuitia, in circuitu autem aſtutia. Itaque rugit vt terreat, circuit vt decipiat. Per rugitum terret formidoloſos, per circuitum decipit incautos. Sed nos per Chriſtum, qui eſt Dei virtus & ſapientia, & roborati & illuminati, & contra vtrumque armati per fortitudinem, contemnamus rugitum; & per prudentiam caueamus circuitum.

Quid obedienti obſeruandum.

Exponitur hic locus Apoſtoli. *1.Pet.5.8.*

Multiplex diaboli calliditas.

Vellem adhuc ſi poſſem diaboli circuitum ſubtiliùs indagare, & eius inſidias vt caueri poſſint lucidiùs propalare. Diabolus igitur quando aliquem cupit ſubuertere, ſi id leuiter facere poteſt non curat ibi diutius laborare. Et ideò imprimis in aperto quaſi in facie ad facinus ſeu flagitium perpetrandum inſtigat, vt citò & ſine labore ſubuertat. Vult vt homo malum quod ei ſuggerit apertè videat, & tamen faciat, vt eum maiori reatu inuoluat. Quod ſi à facie victus receſſerit, mox circuire incipiens ad ſiniſtrum latus paululùm ſe occultando conuertit. Per latus ſiniſtrum intellige opus malum. Sed notandum quia illud quod à noſtro latere ſtat, oculus noſter nequaquam ex oppoſito, ſed obliquo imperfectè conſiderat. A ſiniſtra ergo parte diabolus tentationem immittit, quando malum eſt quidquid ſuggerit: ſed

ne perfectè videri poſſit, illud velamine vel neceſſitatis, vel fragilitatis abſcondit. Sicut pleriſque ſub prætextu neceſſitatis inducit vitium guloſitatis, & ſub excuſatione fragilitatis ingerit culpam noxiæ leuitatis. Dicit enim: oportet te multùm comedere, quia hoc exigit tua neceſſitas: licet tibi ridere & loqui, quia ſic eſt humana fragilitas. At ſi ibi quoque ſe viderit deprehenſum, continuò gyrando tranſit ad dorſum, vt ſaltem ibi percutiat hominem, vbi non videt, quem per apertum malum in facie, nec per velatum in latere decipere valet. Sæpe etenim ſic deceptiones ſuas latenter occultat, vt quaſi à tergo veniens, ſubitò & inopinatè percutiat. Sed forſitan ille qui tentatur more ſanctorum animalium non ſolùm in facie, ſed etiam in dorſo oculos habet, & ideò diabolica illa tentatio velociter deprehenſa, nihil ei penitus nocet.

Inimicus autem malitiam, quam poſt dorſum parauerat, videns eſſe detectam, vt totum circumeat pergit ad dexteram. Sed quid per dexteram niſi bona actio deſignatur? Ad dexteram ergo tranſit, non vt bonum ſuadeat, ſed potiùs vt bonum corrumpat. Quia enim dum malum ſuadet, ex omni parte repulſus excluditur, ſuâ eum vrgente nequitià quando plus non poteſt, ſaltem bonum inficere nititur. Quibus autem modis illud inficiat, in paucis oſtendam. Per ſuperbiam, per vanam gloriam, per indiſcretionem. Tunc enim per ſuperbiam bonum corrumpitur, quando cor bene operantis cæteros deſpiciendo, ſéque alijs præferendo, in altum tumidè ſubleuatur. Hoc ſuperbiæ vitio Phariſæi bona diabolus malè infecerat, cùm Publicano à longè ſtanti & pœnitenti ſe præferendo dicebat: *Non ſum ſicut cæteri hominum: velut etiam hic Publicanus.* Vana etiam glora tunc ſuam maculam ingerit, quando is qui bonum operatur laudem propriam ab hominibus quærit. De quibus in Euangelio veritas ait: *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* In quibus verbis boni operis corruptio magna oſtenditur, cùm æternæ remunerationis præmium pro laude tranſitoria corruptione peſſima commutatur. Tertio autem modo bonum quod agit vitiatur, ſi in exhibitione boni operis diſcretio non tenetur. Propter quod dicitur: *Si rectè offeras, &*

Quibus modis bonum inficit Sathan.

*Luc.* 18. 11.

*Matt.* 6. 2

*rectè non diuidis, perdidiſti.* Rectè quippe offert, ſed rectè non diuidit, qui bonum quidem facit, ſed faciendi tempus & modum per diſcretionem ſubtiliter non diſcernit.

Sunt etiam alia multa corruptionum genera, quibus noſtra, ſi qua ſunt, bona opera frequenter inficiuntur, quæ & longum eſſet ſcribere, & faſtidioſum audire, & quod verius eſt, ego cœcus & mutus, nec videre valeo, nec proferre. Sed hoc tibi, Frater, de diaboli circuitu dictum ſufficiat, quem Deus & intelligere & cauere ſuâ nobis pietate concedat.

## EPISTOLA IV.

Epiſt. 68.

FRATRI R. *Frater* ODO *ſalutem.*

Oportet, Cariſſime Frater, vt hi & cæteri Fratres noſtri qui foris ad obedientias habitatis, partim pro voto profeſſionis, partim pro amore Religionis, verba veſtra & opera ſollicitè conſeruetis. Ad vos enim quorumdam oculi detractorum vitiosè & malitiosè frequenter reſpiciunt; ad vos diligenter, ſed non causâ dilectionis, intendunt; opera veſtra non ad imitandum, ſed ad lacerandum, conſiderant; verba veſtra non causâ ædificationis, ſed potiùs causâ detractionis auſcultant, & ſi in eis aliquid reprehenſibile viderint, exultantes & inſultantes deridendo & ſubſannando blaſphemant. Dicunt enim: Videte quales ſint Monachi, quales Regulares Canonici: Videte quantum ſint cupidi, quantùm ſuperbi, quàm iracundi, quàm inuidi. Ecce Regularis ille cupide aliena diripuit; ecce illi & illi contumelioſa verba reſpondit; ecce non ſolùm cum extraneo, ſed & cum Fratre ſuo litigium habuit. Vtinam detractores noſtri pro ſua tantùm iniquitate, & non pro rei veritate tibi dicerent. Vtinàm in nobis de his omnibus nihil penitus inuenirent. Sed væ nobis, ſi verum eſt iſtud quod dicitur, ſi per nos inter homines nomen Domini blaſphematur. Hoc enim eſt per nos nomen Domini blaſphemare, diuino ſcilicet cultui ac ſacræ Religioni propter cupiditates & contentiones noſtras derogare.

Religioſi cautè extra Monaſterium ſe gerere debent.

Neceſſe eſt igitur noſmetipſos circa vitam noſtram ſolli-

citè vigilare ; & quantum poſſumus pro amore Dei coram hominibus verbis & operibus, irreprehenſibiles exhibere. Sed ſunt nonnulli qui quantùm ad opera ſpectat ſemetipſos cautè cuſtodiunt, & ad perfectionem quamdam ieiunando, vigilando perueniunt, ſed tamen ad illius perfectionis ſublimia non pertingunt: De qua beatus Iacobus Apoſtolus ait: *Si quis in lingua non offendit, hic perfectus eſt vir.* Rectè virum perfectum appellat, qui quaſi vir viriliter ſtando in ſermone ſuo offendendo non titubat ; fragilis enim & quaſi fœmineus eſſe conuincitur, qui non ſolùm otioſa vel leuia proferendo, & quaſi in minimis offendendo, huc illúcque vacillando dilabitur, verùm & impellente irâ, præcipitante furore, nullo moderamine retinens frænum linguæ, litigando & conuitia irrogando, quaſi fortiter offendens, grauiter corruens, totus penitus conquaſſatur. Periculoſum quippe eſt otioſa verba proferre, ſed valdè periculoſiùs conuitia irrogare. Nam pro otioſo verbo ratio redditur, pro contumelioſo pœna exſoluitur. Siquidem Dominus in Euangelio ait? *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Et alibi : *Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis.*

*Iacob. 3. 2.*

*Matt. 12 36.*

*Ibid. 5. 22.*

Ecce in his verbis hoc quod prædixi patenter oſtenditur, quia & otioſum verbum ſequitur inquiſitio rationis, & illatum conuitium pœna certæ damnationis. Magnum quippe eſt illud peccatum, per quod homo ſeparatur à regno cœlorum. Dauid Propheta cùm quæreret: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* ſubiunxit dicens: *Qui ingreditur ſine macula.* Et pòſt pauca: *Nec fecit proximo ſuo malum ; & opprobrium non accepit aduerſus proximum ſuum.* Sed quid eſt aduerſus proximum opprobrium accipere ; niſi illatum proximo opprobrium libenter audire? Ille quippe accipit qui libenter audit. Si igitur à tabernaculo Dei excluditur qui aduerſus proximum opprobrium accipit, quantò magis ille qui intulit? Idem etiam Propheta cùm alibi quæreret, quis ſcilicet etiam vellet, & dies bonos videre diligeret ? ſuppoſuit dicens: *Prohibe linguam tuam à malo:* ac ſi diceret: Si linguã tuã à malo prohibueris, vitam & dies bonos proculdubio conſequêris. Salomon quoque ait: *Mors & vita in manibus linguæ.*

*Pſal. 14. 1 & ſeq.*

*Pſal. 33. 14.*

*Prou. 18. 21.*

Quia plerumque pro ſermone malo & dicentis & audientis anima moritur:& rurſum pro bono,& qui dicit, vitam meretur & qui audit, à morte animæ ſuſcitatur. Nam quia ſermo malus more gladij mortem animæ inferendo trucidat, Propheta Dauid quodam loco inſtrumenta ſermonis, inſtrumenta mortis appellat, dicens: *Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Et rurſum quia ſermo bonus vitam tribuit, Scriptura ſacra alio loco dicit: *Lingua placabilis lignum vitæ.* Oportet ergo à malo cohibere linguam ſi volumus peruenire ad vitam.

*Pſal. 56.5*

*Prou. 15. 4.*

Sed forſitan dicis: Vos qui intus in Monaſterio viuitis, qui horis conſtitutis ſilentium tenetis, qui lectioni & orationi aſſiduè vacatis, offenſiones linguæ facillimè cauere poteſtis. At nos qui iugiter foris ſumus, qui pro innumeris cauſis huc illúcque diſcurrimus, qui poſſumus loqui cùm volumus, in verbis noſtris frequenter offendimus. Veſtras autem linguas ne pernitioſè fluant ſilentium ligat, noſtras verò licentia loquendi nobis conceſſa relaxat. Iſtis ſermonibus tuis ſic ego reſpondeo. Verum eſt quòd ad cuſtodiam oris multùm nos & ſpirituale ſtudium, & conſtitutum ſilentium iuuat, ita vt ex vtroque adiuti otioſa verba proferre nec libeat, plerumque nec liceat. Vobis autem qui foris eſtis, etſi propter neceſſitatem data eſt licentia loquendi, ſed nulla conceſſa eſt poteſtas peccandi. Non enim ideò vobis data eſt loquendi licentia, vt vel cum extraneis habeatis iurgia, vel vobiſmetipſis inferatis conuitia. Quòd ſi cum eis qui foris ſunt litigatis, & intus vobiſmetipſis derogatis, fateor vobis quia à regularis viæ tramite longiſſimè aberratis.

Denique exteriora veſtra paulò diligentiùs attendamus. Si noſtrum nomen & habitum conſulamus, non bene conuenit vocari Regularem Canonicum, & verbis & operibus illicitis eſſe diſtortum. Non vnquam bene concordat caput raſum & cor ſuperbum; cappa religioſa & lingua litigioſa: parum proſunt ea quæ foris ſunt humilitatis indicia, ſi intus in mente dominatur ſuperbia: Parum prodeſt in modum pœnitentis caligas truncatas habere, & de perpetratis malis nullum dolorem pœnitentis ſentire: Parum prodeſt quòd

corona in capite dilatatur, ſi in corde refrigeſcens caritas coartatur: Parum prodeſt alta tonſura, ſi non tenetur in ſermone menſura. Igitur noſtrum exteriorem habitum attendamus, & quid nobis ammoneat intendamus. Si autem propter humanam infirmitatem, & loquendi aſſiduitatem, otioſa verba, & cætera quæ videntur eſſe minima, dimittere omninò non poſſumus, contentiones tamen & detractiones per Dei gratiam extirpare prorſus & poſſumus & debemus. Quòd ſi aliquando, quod abſit, diabolo ſuadente & iracundiâ impellente, alter alteri conuitium vel maledictum intulerit, ſecundùm Regulæ noſtræ conſilium & ille qui intulit debet quantocyùs ſatisfacere, & ille qui læſus eſt ſuam diſceptationem dimittere. Vt autem offenſiones linguæ, quæ multæ ſunt, cauere poſſimus, Domino Deo noſtro cum Propheta dicamus: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, &c.*

Ecce, mi Frater, litteras iſtas etſi tibi ſpecialiter miſi, tamen ea quæ ſcripta ſunt de omnibus Fratribus generaliter dixi; quia ſic mihi placuit, vt tecum loquendo omnes pariter ammonerem, & omnes ammonendo te non exciperem.

---

EPIST. 69.

## EPISTOLA V.

Documẽta vtiliſſima ſubminiſtrat.

FRATRI *R. Frater* ODO *ſalutem.*

Precor te, Cariſſime Frater, quatenus in obedientia tibi commiſſa ſic te contineas, vt & in vita tua Deus laudetur & honoretur, & per bonam famam tuam noſtra Eccleſia exaltetur. Vide vt & de foris coram hominibus bonum teſtimonium habeas, & intus coram Deo de bona conſcientia gaudeas. Tunc autem conſcientia erit bona, ſi nullum malum feceris ex deliberatione, & quodcumque bonum feceris ex ſimplici intentione; alioquin niſi intentio tua fuerit ſimplex & recta, nec fama quæ foris eſt erit vera, nec conſcientia quæ intus eſt erit bona. Intentionis autem ſimplicitas, hæc rectiſſima eſſe comprobatur, quando in bono opere penitus laus humana reſpuitur, & ſolummodò laus Dei & vtilitas proximi quæritur. Itaque iſta duo recta, ſcilicet operatio & ſimplex

Recta operatio, & ſimplex intentio, planè neceſſaria.

& ſimplex intentio duo faciunt bona; quia & ſimplex intentio per conſcientiam bonam operantis mentem intus lætificat, & recta operatio, quæ foris oſtenditur, ad laudem Dei alios inuitans, eos ad bonum operandum informat. Dicamus cum Apoſtolo, ſi tamen in veritate dicere poſſumus. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Ille enim ſolummodò certiſſimè gloriari valet, cui conſcientia bona intus teſtimonium perhibet. Certè, vt mihi videtur, facillimè homo decipitur, ſed Deus nullatenus irridetur: *Homo* verò *videt in facie, Deus autem* videt *in corde.* Deo igitur, qui intus videt, conſcientia noſtra pura & ſimplex appareat, & hominibus, qui vident faciem, vt glorificetur Deus, veſtrum opus bonum relucear.

2. *Cor.* 1. 12

1. *Reg.* 16. 7.

Quid in bonis ſciētia, quid in malis operatur.

Sit itaque operatio recta, ſit intentio ſimplex & pura, quia incaſſum ante oculos operatio noſtra procedit, ſi eam bona intentio non præcedit. Nec conſcientia intus requiem habet, quam vel perpetrata culpa deterret, vel de bono opere laus humana quæſita remordet. Tamen ſi de conſcientia noſtra veram volumus habere notitiam, neceſſe eſt vt pręcedat ſcientia conſcientiam. Vbi enim non eſt ſcientia, nulla poteſt eſſe vel bona vel mala conſcientia. Vbi verò ſcientia præcedit, mox vtrum conſcientia bona vel mala ſit innoteſcit.

Sunt autem quidam boni, qui propter vitæ munditiam malam non habent conſcientiam, ſemetipſos diligenter per ſcientiam inquirunt, ſed quia puri ſunt & mundi, nullius mali ſibi conſcij ſunt: in iſtis præcedit ſcientia, & ſequitur bona conſcientia. Sunt verò alij qui mali quidem ſunt, ſed per ſcientiam ſuam recognoſcunt: Iſti cognoſcendo ſemetipſos malam quidem habent conſcientiam, ſed tamen dolentes & gementes quandoque conuertuntur ad pœnitentiam. Horum ſcientiam mala conſcientia ſequitur, ſed conſcientia per ſcientiam illuſtrata in bonum per pœnitentiam commutatur. Sunt etiam alij peiores, & ſupradictis multò deteriores, qui propter ſuam ſtultitiam, ſuam non attendunt malitiam. Et quia ſeipſos per ſcientiam diſcutere aut nolunt aut negligunt, lucem ſcientiæ non habentes in peccatis ſuis quaſi in teterrima nocte periculoſiſſimè dormiunt, & tales ad pœni-

tentiam aut vix aut nunquam redeunt, quia pœnitentiæ
*Eccleſ. 1. 18.* viam, id eſt ſcientiam perdiderunt. Scriptum quippe eſt: *Qui addit ſcientiam, addit & dolorem.* Vnde liquidò patet, quia qui nullam ſcientiam habet, de peccatis ſuis dolere non valet. Videmus pleroſque iuſtos pro leuiſſimis delictis amariſſimè flere: &ècontrario quoſdam peſſimos pro horrendis ſceleribus nullum dolorem ſentire, immò etiam, quod valde dolendum eſt, lætari & exultare, de quibus ſcriptum
*Prou. 2. 14* eſt: *Qui Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Sed vt quid hoc, niſi quia & iuſti luce ſcientiæ illuminati, etiam de minimis quæ in ſe cognoſcunt, ſemetipſos grauiter reprehendunt, & mali lucem ſcientiæ non habentes, & ſemetipſos penitus ignorantes, etiam horrenda ſcelera quæ faciunt pœnitendo plangere neſciunt? Si igitur conſcientias noſtras quales ſint veraciter ſcire deſideramus, neceſſe eſt vt ſcientiæ operam demus, & ad hanc habendam non de noſtra præſumamus induſtria, ſed de ſola Dei miſericordia & ſuperabundanti eius gratia. Rogemus itaque Dei miſericordiam, imploremus eius gratiam, vt det nobis ſcientiam & bonam conſcientiam, quatenus & per ſcientiam noſmetipſos veraciter agnoſcamus, & de bona conſcientia in conſpectu eius ineffabiliter gaudeamus.

Ex vera ſcientia bona conſcientia.

Sed væ mihi miſero qui conſcientiam bonam non habeo, & tamen de bona conſcientia loqui præſumo. Quomodò enim conſcientia mea poterit eſſe bona, qui & mala multa commiſi quæ dignè per pœnitentiam non deleui; & bona quæ facere debui torpens & negligens facere nolui? Aliter enim conſcientia noſtra bona eſſe non poteſt, niſi & mala quæ fecimus dignè per pœnitentiam defleamus, & præueniente nos gratiâ Dei, bona quæ poſſumus, faciamus. O conſcientia bona quantum es amabilis & iocunda! O theſaurus magnus nullis terrenis diuitijs comparandus! Certè nihil in hac vita fœlicius, nihil iocundius.

Sed forſitan dicis: Quomodò ſcis quòd nihil ſit fœlicius, nihil iocundius? Aliquando cibum eſſe bonum dicimus, quia hoc per experientiam ſcimus. Tu verò, ſicut dixiſti, conſcientiam bonam non habes, quomodò quod nihil ſit fœlicius ſcire potes? Hoc forſitan dicis: ego autem quid dicam? Non

in veritate dicere poſſum quod Apoſtolus ait: *Nihil mihi conſcius ſum*: immo multùm conſcius ſum. Audi tamen ſimilitudinem & intellige rationem. Certè per oculos multa videmus, quæ tamen non habemus; ſic per rationem multa eſſe bona cognoſcimus, quæ tamen non facimus. Et per eamdem rationem de virtutibus multa diſſerimus, à quibus vacui ſumus. Ecce verò ego ipſe de bona conſcientia loquens, & per rationem multa diſſerens, quaſi per oculum bonum video, quod tamen in memetipſo non habeo. Audi & aliud: Plerumque dum guſtamus amaritudinem fellis, laudamus dulcedinem mellis, & quamuis in præſenti ſolam fellis amaritudinem ſentiamus, ex eius tamen comparatione eam quam non ſentimus mellis dulcedinem approbamus. Sic & in paupertate natus, & totus in miſerijs enutritus, cùm ſæculi potentes & diuitias obtinentes conſiderat, illos beatos, ſe miſerum clamat, cûm tamen ſolam miſeriam ſentiens, eorum beatitudo qualis ſit per experientiam neſciat. Sic plerumque laudamus ſatietatem, infirmantes bonam eſſe dicimus ſanitatem. Sic & ego ex infelicitate conſcientiæ malæ quam ſentio, quanta ſit fœlicitas conſcientiæ bonæ penſo: & quia per experientiam ſcio conſcientiâ malâ nihil eſſe triſtius; ex ipſa triſtitia iudico conſcientiâ bonâ nihil eſſe iocundius. *1 Cor. 4. 4*

Certè ſi mihi daretur optio, mallem omnes mundi miſerias cum bona conſcientia tolerare, quàm omnes mundi diuitias cum mala conſcientia poſſidere. Sed quia hi qui foris ſunt conſcientias noſtras videre non poſſunt, ſaltem fama noſtra, quæ ad eos poteſt peruenire, in eorum auribus debet non putere. Si enim de conſcientia noſtra confidentes famam noſtram negligimus (ſicut ait Beatus Auguſtinus) crudeles ſumus. Immò vt ego puto, nec bonam habemus conſcientiam, ſi per noſtram negligentiam incurramus infamiam. Quòd ſi nos è contrario fama hominum laudat, & conſcientia intus vituperat, ſimiles ſumus his qui in publico diuites prædicantur, & in priuato ſuo paupertatis anguſtia cruciantur.

Tu igitur, mi Frater, appone diligentiam, inquire concientiam. Teſtimonium eius quale ſit diligenter attende:

quid de operibus, quid de verbis, quid & de cogitationibus tuis tibi veraciter teſtetur, intende. Attende, inquam, vtrum ſit in opere ſanctitas, in verbo veritas, in cogitatione puritas, in intentione ſimplicitas. Si conſcientia tua horum teſtimonio ſibimetipſi conſcia fuerit, illud Apoſtoli, quod ſupra dictum eſt, rectiſſimè dicere poterit. Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Si autem exemplo mali operis aliquem deſtruxiſti, verbo tuo alicui maledictum ſeu conuitium intuliſti, cordis munditiam cogitatione illicita polluiſti: ſi hæc feciſti, & necdum pœnitendo ſatisfeciſti, puto quòd de iſtis non ſolùm in conſcientia non gloriaris, verùm etiam confuſione intima cruciaris. Sunt etiam quædam alia, de quibus plerumque noſtra confunditur conſcientia, id eſt ſuperbia, ira, triſtitia. Quæ omnia priùs Deus à nobis auferat, & mundam conſcientiam conferat. Vale, & ora pro me.

---

*Epist. 69.*

# EPISTOLA VI.

*Præpotentem ab aula Regis expulſum allicit ad ſæculi contemptum.*

QVANTO deſiderio & affectu bonum veſtrum & ſalutem veſtram deſiderem, ille ſolus veraciter nouit, qui ſecreta cordium ſolus agnoſcit. Nunc autem quia ore ad os præſentialiter loqui non valeo, litterulas iſtas exhortatorias dilectioni veſtræ tranſmitto. Nec ſcribo vobis cauſa noſtræ neceſſitatis, ſed ſolo intuitu Caritatis. Aduerſitas enim quæ vobis contigit, etſi mihi abſtulit præſentem veſtram collocutionem, non tamen auferre potuit de corde dilectionem; etſi mihi abſtulit corporalem veſtram præſentiam, non tamen de oratione veſtri memoriam. Vt enim verum fatear, quando Miſſarum ſolemnia celebramus, omnipotentis Dei clementiam imploramus, quatenus ipſe qui nullius * per ignorantiam, veſtri fiat memor per gratiam. Nunc & priùs quàm incipiam exhortationem hanc, præmitto orationem, quatenus gratia Dei ammonitionem noſtram præueniat, atque aures veſtri cordis aperiat, vt ea quæ ad veram ſalutem pertinent, libenter audiat, memoriter teneat, efficaciter impleat.

*al.* * *obliuiſcitur.*

Quid igitur primùm dicam? vbi exhortationem incipiam? Volo quidem dominum & amicum meum, vt fidelem ſeruum & verum amicum ab amore vitæ præſentis euellere, atque eius deſiderium ad amorem ſui Creatoris & patriæ cœleſtis erigere. Debeo igitur aliquid de contemptu mundi præponere, & poſtmodum ea quæ animum eius ad amorem Dei excitare poſſint ſubnectere. Sed quia ſcio vos ſæcularibus curis incubare, vellem ſi poſſem ammonitionem noſtram paucis ſermonibus explicare.

Salomon igitur ſapientiſſimus primus accedat, & veram ſententiam vobis de contemptu mundi proponat, & dicat: *Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* *Ecleſ. 1. 2* O domine mi, nunquid intelligis verum eſſe quod audis? certè non eſt quod dubites: appone aurem & intellige veritatem, aperi oculos & conſidera vanitatem. Rogo vitæ tuæ curſum diligenter conſideres, quia, niſi fallor, in ipſa vita tua, quam ſint vana omnia perfectè cognoſces. Recole quanta in tempore proſperitatis tuæ conceſſa ſit tibi ſæcularis potentia, quanta diuitiarum abundantia, quanta, & quod maius eſt, in diſpoſitione rerum temporalium prudentia. Primus inter aulicos reſidere ſolebas, totum Francorum Regnum pro tuo libitu diſponebas; quin & ſecundum hoc quod Salomon ſe feciſſe commemorat, magnus effectus opera tua magnificaſti, turres excelſas & pulchra palatia extruxiſti, vineas plantaſti, ſeruos & ancillas multámque familiam habuiſti, coaceruaſti tibi argentum & aurum, ſubſtantias Regum & prouinciarum, & repletus es delicijs filiorum hominum. Sed attende paulliſper in iſtis omnibus quanta ſit vanitas, quæ inſtabilitas.

Ecce etenim ipſe Rex de cuius dilectione plurimùm confidebas, & iuxta quem familiaritatis cauſa & honoris gradu reſidere ſolebas, te velut hoſtem perſequitur, & quicquid Pariſius cum magno labore conſtruxeras, præcepto Reginæ totum deſtruitur. Argentum & aurum & pecuniam quæ in tranquillitatis tempore congregaſti, nunc in tempore guerræ te oportet expendere, & ne inimici tui te incautum opprimant, nocte & die ſollicitè cogitare. Potes itaque, Domine mi, in vita tua euidenter cognoſcere ſententiam quam

Salomon de vanitate protulit veram eſſe. Certè iſte Salomon Regia poteſtate fuit ſublimis, ſapientiæ dono incomparabilis, diuitiarum opulentiâ pinguis; Et quamuis omnia iſta affluenter ſuppeterent, nullam tamen attribuit eis veritatem, ſed quia tranſeuntia vidit appellauit propriè vanitatem. Tantò igitur ei meliùs eſt credendum, quantò ea quæ dixit, didicit per experimentum.

Niſi breuitati ſtuderem, adhuc quædam de contemptu mundi dicere poſſem, quæ animum veſtrum ab eius appetitu non ſolùm rationabiliter reuocarent, ſed & fortiter deter-
*1. Ioan. 2.* rerent. Quale eſt illud; *Mundus peribit & concupiſcentia eius.*
*17.* Et illud: *Quicumque voluerit amicus eſſe huius ſæculi, inimi-*
*Iacob. 4. 4* *cus Dei conſtituetur.* Formidoloſa ſententia: Quid terribilius dici poteſt? quandoquidem inimicus Dei eſſe conuincitur quicumque ſæculi huius amicus efficitur. Eſt aliud cur rationalis mens debet mundana iſta contemnere; quia & cum labore maximo adquiruntur, & cum ſollicitudine cuſtodiuntur, & cum dolore amittuntur. Scriptum quoque eſt:
*Sap. 6. 7.* *Potentes potenter tormenta patientur.* Et: *Qui diuitias habent,*
*Gal. 5 21.* *difficilè regnum Dei conſequuntur. Quid autem prodeſt homini ſi*
*Matt. 16.* *totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?*
*26.* Hæc de contemptu mundi dicta ſufficiant.

Quòd ſi dilectio veſtra ad amorem Dei cupit mentem erigere, debetis frequenter beneficia Dei vobis collata ad memoriam reuocare. Cogitate quanta erga vos eius extiterit gratia, quanta eius miſericordia. Gratia in hoc, quòd bona ſua vobis gratuitè contulit: miſericordia in hoc, quòd mala veſtra æquanimiter pertulit, Certè ſi bene vultis attendere, hæc ſola cauſa ad amandum Deum poteſt vobis ſufficere, quòd ſcilicet & per gratiam bona præbuit, vt vos ad amorem ſuum accenderet, & per miſericordiam mala veſtra ſuſtinuit, vt vos ad pœnitentiam prouocaret. Ad vltimum verò poſtquam exhibuit patientiam, ſicut pius pater dilecto filio, adhibuit diſciplinam, vt ſaltem flagellatus ad patrem redeat, qui beneficijs prouocatus redire nolebat. Scriptum
*Heb. 12, 6* eſt enim: *Flagellat Deus omnem quem recipit.* Flagellum quippe Dei eſt guerra iſta quam habetis & perſecutio, quia etſi inimici veſtri vos perſequuntur ex odio, tamen hoc

quod faciunt præcedit quædã occulta & iuſta Dei diſpoſitio.

Nolite ergo de flagello iſto contra Deum murmurare, quia durum eſſet vobis contra ſtimulum calcitrare. Mementote quia cùm Dauid Rex filij ſui Abſalon perſecutionem fugeret, & Semei quidam peſſimus ei malediceret, viri qui erant cum Dauid, Regis iniuriam doluerunt, & illum Semei interficere voluerunt. Quos tamen Dauid compeſcuit dicens: *2.Reg.16.*
*Dimittite vt maledicat, Dominus enim præcepit vt malediceret* *12.*
*Dauidi, ſi fortè reddat mihi Dominus benedictionem pro maledictione hac hodierna.* Rogo pro Deo diligenter attendite, & ſicut Dauid fecit, ſic & vos facite. Ecce ab inimico maledictionem ſuſtinuit, & tamen de eo cùm leuiter poſſet, ſemetipſum vlciſci noluit, & maledictionem illam non Semei, ſed Domino imputauit, cùm dixit: *Dominus præcepit vt malediceret Dauid.* Ipſe quippe vnus de filijs Dei erat, & à pio patre ſe flagellari ſciebat, nec attendere voluit maledicentis iniquitatem, ſed maledictionis vtilitatem. Ideóque dicebat: *Si fortè reddat mihi Dominus benedictionem pro maledictione hac hodierna.* Puto etiam quòd peccata ſua præterita ad memoriam reuocabat: puto quia pro adulterio & homicidio grauiter in corde dolebat, & ideò filij ſui perſecutionem, & ſerui ſui maledictionem patientiſſimè tolerabat. Hoc exemplum de Dauid ad hoc propoſui, vt & vos peccata veſtra aperta & occulta, minima & maiora ſedulè cogitetis, & in perſecutione quam præſentialiter ſuſtinetis, non attendatis inimicorum veſtrorum nequiſſimam voluntatem, ſed ammonentis Domini miſericordiſſimam pietatem.

Audite quid Dominus dicat: *Ego quos amo arguo & caſti-* *Apoc.3.*
*go.* Ipſe enim iccircò percutit, vt ſanet, ipſe iccircò flagel- *19.*
lat peccatorem, vt purget. Nolite igitur vocationem Dei aures obſtruendo reſpuere: nolite flagella Dei obdurato corde ſuſcipere. Nolite in limo profundi, in amore mundi, tam tenaciter & pertinaciter inhærere, permittite Deum vos de lacu miſeriæ, & de luto fæcis extrahere. Nolite fieri ſicut plauſtrum in luto demerſum, quod & boues ex anteriore parte fortiter trahunt, & homines ex poſteriori toto conatu impellunt, & tamen nec trahendo, nec impellendo illud de luto extrahere poſſunt. Ecce pius Deus priùs vobis proſpe-

ritatem conceſſit vt traheret, nunc manum aduerſitatis appoſuit vt impelleret. Cùm igitur in conuerſione veſtra Dominum, vt ita dicam, tantùm laborare facitis, videte ne ad
*Heb.* 10. 13. iracundiam eum prouocetis. *Horrendum eſt enim incidere in manu Dei viuentis.* Nam ſi commotus fuerit; quis ei reſiſtit?
*Pſal.* 145. 3. *Nolite*, ſecundùm pſalmi ſententiam, *in Principibus, nec in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus*, *confidere*: ſed in eo ſolo qui poteſt vos de omni anguſtia liberare.

Sed vt modò poſtponam exhortationem, rogo, vt de his quæ dico veſtram conſulatis interius rationem. Mirum eſt enim cùm ratio veſtra, quæ tantùm in prouiſione & diſpoſitione ſecularium viget: mirum eſt, inquam, cùm ad bona cognoſcenda & facienda quaſi mortua iacet. Sed forſitan ratio veſtra, ea quæ bona ſunt per diſcretionem intelligit, & tamen ſuperbia reſiſtente non perficit. Rationi enim veſtræ ſuperbia dominatur, & ei lege tyrannica reluctatur. Ratio dicit: Si hoc vel illud faceres, Deo acceptabilis eſſes. Superbia dicit, ſi hoc vel illud faceres, in conſpectu hominum vilis eſſes. O ſeruitus nefanda & deteſtanda; quando videlicet ratio quæ debet imperare vt domina, ſuperbiæ obtemperat vt ancilla. Quæſo vt ad debitam libertatem ratio redeat, ſuperbia de corde veſtro expulſa exeat, & locum eius ea quæ Deo cara eſt humilitas vera poſſideat.

---

## EPISTOLA VII.

Epist. 70.

Ad religioſa exercitia adhortatur.

FRATRI *F. Frater* ODO *ſalutem.*

Quando in ferijs Pentecoſtes ad nos, Cariſſime Frater, veniſti, vocaſti me ſecretò, atque increpando dixiſti: Vos de me nullam curam habetis, ſed me quaſi aliquid vile & inutile proieciſtis. Cùm diligenter inquirerem quare hoc diceres, reſpondiſti Cæteris fratribus litteras veſtras conſolatorias frequenter dirigitis, mihi verò qui plus omnibus indigeo, qui tentationes multas ſuſtineo, nullam conſolationem penitus exhibetis. Quod ego audiens increpationem tuam gratanter accepi, & ſi mihi vacaret, in poſterum ali-

quam tibi conſolationem me facturum eſſe promiſi. Verumtamen ſcire debes, me frequenter tantis occupationibus implicari, tantis curis quamuis minimis intus & foris exagitari, quòd ſecundum deſiderium meum non mihi vacat aut lectioni intendere, aut aliquid ſcribere, aut, quod melius eſt, orationi vacare. Sed quia per nuncium tuum vt promiſſionis meæ memor eſſem iterum ammonuiſti, quamuis, ſicut dixi, multis impediar, caritate vrgente faciam breuiter quod promiſi.

Nolo igitur, frater, mireris, ſi tentationes varias pateris. *Tentatio eſt* enim *vita hominis ſuper terram.* Hinc etiam ſcriptum eſt: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpdra cor tuum ad tentationem.* Ecce euidenter habes in hac ſententia quid debeas facere. Iam enim ad Dei ſeruitium acceſſiſti, iam Deo ſeruire, iam religiosè viuere promiſiſti. Stare debes in iuſtitia & in timore, & animam tuam ad tentationem non ad requiem præparare. Plerique enim cùm ad ſeruitium Dei accedunt, quia pro acquirendis virtutibus laborare refugiunt, Deo permittente, ad priora peccata redeunt. Si ergo tentationum laqueos cupis euadere, oportet te multos labores & cordis & corporis ſuſtinere. Quis enim poteſt ſine labore cor ſuum ad lamenta compungere, proprias voluntates abijcere, & aliorum voluntates bonas in omnibus adimplere? Quis, inquam, poteſt ſine labore magno ſtudióque continuo, multiplices inſidias diaboli plenè cognoſcere, & cognitas euitare? Magnus eſt certè tentationum labor, & non contemnendus, ſed tamen pro amore Dei patientiſſimè tolerandus. Et ne propter tentationem cadas in deſperationem, audi quid beatus Iacobus Apoſtolus dicat: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.*

Tentationes pro Deo patientiſſimè tolerandæ.

*Iob.* 7. 1.

*Eccli.* 2. 1.

*Iacob.* 1. 2.

Magna eſt, Cariſſime Frater, tentationum vtilitas: quia per tentationes vera poſſidetur humilitas. Multùm enim, vt credo, ſuperbia noſtra ſe in altum erigeret, niſi Deo permittente, eamdem ſuperbiam noſtram tentationum pondus in imo deprimeret. Plerumque dum nullas foris tentationes patimur, grauiùs in corde per elationem periclitamur; & quia iniquitatem noſtram conſiderare negligimus, magna

Tentationum vtilitas.

quædam & incomparabilia de nobiſmetipſis ſentimus, & cæteros quoſque meliores in comparatione noſtrûm deſpicimus Sed pius Deus aliquando cùm noſtram miſericorditer reſpicit elationem, ad correptionem noſtram ſuper nos venire permittit carnis tentationem. Vult enim vt tentatio carnis deprimat elationem cordis, vult vt infirmitatis noſtræ conſcij de nobis abiecta & vilia ſentiamus, quatenus minores quoſque nobis per humilitatem præponamus. Bonum eſt etiam vt quando tentationem aliquam ſuſtines, profeſſionem quam feciſti ad memoriam reuoces. Profeſſus es enim caſtitatem, communionem, obedientiam. Quando profeſſionem iſtam feciſti, diabolum grauiter offendiſti. Hanc profeſſionem vidit & inuidit: & ideò contra ſingulas profeſſiones, ſingulas adhibet tentationes. Contra profeſſionem caſtitatis ſuggerit luxuriam carnis, contra communionis profeſſionem alicuius rei propriæ accendit cupiditatem; contra virtutem obedientiæ opponit vitium inobedientiæ. Sed tu, Frater mi, tene fortiter profeſſionem, & deuita cautè tentationem. Si diabolus te impugnat, caue ne expugnet, caue ne ſuperet. Reſiſte fortiter, pugna viriliter: ſi intorſerit concupiſcentiæ iaculum, caſtitatis oppone clypeum. Si ad memoriam tuam reduxerit præteritas actiones, præteritas delectationes, tu ècontra cogita inferni dolores, & pœnas horribiles. Si enim ignem gehennæ diligenter attendis, ignem luxuriæ citò extingues. Oportet etiam vt & intus conſerues cordis affectum, & exteriùs oculorum aſpectum. Plerumque enim corruptus affectus oculorum aciem ad illicita dirigit; & aſpectus illicitus, intus affectum corrumpit: atque ideò debes & intus affectum purificare, & foris aſpectum per diſciplinam reſtringere. Cogita frequenter quanta ſit munditia caſtitatis, quàm grata ſit Deo & acceptabilis. Hinc in Euangelio Veritas ait: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Quid eſt enim lumbos præcingere, niſi fluxum luxuriæ caſtitatis cingulo cohibere? O munda caſtitas, quantum in alto reſides! O immunda luxuria, quantum in imo iaces! Certè caſtitas hominem Deo iungit, templum Dei incorruptum cuſtodit: luxuria verò hominem à Deo ſeparat, diabolo ſociat, templum Dei violat. Caſtitatis ergo virtutem ample-

[Margin: Quî Diabolum expugnaret debeat Religioſus.]

[Margin: *Luc.*12.35.]

ctere, luxuriæ vitium perhorreſce; iſtius ama pulchritudinem; illius fuge turpitudinem.

Magna eſt certè & pulcherrima virtus caſtitas, ſi tamen cum caſtitate teneatur humilitas. Alioquin de ſola caſtitate Deo placere non poſſumus, niſi etiam cum caſtitate humilitatem veraciter habeamus. Immò plerumque magnos tentationum aſſultus caſtitas patitur, iccircò quia ſuperbia de corde non expellitur. Si igitur de caſtitate vis eſſe ſecurus, eſto in humilitate fundatus. Denique diabolus quia per virtutem caſtitatis nos Deo placere conſiderat, etſi eam auferre non præualet, tamen hanc inquietare non ceſſat: Hinc eſtquòd vigilantibus nobis turpes cogitationes, ſi poteſt, immittit, dormientibus verò ad illuſionem noſtram diuerſarũ ſpecierum formas aſſumit. Tanta eſt eius nequitia, tanta inuidia, non vt attendat quid de ſe faciat, quàm vilium rerum formas accipiat, tantùm vt nos illiciat, vt nos decipiat. At nos ſeu vigilantes ſeu dormientes, Domini exiſtentes, & Deum tendentes, turpes cogitationes bonis obiectis cogitationibus, repellamus, & nocturnas illuſiones ſigno ſanctæ crucis muniti nullatenus timeamus.

Caſtitas quibus medijs ſeruatur.

Bonum eſt etiam ei qui caſtitatem cuſtodire deſiderat, vt in cibo & potu ſobrietatem teneat, & orationi frequenter inſiſtat. Poſtquam enim diabolus naturalis concupiſcentiæ ignem ciborum adiectione paululùm ardere conſpicit, continuò in ſemetipſo ſpiritum nequitiæ colligit, & ad accendendum concupiſcentiæ ignem toto conatu flatum tentationis emittit. Et ideò bonum eſt vt ignis concupiſcentię aquâ parſimonię extinguatur, & diaboli flatus orationis ſpiritu repellatur. Multa ſunt quæ ad conſeruandam caſtitatem plurimùm iuuant, ſed hæc tibi, Frater Cariſſime, dicta ſufficiant.

Si autem de profeſſione communionis & obedientiæ adhuc vellem diſſerere, iam Epiſtola modum excederet, & prolixior ſermo lectori faſtidium gigneret. Hoc tamen breuiter dico, hoc ſcire te volo; quia quicumque poſt communionis profeſſionem, aut equum, aut veſtimentum, aut quod minus eſt, obolum, in ſua proprietate retinet, nullam cum Deo partem, nullam cum Sanctis eius communionem, niſi

dignè pœnituerit, habere valet. Similiter qui poſt promiſſam obedientiam Prælati ſui imperio contumaci ſuperbia renuit obedire, nullatenus IESV Chriſti, qui factus eſt obediens vſque ad mortem, cohæres poteſt exiſtere. Et ideò bonum eſt vt nullam penitus habeamus proprietatem, ne Sanctorum perdamus amabilem ſocietatem, & obedientiam cum Domino IESV Chriſto vſque ad mortem teneamus, vt poſt mortem obedientiæ fructum ab eodem Domino recipere valeamus. Vale, & ora pro me.

---

Epist. 71.

# EPISTOLA S. LVDOVICI

## *Ad* MATTHÆVM *Abbatem,* & SIMONEM *de Nigella.*

Vt blaſphemiam, aliáque nefanda crimina è regno exterminētur præcipit.

LVDOVICVS Dei gratiâ Francorum Rex dilectis & fidelibus ſuis MATTHÆO Abbati S. Dionyſij, & SIMONI domino Nigellæ, ſalutem & dilectionem. Quia ad vlciſcendas ſummæ Majeſtatis iniurias, illas maximè quæ vergunt in contemptum & contumeliam Redemptoris, tantò validiùs animari condecet & armari Chriſtianos Reges & Principes, quantò ab ipſo maiora beneficia receperunt, & ſeipſos ad ipſius exaltationem nominis & honoris obligatiores eſſe cognoſcunt. Volumus & præcipimus, ac tam vos qui noſtrum locum tenetis, quàm Balliuos, Præpoſitos, & alios iuſtitias habentes à nobis, ſpecialiter adiuramus, vt blaſphemos, illos videlicet qui facto, dicto, vel iuramento auſi fuerint contumelioſi eſſe in Dominum Majeſtatis, aut B. Virginem Dei Matrem, à nobis eſſe ordinata dignoſcuntur: aut ſi fortè circa ea, ad hoc ſcilicet vt meliùs huiuſmodi diuina vindicetur offenſa, aliquid emendandum fuerit, vel addendum ſit, ſtudeatis efficere quod efficaciter aboleri valeat de regno noſtro huiuſmodi tam conſueti criminis, aut crimínoſæ conſuetudinis corruptela. Vt autem ſæpiùs ad memoriam inducatur, & efficaciter huiuſmodi Præceptum noſtrum ſeruetur, ſicut in corde gerimus, & zelamusi, in ſingulis computis noſtris inter alia ratiocinia noſtra quæratur

& exigatur diſtrictè ab omnibus & ſingulis Balliuis quid habuerunt vel receperunt de emendis & pœnis huiuſmodi blaſphemorum, & de his teneantur plenam ibidem reddere rationem. Quicquid autem inde habitum fuerit, de portione videlicet nos contingente, in pauperes volumus erogari. In ſingulis Parlamentis diſtrictè præcipiatur eiſdem vt circa punitionem huius nefandi ſceleris ſtudioſi & vigilantes exiſtant. Qui verò deſides & remiſſi fuerint inuenti duriùs arguantur, & ſecundùm quod bonum viſum fuerit diſtrictiùs corrigantur.

Cæterùm notoria & manifeſta proſtibula quæ fidelem populum ſua fœditate maculant, & plures protrahunt in perditionis interitum, penitus exterminari præcipimus, tam in villis, quàm extra, & ab alijs flagitijs, & flagitioſis hominibus, ac malefactoribus publicis, terram noſtram pleniùs expurgari. Eccleſias etiam & perſonas Eccleſiaſticas à manifeſtis iniurijs & violentijs defenſari: Iura noſtra & aliena ſeruari: Querelas pauperum, & miſerabilium perſonarum diligenter audiri, & tam ipſis, quàm omnibus alijs, quibus iuſtitiæ debitores ſumus, ita reddi quod iuſtum eſt, iuſtè, fideliter, & maturè; quòd apud illum Iudicem, qui iuſtitias iudicabit, non poſſimus de neglecta, dilata, vel vſurpata iuſtitia condemnari. Porrò quia in cauſis & negotijs audiendis & terminandis frequenter ab illis qui libenter munera accipiunt iuſtitia læditur, proſternitur veritas, iudicia ſubuertuntur, nolumus vt aliquem de tali munerum acceptione notabilem ad Conſilium noſtrum in prædictis agendis aliquatenus admittatis, nec committatur eis aliquid de prædictis, ſed cautè elongetis eoſdem; & hæc eadem volumus ſiqui fuerint de criminibus alijs notorijs diffamati. Iuramenta etiam quæ ſolent fieri ab illis qui de Conſilio noſtro erant, reuocari volumus atque præcipimus, vt ea vice noſtra recipiatis ab illis, & eorum ſingulis qui Conſilijs prædictis interſunt, Prælatis ſcilicet Epiſcopis duntaxat exceptis. Datum in Caſtris apud Aquas-mortuas in craſtino B. Ioannis Baptiſtæ.

Epist. 71.

# EPISTOLA

## S. LVDOVICI, *ad* MATTHÆVM *Abbatem.*

Quid primùm in expeditione geſſerit, narrat.

LVDOVICVS Dei gratia Francorum Rex, dilecto & fideli ſuo MATTHÆO Abbati ſancti Dionyſij ſalulutem & dilectionem. Significamus vobis quòd cùm nos prima die Iulij apud portum noſtrum Aquarum mortuarum intrauiſſemus mare, & expoſuiſſemus in craſtino vela ventis, mouimus Tunidam ad partes Sardiniæ Deo duce, trahentes ibidem, videlicet apud portum Calleritanum, in noſtris nauibus per aliquot dies moram, naues Baronum noſtrorum, & cruce-ſignatorum aliorum noſtra veſtigia ſequentium expectando: cum quibus Baronibus ad nos tandem venientibus habuimus conſilium, quòd nos dirigeremus ad partes Tunicij greſſus noſtros. Sic quòd iuxta conſilium hoc arrepto itinere veniendo ad partes eaſdem applicuimus ad portum Tunis die Iouis ante feſtum B. Mariæ Magdalenæ: & die Veneris ſequenti ipſo fauente Domino cepimus ibi terram benè & pacificè abſque aliqua gentium noſtrarum læſione: ac demum exoneratis de nauibus equis noſtris ab inde receſſimus, & ante quandam ciuitatem antiquam, videlicet ante Carthaginem accedentes ibi fecimus caſtra noſtra figi. Nos autem & frater noſter Alphonſus Comes Pictauiæ, & Toloſæ, & liberi noſtri, Philippus, Ioannes, & Petrus, nepos noſter Robertus Comes Attrebatenſis, nec non alij noſtri Barones, nobiſcum exiſtentes in caſtris, ac inſuper filia noſtra Regina Nauarræ, & vxores dictorum, primogeniti noſtri Philippi, & Comitis Attrebatenſis prope nos in nauibus exiſtentes, votiua per Dei gratiam vigebamus corporum ſoſpitate. Vnde mandamus vobis, &c, * Cæterùm poſt confectionem præſentium vſque ad locum illum contigit, quòd nos cum Dei adiutorio prædictam ciuitatem Carthaginenſem cepimus per inſultum, multique Saraceni exiſtentes ibidem gladio ceciderunt. Vos autem, &c. * Datum in caſtris ante dictam ciuitatem in feſto Beati Iacobi Apoſtoli.

Carthago capta.

* Deſunt in Ms.

## *Epiſtola* PETRI *de Condeto Capellani Regis.*

Epist. 73.

Scribit quę geſta ſunt in illis partibus.

REVERENDISSIMO Domino ſuo N. Priori de Argentolio PETRVS de Condeto humilis eius Clericus, quidquid poteſt reuerentiæ & honoris. Statum meum & curſum Reuerentiæ veſtræ cupiens declarare, vobis ſignifico, quòd poſtquàm Dominus Rex velum fecit, poſt multas maris amariſſimas paſſiones die Martis poſt aſcenſum ſuum introiuit portum Calliriacum in Sardinia. Tunc miſit Admiraldum ad Caſtellanum, & alios de villa; qui primitus inuenit eos duros & rebelles, quia multùm timebant ſibi, nec tunc permiſerunt quòd intraret caſtellum, & vix reportauit paucas aquas dulces, paucas herbas, paucos panes. Die verò Mercurij ſequenti mane miſit Dominus ad eos cum Admiraldo Dominum Cambellanum & Seneſcallos, qui aſſecurauerunt eos, & aliquantulùm mitigauerunt, & petierunt quòd infirmi noſtri, qui multi erant, poſſent aſcendere ad terram, & habere recreationem in villa: qui ad vltimum reſponderunt, quòd volebant, quòd dominus Rex, vel aliqui de ſuis intrarent caſtellum, dummodò ſeruaret eos de violentia Ianuenſium, quia eos ſolos timebant. Piſani verò, ad quos pertinet dictum Caſtrum, Ianuenſibus oppidò ſunt infeſti. Qui verò miſſi retulerunt hoc domino Regi: Qui miſit infirmos ad terram, vbi multi mortui ſunt, ſcilicet dominus I. Mareſcallus miles, & Dominus S. & multi alij. Multi verò poſt dominum Regem remanſerunt, ſcilicet Dominus Philippus frater Comitis Vindocini, magiſter Ioannes de Corbolio Capellanus, & alij minores centum, vt creditur, & plures, quibus dominus Rex dimiſit Cuſtodes Guillelmum Britonem Oſtiarium, & Ioannem de Aubergenuilla portarium. Ad illum portum fuit dominus Rex per octo dies, nec exiuit de nauibus, nec expectabat Barones qui venerunt de die, venientes poſt Regem, ſcilicet Rex Nauarræ, Comes Flandriæ, Comes S. Pauli, Dominus Legatus, Ioannes de Britannia, & multi alij. Et die Sabbati & die Dominica ſequenti conuenerunt ad Regem, & ad vlti-

mum habuerunt concilium de eundo ſuper Regem Dam. . . . . .

Die verò Martis ſequenti, ſcilicet ante ſanctum Arnulphum, de portu illo fecerunt vnanimiter velum, & die Iouis ſequenti intrauerunt portum Tunis circa nonam. Multi verò de montibus ſtupentes fugiebant, & creditur quod aduentum noſtrum penitus ignorabant. Eadem die Iouis fecit dominus Admiraldum deſcendere in galeis, vt iret ad portum ad videndum cuius vel quorum erant quædam naues, quæ ibi erant. Qui inuenit quaſdam naues Sarracenorum, & eas arreſtauit. Sed erant vacuæ & remiſerunt ad portum. Naues verò mercatorum non arreſtauit. Qui prægrediens deſcendit ad terram, nec habuit contradictum, & remittens ad dominum Regem ſignificauit ei quòd terram ceperat, & quòd ei mitteret adiutores. Quo audito dominus Rex aliquantulum turbatus eſt, dicens quòd non fuerat miſſus ad hoc, & vocauit dominum Cambellanum qui conſuluit quid ſuper hoc conſulerent Barones. Quorum vocati qui propè erant, alij laudauerunt quòd mitterent adiutores; alij contraria dicebant, quòd non erat bonus modus capiendi terram: ſic Dominus Reginaldus de Priſcenniaco, qui dixit: Domine ſi vultis quòd quilibet faciat de ſe meliùs quod poterit, non reſtat niſi quilibet deſcendat & capiat terram vbi voluerit. Poſt iſta & multa alia verba concordatum fuit, quòd frater Philippus Ebroïcenſis, & magiſter baliſtarum deſcenderent ad Admiraldum, & ſecundùm quod viderent, vel eum reducerent, vel mitterent pro ſeruientibus qui deſcenderent tota nocte. Qui euntes dictum Admiraldum reduxerunt: ſuper quo multi dubitauerunt quòd malè feciſſent, quòd die veneris mane multi Sarraceni ex omni parte confluxerunt ad portum. Sed dominus Rex vocato ſuo conſilio deliberatum fuit quòd bonum eſſet deſcendere. Et in nomine Domini deſcenderunt, galea domini Regis aliquantulùm præcedente, & ceperunt terram per Dei gratiam, ſed ita ordinatè, quòd creditur quia ſi eſſent centum probi viri contra eos, nunquam, vel valde difficilè cepiſſent terram eo modo quo ceperunt, ſed Domino operante non inuenerunt contradictores, & fixerunt caſtra ſua in inſula, de qua tamen

tamen exitus eſſe putabant à duobus capitibus, & extendebat ſe in longum quaſi per leucam & plus, & in latus per tres tractus baliſtarum, & erat aqua ſalſata ex vtraque parte, &non putauerunt in ea aquas dulces inueniri. Vnde plus mali fuit nobis in terra quàm in mari. Aliqui verò de noſtris proceſſerunt die Sabbati vſque ad vnam turrim quæ erat propè, & erat ibi dulcis aqua in ciſternis. Sed inuenti aliqui noſtrorum à Sarracenis fuerunt interfecti. Poſtmodùm euntes quidam ſeruientes ceperunt dictam turrim; ſed conuenientes Sarraceni illos concluſerunt, & concluſiſſent eos in turre, niſi dominus Rex miſiſſet; & miſit dominum Lancelot, Radulphum de Trap. & plures alios, quos fuiſſent ſecuti multi, ſed equi adhuc erant in nauibus, & qui erant extra naues, adeò erant fatigati & ſtordati quòd vix poterant ſe ſuſtinere. Maximus conflictus factus die illa inter Sarracenos & noſtros, non cominus ſed eminus, quia Sarraceni non fuerunt auſi accedere ad noſtros, ſed habent lanceas, & fugiendo vel tranſeundo iactant, & interficiunt equos non equites, & quos pedites & vagos inueniunt, occidunt. In conflictu illo pauci interfecti fuerunt ex vtraque parte. Ad vltimum liberati ſunt qui erant in turre, & iuſſi ſunt ab illa recedere.

Dominica die ſequenti adhuc remanſimus in illa, ſed defectu aquarum dulcium compulſi ſumus exire Inſulam illam; & die Lunæ ſequenti, ſcilicet in vigilia Magdalenæ exiuit execitus verſus caſtellum Carthaginis quod diſtabat ab illa inſula circa vnam leucam, & in eundo recapta eſt illa turris, & adhuc tenetur, & fugerunt multi Sarraceni qui erant circum circa. Et locauit ſe exercitus in quadam valle Carthaginienſi vbi erant putei infiniti, quia in terra cuiuſlibet eſt puteus ad rigandum illam; & inde poterat haberi acceſſus ad portum vel ad naues, & ad terram prædictam. Die Martis caſtrari venerunt marinarij ad dominum Regem, & dixerunt quòd caſtrum Carthaginis in breui redderent ei captum ſi vellet, dummodò traderet eis aliquos ſeruientes. Tunc vocato conſilio deliberatum eſt, quòd pararent ſe & ingenia ſua; quibus paratis die Iouis ſequenti redierunt parati, & tradidit eis dominus Rex quatuor bella,

ſcilicet Carcaſonenſe, Catalaunenſe, Petragoricenſe,& Bellicadrenſe, & ſeruientes peditum. Et idem dominus Rex & alij Barones, ſicuti erant ordinati per bella vſque ad XVII. bella exierunt circa exercitum contra Saracenos, qui erant infiniti, ne poſſent vel intrare pauellam, vel habere acceſſum ad caſtrum. Quid plura? Saracenis videntibus nec ſe mouentibus, ducentis ſeruientibus Carthaginenſibus, qui erant in dicto caſtro, cum aliis caſtrum habitantibus vel in fugam verſis, vel latitantibus, vel occiſis, dicti marinarij bellis prædictis ipſos protegentibus, dictum caſtrum per ſcalas irruperunt, nec de noſtris fuit læſus, niſi quidam pauper marinarius, qui fuit interfectus. Capto caſtro Carthaginis qui potuerunt exire per vias ſubterraneas exierunt, & eduxerunt vaccas, & alia multa, noſtris videntibus, nec voluerunt ſe mouere, quia non erant adhuc ordinati. In dicto caſtro multi Saraceni latuerunt in latebris, & caueis ſubterraneis quæ multæ erant ibi, de quibus occidebantur quotidie qui poterant inueniri. Alij ſunt in cauernis ignibus ſuffocati, alij adhuc in cauernis reſtant aliquo mortis genere morituri. Et niſi eſſet pro cadaueribus mortuorum, dominus Rex in prædicto caſtro cepiſſet hoſpitium ſuum, & in confectione præſentium miſerat dictum caſtrum à cadaueribus euacuari. De dicto caſtro dicitur vulgariter, quòd qui dominus eſt Carthaginis, dominus eſt totius regionis; quod tamen à pleriſque non creditur, quia tot & tanti confluunt Saraceni, & adeò vexant noſtros, quòd aliquoties bis in die clamatur ad arma. Sed à noſtro exercitu congregato retrahunt ſe Saraceni; quos ſolos vel vagos, vel nimis infeſtantes inueniunt occidentes. Et tamen creditur, quòd plures de ſuis perdiderunt, quàm nos de noſtris. Dum noſtri ſequuntur eos, fugiunt, dum verò noſtri redeunt, ipſos cum lanceis prouocant & infeſtant. Vt autem noſtri ad plenum eos proſequantur, exſpectant Regem Siciliæ, qui de die in diem eſt venturus. Miſerat autem ad eum dominus Rex de Sardinia, & iam venerat frater Amalricus de Rupe, & dicebat ipſum eſſe venturum, ex quo audierat alios rumores à domino Rege. Et iam dominus Rex alios nuntios miſerat vt veniret, & ſperabatur quòd infra ſex dies poſt confectionem præſentium

eſſet venturus. Cæterùm ſciat dominatio veſtra, quòd ego eram ſanus & incolumis, quod de perſona veſtra, & alijs amicis meis mihi ſæpe & ſæpiùs fortuna denunciet. Dominus Rex & liberi ſui cum vxoribus tunc fruebantur plena corporis ſanitate. Valeat dominatio veſtra bene & diu in Domino. Actum in caſtris ſubtus Carthaginem die Dominica poſt feſtum S. Iacobi Apoſtoli.

---

## EPISTOLA

Epist. 74.

### PHILIPPI *Audacis Regis Francorum,*

### *Ad* MATTHÆVM *Abbatem &* SIMONEM *de Nigella.*

PHILIPPVS Dei gratiâ Francorum Rex dilectis & fidelibus ſuis MATTHÆO Abbati S. Dionyſij, & SIMONI Domino Nigellæ, ſalutem & dilectionem. Cùm piæ recordationis præcariſſimus Dominus ac genitor noſter LVDOVICVS, quondam Franciæ Rex illuſtris, in receſſu ſuo de partibus Franciæ circa bonum ſtatum regni ſalubriter conſeruandum cupiens prouidere, ad ipſius cuſtodiam, adminiſtrationem, & curam gerendam vice ipſius, & ſuo nomine, in aſſumptæ peregrinationis abſentia vos deputarit loco ſui, plenam vobis ac certam in ijs quæ ad dicti regni cuſtodiam pertinent poteſtatem committens, ſecundum formam multis ſuis patentibus quas penes vos dimiſit expreſſam. Nos piis eius cupientes inhærere veſtigiis, & de veſtra prudentia & fidelitate ſpecialiter confidentes, quamdiu ab ipſius regni finibus nos abeſſe contigerit, vel donec aliter duxerimus ordinandum, Vobis eandem quam priùs ab ipſo domino Genitore noſtro poteſtatem habebatis, committimus, & volumus obſeruari. In præmiſſis autem exequendis tali ſigillo quali iuxta ipſius Genitoris ordinationem hactenus vſi eſtis, ſolo nomine proprio mutato, Vos vti volumus. Scientes quòd nos Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Baronibus Regni noſtri, aliiſque noſtris fidelibus, noſtris damus

Approbat ſummam poteſtatē Matthæo Abbati & Simoni Nigellæ à Rege Ludouico delegatam.

litteris in mandatis, vt vobis in prædictis omnibus fideliter obediant promptis animis vice noſtra ob regni ſecuritatem, & pacem, loco noſtri vtique vobis iuramenta præſtantes de fidelitate ſeruanda nobis & hæredibus noſtris, & debitis ſeruitiis exhibendis, prout à nobis ſuper hoc fuerint requiſiti. Vnde fidelitati veſtræ requirendo mandamus, quatenus ſuper efficaciter exequendis, ita vos diligenter, fideliter, & prudenter habere curetis, quod exinde commendari merito debeatis à nobis. Actum in caſtris iuxta Carthaginem, die Veneris poſt feſtum B. MARIÆ Virginis: datum anno Domini M. CC. LXX.

---

Epist. 75.

# EPISTOLA

## *Eiuſdem ad Regni Optimates.*

Eiuſdem argumenti.

PHILIPPVS Dei gratia Francorum Rex Vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, & aliis fidelibus ſuis in regno Franciæ conſtitutis, ad quos præſentes litteræ peruenerint ſalutem & dilectionem. Cùm piæ recordationis præcariſſimus dominus ac genitor noſter LVDOVICVS quondam Rex Francorum illuſtris, in receſſu ſuo de partibus Franciæ circa bonum ſtatum regni ſalubriter conſeruandum, cupiens prouidere ad ipſius cuſtodiam, adminiſtrationem, & curam gerendam vice ipſius, & ſuo nomine in aſſumptę peregrinationis abſentia certas perſonas deputauerit loco ſui, videlicet MATTHÆVM Abbatem ſancti Dionyſij, & SIMONEM Dominum Nigellæ, plenam eis, ac totam in ijs quæ ad cuſtodiam dicti Regni pertinent poteſtatem committens ſecundùm formam, multis ſuis patentibus quas penes eos dimiſit, expreſſam Nos piis eius cupientes veſtigijs inhærere, & de prædictorum Matthæi & Simonis prudentia & fidelitate ſpecialiter confidentes, quandiu ab ipſius Regni noſtri finibus nos abeſſe contigerit, vel donec aliter duxerimus ordinandum, memoratis Matthęo Abbati, & Simoni Domino Nigellæ, eandem quam priùs ab ipſo genitore noſtro poteſtatem habebant, committimus,

& volumus obſeruari. In præmiſſis autem exequendis tali ſigillo quo iuxta genitoris noſtri ordinationem vſi ſunt, ſolo proprio mutato nomine volumus etiam vti. Vnde vobis vniuerſis præcipiendo mandamus, quatenus eiſdem vice noſtra in prædictis omnibus promptis animis fideliter obedire curetis ob regni ſecuritatem & pacem, ſecundùm quod vos requiſierint loco noſtri: iuramenta præſtantes de fidelitate ſeruanda nobis & hæredibus noſtris, & debitis ſeruitijs exhibendis, & ad proſperitatem & pacem regni conſeruandam, ſicut de vobis confidimus ſic efficaciter intendatis, quòd fidelitatem veſtram debeamus proinde meritò commendare. Actum in caſtris iuxta Carthaginem die Veneris poſt feſtum Natiuitatis B. Mariæ Virginis, Anno Domini M. CC. LXX.

---

*Epiſtola* PHILIPPI *Regis, ad Matthæum Abbatem, & Simonem de Nigella.* EPIST. 76.

PHILIPPVS Dei gratia Francorum Rex dilectis & fidelibus ſus MATTHÆO Abbati S. Dionyſij in Frãcia, & SIMONI domino Nigellæ, ſalutem & dilectionem. Statum noſtrum & negotiorum noſtrorum, & alia plurima tangentia præclaræ memoriæ præcariſſimi domini & genitoris noſtri Regis Franciæ Ludouici lamentabile vobis funus, & cunctis etiam Chriſti fidelibus deplorandum, vobis per noſtras quàm plures litteras, quas per fratres Gaufridum de Bellojoco, & Gulielmum de Carnoto, & quoſdam alios de gentibus noſtris vobis mittimus, nunciamus. Sed quia timemus eoſdem in ſuo fuiſſe itinere impeditos, & non ita tutò ad vos, vt credimus, ſeu æſtimamus, acceſſuros. Significamus vobis, quòd in aliquibus litterarum ipſarum inter cætera continetur, quòd nos dicti domini Genitoris cupientes inhærere veſtigijs, illam quam in aſſumptæ peregrinationis abſentia in ijs quæ ad cuſtodiam regni noſtri pertinent, poteſtatem commiſit, ſecundùm formam in litteris ſuis patentibus quas penes vos dimiſit expreſſam, eandem per prædictas quas vobis per dictos fratres & gentes noſtras miſimus

Iterum vt vices Regis agant, mandat.

litteras, vobis commiſimus poteſtatem, & in iis exequendis tali ſigillo quali priùs iuxta dicti domini ac genitoris noſtri ordinationem vſi fuiſtis, vos vti ſolo nomine proprio mutato mundabamus. Necnon per eaſdem vobis, provt recolimus, mandabamus, & adhuc per præſentes mandamus, quatenus ad cuſtodiam dicti Regni, & ad proſperitatem, tranquillitatem, & pacem ipſius conſeruandam ſicut de vobis confidimus efficaciter intendatis; ac etiam vt caſtra noſtra, fortalitias terræ maritimæ, & finium Regni noſtri, ſicut commodiùs & meliùs expedire videritis, faciatis muniri, vt diuerſorum euentuum pericula quæ poſſent forſitan contingere, valeant ſecuriùs & cautiùs euitari. Ne tamen vt pecuniæ quantitates in quibus diuerſis perſonis tam pro domino & genitore noſtro, quàm pro vobis teneremur, & quarum aliquas ſummas dictus pater mandauit, & nos ſimiliter aliquas mandamus perſolui, apud templum faciatis ſine difficultate perſolui, provt in ipſius domini & Genitoris noſtri, ac noſtris litteris videbitur contineri, nobis etiam tranſmittere quantamcumque ſummam pecuniæ omnibus bonis modis procurantes. Datum in caſtris iuxta Carthaginem die ſabbati poſt feſtum S. Remigij.

---

Epist. 77.

## *Epiſtola* PETRI *de Condeto ad Theſaurarium S. Framboudi.*

*Scribit de morte Regis, quæ poſteà ſunt acta.*

REVERENDISSIMO domino ſuo præ cæteris mortalibus diligendo N. Theſaurario ſancti Framboudi Siluanectenſis PETRVS de Condeto, deuotus eius Clericus, quidquid poteſt ſeruitij & honoris. De ſtatu curiæ nihil ad præſens volo dominationi veſtræ ſcribere, quia de ipſo ſatis audietis per eos qui cum fœlicis memoriæ domini Regis corpore reuertuntur. Cùm autem vacarem ſcripturæ præſentis litteræ, & iam fere eandem perſcripſiſſem, mihi nunciatum eſt quòd nauis, quæ debebat portare illius nobiliſſimi Regis, & filij eius Comitis Niuernenſis corpora, quæ die

Veneris mane debebat velum facere, non erat id factura vſque ad diem Dominicam ſubſequentem : & audiui quòd nepos Theobaldi magiſtri Baliſtarum lator præſentium iturus erat in quandam nauem, quæ factura erat velum die Veneris prædicta. Summo mane habens * candulam ſuperaddidi litteræ ſupra-ſcriptæ. Volo enim, quòd ſciatis, quòd fideliſſimæ memoriæ dominus Rex noſter Ludouicus die Lunæ in craſtino Beati Bartholomæi circa horam nonam ſanctiſſimum emiſit ſpiritum. Eadem hora, eodémque momento applicuit dominus Siciliæ, nec licuit ei loqui cum fratre ſuo, quia iam expirauerat quando venit ad caſtrum ſuum; & cùm eum mortuum inueniret, flens amarè procidens ad pedes defuncti, & dicta oratione, prout teſtantur qui aderant, cum effuſione lacrymarum multa proclamans, Domine mi, Frater mi, deoſculatus eſt pedes eius. Elegerat autem dominus Rex ſepulturam ſuam apud ſanctum Dionyſium, & ſepulturam filij ſui Comitis Niuernenſis in Eccleſia Regalis-montis, quòd nolebat quòd ſepultus eſſet in Eccleſia Beati Dionyſii, in qua ſepulti erant ſoli Reges, ſed ſepultus eſſet in Eccleſia Regalis-montis, vbi de ipſo fieret magnum feſtum. Hæc & alia in breui vt arbitror audietis pleniùs.

*f.* * candelam.

Eccleſia S. Dionyſij ſepultura Regum, non aliorum.

Iterum ſciatis, quòd die Iouis ſupradicta dominus Rex Siciliæ faciebat poni in quodam ſtagnaculo, quod protenditur vſque prope Tunicum, quoſdam curſores & barellos, qui multùm, vt dicunt, ad expeditionem negotij faciunt. Et factum eſt dum traherentur à littore verſus ſtagnum illud, congregati ſunt Saraceni infiniti, vt ſtagnum illud defenderent, appoſitione curſorum prædictorum. Et venerant Saraceni fortiùs & ordinatiùs quàm conſueuerunt. Quod videns dominus Rex Siciliæ iuſſit gentes ſuas armari. Et clam fecit nunciari Barones, quòd armarent ſe, & exierunt quilibet in bellum ſuum. Et primus Comes Attrebatenſis exiuit contra Saracenos, & conſequenter dominus Rex Siciliæ, qui more ſuo in ipſos irruens cum ſuo Philippo de Monteforti, & tantos in occurſu ſuo proſtrauerunt Saracenos, quòd vſque ad dimidiam leucam, vt æſtimant, totam terram reddiderunt

cadaueribus pulueratam. In momento verſi ſunt in fugam alii Saraceni. Multi verò illorum in ſtagno prædicto ſe ſubmerſerunt, æſtimantes ſe colligere in bargis ſuis, quas adduxerant, ſed marinarij ſui retraxerant præ timore. Æſtimant autem aliqui Saracenos tam occiſos quàm ſubmerſos circa quingenta millia. Sed in conflictu illo occiſus dilectus noſter dominus Arnulphus de Curia ferandi, Admiraldus, & alij; de quibus in breui certiùs audietis. De Domino Philippo Rege noſtro ſciatis, quòd bis recidiuauit in acutam febrem, & adhuc in confectione præſentium in ſua recidiuatione laborabat, & dubitatum fuerat de illo multùm, ſed quidam ſudor illum arripuerat, vndè de eius conualeſcentia ſperabatur. Et dicunt multi quòd vix aut nunquam in regione Tunicenſi de cætero eſſet ſanus, quòd pauci licet fortes & valentes, qui ægrotauerunt in terra iſta, poſt morbum ad ſtatum priſtinum poſſunt deuenire, ſed tales potiùs languent quàm viuunt in terra iſta maledicta: neque mirum, tanti enim ſunt ſolis ardor, tribulatio pulueris, ventorum rabies, aëris corruptio, fœtor cadauerum circumcirca, & cætera inconuenientia, quòd longum eſſet enarrare, quòd etiam ſanis aliquoties eſt tædium vita ſua. Inde colligunt aliqui, quòd Dominus Rex noſter Philippus in breui fortè ſit ad propria rediturus.

Si placet ſubſcribatis Domno Abbati ſancti Dionyſii de præmiſſis quæ videritis expedire, excuſantes me veſtri gratia erga ipſum, quòd nuncii feſtinatio me ipſi vel aliis ſcribere non permiſit. Valeat benè & diu in Domino veſtra dominatio. Actum in caſtris iuxta Carthaginem die Iouis ante Natiuitatem B. MARIÆ Virginis.

*Epiſtola*

## *Epiſtola* PHILIPPI *Regis,* Epist. 78.

## *Ad* MATTHÆVM *Abbatem, &* SIMONEM *de Nigella.*

PHILIPPVS Dei gratia Francorum Rex dilectis & fidelibus ſuis MATTHÆO Abbati S. Dionyſij, & SIMONI domino Nigellæ, ſalutem & dilectionem. Quia pondus negotiorum quod nobis incumbit, ad præſens graue eſt, & magnas exquirit expenſas: Mandamus vobis vt totum illud quod commodè mittere nobis poteritis tranſmittatis, & debita quæ contracta ſunt tam per literas piæ recordationis Domini & Genitoris noſtri cariſſimi, quàm per noſtras, quæ ad vos deferuntur, reddi ſine difficultate faciatis & ſolui. De ſigillo autem noſtro nouo per dilectum noſtrum fratrum Guillelmum Carnotenſem, & per alias literas noſtras, vobis plena certitudo patebit. Datum in caſtris iuxta Carthaginem die Veneris poſt Natiuitatem Beatæ MARIÆ Virginis. Petit vt pecunias mittant.

## *Epiſtola* PETRI *de Condeto, ad* MATTHÆVM *Abbatem.* Epist. 79.

REVERENDO Patri ac Domino MATTHÆO Abbati S. Dionyſij in Francia PETRVS de Condeto, eiuſdem & Domini Regis deuotus Clericus, quicquid poteſt ſeruitij, reuerentiæ, & honoris. Licet ſuper ſtatum Domini Regis, & totius exercitus Chriſtiani, per maiores, & ſuper hæc certiores Reuerentiam veſtram æſtimem eruditam, nolo tamen deſiſtere quin illa vobis ſcribam paucula quæ ad meam venerunt notitiam, ne, quod abſit, negligentiæ, vel inobedientiæ arguere me debeat veſtra Paternitas reuerenda. Sciat in primis veſtra Reuerentia quòd Dominus Rex & Regina, & Dominus Petrus frater Regis, in confectione præſentium ſani erant, & ego ſimiliter in numero ſanorum De pace inita cum Rege Tunicenſi.

per Dei gratiam poteram numerari, quod audire de perſona veſtra animus meus non modicum delectatur. Et quia de pace facta inter Regem Tunis, & Reges noſtros, & Barones, forſitan audiuiſtis, hoc vnum veſtræ Reuerentiæ ſcribere dignum duxi; quia cùm vobis aliàs ſcripſerim, ſi bene recolo, quòd Dominus Rex Siciliæ Barones noſtros in belli principio rogauerat, ne contra Regem Tunis vſque ad nuntium ſuum aliquid intentarent, hoc propter hoc ſolùm fuiſſe arbitror, quia inter ipſum & Regem jam dictum ſermo fuerat de pace, & de tributo à dicto Rege Tunis reddendo, ſicut hoc audiui à quodam milite eiuſdem Regis Siciliæ, qui propter hoc ad dictum Regem Tunis bis fuerat deſtinatus; & jam ad hoc ſermo pacis ſeu tributi deuenerat, quòd Rex Tunis dicto Regi Siciliæ benè volebat tributum à ſuo tempore, ſed Rex Siciliæ petebat dicti tributi arreragia à temporibus Menfredi, & Frederici. Et ſermone diu pendente intrauit exercitus noſter Regnum Tunis; vnde Rex Siciliæ miſit tunc Baronibus noſtris litteras rogatorias, vt prædixi. Inde fuit quod cùm Rex Siciliæ veniſſet ad exercitum noſtrum, Fratrem ſuum Dominum Regem Ludouicum inuenit mortuum; & tunc arbitror concepit in animo ſe facturum quaſi per violentiam quod priùs ceperat per nuntios faciendum. Paulò poſt aduentum ſuum in exercitum miſit ad ipſum Rex Tunis portantes pacem populo, quod à plebe diutius penitus ignoratur. Quid plura? poſt multas & mutuas miſſiones & verba, die Iouis ante feſtum Omnium Sanctorum ad hæc conuenerunt vnanimes, Reges noſtri, & Barones, cum ſpecialibus nuntijs Regis Tunis, quòd illa die inter ipſos pax facta eſt, in modum qui ſequitur confirmata.

Pacis fœdus. Sabbato ſequenti, ſcilicet ante Omnes Sanctos, miſſi fuerunt Archi. Dominus Gaufridus de Bellomonte, & alij Nuntij ſpeciales ad Regem Tunis; coram quibus iurauit idem Rex quòd permitteret de cætero in bonis villis & principalibus Regni ſui habitent Chriſtiani, & habeant ibidem liberè & quietè proprietates, poſſeſſiones, & alia bona quæcunque ſine exactione, vel aliqua ſeruitute, ſoluto tamen Regi cenſu poſſeſſionum, vt conſuetum eſt, liberis Chriſtianis. Et licebit etiam Chriſtianis in locis prædictis

ædificare Eccleſias, & Eccleſijs ſolemniter etiam prædicare. Promiſit etiam dictus Rex Tunis ſe redditurum Domino Regi Franciæ, & Baronibus ſuis, pro expenſis in viam factis ducentas, & decem mille vncias auri, quarum quælibet vncia valet quinquaginta ſolidos Turonenſes, & de prædicta ſumma jam ſoluit in confectione præſentium medietatem, & aliam medietatem ſoluturus ad duo feſta Omnium Sanctorum inſtantia, vt promiſit. Iurauit etiam quòd Regi Siciliæ ſolueret tributum duplicatum vſque ad quindecim annos; ſcilicet pro duodecim vncijs auri, in quibus tenebatur pro prædicto, ſingulis annis vigintiquatuor vncias, & inciperet iſta duplicatio ad inſtans feſtum Omnium Sanctorum; Arreragia verò in confectione præſentium jam ſoluerat de quinque annis, ſcilicet ſexaginta vncias. Et per pacem prædictam reddidit Rex Tunis omnes Chriſtianos quos tenebat, & Chriſtiani noſtri omnes Saracenos quos tenebant.

Facta pace in hunc modum recollegerant gentes ſuas in nauibus Reges noſtri die Martis poſt Sanctum Martinum Hyemalem, Rege Siciliæ remanente, & retardante aliquantulùm pro pauperibus, & vltimis recolendis. Ordinatum extiterat quòd omnes applicarent in Sicilia ad portum Trapanum & Panormitanum. Quia verò de futuro non eſt veritas manifeſta, quid ordinandum erat in locis prædictis in confectione præſentium penitus ignorabam: murmurabant tamen nonnulli quòd ibi ordinandum eſſet, quòd quidam de exercitu in terram ſanctam proficiſcantur, ſicut fortè Comes Pictauiæ & Dominus Petrus Cambellanus cum multis ſtipendiarijs: & alij proficiſcantur in Græciam contra Paleologum, ſicut fortè Rex Siciliæ, & multi Barones, cum ſtipendiarijs multis. Dominus autem Rex Franciæ directo tramite profecturus eſt in Franciam. Dicunt tamen aliqui quòd ad Curiam Romanam eſt acceſſurus, & corpus patris ſui ſemper ſecum vel prope ſe habiturus eſt. Veritas tamen ſuper his in confectione præſentium quo ad me penitus latitabat. Cùm verò ſuper his ſciam aliquid veritatis, vobis ſcribam ſecuriùs veritatem. Valeat Paternitas veſtra bene & diu in Domino. Quia verò tempus non habeo ſingulis Dominis meis ſcribendi ſingula, vtpote ſcribens iſta

ipſa die qua ferè omnes Chriſtiani Saracenorum terram exierunt, Dominationem veſtram rogo, vt Dominis meis Priori de Argentolio, & Theſaurario ſancti Franbaudi de præmiſſis dignetur ſcribereque viderit ſubſcribenda. Actum in receſſu à portu Tunis die Martis Nouembris ſancti Martini Hyemalis.

---

Epist. 80.

## *Epiſtola* Petri *de Condeto*

## *Ad Priorem de Argentolio.*

Maximam Francorũ maris tempeſtate cladem deſcribit.

REverendo Patri ſuo in Chriſto ac Domino ſuo cariſſimo N. Priori Beatæ Mariæ de Argentolio Petrvs de Condeto Clericus eius humilis ac deuotus, quicquid poteſt reuerentiæ & honoris. Licet de ſtatu Domini ac totius exercitus Chriſtiani per maiores & ſuper hæc certiores habeat veſtra Reuerentia, vt æſtimo, notionem, ne tamen, quod abſit, Dominatio veſtra negligenti recordationi tribuat aliquando, vobis ſcribere præſumo illa paucula, quæ quaſi de populari fama ad meam deuenerunt paruitatem. Sciat in primis Dominatio veſtra, quòd in confectione præſentium Dominus Rex & Dominus Petrus frater eius plena corporis fruebantur ſoſpitate, & ego per eamdem gratiam ſanus eram; quod quotiens de perſona veſtra mihi fortuna denuntiat, nouum gaudium cordi meo ſentio pululare. Cæterùm quia de pace facta inter Reges & Barones noſtros, & Regem Tunis, vos æſtimo pluries audiuiſſe, ſaltem per Domnum Abbatem ſancti Dionyſij, cui in maxima feſtinatione ſcripſi formam & modum, quoniam noueram diem pacis, quod vobis obmiſi ſcribere per negotiorum arctitudinem, qua tenebar, vtpote eadem die & hora qua nauem aſcendi; de dicta pace ad præſens ſileo, ſcribens aliqua de his quæ poſtmodum contigerunt, licet vos eadem jamdiu æſtimem audiuiſſe.

Die Martis in octaua Beati Martini Hyemalis, circa nonam receſſit Rex noſter cum alijs Baronibus à portu Carthaginenſi, & aſcenderunt naues multi minoris famæ, tam

nobilium, quàm ignobilium, tunc & tota nocte ſequenti in terra remanentium, quorum curam gerebant &cuſtodiam Conſtabularius & Mareſcallus Franciæ cum Cambellano. Die Mercurij ſequenti à magno vſque ad minimum recollegerunt ſe in nauibus cum rebus ſuis: Et ſciat quòd Rex Tunis ſatis bene & fideliter erga Chriſtianos ſe habuit. Præmiſerat enim Chriſtianos, & Saracenos multos, qui armati cuſtodiebant exercitum recedentem, nec eidem aliquid moleſtiæ intulerunt. Mane facto die Iouis ſubſequenti Dominus Rex iuſſit velum fieri, & cæteri conſequenter. Quid plura? Domino de theſauris ſuis ventum proſperum producente, alij die Veneris ſequenti in fœlicem portum Trapanum intrauerunt. Rex Siciliæ die Veneris circa mediam noctem per vnius galeæ compendium venit ad dictum portum; & Rex noſter cum Regina per aliam galeam die ſabbati circa nonam, cæteris eadem die ſubſequentibus vniuerſis. Sed qui ſuis nauigantibus per mare curſum conceſſerat proſperum, eadem nocte ſabbati permiſit adeò turbari maria, maligno ſpiritu, vt arbitror, inſtigante, quòd Dominicâ mane vix potuit haberi aſcenſus à terra ad naues, vel à nauibus ad terram; qua die in tantum creuit hæc turbatio, quòd nullo modo qui in nauibus remanſerant deſcendere potuerunt. Quid memorem? tota nocte dictę diei Dominicæ, tota die lunæ, & nocte ſequenti, tanta procella facta eſt in mari, quòd aſſerunt quidam nautæ nunquam tantam hactenus ſe vidiſſe. Frangebantur enim malli, rumpebantur anchoræ, & naues, licet maximæ, ſubmerſæ ſunt in profundum quaſi lapis, vt de ipſis vel rebus amiſſis adeò dolendum eſt, quantum de perſonis periclitatis, nobilibus, & ignobilibus vtriuſque ſexus, & ætatis, quas quidam æſtimant circa quatuor millia, qui ipſas aſſerunt ſe vidiſſe. Plures enim à dolore illo viui ſuperſtites euaſerunt; qui tamen prę dolore & anguſtia præteritis milleni poſtmodum obierunt. Epiſcopus Lingonenſis ſolus à naue ſua euaſit ſolo contentus armigero, in ſua receptus bargiola recinctus tunica paratus ad natandum, imò potiùs ad naufragandum, ſi Dominus permiſiſſet: in naui eiuſdem Epiſcopi naufragatæ ſunt ferè mille perſonæ, vt aſſerunt, quod ſatis eſt veriſimile, quia nauis

erat magna, & pauci exierant in nauem illam. In qua naui perijt ille homo qui dicitur Bonabucca. Quid plura? Decem & octo naues magnæ & fortes, & nouæ, cum multis, & rebus infinitis periclitatæ ſunt in ea tempeſtate, ſine minoribus, de quibus non facio mentionem.

Ceſſante huiuſmodi tempeſtate, die Martis in feſto Beatę Catharinæ virginis conuenerunt Reges noſtri & Barones ad habendum conſilium, tam ſuper præteritis, quàm contingentibus, & futuris. De futuris dico, quia paulò pòſt iurauerunt vnanimes Reges noſtri & Barones ſe iterum futuros ad portum nominandum ab inſtanti die Magdalenæ in tres annos paratos ad transfretandum in terram ſanctam; & iurauit quilibet ſingulariter ſe facturum; niſi occaſionem habeat, propter quam Dominus Rex Franciæ ipſum habeat excuſatum. Poſteà verò Dominus Rex moratus eſt in villa Trapanum per quindecim dies, & ab illa fortè citius receſſiſſet, ſed detentus erat infirmitate Regis Nauarrę, quem quædam febris arripuerat ad portum Carthaginenſem. Quę poſtmodum inualeſcente confluxu, ille bonus Rex, qui in exercitu præterito valde laudabiliter ſe geſſerat, die Iouis ante feſtum ſancti Nicolai apud Trapanum expirauit. Vbi de noſtris mortui ſunt infiniti, & multi remanſerunt infirmi. Quid moror? Dominus Rex noſter per dietas ſuas Pharo Meſſano præterito venit Cuſantiam Ciuitatem in Calabria, Dominicâ poſt Epiphaniam; vbi Regina dolore & morbo itineris præteriti compulſa peperit filium ante tempus debitum pariendi, qui ferè de vtero tranſlatus ad tumulum, poſt inundationem breui viuens tempore, matrem reliquit repletam multis miſerijs & dolore; adeò quòd diuina permittente clementia, die Mercurij ante Candeloſam circa noctem mediam poſt dolores nimios expirauit. De cuius morte Rex noſter doluit vltra modum, & merum, quod de ipſo multùm timebatur, ſi, quod abſit, in dolore perſeueret huiuſmodi. A Cuſantia verò profecturus erat Dominus Rex ad Romanam Curiam, & inde in Franciam, Domino diſponente. Sciatis, quòd cùm in exercitu eius tam de hoſpitio ſuo, quam extra tot quotidie moriuntur, vel ſaltem infir mantur, quod ferè nullus eſt qui præ morbi peſtilentia debeat

Rex Nauarræ moritur.

Obijt Regina.

ſecurari. Vnde pro Deo orate pro me. Æſtimo autem quòd qui eam poterunt euadere per Dei gratiam, & Regem ſequi, circa Pentecoſten, vel ante, poterunt eſſe in Francia, Domino prouidente. Si placet reſcribatis hoc Decano de Argentolio. Actum apud Cuſantiam in Calabria die Veneris ante feſtum Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis.

---

## *Epiſtola* PHILIPPI *Regis* EPIST. 81.

## *Ad Abbatem & Monachos S. Dionyſij.*

PHILIPPVS Dei gratiâ Francorum Rex dilectis ſuis in Chriſto Abbati & Conuentui Monaſterij ſancti Dionyſij in Francia, ſalutem & dilectionem. Inter graues & miſerabiles huius vitæ & humanæ conditionis preſſuras, afflictiones & tribulationes amaras, in alto poſiti, imò conſternati animo, & vehementis amaritudinis & doloris gladio noſtram pertranſeunte animam grauiter vulnerati, ſingultuoſos fletus, profundos gemitus; & anxios prodere cogimur vlulatus. Attendite ſiquidem, ô dilecti, quæſumus, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor noſter. Nam cùm nuper fœlicis memoriæ præcariſſimus Dominus & genitor noſter Ludouicus Francorum Rex, alumnus pauperum, nutritor Religioſorum, oppreſſorum ſolatium, refugium miſerorum, patronus Eccleſiæ, præcipuus amator iuſtitię, ac defenſor inclytus fidei Chriſtianæ: necnon dilectiſſimus frater noſter Ioannes Comes Niuernenſis, quem non ſolùm carnalis affectio, & naturæ vinculum, ſed & bonæ indolis primordia, vitę innocentia, & in ætate tam tenera; magnę diſcretionis induſtria plurimùm reddiderunt carum nobis: ac inſuper Princeps egregius cariſſimus noſter Sororius & amicus Theobaldus Rex Nauarræ illuſtris Princeps quidem tam prudens, tam commendabilis, tam potens: poſtquam ipſi viuificæ crucis ſignaculo inſigniti ſe tota ſua virtute, ad dilatationem & exaltationem fidei accinxerant, & ad partes acceſſerant Affricanas, ad errores infidelium Saracenorum ibidem radicitus extirpandos, nobis ſubtracti

Votiuas preces rogat pro patre defuncto, &c.

Ioanne fratre.

Rege Nauarræ.

fuerint ex hoc mundo, ſicut Domino placuit, qui prout vult ad ſe vocat ſubiectas ſuę potentię creaturas, nondum tamen his minimè contentus mundanę huius plagij peſtilentię nos reliquit. Nam cariſſima vxor noſtra Iſabella Regina Francię, cuius Deo & mundo amabilis vita erat, quadam proprij corporis infirmitate grauata, poſtulatis attentè primitus ab eadem, & cum omni deuotione ſuſceptis Eccleſiaſticis Sacramentis, demum die Mercurij ante Purificationem Beatæ MARIÆ Virginis vitam præſentem finiuit. Vnde noſtris prioribus doloribus dolores alij continui, & amaritudines inculcantur, ſuſpiria geminantur ſuſpirijs, & gemitus gemitibus cumulantur. Cúmque dictorum noſtrorum Domini & genitoris, atque fratris & vxoris corpore faciamus, vt tenemur & volumus, ad partes Regni noſtri præſentialiter vnà nobiſcum deferri, ſic in noſtris oculis quotidie huiuſmodi plaga recens eſt: verùm cùm expediat & deceat in aduerſis huiuſmodi fortitudinis ſpiritum nos habere, noſtrámque voluntatem diuinis beneplacitis conformare, ac congruum in Domino conſolationis remedium recipere, in conſpectu cuius pretioſa eſſe ſperatur & creditur mors ipſorum, qui eius in fide ac dilectione ſequentes eiuſdem veſtigia ſuas animas reddiderunt. Attendentes autem eſſe ſanctum & ſalubre pro ipſis exorare defunctis, & ad alia recurrere ſubſidia caritatis, de ſinceritate veſtra gerentes in Domino, ſpecialem veſtrę caritatis abundantiam affectuosè rogamus, quatinus animas eorumdem, & nunc specialiter animam prædictæ Reginę, pro qua vobis aliàs non ſcripſimus, pijs Miſſarum & deuotarum orationum ſuffragijs diuinæ miſericordiæ commendetis, & faciatis multis Eccleſiaſticis, tam Religioſis, quàm ſecularibus, vobis ſubditis commendari. Nos autem dilectum Capellanum noſtrum Viuianum de Boſco, exhibitorem præſentium, ad veſtram ob hoc præſentiam duximus ſuper his vobis ore tenus intimanda, rogantes vos quatinus quæ ex parte noſtra vobis ſuper hoc dixerit, fidem eidem adhibere velitis. Actum Valleti die Mercurij poſt octauam dicti feſti anno Domini ducenteſimo ſeptuageſimo.

Vxore.

## *Epiſtola* D. MATTHÆI *Abbatis*, *&* SIMONIS *de Nigella ad* PHILIPPVM *Regem.*

EPIST. 82.

EXCELLENTISSIMO Domino ſuo PHILIPPO Dei gratiâ Franciæ Regi illuſtri, MATTHÆVS miſeratione diuina Eccleſiæ Beati Dionyſij in Francia Abbas humilis, & SIMON dominus Nigellæ, tenentes locum ſuum in Regno Franciæ, ſalutem, &c. Prouidi & prudentis eſt animi ſic facta conſiderare præterita, ſic ordinare pręſentia, quò futura faciliùs poſſint pericula præcaueri. Satis notum eſt, Sereniſſime Domine, qualiter progenitorum veſtrorum induſtriâ & labore, cum diuinæ adiutorio gratię, regnum veſtrum benedictum à Domino non ſolùm in feodis, ſed in domanijs, quæ modica quandoque fuerant, dilatatum, conſeruatum fuerit & firmatum. Noſtis etiam qualiter tempore clementiſſimi Domini Regis noſtri, genitoris veſtri, cuius memoria cunctis redolet delectabilis & ſuauis, poſt aliquas moleſtias quas paſſus eſt circa primordium Regni ſui, Regnum ipſum glorioſum in manu eius floruerit, fructuſque ſuauitatis & pacis non ſolùm in partes vicinas, ſed in remotas plurimùm & longinquas ediderit regiones, adeóque de eius plenitudine quaſi omnes acceperint circumquaque tranquillitatem ſcilicet & ſecuritatem Eccleſię & Eccleſiarum Miniſtri, Religioſi quietem, pacem populi, ſuſtentationem pauperes, concordiam diſcordantes, conſolationem afflicti, ſubſidium & leuamen oppreſſi. Quæ enim proxima vel remota memorati noſtri, fœlicis memoriæ, non ſenſerit in ſua turbatione conſilium, in ſua neceſſitate ſuffragium & iuuamen. Nec tantùm ad amicos & proximos extendebat eius pietas ſubuentionis auxilia, ſed etiam ad hoſtes & æmulos, quos per huiuſmodi ſubſidia ad ſui beneuolentiam attrahebat, & ex ipſis aliquos fideles & promptos acquirebat amicos. Relucebat quiddam in eo quaſi ſolarei iubar, gratia admirabilis, ex intimo caritatis feruore proueniens, ſe taliter diffundens in omnes, quòd non erat

Orant Regem, vt citò in Galliam inaugurandus redeat.

Laudes percurrit S. Ludouici.

CCcc

qui à calore eius abſconderet vel ſplendore, aut qui eius beneficia in aliquo non ſentiret. Tales & longè ampliores profectus oſtendit præſentia huius ſolis ſicut decet in medio Regni ſui ac ſuorum, ſicut Sol in medio Planetarum reſidens perſonaliter. Rex enim in medio Regni reſidens, eſt quaſi cor in medio gregis ſui, ac denique quaſi lignum vitæ in medio paradiſi.

Nunc ergo, clementiſſime Domine, grex veſter non puſillus, ſed magnus, tam magno rectoris ſui orbatus *ſolatio*, conſilio, & auxilio deſtitutus, lamentatur & gemit, ac de cœlo auxilium inuocans, veſtrúmque reditum feſtinatum cum omni deſiderio poſtulans, in ſola Majeſtatis perſona, poſt Deum, ſpem ſuam poſuit, ſuam confidentiam collocauit, ad ſuæ deſolationis remedium & leuamen expectans Dominum ſuum Regem cum omni exultatione & lætitia coronandum, ſacra vnctione ſolemniter inungendum, & in ſede patrum ſuorum collocandum. Age ergo, piiſſime Domine, ne fraudetur à ſuo deſiderio populus tam deuotus, populus, inquam, veſter inter omnes populos Regi ſuo quodam ſpecialis amoris vinculo indiſſolubiliter obligatus; qui cùm adhuc quaſi lacrymas in maxillis habeat, non eſt qui conſoletur eum ex omnibus caris eius, niſi veſtræ magnificentiæ perſonalis aduentus. Conſiderantes enim ex nobis aliqui, quòd etſi præclariſſimus genitor veſter pro negotijs fidei interdum ſe periculis expoſuit, ſecuriùs id agere poterat, vt pote filium & hæredem Regni ſui ſucceſſorem idoneum derelinquens, & filios, fratres veſtros, ætate, ſcientia, & moribus jam probatos. Sed de vobis eſt aliter, Domine reuerende, qui liberos habetis teneros & lactentes, & adhuc gerulæ ac nutricis indigentes, alia ſunt non ſolùm incommoda, ſed pericula plurimùm formidanda, quæ poſſent ex mora veſtra ſi, quod abſit, amplior extiterit, ſuboriri. Nulla igitur, præcariſſime, vos retrahat aut retardet à feſtino reditu commoditas, aut neceſſitas aliena, quin potiùs propriam præferatis omnibus, vt debetis, quoniam euidentem poteſtis plurimùm attendere & vrgentem. Hoc quidem ex communi conſenſu & deliberatione totius Conſilij

veſtri nobiſcum exiſtentis ſcribenda duximus veſtræ Regiæ Majeſtati. Conſeruet Dominus altiſſimus perſonam Regiam, atque ſuos, & reducat celeriter cum ſalute. Amen.

---

## *Epiſtola* PHILIPPI *Regis*

## *Ad* MATTHÆVM *Abbatem, &* SIMONEM *de Nigella.* EPIST. 83.

Viterbij Cardinales cõpellaſſe ſcribit vt quàm citiſſimè sũmum Pontificem eligant.

PHILIPPVS Dei gratiâ Francorum Rex dilectis & fidelibus ſuis MATTHÆO Abbati ſancti Dionyſij in Francia, & Simoni Domino Nigellæ, ſalutem & dilectionem. Quia indubitanter credimus vos lætari quotieſcunque de ſtatu noſtro vobis proſpera nuntiantur, ſignificauimus vobis, quòd nos in confectione præſentium Viterbij exiſtentes votiua per Dei gratiam vigebamus corporis ſoſpitate, quod de vobis ſcire frequenter quamplurimùm affectamus. Nos etiam cum cariſſimo & fideli noſtro Carolo illuſtri Rege Siciliæ, & alijs Principibus & Baronibus nobiſcum exiſtentibus, venerabili Collegio Cardinalium ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ cum maxima ſupplicaueramus precum & deuotarum ſupplicationum inſtantia, vt ipſi celeriter prouiderent Eccleſiæ viduatæ de Paſtore idoneo, ſeu etiam de ſummo Pontifice, fructuoſo generali Eccleſiæ, ac fidei Chriſtianæ. Sciatis, quia tempeſtiuè proponimus ab inde recedere, & continuatis dietis per viam Lombardiæ ad partes accedere Regni noſtri, & cùm vobis propinquiores erimus quid in Romana Curia fecerimus, & ſtatum noſtrum, vobis ſcribi plenius faciemus. Datum Viterbij die Sabbati poſt feſtum Beati Gregorij.

EPIST. 84.

## *Epiſtola* FRIDERICI II. *Imperatoris*

## *Ad Regem Boëmiæ.*

Nefanda Ducis Auſtriæ Friderici II. crimina recenſet.

FRIDERICVS, &c. Illuſtri Regi Boëmiæ, dilecto Principi, &c. Inuiti trahimur ad tuam & aliorum notitiam aduerſus Auſtriæ Ducem, materiam publicæ quæſtionis afferre, cuius leuitas ducta motibus inconſultis adeò proceſſit in publicum contra honorem noſtrum, & Imperij dignitatem, verbo & opere pariter attentando, & ita nos grauiter prouocauit, vt tranſire non poſſimus vlteriùs incorrectos ſuæ leuitatis exceſſus. Reuera quia dileximus patrem ſuum, merito paterni ſeruitij cordi nobis eſt & curæ in eumdem Ducem fauorem oſtendere cum effectu. Cùm itaque Rauennam Curiam induxerimus celebrandam, vocauimus ipſum, ſicut cæteros Principes, vt veniret, proponentes eum feruore paterno recipere ac fouere. Sed maiori parte Principum venientibus à remotis, ipſe, quia opportunus venire poterat, ſuum denegauit acceſſum. Deinde nobis tranſeuntibus Aquilegiam, cùm ibidem eum videre vellemus ætatis ſuæ motibus aſcribentes, quia potiùs vt eo non recederemus inuiſo, perſonaliter nos contulimus ad terram ſuam Portæ nouæ quam habet in Foroliuio, & ibi moram trahentes miſimus pro eodem, vt ſi moleſtum ſibi fuerat in ciuitatibus noſtri Imperii nos vidiſſe, ad terram ſuam pro nobis accedere non vitaret, quem venientem venerabili affectione recepimus, ſatagentes de verbo & opere complacere; tantam inſuper ſibi gratiam facientes, quòd pro lite ſopienda, quam in exactione debiti vel dotis ſuæ filius noſter Conradus contra eum iure ac viribus attentabat, ſeptem millia marcarum promiſimus exhibenda; non obmittentes ei de pulchris equis ſatisfacere, & alijs donatiuis libentiſſimè procurare, quæ ſuis eſſent affectibus acceptanda, vt cum redderemus noſtris aſpectibus gratiorem. Nuper Auinalmeramam venientes tantùm de ipſo confidentiam habebamus, quòd non dubitauimus ei committere

perſonam noſtram per terram ſuam, vt ei daretur maior de noſtra gratia præſumptio, & ad noſtra beneplacita ſe magis obſequioſum & beneuolum exhiberet. Ipſe verò dum eſſemus in eadem terra ſua, non erubuit duo millia marcarum à nobis exigere pro guerra tibi & illuſtri Regi Vngariæ facienda, quas quia ſibi non dedimus, dixit ſe nunquam à nobis ſeruitiorum munera recepiſſe, vt quadam violentia non cognoſceret Dominum coram quo tam improbè loqueretur.

Nos tamen propter hoc moti non fuimus, ſed diſſimulauimus iuuenilem leuitatem, habentes nihilominus in propoſito ſua commoda promouere, indicta etiam Moguntię Curia generali eum reuocauimus, termino conſtituto, vbi generaliter & ſpecialiter ſinguli Principes fuerunt conuocati: Qui cùm præfixus terminus aduenillet, idem Dux nedum venire contumaciter recuſauit, quin potiùs cum campeſtri exercitu abſque noſtra licentia, vel aſſenſu terram Regis Vngariæ hoſtiliter & violenter ingreſſus, adeò tantum Principem prouocauit, quòd expeditione facta Imperij fines intrauit, non ſine noſtra iniuria & Imperij læſione, humilians eum ad ſuum beneplacitum & mandatum. Interim etiam non contentus conterminum ſibi Regem turbauiſſe, te Regem Bohemię, venerabiles Salzeburgenſem, Nurdeburgenſem, Pataulenſem, & Ratiſponenſem Epiſcopos, Bauariæ Ducem, & Morauiæ Marchionem, multipliciter cœpit offendere, auferens eis iura & redditus, quos in Auſtriæ, & Siciliæ Ducatibus poſſidebant. Ad cuius vltionem tanta moles Principum irruiſſet, niſi quòd pacem Imperij volentes nobis & Imperio detulerunt, ſæpe coram nobis per litteras & Nuntios deferentes. Delatæ ſunt etiam querelæ multiplices pro parte hominum terræ ſuæ, quòd iuſtitiam & iudicium de terra ſua proſcripſerit, & cum iniquitate fœdus iniens prorſus abiecerit æquitatem; viduis & orphanis, quos de iure fouere debuerat, moleſtus exiſtens, diuites opprimens, & conculcans pauperes, humilians nobiles, deſtruens populares, diuerſis flagitijs affligens ſubditos, nullam aduerſus eos aliam cauſam habens, niſi quòd credit pium eſſe ſibi & licitum quicquid licet: miniſteriales & alios infeudatos, quos

ab Imperio tenet, tantò grauiori perſequitur voluntate, quantò in odium noſtri & Imperij de ipſis cogitur dubitare. Dato igitur effrenatæ licentiæ loco, mente in omni via malitiæ turpiter inquinata, deflorat virgines, & facit à ſuis complicibus deflorari, matronas venerabiles dehoneſtat, auferens filias patribus, & viris per violentiam coniugatas. His etiam non contentus excogitat in patrum animas & virorum, quorum necem diuerſis necis exaggerat ſpeciebus, quibus trucidat miſerabiliter innocentes.

Quorum ineffabili malorum cumulo mota fuit ſæpe noſtræ præeminentia dignitatis, ſed paterni ſeruitij memores noluimus cum leuitate procedere, intendentes à via mala virum impium reuocare. Quapropter monuimus eum ac benignè rogauimus, vt ad colloquium præterita hyeme indictum Auguſtam, vbi de reſtitutione ſtatus ſui complacandi cum prædictis Principibus, & de omni abolenda infamia ſupradicta eum alloqui, & cum eo diſponere volebamus, prouiſo ei iuxta requiſitionem & velle ſuum de ſecuritate & conducto de perſonis quas & quot voluit exegiſſe. Illam eidem gratiam facientes, quòd quia dubitabat pro huiuſmodi querimonijs diu morari, promiſimus ei per ſuos nuntios quòd moram & reditum ad ſuam promitteremus voluntatem fieri, & quòd eum ſuper obiectis ad iuſtitiam minimè cogeremus, ſi deberemus offenſis Principum ſatisfacere per nos ipſos. Deinde quia apud Auguſtam venire noluit, quòd in tanta citatione ſua dilecto Principe noſtro venerabili Salzebergenſi Archiepiſcopo, & aliis nuntiis ſuis acceptantibus, vt apud Genuenſem ad noſtram præſentiam citaretur, indiximus vt apud Auguſtam ad noſtram præſentiam ſe conferret. Ibidem de bono ſtatu & reintegratione famæ ſuæ diſponere proponentes. Ipſe verò cùm non poſſet vulneratæ conſcientiæ nefanda contegere, & ſic ſæpiùs expoſuit ſe venturum, ſemper illuſit, & patientiam noſtram ſemper in ſuperbia & abuſione contemnens datus in ſenſum reprobum, & penitus effectus ingratus, cœpit contra perſonam noſtram verbo & opere machinari, vt præter inſidias quas in captione filij noſtri dudum in itinere manifeſtè parauit,

cum Mediolanenſibus & alijs inimicis noſtris contra honorem noſtrum & Imperij moliretur, & nequiter contra animam noſtram excogitans, miſit nuntios ſuos ad ſeniorem * Motau. qui dicitur aſinus, promittens ſibi pecuniam infinitam, vt noſtram offenderet Majeſtatem; alias ſpiritu ſuæ fatuitatis inductus, quod nobis eſt valde moleſtum, non veritus eſt acceptare, Sanctiſſimum in Chriſto patrem ſummum Pontificem, vt ſibi eſſet fauorabilis, inducere ſatagendo. Prætereà nuntios noſtros in ſecuritate & conductu receptos ſpoliari mandauit; exenia per Ducem Bauariæ nobis tranſmiſſa, nuntijs eius in contemptum & iniuriam noſtram fecit auferri. Caſtra quoque quæ Ratiſbonenſis quondam Aduocatus noſter nobis & Imperio noſtro in morte ſua legauit, enormiter occupauit: nec obmiſit cuncta præſumere, quæ nobis eſſent & Imperio nocumento.

f. * Morauiæ.

Qui nec Deum timet, ſicut dicit, nec terrenum velit Dominum reuereri. Nec reuerentiam obſeruans, nobilem matrẽ ſuam bonis ſuis omnibus ſpoliatam de terra ſua turpiter effugauit, & ſi manus in eam mittere potuiſſet, vbera eius infelix homo præcidere minabatur; & niſi ad te dulciſſimum Principem & affinem noſtrum confugium habuiſſet, conſilio tuo ad noſtram præſentiam accedens, non haberet vbi caput tantæ nobilitatis Domina reclinaret, quæ lacrymis apud Deum, & apud nos clamore continuo querula non ceſſat inſtantiâ ſibi aduerſus tam improbum filium auxilium implorare. Non poſſumus ſilentio præterire qualiter Marchioni Miſniæ ſorore ſua nuptui tradita, in terra ſua nuptijs celebratis, cùm prima thori gaudia celebraſſet, aggreſſus eſt in lecto, & ſurgere non permiſit, donec eos in eius manibus dotes & ius de quibus tenebatur eis pro maritagio reſpondere, oportuit neceſſariò remiſiſſe, contra ſecuritatem ſibi promiſſam veniens, quòd nullam deberet ei petitionem facere, vel remiſſionem aliquam poſtulare, & metu inſuper incuſſo miniſterialibus, quòd de eis nullus euaderet, niſi quicquid petierat, compleretur. Quibus omnibus laceſſitis cùm tanta eſſet ipſius iniquitas, quòd non poſſet veniam promereri, ad tot querimonias Principum in noſtram præſentiam replica-

tas, ad querelas & lacrymas matris ſuæ petentis de noſtra ſublimitate iudicium, ad lacrymoſas voces nobilium, populorum, orphanorum, viduarum, & omnium habitantium terram ſuam coram Deo & nobis lacrymantium, contra eum; attendentes inſuper offenſas noſtri Imperij nequiter attentatas, ad condignam eius vltionem exigente iuſtitia duximus inſurgendum, reſponſuri ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur; ſed diſcat per ſeipſum qualiter Deum timere debeat, & nobis & Imperio teneatur modis omnibus reuereri. Quæ omnia tibi & alijs Principibus noſtris duximus exponenda, vt noſtra certitudo ad eius exterminium pateat vniuerſis. Nam refrænanda eſt temeritas malignorum, vt pœnæ metu tardiores ſint alij ad ſcelera committenda.

---

Epist. 85.

## *Epiſtola* NICOLAI *Papæ.*

### *Cariſsimo in Chriſto filio* CAROLO *Francorum Regi Illuſtri* NICOLAVS *Papa quintus.*

Renuit Pōtifex tributum Eccleſiaſticis ab Rege imponi.

CARISSME in Chriſto fili Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Receptis litteris tuæ Celſitudinis, & intellecto deſiderio tuo ſuper gabella vini quod venditur per Eccleſiaſticas perſonas Regni tui; Reſpondemus nos dolere vehementer, naturam rei de qua agitur eſſe talem, quæ per nos fieri non poſſit. Nam voto huic tuo ſine magna infamia noſtri, qui Eccleſiaſticæ libertatis protectores, non opreſſores eſſe debemus, & offenſa Dei ac conſcientię noſtræ nullo modo ſatisfacere poſſemus. Certiſſima debet eſſe Tua Serenitas nullam rem eſſe ita difficilem, quæ facilis non eſſet apud nos, quando videremus eam honori ac commodo tuo futuram: Verùm auferre hanc Eccleſiaſticam libertatem, nec noſtro conueniret honori, neque tuo. Hortamur itaque Serenitatem ipſam, vt velis tanquam Chriſtianiſſimus Princeps hanc Eccleſiaſticam libertatem in Chriſtianiſſimo Regno tuo, tempore tuo, non modò non

non infringere, verùm etiam protegere, quemadmodum Chriſtianiſſimi progenitores tui fecerunt: quo caſu ſucceſſus tuos Deus, cuius veneratione præfata libertas indicta fuit, continuò feliciores faciet, & Serenitatis tuæ ſtatum augebit. Si in alia re poſſumus celſitudini tuæ complacere, libentiſſimè faciemus; & nobis, qui Serenitati tuæ multis reſpectibus quam maximè ſumus obnoxij, iocundiſſimum erit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die 11. Maij M. CCCC. L. Pontificatus noſtri anno quarto.

PET. DE NOXCTO.

---

## EPISTOLA

Epist. 86.

### *Concilij Baſilienſis ad Cluniacenſes Monachos.*

Petunt Patres Concilij libros quoſdam ſibi neceſſarios.

SACROSANCTA generalis Baſilienſis Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, Dilectis Eccleſiæ filijs Abbati, & toti Conuentui Monaſterij Cluniacenſis, Salutem, & omnipotentis Dei benedictionem.

Accepimus pridie duo volumina Beati Auguſtini, in quorum altero eſt Tractatus contra Donatiſtas, & contra Manichæos, & contra Fauſtum: in altero verò de Baptiſmo paruulorum. Commendamus diligentiam & obedientiam veſtram, certificantes vos quia non ſunt minus ſalui hîc, quàm in monaſterio veſtro, & quia expedito iſto negotio Boëmorum proculdubio vobis remittemus ſine aliquo detrimento. Verùm indigemus neceſſariò Ambroſio de paradiſo animæ, Ambroſio de Sacramentis, & Ambroſio ſuper Lucam. Item Anſelmo de Sacramentis: Item Fulgentio: Item Ambroſio ſuper pſalterio. Hortamur vos omnes & ſingulos, mandantes nihilominus cuilibet veſtrûm in virtute ſanctæ obedientiæ, & excommunicationis latæ ſententiæ, vt prædicta volumina ſine mora mittatis ad nos. Expenſas auem quas portando & reportando fieri continget, para-

tos ſoluere nos offerimus. Eſt enim magna neceſſitas vt prædicti libri ſint hîc: Nam infra octo vel decem dies Ambaſiatores Boëmorum hanc ciuitatem ingreſſuri ſunt. Datum Baſileæ die vigeſima ſexta menſis Decembris, M.CCCC.XXXII.

# VARIA GALLIÆ
# CONCILIA.

## PRIVILEGIVM

*In Concilio Senonenſi præſidente* ALDRICO *Senonenſi Archiepiſcopo conceſſum, de Abbatia S. Remigij Senonenſis ad Varellias* transferenda: in quo omnia eiuſdem Monaſterij bona approbantur, Anno circiter* DCCCXXXIV.

ſiue* Vallilias.

DOMINIS Sanctiſſimis & Reuerendiſſimis Fratribus & Coëpiſcopis, Religioſiſſimis quoque & venerabilibus Abbatibus in ditione Domini Imperatoris HLOTHARII sereniſſimi Augusti conſtitutis, ALDRICVS minimus ſeruorum Chriſti famulus, ſanctæ Senonicæ Eccleſiæ Archiepiſcopus. Optimè venerabilis & Deo deuota ſanctitas veſtra nouit quantâ ſit curâ & ſollicitudine commiſſum nobis paſtorale regimen tuendum atque tractandum. Cùm ſimus igitur in ſpecula Eccleſiæ conſtituti, & viam cæteris per quam ingredi ad vitam debeant, debeamus oſtendere, quantum poſſe & intelligere diuina clementia dederit, ſatagendum eſt ea quæ nobis commiſſa ſunt ſecundùm Dei voluntatem prouidè prudentérque tractare, vt non ſolùm tantum quæ dum aduiuimus in præſenti tempore noſtris valeant prodeſſe ſubiectis, verùm etiam & in perpetuum illis proſpecta proficiant, qui in locis diuino cultui mancipatis, noſtræque ſolertię ad regendum pro tempore commiſſis ſupernæ pietati ſeruituri ſunt. Qui dum de corporis neceſſitatibus, victus dico ac veſtimenti, ſolliciti non fuerint, animum liberè in diuinæ contemplationis ſpecie figere valeant. Cui ſummo ac ſalutari bono inhærentes, eò

Quod Epiſcoporum ſtudium & officium.

ſemper ſuſpirant tota ſpei libertate ſuſpenſi, quò ſe peruenire diuinâ duce gratia æternę vitę præmium iam conſecuti gaudebunt. Et tamen cùm ſciamus res Eccleſiæ eſſe oblationes fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; eáſque nobis adminiſtrandas, procurandas, atque ordinandas ſuſcepiſſe. Harum rerum adminiſtratores nos eſſe meminiſſe debemus, & redditus, expenſáſque earum eis vſibus applicare, quorum gratia diuinis altaribus allegatæ noſcuntur.

Res Eccleſiæ quanti faciendæ, & qui ad miniſtrandæ.

Proinde ad ſanctitatis veſtrę piiſſimam intentionem perducere ſtatui, qualiter Cellas Monachorum Eccleſiæ Epiſcopij paruitati meæ commiſſi, id eſt, Cella S. Remigij Confeſſoris Chriſti in ſuburbio ciuitatis conſtructa, quę olim per diuiſiones prędeceſſorum meorum tempore fuit diſrupta: & ob hanc negligentiam Monachi, qui ibidem Deo degere videbantur, propter inopiam & importunitatem loci Regulam Beati Benedicti, vt debuerant, penitus obſeruare non poterant. Idcircò vnà cum conſilio Fratrum noſtrorum; Canonicorum videlicet & Monachorum, necnon & fidelium Laïcorum, viſum eſt nobis propter importunitatem loci, & Monachorum ibidem Deo degentium, præfatam Cellam ad Valliculas tranſmutare, & à fundamento ædificare, quam Rothlavs ob amorem Dei & remedium animæ viri ſui Meginarii, ſiue pro ſeipſa, ſuorúmque liberorum, ac parentum, ad ſupradictam Cellam Beati Remigij per donationis titulum delegauit, vel tradidit: ea videlicet ratione, vt diuinus ibi ageretur cultus, & illis pro quorum ſalute traditum fuerat, augeretur merces. Volumus etiam vt loca ſuper quæ ædificatum fuit ſupradictum Monaſterium, id eſt, agros, vineas, prata, areas, vel omnia quę infra muros ciuitatis habuit, vel extra, abſque alicuius diminutione ac impedimento habeant Rectores & Monachi, ad eorum vſus qui ibidem Deo ſub norma Beati Benedicti degerint.

Huius itaque rei cauſa hanc ſeriem Libelli digeſtam ſanctiſſimo Cœtui veſtro relegendam, atque veſtris ſubſcriptionibus roborandam obtuli, quo ſtatuere per veſtram vnanimitatem decreui, vt nullus deinceps Epiſcoporum, qui-

cumque per tempora diuina præſtante ſucceſſerint gratiâ, quicquam de his rebus, quas præſenti tempore memorata Cella vſibus Monachorum attributas poſſidet, minuere, vel abſtrahere, vel aliis vſibus applicare, vel beneficij quicquam, vel ſuorum, vel extraneorum dare præſumat, ſed, vt intimatum eſt, quæcunque nunc temporis retinet per diuerſa loca, & territoria, vſibus Monachorum deputata, & quæ à timentibus Deum eidem poſtmodùm fuerint loco collata, abſque vlla diminutione vel ſubſtractione Cellæ & Monachis ibidem conuerſantibus maneant inconuulsè.

Hæc autem ſunt infra ſcripta loca Monachorum ſtipendiis in memorata Cella degentium deſtinata. Primitus Valliculas, vbi ædificare præfatum volumus Monaſterium: Staticus cum adiacentiis ſuis, id eſt, Vetus Ferrarias; & Petra Vrſana cum territoriis & ſyluis: Chryniacus cum adiacente ſibi Hermentaria, cum territoriis, & ſyluis: Fontanicula cum territoriis; Lauſa cum adiacentiis ſuis, hoc eſt vico ſancti Sidronij, cum territoriis, & ſyluis, & ſimul latione: Bracciacus cum territoriis: Columbarius cum adiacentiis ſuis, hoc eſt, Eſthiniacus, Siluiacus, & territoria eorum cum ſyluis; Villa maneſca cum adiacente ſibi ponte, & territorio: Miſceriacus cum adiacente ſibi Ternanta; Villa-noua cum adiacentiis ſuis, hoc eſt Cauanarias, & Capotenus: Noë rollis cum adiacente ſibi: Caprenciis cum territoriis & ſyluis, & ſimul puteolis. In ſumma ſunt manſa centum nonaginta, & hoſpitia decem & nouem. Quicquid itaque in ſupradictis locis, vel circa eamdem Cellulam præſenti tempore Monachi in eadem diuinæ gratię famulantes poſſidere noſcuntur, vel ſi qua ſunt alia quæ fortè meam fugerunt memoriam, & tamen ea ſuis ſtipendiis aſſignata retinent cum territoriis, vineis, pratis, ſyluis, aquis aquarúmue decurſibus, & cæteris adiacentiis, ipſis tantùm ex integro, vt præmiſſum eſt, eorúmque vſibus iure perpetuo abſque vlla diminutione ſub prætexto memorati Epiſcopij noſtri iure debito cedant.

At verò Epiſcopus qui pro tempore auctore Deo præfuerit, Abbatem de eodem Monaſterio, eum videlicet quem omnis Congregatio ſibi ordinandum popoſcerit, & ſinceritas morum, & bonorum actuum probitas commendauerit, *De Abbatis electione.*

ſi inter eos talis inueniri quiuerit, eis ordinandum procuret. Quòd ſi talis inter eos minimè inueniri potuerit, de eadem Parochia vel Dioceſi Senonica, conſentientibus ſanctis Coepiſcopis eiuſdem Diœceſis, & circumpoſitis venerabilibus Abbatibus, eis præficiendum atque ordinandum prouideat. In aggregandis quoque Monachis hunc modum Abbas qui præfuerit, teneat, vt tricenarium numerum quantitatis ſumma non excedat, donec rerum copia maior ſuccreſcat. Epiſcopus quoque in exigendis muneribus Abbatem eiuſdem loci non grauet, ſed ſufficiat ei ad annua dona equus vnus, & ſcutum cum lancea. Quòd ſi in expeditionem publicam ire iuſſus fuerit, addantur ei de eodem loco carra duo, vnum vini, alterum farinę, verueces decem: ſupra quæ in exigendis muneribus, cupiditatis, auaritiæque cauſa grauare eos nullatenus præſumat, ne & Monachi eiuſdem Cellulę huiuſcemodi negotio à ſuo propoſito exorbitare, & Epiſcopus cauſa eorum perditionis addictus ſempiternas cogatur luere pœnas.

*Epiſcopus quidà Monachis exigere poteſt.*

Corpora etiam Sanctorum, quæ in noſtra Parochia jamdicta expectant ſui beatam immutationem, à prauis & deſidioſis cuſtodibus permaximè negliguntur, ita vt officio, luminaris, ac debita careant cuſtodia. Idcircò ob amorem Dei, cui viuentes in carne ſeruierunt, & emolumentum animę noſtræ, per voluntatem & licentiam domini ac pijſſimi LVDOVICI ac CAROLI Regum, quia congruum ad hoc locum inuenimus, illò deportanda volumus. Sed quia ſacra authoritas vetat, ne in talibus & ſimilibus Eccleſiis Chriſti per alicuius incuriam ſcandalum inferatur, multorum Epiſcoporum expoſcit conſenſum, ad veſtræ Paternitatis notitiam hæc omnia perferri volumus, quatenus veſtra deinceps cenſura & locus ipſe, quod fauente Deo ordinandum ſtabilimus, & memoratis Sanctorum pignoribus à Dei ſeruis ibidem Deo famulantibus dignè & laudabiliter ſeruiatur; & pro Domini noſtri ac totius ſanctę Dei Eccleſię ſtatu indefeſsè vota debita perſoluantur. Quod opus Deo dicatum, vt per tempora labentia, omnibus ſanctiſſimis Patribus & Fratribus in Dei nomine conſentientibus, firmiorem obtineat rectitudinis ſtatum, & intactum permaneat, manu

*Corpora Sanctorũ in Monaſterium S. Remigij transferri iubentur.*

noſtræ paruitatis ſubter relegenda firmamus. Et vt rata deinceps manere poſſint quæ ſcripta ſunt manibus veſtræ ſanctitatis roboranda expoſtulamus.

In Chriſti nomine ALDRICVS Eccleſiæ Senonicæ indignus Archiepiſcopus hoc Priuilegium fieri decreui, & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine LANDRAMNVS Turonicę Eccleſię Archiepiſcopus recognoui, & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine BARTHOLOMÆVS Narbonenſis Eccleſię Archiepiſcopus feci, & ſubſcripſi.

IONAS Aurelianenſis Eccleſię indignus Epiſcopus huic facto adſtipulator ſubſcripſi.

Ego RAYNARDVS Rothomagenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

ROTVALDVS Sueſſionenſis Epiſcopus huic facto ſubſcripſi.

ALDRICVS Cœnomanicæ vrbis Epiſcopus.

CAREVILTVS Baiocenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

In Dei nomine RADVLFVS Lexouienſis Epiſcopus adſtipulator huic facto ſubſcripſi.

ACAMRADVS Pariſiorum indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

STEPHANVS Bituricenſium indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

ALTADVS Geneuenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

ADALHELINVS Cathalaunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

RAGNERIVS Ambianenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

HELIAS Tricaſſinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

HVBERTVS Meldenſium Epiſcopus ſubſcripſi.

ALDVINVS Virdunenſium Epiſcopus ſubſcripſi.

DELRICVS Baſilienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego FVLCONINVS Warmatienſis Epiſcopus indignus.

In Dei nomine TEVGRINVS Albenſis Epiſcopus.

ATTO Nannetenſis Ciuitatis Epiſcopus.

GERFREDVS Niuernenſis Epiſcopus.

FACONA Epiſcopus.

BOSO Abbas ex Monaſterio S. Benedicti ſubſcripſi.

ADREVALDVS Abbas ex Monaſterio Nouiacenſi.
DEIDONVS ex Remenſi Cœnobio Abbas.
CHRISTIANVS Abbas Monaſterij S. Germani.
In Dei nomine Ego BERNOINVS Carnotenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
RAGNEMVNDVS Abbas de Monaſterio ſancti Carilelphi.
INGELNONVS Sagienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
FOVA Cauilonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

---

## *DIPLOMA*


### LVDOVICI *Pij Imperatoris, ratum habentis præfatum Aldrici Archiepiſcopi Priuilegium, datum anno* DCCCXXXV.

IN *nomine Dei & Saluatoris noſtri* IESV *Chriſti*, LVDOVICVS diuina repropitiante clementia Imperator Auguſtus. Si enim quod ad ſeruorum Dei quietem pertinet deuotiſſima ſollicitudine, & Imperiali prouidentia, procuramus, ad emolumentum animæ noſtræ, vel æternam beatitudinem capeſſendam, hoc proculdubio pertinere non dubitamus. Idcircò notum fieri volumus omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, noſtríſque præſentibus ſcilicet & futuris, Quia ALDRICVS venerabilis Senonicæ vrbis Archiepiſcopus noſtræ ſuggeſſit manſuetudini, de quodam Monaſterio memorati Epiſcopij ſui, quod iuxta muros eiuſdem Ciuitatis in honorem Beati Remigij Confeſſoris Chriſti poſitum fuerat, & propter impedimenta quædam quæ ex propinquitate atque aſſiduitate præfatæ vrbis Monachi illi Domino famulantes perpeti videbantur, ipſe in alterum locum, cuius vocabulum eſt Vallilias, octauo ſcilicet ab eadem vrbe milliario, eum fecerit tranſmutari. Quem etiam locum ROTHLAVM, quondam MAGNERII Comitis vxorem, ſupradicto ſancti Remigii Monaſterio ob ſuam viríque ſui requiem atque remedium, donationis titulo delegauiſſe teſtatus eſt. Sed ne quamlibet contrarietatem, aut

autinquietudinem, à Præſulibus per tempora labentia in eadem ſede ſibi ſuccedentibus Monachi, quos à memorato loco tranſmigrari fecerat, quolibet tempore perpeti cogerentur, Priuilegium eis Eccleſiaſtica auctoritate in vrbe ſupradicta vnà cum venerabilibus Coëpiſcopis fidelibus noſtris, diuerſarum Eccleſiarum conſtitutis ſe feciſſe profeſſus eſt, ſicut etiam eo perſpecto atque relecto manifeſtiſſimè claruit. In quo firmiſſimè conſenſu omnium ſanxerunt, vt nullus Pontificum ſuccedentium quidpiam de rebus, quas in priori loco degentes poſſederant, imminuere, aut maiora illi ſeruitia, quæ ſub eo pertulerant, inferre præſumeret, ſed liceret illis res ad memoratum Monaſterium religioſiſſimâ deuotione fidelium delegatas quieto ordine poſſidere, nihilque ei oneris amplius imponere, quàm in memorato Priuilegio cum eiſdem venerabilibus Coëpiſcopis confirmato conſtitutum eſſe conſtabat.

Verùm licet Eccleſiaſtica atque Pontificalis Conſtitutio ſuâ, imóque diuinâ authoritate eſſe præuideat, tamen non indecens atque incongruum iudicauit, ſi noſtra Imperiali authoritate ſua Conſtitutio firma eſſe perpetuò ſanciretur. Proinde hos noſtræ authoritatis Imperiales apices ſæpedicto Monaſterio fieri decreuimus, per quos decernentes præcipimus atque ſancimus, vt à memorato venerabili Aldrico Archiepiſcopo, conſentientibus digniſſimo honore Coëpiſcopis ſuis conſtitutum, ac priuilegio eorumdem, aliorúmque complurium Sacerdotum Chriſti, atque Abbatum manibus roborato confirmatum eſt: ita deinceps per hanc noſtram authoritatem fixum, atque inconcuſſum inuiolabiliter permaneat. Nec quiſpiam Epiſcoporum in memorata vrbe per tempora labentia Chriſto propitio ſuccedentium quicquam minuere, immutare, aut quippiam ſeruitij ampliùs, quàm in ſæpedicto priuilegio inſertum eſt, augere præſumat, ſed licitè Monachis per tempora Domino inibi militantibus ſub conditionibus in iam dicto priuilegio taxatis, quietè, regulaitérque viuere; & pro nobis, coniuge, proléque noſtra, ac ſtabilitate Imperij à Deo nobis commiſſi atqueconſeruandi iugiter Domini miſericordiam propenſiùs exorare. Et vt hæc noſtræ Confirmationis authoritas tam

noſtris, quàm ſucceſſorum noſtrorum temporibus, inuiolabilem atque inconuulſam obtineat firmitatem, de annulo noſtro ſubter eam iuſſimus aſſignari.

Signum  Ludouici Sereniſſimi Auguſti.

Data ſextodecimo Kalendas Decembris, anno Chriſto propitio vigeſimo ſecundo Imperij Domini Ludouici pijſſimi Auguſti, Indictione decima tertia. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei nomine fœliciter. Amen.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognoui.

---

## *Priuilegium Monaſterij S. Remigij ab* ALDRICO *conceſſum confirmat Venilo Archiepiſcopus Senonenſis in Concilio Senonis habito, An.* DCCCLII.

DOMINIS Sanctis & Reuerendiſſimis Fratribus & Coëpiſcopis, Religioſiſſimis quoque & venerabilibus Abbatibus, in ditione Regni Domini KAROLI Sereniſſimi Regis, WENILO minimus ſeruorum Chriſti famulus, ſanctæ Senonicæ Eccleſiæ Archiepiſcopus. Optimè venerabilis & Deo deuota ſanctitas veſtra nouit, quanta ſit cura & ſollicitudine commiſſum nobis paſtorale regimen tuendum atque tractandum, &c.* Idcirco vnà cum Concilio fratrum noſtrorum, Canonicorum videlicet & Monachorum, necnon & fidelium Laïcorum, viſum eſt nobis propter opportunitatem loci, & Monachorum ibidem Deo degentium, præfatam Cellam ad locum qui dicitur Valliculas tranſmutare, & à fundamentis ædificare, quem HRotlaus quondam nobiliſſima ob amorem Dei & remedium animæ viri ſui Meginerij, ſiue pro ſeipſa, ſuorumque liberoum ac parentum ad prædictam Cellulam beati Remigij, ex antiquitate memorati Epiſcopij noſtri, per donationis titu-

*Quæ ſequi deberent, ipſiſſima ſunt verba Priuilegij ab Aldrico dati ſupra pag. 579.

lum delegauit vel tradidit, ea videlicet ratione, vt diuinus ibidem demum ageretur cultus, & illis pro quorum ſalute traditum fuerat augeretur merces, &c. Quod opus Deo dicatum vt per tempora labentia omnibus ſanctiſſimis Patribus & fratribus in Dei nomine conſentientibus firmiorem obtineat rectitudinis ſtatum, & intactum permaneat, manu noſtræ paruitatis ſubter relegenda firmauimus. Et vt rata deinceps manere poſſint, quæ ſcripta ſunt manibus veſtræ ſanctitatis roboranda expoſtulamus.

WENILO ſanctæ Senonicæ ſedis munere diuino Archiepiſcopus hoc Priuilegium fieri iuſſi, & ſubſcripſi.

HVCBERTVS ſanctæ Meldenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus hoc Priuilegium ſubſcripſi.

ADALBERTVS Tricaſſis Epiſcopus ſubſcripſi.

HELIAS Carnotenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

RVRICVS Rothomagenſis vocatus Archiepiſcopus ſubſcripſi.

IVRSMARVS Turonorum Archiepiſcopus ſubſcripſi.

FRECVLFVS Lexouienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

SAXBODVS Sagienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

SIMEON Laudunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

BALTFRIDVS Baiocenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcr.

RAGINARIVS Ambianenſis Epiſcopus ſubſcripſi

ALTHEVS præueniente gratia Dei Auguſtodunenſis Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.

ERMENFREDVS Abba ſubſcripſi.

ABBO Abba ſubſcripſi.

LVPVS Cathalaunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

*Celebratum fuiſſe id Concilij Senonis indigitat Carolus Caluus ſuo diplomate, rogatu Venilonis Archiepiſcopi, Anno regni eius duodecimo, Indict. I. conceſſo, his verbis*: Priuilegium eis Eccleſiaſtica authoritate in vrbe Senonenſi vnà cum Venerabilibus Coëpiſcopis, fidelibus noſtris, diuerſarum Eccleſiarum conſtitutis ſe feciſſe profeſſus eſt; *nempe Venilo.*

## IN CONVENTV PISTENSI.

### *Bona Abbatiæ S. Germani Autiſsiodorenſis confirmantur, An.* DCCCLXIV.

ANNO ab Incarnatione Domini octingenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione duodecima, anno verò Regni glorioſi Regis KAROLI vigeſimo quarto, poſitis nobis diuerſarum Prouinciarum, & Vrbium Galliæ Præſulibus, in loco, qui Piſtas vocatur, quò nos generalis neceſſitas traxerat inſtituendi munitiones contra Normannos; quò etiam pro Regni ſtatu confirmando regia nos Præceptio euocauit: Adierunt nos Legati Monachorum ſancti Germani Autiſſiodorenſis Monaſterij, quibus præeſt memorati Regis filius venerabilis Abbas HLOTHARIVS, ſupplicantes, vt ad loci ſui Religioníſque ſtabilitatem, ac ſecuritatem perpetuam obtinendam, de facultatibus ipſius Monaſterij eorum vſibus ſpecialiter deputatis, Decreti noſtri authoritatem emitteremus, ne aliqua deinceps immutandi ea, quæ iuſtè petita & conceſſa ſunt, cuiquam pateret facultas. Quippe vt prudentes viri atque Religioſi tenentes in memoria illud quod rectè præcipitur; *In die bonorum ne memor ſis malorum*; & ſuſpectam habentes rerum incertarum mutationes: ſibi per nos conſuli optauerunt, vt inter varias mutationum viciſſitudines, ipſi diuino munere, noſtróque conſenſu freti, nulla vnquam neceſſitatis occaſione paterentur ſuæ Religionis diſpendia, ſed potiùs ipſius Dei, noſtráque prouiſione aſſiduis immutabilibúſque beneficijs ad meliora incitarentur. Eorum igitur ſtudium approbantes, prudentiámque penitus amplectentes, facilem votis præbuimus aſſenſum, optatúmque impendimus fauorem, vt Sanctorum operum, quæ illis diuinitus conferentur, non adiutores ſolùm, verùm etiam efficeremur participes. Quæcunque igitur Regiâ magnificentiâ ad conſeruationem ſui propoſiti ſunt adepti, quæque Præcepto eius nominatim expreſſa & collata ſunt: id eſt manſa in gyro Monaſterij ſita, & vt vulgo loquamur, clauſi vinearum, ſcilicet ille qui ad-

hæret Monaſterio & campaniæ, plantę abundantia, Curticanus & Clauſellus de Patriniaco, cum alijs vineolis, Ariacus ad integrum Alta-ripa cum integritate; Manſella in Fontanilijs, quæ cum Vvenilone Metropolitano Epiſcopo permutauerunt pro rebus ſancti Remigij, Colonias, villare, quod cum Agliniaco, villa cameræ eorum deputata, Regio Præcepto per commutationem habere decretum eſt, cum manſo indominicato, & appendiciis ſuis ad integrum; Manſella in Mariaco; Pons Maxentus ad integrum: Manſella quę Hildeburgis dedit in Monaſteriolum-medium, Deſimiacus ad integrum, Albus-Cippus media cum Eccleſia; Manſum vnum in Ripa, & alia Manſa in Surgiaco, & Langromo, Orgiacus, Pauliniacus, Buculiacus, valens, & Quintiacus mediæ quam commutauerunt pro Lediſmo, Partiniacus ad integrum, quam de rebus ſancti Stephani ad Comitatum Pagi Autiſſiodorenſis pertinentibus, cum Chunrado Comite, propinquo Regis, & Chriſtiano Epiſcôpo, pro Feſtiniaco, Leſtrodio, & Graniolo, regali authoritate commutauerunt: Rochonorus, quam cum præfato Comite pro Modolagio commutauerunt, Sediliacus, Nabriacus, Vendilus, & in Belnenſi Pago vinea vna, quæ Morga dicitur, Vrus, Modolagius, Luciacus, Monſtalaunus; Magniacus etiam, in quo ſunt diuerſis locis manſa viginti-quatuor, & Regio Præcepto deſtinata ſunt vſibus Monachorum. Vultumniacus cum coloniculis, in Agliaco manſa tria cum farinarijs, & piſcatione, pro quibus illi dederunt manſa quatuor in diuerſis locis. In Tricaſſino Pago manſum vnum, & diuerſæ terræ in eleemoſyna illis datæ. Cella Melleredenſis, quam ipſis deprecantibus Monachis Regia liberalitas ſociauit, cum quibus & vnam villam, Abundiacum nomine, pro Auloniaco commutauerunt. Prætereà Quintiacus media, & Cociacus, quas ipſi Monachi de portione ſua ad portam deputauerunt excipiendis Monachis & cæteris familiaribus ſuis: ſed & ad theſaurum Manſella, quæ ſunt in Vogrado & Caſteneto, & manſum vnum in Sigliniaco, cum terris & vineolis, in Cineiliis, & Nantilla, & Blariaco cum appendiciis ſuis, & in Villari manſa duo cum vineolis & terris, quæ diuerſi homines pro eleemoſyna, vel loco ſepultu-

ræ, largiti ſunt ; & in Badeſia manſum vnum. Res quoque quas dedit Herimarus vir nobilis ad ſtipendium Matricula-riorum, quos Nonnones vocant, hoc eſt in Nigronto, & in Lacunis, ſeu Lincreolis, & Ferrolis. Item ad hoſpitale pauperum Vendonſa cum appendicijs ſuis, Calniacus, & in Guuarchiaco manſum vnum , in Baſſao manſellum vnum cum vineolis, in Vogrado manſum vnum, in Valarijs ſimiliter, in Creanſo ſimiliter, in Crepto ſimiliter, ſicut etiam Regia magnificentia conſenſit, ita & nos concedimus, vt intra annum per quadraginta dies certas, ex collatione recenti bonorum hominum, in feſtiuitatibus sãctorum benedictiones fratribus à Præpoſito vel Decano ſolemniter procurentur. Præcipimus quoque vt ex omnibus reliquis facultatibus Monaſterij, quæ vel dominico iure, vel beneficiorum conſuetudine detinentur, decimæ hoſpitalibus diuitum vel pauperum, ſicut olim ſtatutum eſt, ad integrum conferantur, & ſarta tecta totius Monaſterij, & his auxiliis quæ manſa debent certis & opportunis temporibus inſtaurentur.

Nos Deo, & ipſi Domino Regi vberes gratias referentes, ſtatuimus in perpetuum immutabiliter conſeruanda , nec vnquam vllum defectum, minutionémque paſſura quandiu Deus & Dominus noſter in hac peregrinatione Eccleſiam ſuam dignatus fuerit gubernare. Optamus etiam vt glorioſus Dominus noſter beneficiorum ſuorum cum Dei cultoribus Deo conferente quandoque percipiat præmium , quibus congruum ſuæ largitionis præbere non diſtulit munimentum. Nos verò memores noſtri officij eoſdem venerabiles fratres monemus, vt in ſancta Religione, quam Deo profeſſi ſunt, quotidie proficiant, ſuæ ſanctitatis exemplo ad ſe accedentes inſtigent, famáque laudabili ad Dei gloriam abſentes quoque eſſe ſtudeant imitabiles, vt eorum merito & ſæcularis reſpublica dirigatur, & infatigabili interceſſione cunctę res Eccleſiaſticæ fulciantur.

Si quis autem Abbas, vel alia quælibet contraria perſona hanc noſtram Conſtitutionem aliquâ impedire aſtutiâ vel corrumpere ſubreptione molitus fuerit, aut cenſum ſiue commodum aliquod imponere tentauerit, quæ nos ne Dei ſerui grauarentur penitus excluſimus, hac noſtra admoni-

tione comperta niſi continuò ſe à malo ſubtraxerit, & competenti pœnitentia texerit, eum velut turbantem pacem atque ſalutarem concordiam à perceptione ſacratiſſimi Corporis & Sanguinis Domini noſtri IESV Chriſti ſeparamus, & anathemate, quo dignus eſt, plectendum, donec ex corde reſipiſcat; decernimus, vt qui ſcandalum intulerit quieti ac refrigerio Deo famulantium, ipſe ab eis excluſus damnationem debitam perferre cogatur. Vt autem hoc Priuilegium certum iugiter obtineat vigorem, Deíque famulis plenam ſemper conferat ſecuritatem, ſubſcriptionibus id proprijs præſentes roborauimus, & abſentes Fratres & Coëpiſcopos noſtros vt idem facere dignentur, ſéque nobis etiam in hoc vnanimes exhibeant, obſecramus.

VVANILO munere diuino Senonenſis Epiſcopus hoc priuilegium recognoui, & ſubſcripſi.

HINCMARVS nomine non merito Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus, ſubſcripſi.

LOTHARIVS ſanctæ Burdegalenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

RODVLPHVS Bituricenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

AGIVS ſanctæ Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

CHRISTIANVS Autiſſiodorenſis Epiſcopus ſubſcr.

LVIDO vocatus Epiſcopus ſanctæ Niuernenſis Eccleſiæ ſub.

FOLCHRICVS indignus Epiſcopus Auguſtæ Tricarum ſubſcripſi.

ISAAC ſanctæ Lingonenſis Eccleſię indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

HERPVNVS ſanctæ Siluanectenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

GIRBALDVS indignus Kauillonenſis Epiſcopus ſub.

HILDVINVS diuina miſeratione vocatus Ebroïcenſis Epiſcopus.

INGENALDVS Pictauorum gratia Dei Epiſcopus ſubſcripſi.

ODO Bellouacenſis Epiſcopus in nomine ſanctæ Trinitatis ſubſcripſi.

ROTLANNVS Epiſcopus Eccleſiæ Arelatenſis hoc priuilegium firmaui, & ſubſcripſi.

ERCHENRAVS Catalaunenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

RAGENELINVS ſanctæ Tornacenſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus ſubſcripſi.

LIVTBERTVS ſanctæ Mogontiacenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

ALTHFREDVS Hildeuisheimenſis Epiſcopus ſub.

FRICVLFVS ſanctæ Sanctonicenſis Eccleſię Epiſcopus ſubſcripſi.

BERNARDVS ſanctæ Matiſconenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

---

## *CONCILIVM AVSCENSE,*

*In quo præſidebat Hugo Cardinalis, cognomento Albus. Anno reparatæ ſalutis* M LXVIII.

A ſolutione quartæ partis decimæ eximitur Monaſterium S. Orientij

ANNO milleſimo ſexageſimo octauo Incarnationis Domini noſtri IESV Chriſti, factum eſt Concilium apud Auſciam ciuitatem Metropolitanam. Tenuitque Concilium Domnus VGO, qui vocabatur ALBVS, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, cum bonæ memoriæ AVSTINDO Archiepiſcopo, & omnibus Suffraganeis ſuis Epiſcopis, & Abbatibus, & Magnatibus vniuerſæ Guaſconiæ.

Inter cætera ſtabilimenta quæ ibi ſanxerunt, decreuerunt vt omnes Eccleſiæ, quæ infra terminos Guaſconiæ continentur, ſemper quartam partem decimæ vnaquæque Eccleſia ſuis ſedibus redderet. Nam anteà minimè faciebant. Hoc audiens Domnus Abbas RAIMVNDVS ſancti ORIENTII, dixit ſe minimè conſentire in hoc, vt Eccleſiæ ſancti Confeſſoris, quæ per tot tempora ingenuæ permanſerant, tali iugo ſubmitterentur. Audiens hoc Cardinalis præfatus, quòd in Monaſterio eius tumulatus eſſet tam amiciſſimus Confeſſor, & tam magnæ auctoritatis ſuper omnes Archiepiſcopos, qui in ſede Auſcia fuerant; decreuit cum

cum Domno Auſtindo, & omni cœtu Epiſcoporum,& Abbatum, vt pro amore ſancti Confeſſoris prædicti, Eccleſiæ eius ab hac conditione liberrimæ permanerent, ſicut anteà facere ſolebant. Sanxítque, ac firmauit Domnus Cardinalis, cum Auſtindo Archiepiſcopo, Abbati Raimundo ſancti Orientij, vt omnes conſuetudines, quas anteà in honore & in Eccleſijs tenere ſoliti erant, abſque vlla infeſtatione inuidorum Epiſcoporum, vel Archidiaconorum, inconuulſæ permanerent.

Laudauerunt etiam, vt Gubernator qui locum ſancti Orientij rexerit, vices Archidiaconi in honore ſuo ſuper Eccleſias & Clericos teneat, & ipſe, ſi lapſi fuerint, iuſtitiam faciat. Tamen ſi pœnitere noluerint, ipſe ante præſentiam Domni Archiepiſcopi repræſentet, & ipſe illis pœnitentiam iniungat, vt illi placuerit, excepto quòd vllam legem ab illis non requirat.

Archidiacono autem interdicimus conuiuia more ſymbolarum in eius Eccleſiis peragi, aut in honore eius aliquid vſurpari contra conſuetudinem veterem.

Igitur ſi quis peruerſus æmulus temerè contra hoc moleſtare locum ſanctum tentauerit, ſecundò, tertióue commonitus: ſin cum ſatisfactione congrua emendauerit, iram Dei, & ſancti Confeſſoris incurrat, Fiat, Fiat. Amen.

Ego VGO ſanctæ Romanæ Eccleſię Cardinalis ſignaui.
Ego AVSTINDVS Archiepiſcopus iſtius ſedis ſignaui.

Hæ ſunt Eccleſiæ, quas dictus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, cum aſſenſu & voluntate Auſtindi Archiepiſcopi, & omnium Suffraganeorum Epiſcoporum, & Abbatum vniuerſæ Guaſconię, voluit, decreuit, confirmauit eſſe immunes, ſicut ſuperiùs dictum eſt; Videlicet Eccleſiam S. Ciricij, Eccleſiam S. Lazari, Eccleſiam ſancti Petri de Iolac, Eccleſiam de Mazeres, Eccleſiam de Lobeiano, Eccleſiam de Durano, Eccleſiam de Theahut, Eccleſiam de Cella noua, Eccleſiam de Augeraco, Eccleſiam de Martino Vallo, Eccleſiam de Sereguzano, Eccleſiam de Begaut, Eccleſiam de Romaiacho, Eccleſiam de Aqua cluſa, Eccleſiam de Blaiſano, Eccleſiam de Guoz, Eccleſiam de Boxas, Eccleſiam de Mirapeis, Eccleſiam de Martino Viago, Eccleſiam de

. . . . . Eccleſiam de Iuſſano, Eccleſiam de Cazano, Eccleſiam d'Antras, Eccleſiam de Toltari, Eccleſiam de Garaut, Eccleſiam de Reſſelenes.

---

## *EX GESTIS BELVACENSIS CONCILII.*

Id Concilium celebratũ eſt. An. 1114.

INTER cætera Beluacenſis Concilij decreta hoc à Domno Conone Præneſtino Epiſcopo, & Apoſtolicæ ſedis Legato; Archiepiſcopis quoque Remenſi, Bituricenſi, ac Senonenſi, nec non & Suffraganeis eorum, multiſque alijs Synodalibus viris concorditer & vnanimiter ſtatutum eſt; Vt quæçunque res vel poſſeſſiones cuilibet Eccleſiæ datæ, & ab ea anno & diè quietè, id eſt, ſine ſynodali proclamatione poſſeſſæ fuerint, eidem Eccleſiæ perpetua ſtabilitate permaneant: Quòd qui violauerit, à communione arceatur, donec Eccleſiæ ſatisfaciat, & quæ abſtulit liberè reſtituat. Neceſſarium enim arbitrati ſunt nouis morbis noua medicamentorum genera opponere; præſertim cùm viderent multos laïcos non ſolùm Eccleſijs nil conferre, immò, quod nequius eſt, quæ à fidelibus & Deum timentibus collata ſunt, violenter, ſi liceat, auferre. Incongruum etiam & iniuſtum viſum eſt, vt cùm hæc inter ſeculares lex teneatur, ſancta Dei Eccleſia minori contra eoſdem ſeculares iure vtatur. Verùm hoc duntaxat aduerſum laïcos. Inter Eccleſias verò tricennalis ius poſſeſſionis ſecundùm ſacros Canones conſeruetur.

### *Vrbanus ſecundus in Concilio Romano.*

Nullus laïcus decimas ſuas aut Eccleſiam, aut quicquid Eccleſiaſtici iuris eſt, ſine conſenſu Epiſcopi, vel Romani conceſſione Pontificis, monaſteriis aut Canonicis offerre præſumat. Quòd ſi quis Epiſcopus improbitatis cauſa & auaritiæ conſentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur, & cum eius ſcientia quod offerendum eſt, offeratur.

### *Ex libro Legum nouellarum diui Valentiniani, cap.*12.

Si lis infra tricennium inchoata fuerit, & non definita, quaſi nec cœpta fuerit, ita habeatur extincta.

### *Ex Concilio * Spalenſi ſecundo, cap.* 1.

Placuit, vt omnis parochia, * quam ab antiqua ditione ante militarem hoſtilitatem retinuiſſe Eccleſiam ſuam quiſque comprobaret, eius priuilegio reſtitueretur. Non enim erit obiicienda præſcriptio temporis, vbi neceſſitas intereſt hoſtilitatis.

* Hiſpalenſi.

al. * quæ.

### *Ex Concilio Lugdunenſi, cap.* 5.

Non liceat Epiſcopo, nec Abbati, nec alicui, terram Eccleſiæ vertere ad aliam, quamuis ambæ ſint in eius poteſtate. Tamen ſi commutare voluerint terras earum, cum conſenſu ambarum faciant.

### *Ex Decretis Gregorij VII.*

Quia dies Sabbati apud Sanctos Patres noſtros in abſtinentia celebris eſt habitus, nos eorumdem auctoritatem ſequentes ſalubriter ammonemus, vt quicumque ſe Chriſtianæ religionis participem eſſe deſiderat, ab eſu carnium, eadem die, niſi maiori feſtiuitate, vel infirmitate impediente abſtineat.

Cõcil. Romanum V.

### *Gregorius Papa VII.*

Qui ſacros Ordines tranſiliunt, ſuſpendantur ab officio, & ſi meruerit vita eorum indulgentiam conſequantur, & interſint ordinibus quos amiſerunt.

### *Ex Concilio Claromontano.*

Interdictum eſt, ne Reges, vel aliqui Principes, aliquam inueſtituram de honoribus Eccleſiaſticis faciant. Cap. 16.

### *Ex Concilio Pictauenſi à Ioanne, & Benedicto Cardinalibus, cap.* 1.

Vt nullus præter Epiſcopum Clericis coronas benedicere

præſumat, exceptis Abbatibus, qui illis tantùm benedicant coronas, quos ad conuerſionem ſuſceperint.

*Decretum Gregorij VI. & Vrbani ſecundi.*

Presbyterorum filios à ſacri altaris miniſterijs remouendos decernimus, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canonicis Regularibus religiosè probati fuerint conuerſati.

In ed. cap. 11. *Vrbanus Papa II. in Concilio Claromontano, cap.* 12.

Ne vlli filij concubinarum, & Clericorum, preſbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum ad ordinationes, vel ad alios honores Eccleſiaſticos promoueantur, niſi Monachi, vel regulares fiant.

Ibid. cap. 12. *Vrbanus II. in eodem Conc. cap.* 14.

Nulli Clerico liceat deinceps in duabus ciuitatibus duas præbendas obtinere, cùm duos titulos habere non poſſit.

Ibid cap. 14 *Item eiuſdem.*

Vt nullus deinceps in vna Eccleſia honores geminos habeat.

*Item eiuſdem Vrbani.*

Ibid. cap 9. Nullus ſacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus, ſed & nullus qui Canonicatum habet, fornicationis ſibi copulam adiungat. Quòd ſi quis fecerit, à Canonicatu arceatur.

* Tertio, cap. 18. *Idem in Concilio Romano.*

Nullus Archiepiſcopus, ſiue Epiſcopus, de conſecratione Epiſcopi, vel Abbatis, neque cappam, neque bacinos, neque tapetia, aut quodlibet munus accipere præſumat.

*Item cap.* 5.

Quicumque adhuc pueri cupiditate parentum aliquod Eccleſiaſticum beneficium per pecuniam adepti ſunt, illo dimiſſo ibidem miſericorditer & in ſacris ordinibus viuere poſſunt.

### *Item in eodem, cap. 6.*

Illi verò qui per ſeipſos cùm iam maioris eſſent ætatis nefanda cupiditate ducti honores emerint, ſi in aliis Eccleſiis canonicè viuere voluerint, ſeruatis propriis ordinibus pro magna miſericordia ibi eos miniſtrare permittimus. Varia eſt lectio in edit.

### *Item idem in eodem, cap. 7.*

Vt nulla inueſtitura fiat præbendarum, vel altarium, ſeu prælationum, vel promiſſio viuentibus & eas poſſidentibus perſonis.

### *Idem Vrbanus Clero Mediolani.*

Si quis Presbyterorum, vel Diaconorum, vel Subdiaconorum officium contumaciter deſerens, fœminam ſibi potiùs eligit, ſicut ſponte ob fornicationem dimittit officium, ita ob præuaricationem dimittere cogatur & inuitus beneficium. Non extat eo cap. ſed ſimile quid cap. 17.

### *Item idem populo Mediolani.*

Eos etiam qui vt fornicari liceat, diuinum officium derelinquunt, & à Deo recedentes Diabolo & eius operibus ſeruiunt, ſicut ſe iuſtiſſimè officio alienos faciunt, ita beneficio Eccleſiarum priuatos eſſe abiudicamus. Tria ſequentia capita non reperi.

### *Vrbanus Gar . . . . .*

Clericum, quo iaciente lapidem puer dicitur interemptus, nos pro amore tuo in eodem ordine permanere permittimus, vt tamen ſemper in pœnitentia & timore permaneat.

### *Ex Concilio Claromontano ab Vrbano II. celebrato.*

Ne aliquis laïcus alterius hæreditates ſibi vſurpet. Quòd ſi quis fecerit, nec ſatisfecerit, nullus ſacerdos interim eum ad pœnitentiam admittat. * Similiter & alium quemlibet, niſi perfectam confeſſionem fecerit. Verbi gratia vt ſi perpetrato homicidio manſerit in adulterio, vel huiuſmodi, ad Cap. 21. * 22.

perfectam pœnitentiam minimè recipi debere decretum eſt. At tamen conſilium vt ieiunet, & eleemoſynas det, detur ei tantummodò vt ad viam veritatis redire poſſit.

* Non extat.

*Ex Concilio * Romæ Paſchali ſecundo præſidente celebrato.*

Quicumque res naufragorum diripiunt, vt raptores, & fratrum necatores, ab Eccleſiæ liminibus excludantur.

*Gregorius quartus v. libro regiſtri ſui.*

Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta ſequentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut Sacramento aſtricti ſunt, Apoſtolica auctoritate à ſacramento abſoluimus, quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant, & ne eis anteà fidelitatem obſeruent prohibemus.

*Alexander ſecundus Guillelmo Marchioni.*

Audiuimus quòd Henricus Rauennas dictus Archiepiſcopus, niſus te ſit excommunicare, quod quia excommunicatus, excommunicare non potuit te, Apoſtolica auctoritate te tuóſque abſoluentes, mandamus exinde non curare.

Gregorius VII.

*Gregorius Henrico Leodienſi Epiſcopo.*

f. * augmẽtum.

Peruenit ad nos te ab Arnulfo Comite ad nequitiæ ſuæ * Argumentum gladiis iurare compulſum, quòd ablata nunquam repeteres. Vnde Apoſtolica auctoritate te abſoluimus, vt non tuæ vel alicuius conſcientiæ ob hoc videaris obnoxius.

---

# PRIVILEGIA ECCLESIÆ SS. Cornelij & Cypriani

*In Concilio Compendij acto approbata, An.* M.LXXXV.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, PHILIPPVS Dei gratia Francorum Rex.

Quia diuina præueniente diſpenſatione Compendienſem Eccleſiam fundatam quidem à Domno Karolo Illuſtri ac nobiliſſimo Francorum Rege, ac Imperatore Romanorum, prædeceſſore noſtro, à ſancto Ioanne Romano Pontifice cum ſeptuaginta duobus Epiſcopis ſolemniter celebri honore ac decore ſpeciali dedicatam, condigno tenore libertatis ad tempora noſtra viguiſſe cognouimus. Nullius quoque Metropolitani Epiſcopi, nullius dominationi, nec ipſius Sueſſionis fuiſſe conſtat obnoxiam Eamdem ipſam Eccleſiam in eodem honore ac priſtina libertate, tam noſtro tempore, quàm ſucceſſorum noſtrorum retinendo conſeruare, conſeruando retinere deſtinamus, volumus & debemus.

Eccleſia Compendienſis à Carolo Caluo fundata, & à Ioanne Pontif. cõſecrata.

Nulli ſubeſt Epiſcopo.

Vnde notum fieri volumus fidelibus noſtris tam præſentibus quàm futuris, quòd HILGOTVS Sueſſionenſis Epiſcopus præfatæ videlicet Eccleſię Canonicos noſtros de quibuſdam quæ eos aduerſus Eccleſiam ſuam, & ſeipſum commiſiſſe querebatur, in CONCILIO Compendij celebrato in præſentia Domni RAYNALDI Remenſis Archiepiſcopi, & cæterorum Epiſcoporum, qui eò conuenerant, ELINANDI videlicet Laudunenſis Epiſcopi, ROGERI Catalaunenſis, VRSIONIS Beluacenſis, VRSIONIS Syluanectenſis, ROBICONIS Ambianenſis, RATBODI Nouiomenſis, GERARDI Cameracenſis, GOIFRIDI Pariſienſis, GVALTERI Meldenſis: Abbatum quoque GERVINI de ſancto Richario, EWRARDI Corbeienſis, GODEFRIDI de Monte ſancti Quintini, BVRCHARDI de ſancto Baſolo, INGELERI de Foreſtenſi Monaſterio, VVALTERI de ſancto Ioſcio, BENEDICTI de ſancto Criſpino, ROBERTI de Haſnun, HENRICI de ſancto Remigio, FVLCARDI de Trant, VVIMANDI de ſancto Bauone, PETRI de ſancto Luciano, ARNVLPHI de Lobiis, HVBERTI de ſancto Vvinotio, GIRALDI de Ham, VVILLERMI de Britolio, HVGONIS de .....*.... de ſancto Theodoro, PETRI de Altouillari, RADVLPHI de ſancto Simphoriano: contra conſuetudinem ac libertatem eiſdem Canonicis à Patribus noſtris, & à nobis traditam & conceſſam ad contemptum prædeceſſorum Majeſtatis, vbi & ad quos nullatenus oportuerat, cauſare præſumpſit. Nos verò illius queri-


Epiſcopi & Abbates qui aderãt in Concilio.

* *Legendũ*, Richerij de S. Theodorico.

moniam à nullo Metropolitano ,à nullo etiam Epiſcopo iuſticiari, nec ad placita , ſeu ad agendas cauſas deberent inuitari vel compelli, in eodem ipſo Concilio coram prænominatis perſonis , tum decretis Romanorum Pontificum , tum conſuetudinibus ipſius Eccleſiæ ad nos vſque deriuatis , & habitis, plenariè differentes euidenter oſtendimus. Et vt ipſi Fratres quemadmodum ad tempora noſtra fecerant, ſine qualibet inquietudine, cum omni tranquillitate Deo militantes , eidem deuotiſſimè ſeruire ſtudeant & placere , nos ipſos diuinæ propitiationi reconciliantes , quatenus nullus Primas , nullus Metropolitanus, nullus Epiſcopus ipſos ad Iudicia compellat, vel inuitet, nec aliquando iuſticiare præſumat tam noſtro tempore , quàm ſucceſſorum noſtrorum , videlicet Regum Francorum: Nos ipſi pariter decernentes annuimus , & annuendo decernimus.

Et vt hoc ſtatutum , ſicut dictum eſt , à Patribus noſtris ad nos vſque deriuatum & habitum , & à nobis ipſis approbatum & conceſſum, deinceps firmum & inconcuſſum permaneat: Néue quis deinceps huic Decreto prædeceſſorum noſtrorum , ac noſtræ Majeſtatis , ipſius Eccleſiæ noſtræ præfatæ Conſuetudini obuiare audeat, memoriale iſtud inde fieri, & noſtri nominis charactere, & ſigillo ſignari, & corroborari præcipimus.

Actum Compendij Palatio, Anno Incarnati Verbi milleſimo octuageſimo quinto , Indictione octaua, Anno Regni noſtri vigeſimo quarto , GOSFRIDO Pariſiorum Epiſcopo Archicancellario noſtro.

*Signum Philippi* 

*Francorum Regis.*

IN

# IN CONCILIO COMPENDIENSI

*Confert Canonicis Eccleſiam SS. Acei & Acheeoli, eámque dotat Rorico Ambianenſis Epiſcopus, necnon & Ingelrannus Comes & Euſtachius Vicecomes,*
*Anno* M. LXXXV.

RORICO patientiâ Dei, pietate, & gratiâ, humilis Præſul Ambianenſis, licet peccator, nec infula dignus tantæ pietatis, fidelibus paruitatis meæ officio creditis, de valle lacrymarum feliciter exire, ac cum domeſticis Dei in Monte ſancto eius perenniter quieſcere. Diuinę paginæ tuba excitati erudimur imminere tempus iam nos de ſomno ſurgere, leonem rugientem, qui circuit quærens quos deuoret, viriliter conculcare, & omnia noſtra cum caritate diſponere. Feſtinemus igitur diuinitus armati aduerſus aërias poteſtates pijs actibus inſudando progredi, & decertare, quatenus aſſociati in ſuperna Sion vota laudum valeamus perſoluere.

In hac igitur requie, & ad nuptias Agni cum ſinceritate mentis & eloquij nitore, antequam ianua claudatur, mereamur accumbere: Eccleſiam quamdam, quam B Firminus Confeſſor dum primitus hanc Vrbem à cultu Dæmoniacę ſeruitutis erueret, & per ſalutis lauacrum idem ipſe Paranymphus cæleſtis Virginem caſtam maculam non habentem aut rugam vni viro Chriſto copularet, in honore ſanctę & perpetuæ Virginis fundauit. Poſteà verò à ſanctis martyribus Aceo & Acheolo antiquitatis noſtrę tempore ſibi nomen optauit, diuinæ miſerationis manu cælitus attracti, totiúſque Senatus noſtri aſſenſu, officij noſtri authoritate, ab omni reditu Epiſcopi, miniſtrorúmque eius liberam eſſe decernimus, & in ea Clericos qui canonicè & regulariter Deo ſeruiant deputamus. Altaris bona, atrij & Eccleſię totius reditus vniuerſos, & fidelium deuotio quicquid eis contulerit, victui eorum integrè & illibatè aſcribimus. Con-

cedimus etiam pietatis oculo prouidentes totam villam Huy, & vniuerſa ad hanc villam pertinentia, aſſenſu & petitione totius noſtri Capituli Eccleſię tantę antiquitatis: Ita quidem, vt pro terra illa nobis & ſucceſſoribus per ſingulos annos ſolidos octo perſoluant in celebritate Martyrij B. Firmini.

Ad honorem verò Patroni noſtri Martyris & Epiſcopi Firmini, cuius ſacratiſſimum corpus per tot annorum circula in Eccleſia debita veneratione quieuit, communi aſſenſu, amoris dulcedine G. Fratris noſtri & Subdiaconi, prębendam perpetualiter habendam conceſſimus fratribus ibi deputatis, aut viuente eo, ſi ita diſpoſuerit, aut potiùs quando gradietur viam vniuerſę carnis; ita vt arbitrio eorum de prębenda procurent perſonam eligere, qui quoad vixerit vſumfructuum obtineat prębendę. Si autem de medio abierit, quicquid victui noſtro conueſcentibus nobis in Refectorio reſeruabitur, Canonicis ſancti Aceoli abſque retractione diſtribuatur. Quidquid verò ſupererit, Canonicis ſancti Martini erogetur. Prouideant autem arbitrio Capituli noſtri quatenus Vicarius eorum de hac prębenda in canonicis horis perſoluendis nobiſcum canonicè aſſiſtat. Qui autem Eccleſiæ illius Prioratum habuerit, vnâ integrâ hebdomadâ ſicut Eccleſiæ noſtræ Sacerdotes Miſſarum ſolemnia concelebret.

Et quia, vt præfati ſumus, Eccleſia hæc Genitrici Dei dicata fuerat, & huius Cathedræ Pontificum puluis ſacer diu in ea latuerat, Canonicorum B. MARIÆ, & almi Martyris Firmini, quorum priùs fuerat, ditioni tantùm committatur: ita vt annis ſingulis ſanctorum Honorati, Fuſciani & ſociorum, ſolemnitatibus interſint; & in celebritate Martyrij ſancti Firmini in die ad Miſſam cum Proceſſione pro viribus ordinata veniant, Fratribúſque noſtris Canonicis cereos duos ſolidorum duorum ab omni alia exactione immunes perſoluant, qui ad laudem tanti Martyris tam in domo Dei, quàm in Refectorio lumen præbeant.

*Deeſt, * Fratrum.* Ad exequias funebres * Congregationis noſtræ cum candelis veniant, donec funeratorum corpora tegat humus, nobiſcum maneant. Inde recedentes vſque ad diem trigeſi-

mum Fratris qui obierit Deo animam commendent: vigilias, Miſſarúmque ſolemnia pro redemptione eius concelebrent. Nos quoque dulcedinis affectu obſequium huiuſmodi, ſi quis eorum vniuerſæ carnis viam arripuerit, illis rependamus; quatenus pro inuicem orantes in libro vitæ nos imprimat digitus Dei, palmam cuius, in loco quem diximus in conſecratione ſui corporis cernere gloriati ſunt Pontifices ſacri, & à nobis tenebras depellat ſancta Trinitas lux inacceſſibilis, qui teſtem ſuum in Eccleſia de qua agimus, innoteſcere dignatus eſt radio ſolis. Hoc opus Deo carum, & ad æternitatem gradientibus iucundum & acceptabile, ſi quis contumax & inuidus exterminare præſumpſerit, hunc notamus, & à corpore Dei oris gladio membrum corruptum & inſanabile reſecamus. Carta autem hæc in Capitulo Ambianenſi recitata, voto & aſſenſu Senatorum omnium noſtrę Diœceſis, Anno milleſimo octuageſimo quinto, Indictione octaua, ab Incarnatione Domini.

Hoc autem anno iuſtitiæ cultus, legúmque, qui longo tempore marcuerat, refloruit: Dei enim zelus & Eccleſiæ vigor, immò gladius in CONCILIO COMPENDIENSI de ore Dei procedens, EVRARDVM, baculum ſcilicet arundineum confractum, & lignum fumigans, de ſoliditate & ſplendore regiminis Corbeiæ, ſine ſpe recuperationis, abſtulit. Pax ſuper Hieruſalem & in Templo Dei. In Concilio Comp. exauctoratus Abbas Corbeiæ.

Ego quidem INGELRAMVS Comes Ambianenſis, & Bothuenſis aduocatus, patri & matri, mihíque & ſucceſſoribus meis vtiliter prouidens, de molendinis meis Bothuenſibus ſingulis menſibus ſextarios quatuor de tritico menſurę illius Eccleſiæ ſanctæ MARIÆ, & Sanctorum Martyrum Acij, & Acheoli, in perpetuum trado. Conferunt bona Eccleſiæ SS. Acij & Acheoli Ingelramns. Comes, & Euſtach. Vicedominus.

Ego verò EVSTACHIVS Vicedominus Ambianenſis de redditu ſextarij mei in Ambianica ciuitate ſextarios duos de frumento, vxore mea, & filijs meis annuentibus, omni menſe Eccleſiæ prædictæ in perpetuum trado.

# IN CONCILIO PARISIENSI

*Bona Eccleſiæ Compendienſis confirmantur,*
*Anno* M. XCI.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis: PHILIPPVS Dei prouidentiâ Francorum Rex pijſſimus.

Quoniam diuina bonitate ſancta Compendienſis Eccleſia ab Imperatore KAROLO, & noſtris anteceſſoribus, pia deuotione fundata, â ſancto Ioanne ſummo Pontifice ſacrata, priuilegiis atque excommunicationibus ita nobilitata extitit ac præmunita, vt nullus ſine anathematis incurſione, ac tremendi Iudicis offenſione poſſit violentiam inferre, vel dominationem exercere per omnem terram, quam præfatus anteceſſor noſter Karolus, vel ſucceſſores eius, eidem ſancto loco contulerunt, & de iure proprio in ius eiuſdem Eccleſiæ tranſpoſuerunt. Idcircò Nos tam deuota ſollicitudine anteceſſorum noſtrorum ad ampliandam & nobilitandam eamdem Eccleſiam prouocati; Notum fieri volumus vniuerſis Eccleſiæ fidelibus tam futuris, quàm præſentibus, quòd Canonici prædictæ ſanctę Compendienſis Eccleſię noſtram adierunt præſentiam, poſtulantes, vt pro remedio animę noſtrę, atque anteceſſorum noſtrorum, concederemus eidem Eccleſię quod Pater noſter HENRICVS anteà dederat, videlicet aduocationem & viaturam de Longolio vſque ad medium fluminis Yſaræ, Viaturam de Saceio, viaturam de terra quam habet prędicta Eccleſia in Gellis, & donum quod ROBERTVS Rex de tota Sylua Cotia ad ædificationem Eccleſiæ, domorúmque ſuarum, atque ignis alimenta, fecerat. Et vt nullus de eorum porcis, vel pecoribus, prædictam ſyluam frequentantibus, aliquam conſuetudinem, vel exactionem exigere pręſumat.

*Confirmãtur dona ab anteceſſoribus Regibus facta.*

Eccleſiam quoque in fiſco Regio apud Compendium in honore ſancti Germani dicatam, quam prælibatæ ſanctæ Compendienſi Eccleſiæ Karolus pius cum duobus manſis dedit. Eccleſiam quoque ſancti Clementis, quam iſdem pius


*Eccleſiæ Paroch. S. Germani, & S. Clementis.*

Rex pro remedio animæ ſuæ, ac dilectæ Coniugis ſuæ Frederunæ fundauit, & Capitulo maioris Eccleſię diſponendam ac prouidendam liberè tradidit.

Et à confluentibus ſimiliter aquis contra villam Clariſium vſque contra Eccleſiam de Gellis flumen cum vtriſque ripis, & piſcatoria, & nauium tranſitu, & vbicunque retia extra fluuium trahenda fuerint, ſiue creſcat aqua, ſiue decreſcat: Et vt ibi nullus piſcationis vel venationis opus abſque licentia Fratrum exercere præſumat. Et ſi beſtia aliqua fugiens abſque venatoribus ibi deuenerit, ad menſam Fratrum deferatur, ſicut prædictus pius Rex Karolus eis conceſſit.

Quorum petitionem in omnibus memoratis libenter ſuſcepimus. Et vt ea firmiùs amodò prędicta Eccleſia poſſideat, præſentem paginam ſigillo Regiæ Majeſtatis inſigniri, & in peruaſores harum rerum quas enumerauimus excommunicationem fieri ab Epiſcopis, qui tunc Pariſius congregati erant, præcepimus: Scilicet MANASEDO Remenſi Archiepiſcopo, RICHARDO Bituricenſi Archiepiſcopo, ROGERO Catalaunenſi Epiſcopo, ELINANDO Laudunenſi Epiſcopo, RATBODO Nouiomenſi Epiſcopo, WIDONE Beluacenſi Epiſcopo. Item, WIDONE Ambianenſi Epiſcopo, GOIFRIDO Pariſienſi Epiſcopo, WALTERO Meldenſi Epiſcopo, VVALTERO Tricaſſino Epiſcopo, & GOIFRIDO Autiſſiodorenſi Epiſcopo. Si quis hanc noſtræ confirmationis paginam violare, & ſanctam Compendienſem Eccleſiam ſuper his omnibus inquietare præſumpſerit, iram ſummi Iudicis incurrat, & coactus Regi centum libras auri perſoluat.

Epiſcopi Pariſiis congregati.

*Signum Philippi glorioſi* 

*Francorum Regis*

Ego GAVFRIDVS Archicancellarius relegi atque ſubſcripſi. Actum Pariſijs Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo ſecundo.

# DECRETA

## *Iuhelli Turonenſis Archiepiſcopi pro Eccleſia Brioceuſi,* *Anno* M. CCXXXIII.

IVHELLVS *Dei gratia Turonenſium Archiepiſcopus, Omnibus Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino.*

Cùm in Brioceuſi Diœceſi viſitationis officio fungeremur, nos ad Brioceuſem Eccleſiam accedentes, quædam in ea ad honorem Dei & ipſius eccleſiæ, Venerabili Fratre noſtro Willelmo dicti loci Epiſcopo, & Canonicis quos inuenimus ibidem præſentibus, & conſentientibus, duximus ſtatuenda, quæ ſi bene cuſtodiri contigerit, ipſa Eccleſia diuino ſeruitio, concedente Domino, non priuabitur in futurum.

Statuimus ſiquidem quòd ſeptem Canonici qui in villa Brioceuſi præbendas ſuas percipiunt, ad parochiam Brioceuſis Eccleſiæ Vicarium vnum eligent, quem Epiſcopo præſentabunt, & qui ab eo curam animarum habebit. Vicarius verò prædictus duos Capellanos ſecum habebit, quos Epiſcopo præſentabit: ita quòd ipſe Vicarius & duo Capellani prædicti parochiæ ſeruire tenebuntur, & etiam maiori altari Eccleſiæ Brioceuſis, & horis in eadem eccleſia intereſſe. Vicarius verò omnes redditus parochiæ prædictæ percipiet, exceptis peregrinorum oblationibus, & bladi decimis, quæ dictis ſeptem Canonicis remanebunt: & etiam Vicarius perſoluet eiſdem quatuor libras annuæ penſionis. Tenebuntur autem iurare tam Vicarius quàm Capellani ſui Canonicis memoratis, quòd redditus ipſorum qui ad eorum manus deuenient, fideliter cuſtodient, & reddent eiſdem. Alij autem quinque Canonici per ſe ſi voluerint deſeruient in eccleſia memorata; quòd ſi non fecerint, Cantor & Archidiaconus GVILLELMVS Vicarios ſacerdotes in ipſa tenebunt, ita quòd vterque eorum centum ſolidos de redditibus præbendæ ſuæ Vicario ſuo annuatim conce-

det. GVILLELMVS verò Canonicus & Diaconus Vicarium diaconum in ipſa tenebit qui de redditibus præbendæ ſuæ ſexaginta ſolidos percipiet annuatim. Magiſtri verò VVILLELMVS de Alta villa, & PETRVS de Moncontor Vicarios Subdiaconos tenebunt ibidem, quorum vterque de redditibus eorum ipſorum quinquaginta ſolidos annuatim habebit.

Statuimus inſuper quòd nullus Canonicus vel Clericus de choro Briocenſi à pulſatione Matutinarum vſque poſt magnam Miſſam: & à pulſatione Nonæ vſque poſt Completorium ſine ſupellicio intret Eccleſiam Briocenſem.

Statuimus præterea, quòd de redditibus ſeruitio Eccleſiæ deputatis, Canonicis qui horis intererunt, per aliquem vel per aliquos ad hoc à Capitulo deputandos, fiat quotidie diſtributio, tali modo: Ad Matutinas ſcilicet quatuor denarij: Ad magnam Miſſam tres denarij: Ad Veſperas duo denarij deputentur; ita quòd ſi dicti redditus ad diſtributiones iſtas per totum anni curriculum faciendas non poſſent ſufficere, ſaltem ſemper Aduentus, & Quadrageſimæ temporibus fiat diſtributio, vt in aliis temporibus ſit defectus potiùs quàm in iſtis. Conſiderantes etiam quòd in dicta Eccleſia ſint quædam pingues, quædam verò tenues præbendæ, cùm dignum ſit, quòd qui in vinea Domini ſabaoth par pondus ſuſtinent & laborem, pari recompenſentur mercede; Statuimus quòd poſt obitum quinque Canonicorum qui pinguiores habent præbendas, omnes in dicta Eccleſia adęquentur præbendæ, ſic ſcilicet, quòd quilibet Canonicus pro groſſa præbenda XX. libras percipiat, ratione cuius reſidentiam ſex menſium vel in ipſa eccleſia facere teneatur, vel in ſchola vbi ſit ſtudium generale, ſuper quo & teneatur Capituli ſui conſenſum requirere; quod tamen eidem Capitulum non poterit denegare.

Duodecim verò præbendis ſic in ipſa eccleſia adæquatis, reſiduum ſiquod fuerit ſeruitio eccleſiæ deputetur. Decedentibus verò Canonicis, ſi præbendam vacare contigerit, quæ valorem viginti librarum excedat, de illa viginti libræ inſtituendo Canonico aſſignentur, & reſiduum communitati Canonicorum applicetur. Cùm autem præbenda mi-

noris valoris quàm viginti librarum vacauerit, ſubſtituendus in ea Canonicus ipſam in ſtatu illo habeat, donec poſt obitum illorum quinque Canonicorum qui pinguiores habent præbendas; ita quòd ipſis defunctis, omnes præbendę tam pingues quàm tenues ad viginti librarum valorem, vt dictum eſt, redigantur, & reſiduum ſeruitio Eccleſiæ deputetur.

Epiſcopus verò prædictus Eccleſiæ ſuæ honorem & exaltationem deſiderans, vt in dicta Eccleſia Canonicorum numerus augeatur, ad preces noſtras conceſſit Capitulo Briocenſi Eccleſiam de Ploidran, ab ipſo poſt obitum perſonæ quæ in præſentiarum tenet eandem in perpetuum poſſidendam. De qua nos volentes quòd non ſolùm in Briocenſi Eccleſia per Vicarios vel per Capellanos, ſed & per Canonicos ſacerdotes ſeruiatur, de conſenſu ipſius Epiſcopi & Canonicorum qui tunc erant præſentes, ſtatuimus quòd cùm dictam Eccleſiam vacare contigerit, Capitulum in ipſa ponet Vicarium, Epiſcopo vt curam animarum ab ipſo habeat præſentandum, qui ſecum vnum Capellanum habebit, & tenebit; cui certa portio de prouentibus ipſius Eccleſiæ relinquetur; de reſiduo verò fient in eccleſia Briocenſi duæ præbendæ ſacerdotales, aliis præbendis æquales, in quibus Epiſcopus duos creabit Canonicos, qui in ſua inſtitutione iurabunt, quòd in Eccleſia Briocenſi per ſe deſeruient; & quòd infra annum à tempore ſuæ inſtitutionis ſe facient in Presbyteros ordinari, quòd ſi non facerent, præbendæ ipſo iure vacarent, & aliis ab Epiſcopo conferrentur: nec poterunt Epiſcopus vel Capitulum tempus huius prorogare. Si quid verò de portione, quam Capitulum percipiet in Eccleſia memorata vltra quadraginta libras ad dictas duas præbendas aſſignandas, reſiduum fuerit, ſeruitio Briocenſis Eccleſiæ deputetur. Capitulum verò memoratum gratiam ſibi factam ab Epiſcopo tenens memoriter, & volens ſe ei reddere non immeritò gratioſum, Eccleſias De Pleneet & de Henanbian, ad vſus epiſcopalis menſæ anteà deputatas, conceſſit eidem liberaliter & benignè ab ipſo & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum poſſidendas.

Vt autem iſta ordinatio futuris temporibus inuiolabiliter obſeruetur,

obſeruetur, ſtatuimus quòd inſtituendus Epiſcopus poſt conſecrationem ſuam, antequam recipiatur in Eccleſia Briocenſi, iuret ſe ſeruaturum eamdem, & eam ſigillo ſuo ſigillet: ſimiliter quilibet inſtituendus Canonicus antequam ei ſtallum in chòro, & locus in Capitulo aſſignetur, iuret ſe ſeruaturum eamdem; & quòd denarios diſtributionum niſi horis interfuerit non percipiet, nec præbendam ſuam, niſi reſidentiam in Eccleſia Briocenſi fecerit, vt ſuperiùs eſt expreſſum.

Actum apud S. Briocum de conſenſu Venerabilis fratris noſtri WILLELMI Epiſcopi Briocenſis, qui præſentibus litteris ſigillum ſuum appoſuit; & de conſenſu etiam Canonicorum qui tunc in eadem Eccleſia præſentes erant. Anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, menſe Octobri.

Ego PETRVS primò vidi hanc Cartam anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto, die Iouis poſt Epiphaniam Domini.

---

# CONCILIVM AVINIONENSE
## Anno M. CCIX. celebrato.

### *In quo præſidebat Hugo Regienſis Epiſcopus.*

IN nomine Domini. Anno Incarnationis eiuſdem milleſimo ducenteſimo nono, Pontificatus Domini Innocentij Papæ tertij anno duodecimo, octauo Idus Septembris, hæc quæ ſequuntur ſtatuta fuerunt apud Aueniorrem in Concilio Generali, ſub Hugone Regienſi Epiſcopo, & Thediſio Domini Papæ Notario, Apoſtolicæ ſedis Legatis, præſentibus Viennenſi, Arelatenſi, Ebrodunenſi, & Aquenſi Archiepiſcopis, & Epiſcopis viginti numero; necnon & multis Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Rectoribus.

Cùm in Prouinciæ partibus refrigeſcente caritate adeò abundauerit malitia, quod ferè omnes indigenæ in profundum venerint vitiorum, vt præſentibus & futuris temporibus Prouincialium malitiis occurratur, innouare antiquos & nouos etiam Canones ſancta Synodus promulgare decreuit, *Cauſa celebrandi huiuſce Concilij.*

ea potiſſimùm ratione inducta; quia morbis inſuetis adhibere conuenit excogitata remedia, & antidota inſueta, & vulnera quæ leuia fomenta non ſentiunt, mordicatiuis, ſeu vexatiuis remediis curari oportet.

*Cap. I. Epiſcopi frequentiùs populum fidem orthodoxã edoceri curent.*

Quia igitur propter formidandam & puniendam negligentiam Prælatorum, qui exiſtentes potiùs mercenarij, quàm paſtores ſe murum pro domo Iſraël non opponunt, nec populis ſuæ gubernationi commiſſis euangelizant Euangelicam diſciplinam, in his partibus diuerſæ & damnatiſſimæ hæreſes pullularunt, præſenti approbatione Concilij duximus ſtatuendum, vt in ſua diœceſi quilibet Epiſcopus frequentiùs & diligentiùs ſolito fidem prædicet orthodoxam, & cùm expedierit per alias honeſtas & diſcretas perſonas faciat prædicari. In eo tamen diligens & cautus prædicator exiſtat, vt adulteria, fornicationes, periuria, vſuras, odium, aggreſſiones & cætera mortalia vitia adeò verbo deteſtetur & opere, quòd exinde honeſtas, pax, patientia, iuſtitia, & cæteræ inſerantur virtutes.

*Cap. II. Hæretici a[illegible]ndi ac puniendi.*

Quia omnes non obediunt Euangelio, & ad ſupplementum gladij ſpiritualis materialis auxilium ſæpiùs ab Eccleſia imploratur, decernimus quòd quilibet Epiſcopus ciues ſuos, Comites, Caſtellanos, Milites, & alios parochianos ſuos, de quibus viderit expedire, per cenſuram Eccleſiaſticam, ſi opus fuerit, iurare compellat, ſicut illi de Montepeſſulano iurauerunt, præcipuè circa exterminandos hæreticos excommunicatos, perdurantes in ſua pertinacia pecuniariter puniendos: Iudæos à publica ſeu priuata adminiſtratione priuandos, & quòd nunquam ad ſuum miniſterium in domibus propriis permittantur habere Chriſtianos. Et in eo præſertim dicti Nobiles, & alij adſtringantur, quòd coram ſuo Iudice, ſiue ſit Ordinarius, ſeu delegatus, de ſe conquerentibus exhibeant iuſtitiæ complementum. Et vt pleniùs Epiſcopus exterminare valeat de ſua diœceſi hæreticam prauitatem, in ſingulis parochijs ſuis tam in ciuitate, quàm extrà, ſacerdotem vnum, & duos vel tres bonæ opinionis laïcos, vel plures, ſi opus fuerit, iuramenti re igione adſtringat; quòd ſi quos ibi repererint hæreticos, credentes, fautores, vel receptatores eorum, ipſi Epiſcopo, & Conſulibus Ciui-

tatum, & Dominis locorum, ſeu Baiulis eorumdem, cum omni ſtudeant feſtinantia intimare, vt eos puniant ſecundùm Canonicas & legitimas ſanctiones; nihilominus bona ipſorum omnia confiſcantes. Si autem in hoc obſequio diuino præfati Conſules, & alij ab Epiſcopis requiſiti, fuerint negligentes, vel etiam contemptores, ipſorum perſonæ excommunicentur ſpecialiter, & terræ interdicto Eccleſiaſtico ſupponantur: Et vt ipſis efficaciùs det vexatio intellectum, ſi qua Caſtra, vel poſſeſſiones, tales ab Eccleſia noſcuntur habere, propter ingratitudinem, & indeuotionem ſuam ad ipſas redeant pleno iure. Illud præcipuè non duximus dimittendum, quòd deffenſores, receptatores, & hæreticorum fautores, cum ipſis hæreticis pari volumus pœna feriri.

Licet ad extirpandum vſurarum vitium vtriuſque conueniat pagina Teſtamenti, & nihilominus ſuper hoc canonica plurima emanauerint inſtituta: quia tamen prætermiſſis aliis negotiis, multi quaſi licitè vſuras exercent, ad deteſtationem vitij memorati aliquid duximus apponendum: Vt videlicet feſtiuis diebus & ſolemnibus, & maximè cum Synodus celebratur, vſurarij omnes ſiue ſuo, ſiue alieno nomine crimen illud exerceant, generaliter excommunicationis vinculo innodentur: Si verò fuerint publici, aut de crimine illo conuicti, ſi poſt trinam admonitionem ſatisfacere noluerint, nominatim eadem feriantur cenſurâ, & inſuper infligantur eiſdem pœnæ contra vſurarios in Lateranenſi Concilio conſtitutæ: ſcilicet, vt eorum non recipiantur oblationes, nec, ſi in illo peccato deceſſerint, Eccleſiaſticam habeant ſepulturam. CAP. III. De vſuris abolendis.

De Iudæis vſurariis illud ſtatuit Concilium, vt per excommunicationis ſententiam in Chriſtianos, qui eis in commerciis, ſeu alio modo participauerint, ab vſurarum exactionibus compeſcantur, & ſecundùm conſtitutionem Domni Innocentij Papæ tertij, ad remittendas eaſdem compellantur. Quibus etiam prohibemus, & iubemus, per Epiſcopos pœna ſimili prohiberi, ne diebus Dominicis & ſolemnibus publicè laborare præſumant, nec carnibus abſtinentiæ diebus veſcantur. Concil. Lat. IV. cap. 17.

Ad notitiam huius ſanctæ Synodi multiplici querela per- CAP. IV.

De decimis ſoluendis.

uenit, quòd laïci, & cæteræ perſonæ, quæ de mandato Dominico ad præſtationem decimarum & primitiarum tenentur, eas in graue animarum ſuarum præiudicium non dandas penitus contendunt, in erroris ſui fauorem alij diſſuetudinem, alij præſcriptionem temporis allegantes. Cùm igitur decimæ ac primitiæ adeò debitæ ſint, vt ſine voluntate eorum quibus debentur, abſque mortali peccato non valeant retineri; volumus & præcipimus, vt tam laïci, quàm aliæ perſonæ, de bonis omnibus ſibi collatis à Deo non deductis expenſis, ad ſolutionem ipſarum per Eccleſiaſticam cenſuram compellantur, præſcriptione aliqua, titulo, ſeu conſuetudine non obſtante. Prohibemus inſuper, ne Epiſcopus, aut alia perſona Eccleſiaſtica, alicui laïco collectionem decimarum perpetuò concedat habendam; nec laïci ſi eis conceſſum fuerit, ex huiuſmodi conceſſione aliquod ius ſibi valeant vendicare. Ad hæc Vallem de Tretis, quæ vt acephala in nullius diœceſi aſſeritur inſtituta, Domino Epiſcopo Regienſi Apoſtolicæ ſedis Legato ad cuſtodiam decernimus ſpecialiter aſſignandam, qui ſpirituali, & etiam ſi oportuerit materiali gladio, expellat ex ipſa hæreticam prauitatem, & fidelibus, qui fuerint ibi pro tempore, ſicut debuerunt Eccleſiaſtica miniſtret ſacramenta, donec ſummus Pontifex aliud de ipſa duxerit exponendum, ſaluis priuilegiis Romanorum Pontificum.

Cap v. Vectigalia prohibentur

Onera importabilia, & deprimentes faſciculos, quantum cum Deo poſſumus attenuare volentes; iubemus vt tam Eccleſiaſticæ perſonæ, quàm ſæculares, à a pedagiis, b guidagijs, c ſalinariis, & aliis indebitis exactionibus, per excommunicationis ſententiam in perſonas, & interdictum terrarum, penitus deſiſtere compellantur; niſi fortè Regum, vel Imperatorum conceſſione probauerint ſe habere. Prohibemus inſuper, vt nullus propter pedagia, vel alias indebitas exactiones, excommunicatus ab Epiſcopo, vel alia perſona Eccleſiaſtica, reconcilietur Eccleſiæ, niſi quidquid à tempore latę ſententiæ probabitur extorſiſſe cum integritate reſtituat, & diſtribuat ſecundùm reconciliantis arbitrium.

*a quod exigitur, pro tranſitu pedeſtri*

*b Cōductionis ſtipendium.*

*c Vectigal quod pro ſale requiritur.* Gal. *Gabelle.*

Cùm Eccleſia Dei, & Eccleſiaſticæ perſonæ beneficium in domo Domini habeant, ſiue ſint expertes illius quę ſe-

cundum canonica & ciuilia iura ab angariis, & parangarijs, & prorſus ab omnibus indebitis exactionibus cenſentur immunes, à laïcis diuina reuerentia & timore abiectis, ancillatæ, & ſub tributo importabili conſtitutæ; ſub anathematis diſtrictione modis omnibus prohibemus, vt * albergas, procurationes, exactiones, ſeu tallias aliquas ab ipſis de cætero laïci exigant, vel extorquere præſumant. Immò tam Eccleſias & domos religioſas, quàm & nominatas perſonas in pleniſſima libertate conſeruent: ita videlicet, quòd Epiſcopis, vel aliis earum Rectoribus defunctis, ipſas nullomodo audeant ſpoliare, nec ſe adminiſtrationi earum, ſeu cuſtodię, niſi fortè rogati ab Epiſcopo, vel Capitulo, occaſione alicuius conſuetudinis, ſeu aliqua alia, immiſcere, ſed omnia cum integritate qualibet defunctorum ſucceſſoribus reſeruentur.

** Cenſus pro domicilio, vulgò, droit d'auberge.*

Inhibemus ne electioni Epiſcopi, vel alterius Rectoris Eccleſiæ faciendæ, per ſe, vel per quamcumque aliam perſonam, ſe immiſceant, vel violentiam faciant, vel impedimentum adhibeant, quominus electio canonicè ac liberè celebretur. Illud autem tanquam abominabile, ac præpoſterum, diſtrictione qualibet prohibemus, ne videlicet ab Eccleſiis ſeu religioſis domibus, ac Eccleſiaſticis perſonis, ſicut in quibuſdam locis huc vſque præſumptum audiuimus, viceſimam partem annuorum redditunm in poſterum ratione murorum vel aliqua occaſione laïci extorquere contendant.

Electionibus ſacris laïci non ſe immiſceãt.

Propter abominationes quas vidimus & intelligimus ab illis qui Eccleſias incaſtellando domos Domini conuertunt in ſpeluncam latronum, aliquid ſeueriùs conſtituimus contra huiuſmodi præſumptores, ſub anathematis pœna diſtrictiſſimè inhibentes, ne quis vlteriùs, niſi fortè ad repellendam inſtantiam Paganorum, aliquam Eccleſiam incaſtellare præſumat & attentet, immò incaſtellatas, videlicet totam incaſtellaturam, & quidquid infra cimiterium ædificatum eſt, ad arbitrium Diœceſanorum Epiſcoporum quàm celeriùs poterunt ad diruendum iubemus, præter illam, vel illas, quas ad tuitionem parochianorum, Epiſcopis viſum fuerit reſeruari: quæ perpetuò poſſideantur ab eis, vel aliis perſonis Eccleſiaſticis teneantur. Si fortè aliquis te-

CAP. VI. Non muniẽdæ propugnaculis Eccleſiæ.

merarius & violentus detentor Eccleſiam incaſtellatam ad mandatum ſui Epiſcopi noluerit diruere, vel ei noluerit tradere poſſidendam; nominatim excommunicationis vinculo percellatur, & interdicti ſententiæ ſupponatur tota terra ipſius.

Cap vii. Ad pacem cogendi diſcordes.

Sicut peccatis exigentibus multo tempore ſumus experti propter guerram ſeu Baronum & ciuitatum diſcordiam, tam perſonæ, quàm terræ ipſorum, in exterminium & direptionem trahuntur. Ad cuius iacturæ remedium pacem & concordiam etiam inuitis prædicari & ſeminari oportet. Iubemus ergo vt Ciues & Ciuitatum Rectores, Comites, Barones, Caſtellani, Milites, & alij qui ab Epiſcopis ad hoc idonei videbuntur, ad pacem ſeu treugam faciendam pariter & ſeruandam: necnon & vt ſtrata publica ſeruentur ſecurè, ab Epiſcopis, ſi fortè fuerint difficiles, per Eccleſiaſticam diſtrictionem cogantur; & interim quouſque pacem iurauerint, ſint à pacis beneficio alieni. Et quoniam triplex funiculus difficiliùs rumpitur, præcipimus vt ad pacem faciendam firmiter & ſeruandam Epiſcopi ſibi mutuum auxilium ſtudeant exhibere, ſicut in Capitulo felicis recordationis Domni Alexandri Papæ tertij pleniùs continetur.

Quia verò per Aragones, Brabanzones, Baſelones, Ruptarios, ſeu quocumque alio nomine cenſeantur, multotiens diſcordia & perturbatio & rapina generantur in terris, deipſis ad memoriam reuocamus, quòd ab eodem dicto Alexandro contra ipſos noſcitur conſtitutum, vt videlicet ſicut hæretici & . . . . . . . . . ante alios excommunicentur, & ab omnibus fidelibus expugnentur vbique locorum. Qui autem illos tenuerit, aut in terra ſua eſſe permiſerit, cenſura ſimili percellatur.

Cap. viii. Ius vnicuique diligẽtiùs reddant Iudices Eccleſiaſtici.

Inter cæteras querelas quæ ad hanc Synodum perlatæ fuerunt, illam ſeueriùs puniendam & corrigendam cenſemus: videlicet, quòd Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Eccleſiarum Prælati, ſiue Ordinarij ſint, ſiue Iudices delegati, tepidi ſunt nimium & remiſſi ad iuſtitiam coram ſe querelantibus faciendam; propter quod quanta poſſumus & conuenit ratione cenſemus, vt cauſas quæ in conſpectu ipſorum propoſitæ fuerint, quàm diligentiùs & feſtinantiùs poterunt,

ſtudeant terminare, cogántque ſubditos ſuos in iudicio ſeruare illud idem.

Intelleximus etiam, quòd ſententias tam excommunicationis, quàm interdicti, ſine congrua ſatisfactione relaxant: in quo caſu illam diſtrictionem præcipimus inuiolabiliter obſeruari, quam Dominus Innocentius Papa tertius in quadam ſua decretali noſcitur expreſſiſſe; hoc eſt, vt ſi quis quia datum damnum noluerit emendare, fuerit excommunicacationis vinculo aſtrictus, præter iuratoriam cautionem, antè faciat de damno dato emendam, quàm eius ſententia relaxetur. Si verò excommunicationis ſententia feratur in aliquem, qui citatus ad iudicium venire contempſit, ad eam relaxandam ſufficit, ſi quod iuri pareat, præſtiterit iuramentum. Et quia interdum huiuſmodi Iudices à malo non reuocat amor Dei, nec Eccleſiaſtica diſciplina, negligentes & contemptores huiuſmodi ad reſtituendum damnum paſſis duximus condemnandos. Non indulgentiores ſint circa excommunicatos.

Contra publicè periuros, ſeu conuictos de periurio; & eos qui pertinaciter in excommunicatione per ſex menſes permanſerint, pro eo quod faciles ſùnt homines ad periuria, & ad cenſuram Eccleſiaſticam contemnendam, ſpecialem & nouum Canonem promulgamus, ſcilicet, vt nulli Epiſcoporum liceat huiuſmodi anathematizatos abſoluere, ſed ad ſedem Apoſtolicam ſicut ſacrilegi & incendiarij abſoluendi mittantur. Periuris verò propter aliam ſatisfactionem, dictam ſedem in præſentia viſitare iniungatur. Si fortè Clerici fuerint, in vtroque caſu ab officio & beneficio Eccleſiaſtico repellantur, ad quorum neutrum reſtitui valeant, niſi per ſummum Pontificem, vel ipſius Legatum. Periuri & excommunicationis contemptores abſoluendi ad Sedem Apoſtolicam amandentur.

Cap. IX. Patroni Eccleſiarum intra ſex menſes Preſbyteros Epiſcopis præficiendos offerant.

Quorumdam Monachorum, & aliorum, ſiue ſint Religioſæ, ſiue aliæ quæcumque perſonæ, prouiſio indiſcreta, qui Eccleſias ad præſentationem ipſorum pertinentes, ex certa ſcientia quandóque faciunt vltra tempus à Canone indultum vacare: Nos Lateranenſem Conſtitutionem innouare compellit; in qua noſcitur conſtitutum, quòd niſi à Monachis, & aliis perſonis, infra ſex menſes ad vacantes Eccleſias Epiſcopis idoneæ fuerint perſonæ præſentatę, poſtmodum appellatione remota, liceat in illis ordinare Rectores,

qui præeſſe nouerint & prodeſſe :ita tamen quòd ex hoc nullum Patronis in poſterum præiudicium generetur Ad hæc, Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, & cæteris Religioſis, Prioribus, Conuentus inſinuat ſynodalis, & ſub atteſtatione diuini Iudicij diſtrictè iniungit, vt ſubditis ſuis profeſſis licentiam habendæ proprietatis non tribuant, cùm etiam hoc Romano Pontifici non liceat, ſicut Dominus Innocentius Papa tertius in quadam ſua Conſtitutione teſtatur.

Cap. x. Prædones violatoréſque pacis coercendi.

Vt raptorum, violatorum pacis, & eorum, qui in ſtratis publicis aggreſſuram committunt, necnon qui captos homines ad redemptionem compellunt, nimium graſſanti maliciæ occurratur; antiqua innouantes ſtatuta decernimus, vt in quacumque Diœceſi præfatas iniquitates dicti malefactores deprehenſi fuerint exercere, ab Epiſcopo illius loci anathematis diſtrictioni ſubdantur, ipſum alij circumadiacentes Epiſcopi, quouſque paſſis iniuriam plenè ſatisfactum fuerit, teneantur viriliter adiuuare, ſententiam quam in delinquentem tulerit obſeruantes, & auxilium ei manu militari etiam, ſi opus fuerit, impendentes. Quòd ſi quis Epiſcopum contempſerit, ad reſarciendum damnum paſſis iniuriam teneatur.

Cap. xi. Choreæ diebus feſtis, & cantilenæ in Eccleſiis interdicantur.

Statuimus, vt in Sanctorum vigiliis in Eccleſiis hiſtrionicæ ſaltationes, obſcæni motus, ſeu choreę, non fiant, nec dicantur amatoria carmina, vel cantilenæ ibidem : ex quibus præter id quod aliquotiens auditorum animi ad immunditiam prouocantur, obtutus & auditus quorumlibet ſpectantium polluuntur.

Cap. xii. De Clericorum, ac Religioſorum honeſtate & modeſtia.

Pro eo quòd Clerici, & qui religioni adſtringuntur ex voto, & etiam ſæculares, nec opere, nec habitu profeſſionem ſuam oſtendunt, immò, quod dolentes & inuiti dicimus, adeò diſſoluti ſunt, & multipliciter immunditiis & exceſſibus implicantur; quia ſicut laïcus ſic ſacerdos. Laïci quibus ipſi ſunt ſignum poſiti ad ſagittam eorum corrumpuntur exemplo, & quos in omnibus actionibus ſuis ad honeſtatem præuenire deberent & vitam, tanquam cæci cœcos eos in foueam trahunt, & ad gehennam præcedunt.

Circa Religioſos igitur ſeruandum iubemus, vt in quacumque ſint dignitate aut ordine conſtituti, habitum & tonſuram,

ſuram, & in aliis ſuæ profeſſioni habeant congruentem. Quibus firmiter inhibemus, ne panno de ſtamine forti, aut alio colorato, ſeu ſumptuoſo, vel aliquo ſerico, in futurum vtantur. Cappas ſimiliter coloratas, & manicatas prohibemus eiſdem. Circa ſeculares quoque illud firmiter præcipimus obſeruandum, vt amodò maximè in ſacris Ordinibus conſtituti conuenientem coronam habeant, & clauſa deferant indumenta, nec rubeis, aut viridibus, eu aliquibus ſericis in poſterum vti præſumant: ſed honeſtatem Clericorum quæ in Decretali felicis memoriæ Gregorij euidentiùs exprimitur, ſeruent. Quales eorum habitus.

Iubemus inſuper tam Præpoſitos, quàm alios Clericos, ad exhortationem, vel ad mandatum ſui Epiſcopi ſine difficultate qualibet ad ſacros Ordines promoueri. Clerici ab Epiſcopo iuſſi Ordines Sac. ſuſcipiant.

Prætereà in ſacris Ordinibus conſtituti, qui ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtentantur, coram Iudicibus ſecularibus officium aduocationis non ſumant contra Canonica inſtituta: nec deteſtabiles conſpirationes faciant de cætero, ſeu coniurationes in quacumque ſint Eccleſiæ profeſſione aut ordine conſtituti. Quicumque autem Conſtitutionis huius propria temeritate ſe conſtituerint tranſgreſſores, à ſuis Epiſcopis canonicè puniantur. Aduocati officium non exerceant.

Miſerabilem & lacrymoſam interfectionem ſanctæ memoriæ Petri de Caſtro nouo, Apoſtolicæ ſedis Legati, ad memoriam reducentes: & atrox facinus necis Magiſtri GAVFREDI Canonici Gebennenſis, pię & religioſę conuerſationis & vitę, his temporibus nequiter perpetratum, & aliorum plurimorum Religioſorum virorum, quos non ſufficimus ad præſens nec expedit enarrare, tanti facinoris frequentia, & atrocitate commoti, vltione quâ poſſumus proſequentes, ſacri approbatione Concilij duximus ſtatuendum; vt nullus de parentela illorum, qui præfatos Clericos occiderunt, vſque ad tertiam lineę cuiuſcumque generationem, Eccleſiaſticum beneficium conſequatur. Immò ſi qua forſitan ſunt adepti, tamdiu ſuis beneficiis ſpolientur & officiis, donec per Romanum Pontificem fuerint reſtituti. Statuimus etiam, vt ſi qui ſimile facinus commiſerit in futurum, circa ipſorum conſanguineos ſimilis cenſura ſer- CAP. XIII. Interfectoribus Petri de Caſtro nouo, & Gaufridi Canonici, &c pœnæ infliguntur.

uetur : quem rigorem circa illos tantùm volumus obſeruari, qui de perpetrata iniquitate apud bonos & graues fuerint infamati.

Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ſub atteſtatione diuini iudicij diſtrictè iubemus, vt omnes ſupra ſcriptas Conſtitutiones pro ſua poſſibilitate bona fide obſeruent, & faciant ab omnibus ſubditis ſuis inuiolabiliter obſeruari.

---

## *Hæc eſt forma Iuramenti Conſulum Montiſpeſſulani.*

IN nomine Domini, Anno Incarnationis eiuſdem milleſimo ducenteſimo nono, Kal. Auguſti : Anno Pontificatus Domini INNOCENTII Papę tertij duodecimo, nos Conſules Montiſpeſſulani iurauimus ſuper ſancta Dei Euangelia manu tacta, tibi Magiſtro MILONI, Domini Papę Notario, Apoſtolicæ ſedis Legato, de mandato & auctoritate ſua, quòd bona fide & ſine omni malo ingenio & ſine fraude conſulemus, & operam dabimus pro poſſe noſtro, quòd Dominus RAYMVNDVS Comes Toloſanus tam per ſe, quàm hæredes ſuos ſuper his omnibus pro quibus fuit excommunicatus, quę videlicet exponuntur in forma, ſecundùm quam ipſe antequam abſolueretur iurauit, vt pareat omnibus mandatis Eccleſię, & quòd ea in perpetuum ſeruet, ita quòd ſi quid illorum non fecerit, vel contrauenerit, ei nullum conſilium, vel auxilium, ſeu obſequium per nos, vel per homines, ſeu per amicos noſtros, aliquatenus impendemus, immò quouſque plenè paruerit, faciemus contra ipſum pro poſſe noſtro quidquid Romana Eccleſia, vel eius Nuntius, ſeu Legatus, nobis mandauerit faciendum.

A parte Comitis ſe diſceſſuros promittũt, niſi Eccleſiæ obtemperet.

Item, ſtratas publicas per totum Epiſcopatum noſtrum ſeruabimus ſecuras, & faciemus inuiolabiliter obſeruari.

Item, * pedagia, ſeu * guidagia, vel exactiones aliquas à tranſeuntibus per ſtratas Epiſcopatus noſtri, vel etiam per aquas, nullatenus accipiemus, vel accipere permittemus. niſi quę vel quas antiqua Regum vel Imperatorum conceſſione nos vel alios habere conſtiterit.

*Gal.* * *peage.* *Gal.* * *Guidage.* *Vide ſupra.* Vectigalia non impoſituros.

Item, Eccleſias, & domos Religioſas in noſtro Epiſcopatu, tam in villa Montiſpeſſulani, quàm extrà, in plenaria ſeruabimus libertate; videlicet quòd ab eis exactiones aliquas, ſeu tallias, nullatenus exigemus: & defunctis earum Rectoribus ipſas Eccleſias, vel domos eorum, nullo modo ſpoliabimus, nec adminiſtrationi earum ſeu cuſtodiæ occaſione alicuius conſuetudinis, vel aliqua alia, niſi fortè rogati ab Epiſcopo, ſeu Capitulo, nos immiſcebimus; ſed omnia ſine aliqua defunctorum diminutione ſeruabimus ſucceſſoribus, & electioni Epiſcopi, vel alterius Rectoris Eccleſiæ, faciendæ, per nos, vel quamcumque aliam perſonam nullatenus nos immiſcebimus, nec aliquam violentiam faciemus, vel impedimenta præſtabimus quominus electio celebretur. Nil detrimenti Eccleſiis allaturos.

Item, pacem, ſeu treugam, ſicut nobis per Eccleſiam Romanam, vel eius Legatum, vel Nuntium, iniunctum fuerit, bona fide obſeruabimus, & faciemus pro poſſe noſtro per totum noſtrum Epiſcopatum in perpetuum obſeruari. Pacis atque induciarum obſeruatores.

Item, ſi Epiſcopus, vel Capitulum Magalonenſe, vel alia perſona Eccleſiaſtica, nobis aliquos hęreticos nominauerit in Epiſcopatu noſtro, vel credentes, vel per nos ipſos aliquos potuerimus hęreſim prædicare cognoſcere, vel facere conuenticula, ipſos perſequemur ſecundùm legitimas ſanctiones, & eorum bona omnia pro poſſe noſtro infiſcabimus. Hæreticorum inſectatores fore.

Item, Iudæos ab omni adminiſtratione publica, ſeu priuata, omninò reuocabimus; & nullo vnquam tempore eoſdem, vel alios ad eamdem adminiſtrationem, vel aliam aſſumemus: nec eorum conſilio contra Chriſtianos vtemur, nec in domibus ſuis Chriſtianos vel Chriſtianas ad ſeruitium ſuum eos permittemus trahere. Et ſi contra hanc prohibitionem habuerint, vel tenuerint, tam Iudæorum, quàm Chriſtianorum morantium cum eis, bona omnia infiſcabimus. Non fautores Iudęorum.

Item, Eccleſias incaſtellatas noſtri Epiſcopatus ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi noſtri, vel aliorum Prælatorum, ad quos pertinere noſcuntur, penitùs diruemus, vel etiam reſeruabimus, ſi quas duxerint reſeruandas. Arces prope Eccleſias dirui curabunt.

Item, de nobis conquerentibus ſecundùm ſuum vel alte- Ius reddent.

rius Legati vel Iudicis delegati, ſeu Ordinarij, arbitrium, iuſtitiam faciemus.

Excommunicatos mulctabunt.

Item, ſi quis de noſtro Epiſcopatu per ſuos exceſſus excommunicatus fuerit, & commonitus ab Eccleſiaſtico Iudice infra menſem non ſatisfecerit, ei centum ſolidos Melgorienſes auferemus: immò quolibet menſe, in quo excommunicatus permanſerit, ei ſummam auferemus præfatam: ſi verò ſoluendo non fuerit, eum ſub banno ponemus. Hæc autem nos dicimus facturos, ſi ab Eccleſiaſtico Iudice certiorati fuerimus.

Hæc autem ſingulis annis ſucceſſores noſtros faciemus iurare; Si quis autem iurare noluerit, ipſum tanquam hæreticum habebimus manifeſtum, nec eius iudicium, ſeu auctoritas vigorem in aliquo ſortietur.

Et ego ſupra memoratus MILO, Domini Papæ Notarius, Apoſtolicæ ſedis Legatus, auctoritate legationis quâ fungor ad prædicta exequenda, prædictis Conſulibus & ſucceſſoribus poteſtatem & auctoritatem concedo. Hæc omnia pro poſſe ſuo, & ſine aliquo ingenio corporaliter iurauerunt, H. Capud de Boue, &c.

---

## DECRETVM.

Cõtra Canonicos renuentes in ſuis Capitulis, vbi de correctione ſeu aliis negotiis agitur, locum dare Epiſcopis.

SIgnificatum fuit ſynodali Capitulo, quòd quarumdam Eccleſiarum Cathedralium Clerici ſedem ſuam ad Aquilonem ponere volentes, vt Acephali, quod crimînoſum eſt, habeantur. Et Epiſcopos ſuos in Capitulo ſuo, vel extra, & præcipuè in Viuarienſi, & Vticenſi Eccleſiis, ad correctionem aliquam non admittant: Negotia Eccleſiæ ſuæ cum eorum conſilio diſponere, vel tractare penitus contemnentes: in quo dubium non eſt ſacris Canonibus obuiare. Ideóque præſenti Decreto ſtatuimus, vt tam in Eccleſiis Cathedralibus, quàm in aliis, Clerici proprios Epiſcopos ad correctionem ſuam, ſicut qui de animarum ſuarum cura tenentur reddere rationem, admittant humiliter & deuotè: nihílque in Eccleſiis ſuis abſque ipſorum conſilio & tractatu, pręcipuè in maioribus negotiis, ſtatuere, vel ordinare præſumant. Quòd ſi huius Conſtitutionis inuenti fuerint tranſgreſſores, ab Epiſcopis pœna Canonica feriantur.

# CONCILIVM TOLOSANVM
## Anno M. CCXXVIII. celebratum.

### *Hæc ſunt ſtatuta Concilij Toloſanenſis.*

LICET à diuerſis Apoſtolicę ſedis Legatis diuerſa emanauerint inſtituta contra hæreticos, credentes, receptatores, & fautores eorum; & ſuper pace conſeruanda in Toloſana Diœceſi, & Prouincia Narbonenſi, & earum adiacentibus diœceſibus, & terris vicinis: & ſuper aliis quę ad bonum ſtatum terrę noſcuntur. Nos tamen attendentes terras prędictas poſt longę ac miſerabilis turbationis diſcrimina, nunc quaſi miraculosè pace de aſſenſu & voluntate maiorum gaudere, Ordinandum duximus & ſtatuendum de conſilio Archiepiſcoporum, & Pręlatorum, Baronum, & Militum, quę ad purgationem hæreticę prauitatis, conſeruationem pacis, necnon & terrę quaſi neophytę nouimus expedire.

Statuimus itaque, vt Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſingulis parochiis tam in ciuitatibus, quàm extrà, Sacerdotem vnum, & duos vel tres laïcos bonæ opinionis, vel plures etiam ſi opus fuerit, iuramenti religione conſtringant, quòd diligenter, fideliter, & frequenter inquirant hæreticos in eiſdem parochiis, domos ſingulas, & cameras ſubterraneas aliqua ſuſpicione notabiles perſcrutando, & appenſa, ſeu adiuncta in ipſis tectis ædificia, ſeu quæcumque alia latibula, quæ omnia deſtrui præcipimus, perquirendo reperetint hæreticos, credentes, fautores, & receptatores, ſeu defenſores eorum, adhibitâ cautelâ ne fugere poſſint, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, Dominis locorum, ſeu Baiulis eorumdem, cum omni feſtinantia ſtudeant intimare, vt animaduerſione debita puniantur. CAP. I. De hæreticis, eorumque fautoribus inquirendis, puniendiſque.

Hoc idem faciant Abbates exempti in locis ſuis, qui non ſunt Ordinariis iure Diœceſano ſubiecti.

Sollicitі etiam ſint Domini terrarum circa inquiſitionem hæreticorum, in villis, domibus, & nemoribus faciendam;

& circa huiuſmodi appenſa, adiuncta, ſeu ſubterranea latibula deſtruenda.

Statuimus etiam, vt quicumque in terra ſua de cætero permittet ſcienter morari hæreticum ſiue propter pecuniam, ſiue propter aliam quamcumque cauſam, & fuerit inde confeſſus, aut conuictus, amittat in perpetuum totam terram ſuam; & corpus ſuum ſit in manu Domini ad faciendum inde quod debebit. Si autem de ſcientia conuictus non fuerit, & probata fuerit negligentia diſſoluta, vel frequenter in terra ſua inueniantur hæretici, vel ſuper hoc ſit diffamatus, pœnis legitimis puniatur. Illam domum in qua fuerit inuentus hæreticus diruendam decernimus, & locus, ſiue ipſe fundus confiſcetur. Baiulus verò qui ſemper eſt reſidens in loco, contra quem præſumitur niſi contra hæreticos valde ſollicitus inueniatur & diligens, bona ſua amittat, & de cætero nec ibi, nec alibi conſtituatur.

Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut cuilibet per aliquorum calumniam, hæretica prauitas impingatur, Statuimus ne aliquis credens, vel hæreticus puniatur, niſi per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, quæ poteſtatem habeat, dum fuerit credens, vel hæreticus iudicatus. Statuimus etiam, vt quilibet in terra alterius poſſit inquirere, & capere hæreticos, & Baiuli locorum teneantur eis præſtare auxilium & fauorem, ita quòd Baiuli Regis in terra Comitis Toloſani, & aliorum, hoc facere poſſint: Comes Toloſanus, & alij in terra Regis ſimiliter.

Item ſtatuimus quòd ſi aliqui hæretici veteri hæreſi ſponte dimiſſa, fuerint ad catholicam fidem reuerſi, ſuum recognoſcentes errorem, non remaneant in villa in qua fuerant conuerſati, ſi villa ſuſpecta de hæreſi habeatur, ſed collocentur in villa catholica, quæ nulla ſit hæreſis ſuſpicione notata: in deteſtatione quoque veteris erroris duas cruces portent de cætero anteriùs prominentes, alterius coloris quàm ſit veſtis eorum, vnam à dextris, & aliam à ſiniſtris, nec per cruces aliquis excuſetur, niſi habeat Epiſcopi ſui litteras teſtimoniales de reconciliatione ipſius, nec de cætero talibus officia publica committantur; nec ad actus

legitimos admittantur, niſi per Dominum Papam, vel Legatum ab eius latere deſtinatum, fuerint in integrum reſtituti, iniunctâ ſibi pœnitentia competenti.

Hæretici autem qui timore mortis, vel aliqua quacumque cauſa, dummodò non ſpontè redierint ad Catholicam vnitatem, ad agendam pœnitentiam per Epiſcopum loci in muro cum tali includantur cautela, quòd facultatem non habeant alios corrumpendi; quibus ab illis qui bona eorum tenuerint prouideatur in neceſſariis ſecundùm diſpoſitionem Prælati. Si verò bona non habuerint, vniuerſi tam mares quàm fœminæ; maſculi à decimo quarto anno & ſupra, mulieres à decimo ſecundo abiurent omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus ſanctam & Catholicam Eccleſiam, & fidem orthodoxam, quibuſcumque nominibus cenſeantur. CAP. II. Quoto anno fidei profeſſio emittenda; ac præſtandum iuramentum.

Iurent etiam, quòd fidem Catholicam, quam Romana Eccleſia tenet & prædicat, conſeruabunt, & hæreticos pro viribus perſequentur, & eos bona fide intimabunt & manifeſtabunt. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in qualibet parochia conſcribantur: & omnes coram Epiſcopo, vel coram bonis quibus demandauerit, præſtent iuramentum præmiſſum: & ſi aliquis abſens fuerit, & poſt reditum infra quindecim dies idem iuramentum non præſtiterit, quòd ex inſpectione hominum poterit apparere, ſuſpectus de hæreſi habeatur. Huiuſmodi autem iuramentum ſingulis bienniis renouetur.

Omnes autem vtriuſque ſexus poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerint, confeſſionem peccatorum faciant ter in anno proprio Sacerdoti, vel alij de voluntate ipſius & mandato, iniunctam ſibi pœnitentiam humiliter impleturi pro viribus ſuis; & ter in anno, in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte, Sacramentum Euchariſtiæ cum omni reuerentia ſuſcepturi: ita quòd Confeſſio Communionem præcedat, niſi fortè ob aliquam cauſam rationabilem ad tempus ab eius perceptione abſtinuerint de conſilio proprij ſacerdotis. Solliciti itaque ſint Preſbyteri circa iſta, vt ex nominum inſpectione cognoſcant (ſicut ſuperiùs eſt expreſſum) vtrum ſint aliqui qui communicare ſubterfugiant: CAP. III. Confeſſio peccatorũ ter in anno facienda: itidemque Euchariſtia ſumenda.

nam ſi qui à Communione niſi de conſilio proprij Sacerdotis abſtinuerint, ſuſpecti de hæreſi habeantur.

Cap. IV. Biblia ſacra laïcis interdicuntur.

Prohibemus etiam ne libros veteris & noui Teſtamenti laïci permittantur habere, niſi forte Pſalterium, aut Breuiarium pro diuinis officiis, ac Horas Beatæ Virginis aliquis ex deuotione habere velit; ſed ne præmiſſos libros habeant in vulgari tranſlatos.

Cap. V. Qui hæreſis ſuſpicione aſpergitur artem medicam non exerceat.

Statuimus etiam quòd quicumque fuerint de hęreſis infamia, vel ſuſpectione notati, officio medici de cætero non vtantur.

Grauiter ægrotanti maxima eſt adhibenda diligentia.

Cúmque aliquem infirmum de manu ſui Preſbyteri ſacram Communionem contigerit recepiſſe, adhibeatur ei diligens cuſtodia vſque in diem obitus, vel conualentiæ, ne hæreticus aut de hæreſi ſuſpectus ad ipſum infirmum habere poſſit acceſſum. Cùm ex acceſſu talium intellexerimus nefanda & enormia pluries contigiſſe.

Quæ in conficiẽdo teſtamento requiruntur.

Cùm verò aliquis voluerit condere teſtamentum, hoc faciat ſub teſtimonio ſui Preſbyteri, vel alterius Eccleſiaſticæ perſonæ, ſi proprius non poſſit haberi ſacerdos, adhibitis bonæ opinionis viris, quos ad hoc voluerit accerſere: & teſtamenta aliter facta vigorem non habeant, nec alicuius ſint momenti.

Nulla hæreticis, neque hæreſi notatis, officia cõmittenda.

Inhibemus etiam ne Prælati, Barones, Milites, ſeu quicumque Domini terrarum, hæreticis, vel credentibus eorum, Bailliuias, ſeu adminiſtrationes terrarum ſuarum committant; ſed nec eos aut etiam aliquos infamatos de hæreſi, vel quos credant de hoc eſſe ſuſpectos, in ſua familia, vel ſuo conſilio, habere, vel retinere præſumant. Illos autem debent pro infamatis habere, contra quos publica fama clamat, vel quorum de diffamatione apud bonos & graues coram Epiſcopo loci legitimè etiam conſtiterit conſtitiſſe.

Cap. VI. De libertatibus Eccleſiarum. Decimæ ſoluendæ.

Omnia priuilegia Eccleſiarum, & libertates earum, & religioſarum domorum, inuiolabiliter præcipimus cuſtodiri. Vniuerſi etiam de bonis & prouentibus ſuis, non deductis expenſis, Eccleſiis integrè decimas, & primitias ſoluere teneantur, præſcriptione, ſeu conſuetudine aliqua non obſtante: nec quaſcumque exactiones laïci exigere vel extorquerę præſumant.

Clerici

Clerici quoque non talliabuntur occaſione etiam hæreditatis, etiam ſi per ſucceſſionem eis obuenerit, niſi ſint mercatores vel vxorati. Sed ſi per ſucceſſionem hæreditariam aliqua poſſeſſio feudalis, ſeu etiam cenſualis, ad eorum manus deuenerit, penſiones, & onera ipſi in poſterum annexa ſoluere teneantur. Aliàs à talliis & aliis exactionibus omninò liberi ſint & immunes. Item præcipimus quòd Clerici, & etiam Religioſi, & quilibet peregrini, & milites, cùm rebus ipſorum immunes ſint omni pedagio, niſi fuerint mercatores: ſed nec ab ipſis aut quibuſcumque aliis perſonis, pedagia, guidagia, ſeu alias exactiones, quaſcunque laïci exigere, vel extorquere præſumant, niſi ea quæ ab antiqua Regum, vel Imperatorum, vel Principum conceſſione probauerint eſſe conceſſa, vel ex antiqua conſuetudine introducta: quòd ſi adquieſcere noluerint, per Diœceſanum loci cenſurâ quâ conuenit, deſiſtere compellantur.

Clerici ac Nobiles à tributis ſint immunes.

Hi autem qui pedagia recipiunt taliter in diſtrictu ſuo ſtratas ſtudeant cuſtodire, quòd damnum aliquod tranſeuntes non ſentiant, vel violentiam aliquorum, & ſi fortè aliqui in diſtrictu eorum damnum incurrerint, dummodò non ſit guerra communis, & de die viatores incedant, ipſi ad damni reſtitutionem integrè teneantur, ad hoc per ſuperiorem etiam ſi neceſſe fuerit compellendi.

Tributorũ coactores vias publicas munire teneantur.

Homines autem Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum virorum, laïci talliare, vel in eos exactiones aliquas facere non præſumant; niſi fortè ab eis aliquas poſſeſſiones habere noſcuntur, & tunc etiam temperatè id faciant, conſiderato nihilominus poſſeſſionum quas ab eis tenent valore. Eccleſiæ autem, & viri Eccleſiaſtici, eodem iure vti poſſunt circa homines laïcorum.

Clericorũ famulis vectigal non imponendum.

Si quis autem quemcumque Clericum, etiam ſi tantùm primam tonſuram habuerit, pro quocumque crimine vel aliqua qualibet cauſa captum detinuerit, hoc inſinuet ſtatim Preſbytero loci, vt per eum ſignificetur Epiſcopo, & requiſitus ab Epiſcopo, vel Archidiacono, ſeu mandato ipſorum captum Clericum ſine dilatione reſtituat, & per eum ſecundùm iuris exigentiam iudicetur. Quòd ſi facere diſtulerit,

Clerico criminis reo ab Epiſcopo duntaxat pœna infligenda.

denuntietur excommunicatus, & per ſuperiorem dominum, ipſum reſtituere compellatur.

CAP VII. Diebus Domini & feſtis intereſſe laici cogantur diuinis officiis.

Item ſtatuimus vt parochiani, dominus & domina cuiuſlibet domus, Dominicis & feſtiuis diebus, in quibus ab operibus eſt ceſſandum, teneantur ad Eccleſiam venire, audituri ibidem ex integro diuinum officium, & prædicationem, nec receſſuri inde donec Miſſa compleatur omninò: quòd ſi alter illorum abſens fuerit extra villam, vel aliqua cauſa rationabili præpeditus, alter ſaltem teneatur venire: quòd ſi non fecerint, dummodò ſint in villa præſentes nulla infirmitate, ſeu aliqua rationabili cauſa detenti, duodecim denarios Turonenſes ſoluere quilibet teneatur; quorum medietas ſit domini villæ, & alia medietas Sacerdotis & Eccleſiæ. Sabbato etiam circa Veſperas ob reuerentiam Beatæ Virginis Eccleſias ſuas cum deuotione viſitare procurent.

Syllabus feſtorum dierum.

Dies autem feſtiuos dicimus ſicut in Canonibus continetur. Natale Domini, ſancti Stephani, S. Ioannis Euangeliſtæ, Innocentium, & S. Syluestri, Circumciſionem Domini, Epiphaniam, Purificationem, Annuntiationem, Aſſumptionem, & Natiuitatem Beatæ Virginis; Sanctum diem Paſchæ cum duobus ſequentibus diebus; item Rogationes tribus diebus; diem Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus, Inuentionem & Exaltationem ſanctæ Crucis, Natale ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ſancti Laurentij, ſancti Martini, ſancti Nicolai, Dedicationem ſancti Michaëlis, Dedicationem cuiuſcumque Oratorij, & feſtiuitatem cuiuſlibet Sancti in cuius honore conſtructa eſt Eccleſia: Item omnem diem Dominicam. In his itaque diebus ſecundùm Canones, & antiquam conſuetudinem, eſt ab omni opere feriandum, & etiam in aliis feſtiuitatibus pro locorum variis conſuetudinibus, prout Prælatus induxerit. Huiuſmodi autem feſtiuitates debent Sacerdotes populo ſuo annuntiare quolibet de Dominico in Miſſa.

CAP. VIII. De pace ſeruãda iuramentũ

De pace ſtatuimus & præcipimus, quòd omnes à decimo & quarto anno, & ſupra, iurent ſeruare pacem: & ſi quis monitus à Diœceſano vel per litteras, vel per nuntium eius,

infra quindecim dies iurare noluerit, ad id cogatur per cenſuram Eccleſiaſticam, & ipſe ſit extra pacem, & homines ſui ſi ei fuerint; nec aliquis qui ſit in pace teneatur ei in aliquo reſpondere; ipſe autem de conquerentibus reſpondere cogatur. Illud autem iuramentum de conſeruatione pacis de triennio in triennium renouetur. præſtandum.

Violatores pacis quibus pœnis afficiendi.

Si aliquis pacem fregerit, vel mouerit guerram, niſi monitus infra quindecim dies emendam & damna refundat, excommunicetur, & extra pacem ſit, & tota terra faciat ei & toti terræ ſuæ guerram, & expugnetur ſiue in caſtro, ſiue in ciuitate, ſiue in nemore; & homines ſui ſimiliter, niſi ipſum cum aliis impugnauerint non obſtante fidelitate, quam ei primo fecerunt. Circa locum etiam in quo ſe receptauerit, fiant ſtabilitates militum & peditum, vt nec nocere poſſit aliis, nec alij ſibi prodeſſe: nec recipiantur ad pacem donec emendet, & reſarciat omnes expenſas & damna.

Si verò capiatur, publicentur bona ipſius; & is qui bona eius habuerit, pro valore eorumdem bonorum damnum reſtituat, & de perſona ipſius faciat dominus ſuperior quod debebit. Si quis autem illi auxilium dederit, conſilium, vel fauorem, vel ipſum receptauerit cum præda, vel etiam ſine præda, niſi monitus infra diem ſibi præfixam emendauerit, pœna ſimili puniatur. Conſanguinei etiam parentes ipſius teneantur iurare quod ei non præſtabunt auxilium vel fauorem, ſed ei, ſicut & alij, facient viuam guerram: quòd ſi facere recuſauerint, in manu Domini ſint ipſi & bona ipſorum. Si mouens guerram, vel pacis violator ad mandatum redire noluerit, firmantia, vel ſacramentum ſolum non recipiatur ab ipſo, ſed pignora, vel obſides, vel perſona propria in bona cuſtodia teneatur, donec emendauerit competenter. Si verò aliqua ſunt caſtra vicina illi, qui pacem fregerit, ſi illi qui Sacramentum pacis procurant ea munire voluerint contra illum, ſine difficultate tradantur, & ipſi guerra finita in eodem ſtatu dominis ea reſtituere teneantur, donec emendauerit competenter. Hoc idem de caſtris paciarijs erit obſeruandum.

Item ſi is qui guerram mouet damnum intulerit, vel prædam abduxerit, villę, vel Caſtra, per quorum territorium

tranſitum fecerit, damna reſtituant, niſi pro poſſe eum arreſtauerint, & prædam defenderint, vel clamauerint, & inſecuti fuerint bona fide. Si autem de præda huiuſmodi ſcienter emerit quis, ei cuius eſt præda ſine pretio reſtituat, & tantumdem domino pro emenda ſoluet.

*f. * Idem qui faidoſi, ob graue crimen profugi.*

Si vaſſalli vel homines rebellauerint, vel inſurgere attemtauerint contra dominos, pax aſſiſtat dominis contra eos.

Item ſtatuimus, vt aliquis amicitiam, familiaritatem, vel treugas non habeat cum * faiditis, vel aliis qui guerram mouerint: de bonis ſuis expenſas faciat contra illos, & damna data reſtituat, aliàs ad vtilitatem Domini puniendus. Nullus etiam latrones, * ruptarios, vel * lachinones recipiat, ſed ab omnibus abiiciantur: & ſi quis eos tenuerit, damna per illos illata reſtituat ad vocem ſimplicem conquerentis, & pacis reputetur infractor. Præcipimus etiam quòd quando aliquis guerram mouerit, fiat contra eum ſacramentum de nouo, quod qui præſtare noluerit, fractor pacis reputetur: modò etiam expreſsè fiat Sacramentum contra inimicos fidei atque pacis; videlicet GVILLELMVM, dictum Dominum de Petra Pertuſa, GAVSERANDVM Du.... qui tenet Podium Laurentium, Raymundum de Mort, & excommunicentur, & perpetuò ſint exhæredati, nec abſolui poſſint à ſententia, niſi per ſedem Apoſtolicam, vel Legatum de eius latere deſtinatum.

*f. * equites qui prædantur.*

*f. * lacinones à latina, qui in viis publicis tranſeuntibus inſidiantur.*

Inhibemus etiam vt Barones, Caſtellani, Milites, Ciues, Burgenſes, ſeu etiam rurales, coniurationes, colligationes, confratrias, ſeu alias quaſcumque obligationes, fide, vel iuramento, ſeu qualibet alia firmantia, interpoſitis, facere non præſumant; quòd ſi fecerint, Baro in centum libris currentis monetæ puniatur: Caſtellanus in ſexaginta, Miles in quadraginta, Ciuis vel Burgenſis in viginti, & rurales in centum ſolidis. Si quæ verò coniurationes, vel colligationes vſque nunc factæ ſunt, eas decernimns irritas & inanes; ſtatuentes vt omnes abiurare teneantur eaſdem.

Contra prædones.

Item nullus Caſtrum, vel villam furetur, de his maximè quæ ab Eccleſia tenentur & Rege; quod qui fecerit excommunicetur; & bona ipſius omnia publicentur; & ipſe infa-

mis perpetuò habeatur; nec à ſententia poſſit abſolui, niſi per Dominum Papam, vel Legatum de ipſius latere deſtinatum. Mittatur etiam vltra mare, ad terram propriam nullatenus reuerſurus. Item ſtatuimus quòd nullus aliqua occaſione alicuius bona per vim capiat, vel pignoret, nec vaſſallum, nec rem vaſſalli pro domino capiat; ſed ſi aliquid ſibi debere credit, illud per Iudices repetat. Si autem contra hæc aliquis fecerit, tanquam fractor pacis habeatur, & ius quod habebat, amittat: Si verò nullum ius habuerit, res pignoratas, & etiam æſtimationem earum reſtituat, & in vtroque caſu, videlicet ſi ius habeat, vel non habeat, tantumdem domino pro emenda perſoluat.

Pro pace quoque meliùs conſeruanda: Statuimus, quòd caſtra non ædificentur de nouo occaſione Bouariæ, vel contra eam alia ratione nec munitiones dirutæ reædificentur. Mulieres quoque viduæ, & mulieres hæredes nobiles, quæ munitiones habent, vel caſtra, inimicis fidei & pacis ſcienter non nubant: quòd ſi fecerint, caſtra ipſa & munitiones à terrarum dominis occupentur, ad hæredes tamen ipſarum legitimè reuerſura. *Statuta pro pace firmanda.*

Nullus omninò iudex occaſione expenſarum, ſeu prætextu alicuius conſuetudinis, pro iuſtitia exhibenda aliquid à litigantibus exigere, vel extorquere præſumat, ſed gratis omnibus iuſtitia exhibeatur, poſtpoſitis gratia, odio, vel timore. Si autem aliqui pauperes ſint, qui præ paupertate Aduocatum habere non poſſint, det ipſis Curia Aduocatum, ſi cauſa indigeat Aduocato.

Hæc autem ſtatuta ſupradicta præcipimus per parochiales Preſbyteros diligenter exponi quater in anno, in Dominicis videlicet diebus, quæ ieiunia Quatuor temporum ſubſequuntur.

## CONCILIVM ALBIENSE

### *Factum à Domino* ZOENO *Auinionenſe Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato.*

MVLTIS Epiſcopis & Prælatis Narbonenſis, Bituricenſis, & Burdegalenſis Prouinciarum, ad Concilium celebrandum apud Albiam congregatis, de conſilio & approbatione ipſorum, quædam pro exterminanda hæretica prauitate, ac roboranda fide Catholica: quædam pro Cleri honeſtate duximus ordinanda.

CAP. I. Inquirendi ac puniendi hæretici.

Inhærentes ergo ſuper negotio fidei Concilio præcipuè Toloſano, quibuſdam pro cauſa & tempore demptis, additis, & mutatis: Statuimus, vt Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſingulis parochiis tam in ciuitatibus, quàm extrà, vnum ſacerdotem, & dominus loci vnum laïcum bonæ famæ, ſine mora conſtituant, qui diligenter frequenter, & fideliter inquirant hæreticos, in parochiis ſupradictis domos ſingulas, & cauernas ſubterraneas, aliqua ſuſpicatione notabiles perſcrutando: & apprehenſa ſeu adiuncta ipſis tectis ædificia, ſeu quæcumque alia latibula, quæ omnia deſtrui præcipimus, perquirendo; & ſi quos repererint hæreticos, credentes, fautores, deffenſores, ſeu receptores eorum, ne fugere poſſint cautela adhibita diligenti, Archiepiſcopo vel Epiſcopo, & dominis locorum, ſeu familiaribus eorum, vel Balliuis eorumdem cum omni feſtinantia ſtudeant intimare; vt animaduerſione debita puniantur. Sacerdotes autem, & laïci ſupradicti, iurent in manu Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & loci domini, vel eius baiuli, quòd omnia ſupradicta exequantur fideliter, poſtpoſitis amore, odio, & timore.

CAP. II. Qui hæreticum ceperint remunerandi.

Et quoniam qui ad opus eligitur, extraneus non debet fieri à mercede, præcipimus, vt pro quolibet hæretico, quem ſacerdos vel laïcus memorati, aut quilibet alius, captum reddiderint, vnam marcam argenti, vel ſaltem viginti ſolidos Turonenſes loci dominus, in cuius iuriſdictione captus

ſuerit hæreticus, capientibus infra octo dies de bonis ipſius hæretici ſoluere teneatur. Si verò de ipſius hæretici bonis pecunia non poterit ſupradicta perſolui, dominus loci, & ipſius loci Communitas, in quorum territorio captus fuerit, ſoluant eam infra terminum ſupra-ſcriptum; vt ſic ad capiendum ipſos hæreticos efficiatur quilibet magis promptus.

Ad ſoluendum autem dictam pecuniam, prout ſuperiùs continetur, dominus & loci Communitas, à loci Diœceſano, vel ab Inquiſitoribus per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur. Super quo taliter ſe habeant, quòd videantur fidei zelatores. Et hæc omnia Abbates, & Priores exempti in locis ſuis, quæ non ſunt ordinario iure ſubiecta Diœceſano, ſimiliter facere teneantur. Solliciti etiam ſint domini terrarum & baiuli eorumdem circa inquiſitionem ipſorum, in ciuitatibus, caſtris, villis, domibus, latibulis, & nemoribus faciendam, & circa huiuſmodi apprehenſa ſeu adiuncta ſubterranea latibula deſtruenda. Loci dominus & Communitas eius pecunias ſoluere teneantur.

CAP. III. Puniantur domini qui hæreticos fouent.

Statuimus etiam, Toloſanum Concilium innouando, vt quicumque in terra ſua de cætero permittet ſcienter hæreticos commorari, ſiue propter pecuniam, ſeu propter aliam quamcumque cauſam, & inde confeſſus fuerit, vel conuictus, amittat perpetuò totam terram ſuam, & ad faciendum inde quod debebit, ſit in manu Domini corpus eius. Si autem de ſcientia conuictus non fuerit, & approbata fuerit negligentia diſſoluta, vel ſi frequenter in terra ſua inueniantur hæretici, aut ſuper hoc fuerit diffamatus, vt deffenſor & fautor hæreticorum ab omnibus cenſeatur. Illam autem domum in qua fuerit inuentus hæreticus diruendam decernimus, & locus ſiue ipſe fundus confiſcatur. Baiulus verò qui reſidet in loco contra quem præſumitur vehementer niſi contra hæreticos valde ſollicitus, & diligens fuerit & intentus, amittat omnia bona ſua; & deinceps nec ibi nec alibi vllum obtineat officium, ſeu balliuiam aliquam. Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut quibuſlibet per aliquorum calumniam hęretica prauitas impingatur; Statuimus vt quilibet in terra alterius poſſit liberè hæreticos inquirere ac capere, & locorum Balliui, & ſi præſentes Nec non Balliui.

fuerint domini, teneantur inquirentibus & capientibus bona fide præſtare conſilium, fauorem, & auxilium.

Cap. IV. Quid de hæreticis ad Catholicam vnitatẽ reuerſis agendum.

Si verò aliqui hæretici veteri hæreſi ſpontè dimiſſa, reuerſi fuerint ad Catholicam vnitatem, ſuum recognoſcentes errorem, non remaneant in loco in quo fuerant anteà conuerſati, ſi locus ille ſuſpectus de hæreſi habeatur; ſed collocentur in alio loco Catholico, qui nulla ſit hæreſis ſuſpicione notatus. Hæreticis autem, quandocumque ad fidem Catholicam fuerint conuerſi, credentibus, fautoribus, deffenſoribus, ſeu receptatoribus eorumdem, nulla de cætero prorſus officia publica ab aliquibus committantur, nec ad aliquos actus legitimos admittantur, niſi per Dominum Papam vel eius Legatum priùs fuerint in integrum reſtituti.

Cap. V. Hæreſes abiurent omnes.

Et fidem præſtent ſe indicaturos hæreticos, atque ipſorum fautores.

Vniuerſi tam mares quem fœminę, mares à decimo quarto anno ſupra, mulieres à duodecimo, abiurent omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus ſanctam Catholicam & Romanam Eccleſiam, & fidem orthodoxam, quibuſcumque nominibus cenſeantur: Iurent verò quòd fidem Catholicam, quam Romana Eccleſia tenet & prædicat, tenebunt pleniùs & ſeruabunt, & credentes, fautores, deffenſores, & receptatores hæreticorum, & ipſos hęreticos intimabunt, & manifeſtabunt Diœceſanis, vel Inquiſitoribus hæreticę prauitatis; ita vt Archiepiſcopi, & Epiſcopi quando ſuam parochiam viſitant, iuramentum recipiant ſupradictum, vel cui hoc duxerint committendum: qui fidei articulos, & articulos in ipſo iuramento contentos, eis qui iurare debent priùs explicent & exponant. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in qualibet parochia ſcribi faciant diligenter: & omnes coram ipſo Epiſcopo, Archiepiſcopo, ſeu coram illo cui duxerint hoc committendum, prædictum præſtent liberaliter iuramentum: & ſi aliquis abſens fuerit, & poſt reditum infra quindecim dies iuramentum non pręſtiterit memoratum, quòd ex inſpectione nominum poterit apparere ſuſpectus de hęreſi habeatur. Huiuſmodi autem iuramentum ſingulis bienniis renouetur.

Hæreſi in-

Porrò Toloſano Concilio (quo cauetur, quicumque fuerit

rit de hæreſis infamia vel ſuſpicione notatus, officio medici de cætero non vtatur) addentes, ſtatuimus, vt nullus medicus præſumat de cætero practicari in terris hæreſis ſuſpicione notatis, niſi priùs de fide ſua, præcipuè vita & moribus fuerit à loci Epiſcopo approbatus. Inhibemus etiam, ne Prælati, Barones, & Milites, ſeu quicumque domini terrarum hæreticis, credentibus, fautoribus, deffenſoribus, ac receptatoribus eorumdem, Baiulas, ſeu Adminiſtrationes terrarum ſuarum committant, ſed nec eos nec aliquos de hæreſi diffamatos, vel quos crediderint de hoc eſſe ſuſpectos, in ſua familia, in ſuo conſilio, aut conſortio habere, vel retinere præſumant. Illos autem debent pro diffamatis habere contra quos publica fama clamat, vel de quorum diffamatione apud bonos & graues coram loci Epiſcopo legitimè conſtiterit.

fectis interdicitur quorumlibet officiorũ exercitium.

Præcipimus quoque quòd Sacerdotes Parochiales per ſe, vel per alios, ſæpiùs ſtudeant exponere populo diebus Dominicis & feſtiuis articulos fidei ſimpliciter ac diſtinctè, ne velamen ignorantiæ deinceps prætendere quiſquam poſſit. Et ad hoc idem in ſua diœceſi frequentiùs & diligentiùs faciendum quilibet Epiſcopus ſit intentus: & cùm per ſe non potuerit, per alias honeſtas perſonas & diſcretas, planè ac explicitè fidem Catholicam, & ipſius articulos faciat prædicari. Quia comperimus quòd propter ignorantiam articulorum fidei plurimi errauerint. Pueri quoque à ſeptennio & ſupra, ad Eccleſiam à parentibus adducantur diebus Dominicis & feſtiuis, vt in fide Catholica inſtruantur, atque Credo in Deum, & Pater noſter, & ſalutationem Beatæ Virginis addiſcant.

Cap. VI. Articulos fidei populo exponãt Parochi, atque Epiſcopi.

Præcipimus autem quòd hæretici ac eorum credentes, fautores, deffenſores & receptatores eorum, ſingulis diebus Dominicis publicè excommunicentur in Eccleſiis, pulſatis campanis, & extinctis candelis: ac in omnibus Eccleſiis ſingulis diebus in crepuſculo omnes campanæ ſimul pulſentur in deteſtationem criminis memorati. Commoneantur etiam Comites, Barones, & Rectores, & Conſules, Iurati, Iudices & Bailliuij ciuitatum, & aliorum locorum, ac Poteſtates aliæ ſeculares quibuſcumque fungantur officiis, quòd promit-

Cap. VII. Diebus Dominicis excommunicentur hæretici.

tant corporaliter præſtito iuramento, quòd fideliter & efficaciter contra hæreticos, & eorum complices, adiuuabunt Eccleſiam bona fide iuxta officium & poſſe ſuum, & quòd de terris ſuæ iuriſdictioni ſubditis vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, credentes, fautores, receptatores, & deffenſores eorum, pro viribus exterminare curabunt: & hoc iuramentum de triennio in triennium renouetur. Baiuli verò, Conſules & Iudices, & Rectores, quoties de nouo fuerint inſtituti, præſtent huiuſmodi iuramentum, ad quod ſi neceſſe fuerit per Diœceſanum per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur omnes ſuperiùs memorati.

Cap. VIII. Inquiſitorum munia præſcribuntur.

Interim periculoſis caſibus occurrentes ſtatuimus, vt ſinguli Inquiſitores omnia ſcripta inquiſitionis tranſcribi faciant, & tranſlata de conſenſu Legati à Sede Apoſtolica, ſi in terra fuerit, per Diœceſanum imponantur, & ſeruentur in aliquo loco tuto. De ſcriptis autem quę ſupra, id fiet de cætero annis ſingulis ab omnibus Inquiſitoribus, idem fiat, vel ſaltem duplicentur, ſcriptis, vt dictum eſt, tuto loco ſeruandis. Et quoniam circa executionem ſententiarum ipſorum Inquiſitorum reperiuntur aliqui negligentes, adhærentes in his Concilio Valentino, Statuimus, quòd moneantur Comites, Barones, Conſules, Vicarij, Iudices, & Bailliuij ciuitatum, & aliorum locorum, ac Poteſtates alię ſeculares per Inquiſitores, vel loci Diœceſanum, vt ipſorum ſententias cum omni diligentia exequantur, & ſi parere non curauerint infra præfixum eis terminum competentem, ad id ab ipſo Diœceſano per cenſuram Eccleſiaſtam compellantur: & ſi nec ſe emendauerint, tam Diœceſanus, quàm Inquiſitores, contra eos Clero ad hoc congregato & populo, tanquam contra deffenſores & fautores hæreticorum ſententialiter procedere non poſtponant. Et ſententia poſtquàm lata fuerit contra eos, per ipſum qui eam tulit vicinis Epiſcopis publicetur; vt eam denuntient, & obſeruari faciant, & obſeruent. Ne autem Inquiſitionis negotium per quorumcumque Aduocatorum ſtrepitum retardetur, prouidendo ſtatuit dictum Concilium Valentinum, quòd obſeruari volumus, & mandamus, vt ab Inquiſitoribus, ſeu Prælatis, non admittantur aliqui in ipſius inquiſitionis negotio Aduo-

cati. Circa Aduocatos verò hæreticorum, conſtitutiones contra hæreticos promulgatas volumus & præcipimus obſeruari.

De muris autem ipſis & immurandis celeriter faciendis, ſtatuendo mandamus, vt illi faciant ipſos muros, qui bona occupant eorumdem, & fiant vbi Diœceſanus Epiſcopus nouerit inſtruendos. In quibus muris arcis, ſic ſint clauſi, quòd exire inde non valeant vllo modo: quibus immuratis & immurandis prouideatur in neceſſariis, ſecundùm diſpoſitionem Prælati, ab illis qui bona ipſorum tenuerint: ſi verò non habeant vlla bona, dominus & loci Communitas, vbi inuenti fuerint, prouidere eis in neceſſariis non poſtponant, & ad hoc ſi opus fuerit à Diœceſano per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur. Statuimus inſuper & mandamus, vt ſi per inquiſitionem reperiatur aliquos defunctos fuiſſe hæreticos tempore mortis ſuę, exhumentur, & eorum cadauera ſiue oſſa publicè comburantur, deffenſione legitimâ eorum hæredibus reſeruatâ. Pro his autem quibus cruces ſi viuerent, eſſent imponendæ, ipſorum hæredes Diœceſani, aut Inquiſitorum arbitrio ſatisfacere compellantur. **Arces conſtruantur.**

Volumus inſuper & mandamus, vt temporales domini ad occupandum & confiſcandum bona immuratorum, & illorum qui relinquentur curiæ ſeculari, exhumandorum quoque à Diœceſano & Inquiſitoribus per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur, cùm ex . . . . . . . . quibuſdam de bonis ipſis aliqua gratia facta fuit remanendi in ipſis nemoribus, aut non fugiendi eoſdem, eis præſtitum fuerit, vt accepimus. Denique cùm plures intrent ſolitarij ad hæreticos adhortandos, vt per teſtes nequeat hoc probari, Concilij approbatione ſtatuimus: vt ſi quis hæretica prauitate ſuſpectus, domum intrauerit, in qua hæreticum eſſe ſciat, abſque alia probatione adhortaſſe hæreticum vehementiſſimè præſumatur. Porrò qui citati legitimè ſuper crimine hæreſis, cùm eſſent de hæretica prauitate ſuſpecti, contumaciter ſe abſentant, nec volunt coram Diœceſano vel Inquiſitoribus eos citantibus comparere; & ſic latam in eos ab eiſdem Diœceſano vel Inquiſitoribus excommunicationis ſententiam per annum vel ampliùs vilipendunt, hæretici con- Qui citati parere diffugiunt, velut hęretici damnentur.

demnentur, etiam ſi nihil aliud probatum fuerit contra eos.

Cap. ix. Quando peccatorũ confeſſio facienda proprio Sacerdoti, atque Euchariſtia ſumenda.

Omnis autem vtriuſque ſexus poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit, confeſſionem peccatorum faciat proprio Sacerdoti: ſimiliter alij de voluntate illius iniunctam ſibi pro viribus pœnitentiam humiliter impleturi. Ter quoque in anno, in Natiuitate Domini, Paſcha, & Pentecoſte, ſuſcipiant Euchariſtiæ cum omni reuerentia Sacramentum. Itaque Confeſſio Communionem præcedat, niſi fortè ob aliquam cauſam rationabilem ad tempus ab eius receptione abſtinuerit de conſilio proprij Sacerdotis: nam ſi qui à communione niſi de conſilio proprij ſacerdotis abſtinuerint, ſuſpecti de hæreſi habeantur. Item ſtatuimus, vt parochiani dominus, & domina cuiuſlibet domus, diebus Dominicis teneantur ad Eccleſiam venire, audituri ibidem ex integro prædicationem & diuinum officium, nec receſſuri inde donec Miſſæ compleatur oratio. Quòd ſi alter eorum abſens fuerit extra villam, infirmitate vel alia cauſa rationabili præpeditus, vel alter ſaltem venire teneatur. Quòd ſi non fecerint, dummodò ſint in villa præſentes, aliqua infirmitate nec alia cauſa rationabili detenti, ſaltem duodecim ſolidos vſualis monetæ ſoluere quilibet teneatur, quorum medietas ſit domini villæ, & alia medietas Eccleſiæ applicetur.

Cap. x. Excõmunicatis quæ pœna infligenda.

Et quoniam contemnere claues Eccleſiæ multos videmus, tam contra hæreticam prauitatem ſacros Canones quàm alia Concilia innouantes, diſtrictiùs præcipimus, vt excommunicati vitentur ab omnibus, iuxta canonicas ſanctiones; firmiter ſtatuentes, vt nullus Comes, vel Baro, ſeu aliqua ſecularis poteſtas, multó minus nullus Clericus vel Prælatus, aliquem excommunicatum faciat ſuum Iudicem, Conſiliarium ſeu Balliuium, alioquin quicumque ſcienter contra hoc fecerit, minori excommunicatione ipſo facto eum eſſe decernimus irretitum. Adiicientes, quòd ſi aliquis Clericus, vel Prælatus, alicui excommunicato ſcienter in menſa participare præſumpſerit, per vnum menſem ſit ei Eccleſiæ ingreſſus interdictus. Laïcus verò ſimili modo excommunicato ſi participauerit, per vnum menſem ad diuina officia

nullatenus admittatur: à quo interdicto Clericus, vel laïcus, non niſi per Epiſcopum: Epiſcopus autem ſi ſimile commiſerit, non niſi per ſuperiorem ſuum abſolutionis beneficium valeat obtinere. Item circa Epiſcopos excommunicationum temerarios contemptores, quantum ad eos qui ſunt in Regno Franciæ, ſtatutum Narbonenſis Concilij; quantum verò ad illos qui ſunt extra Regnum Franciæ, Valentinum Concilium obſeruetur. De excommunicatis autem in Conſules, Poteſtates, Rectores, Aſſeſſores, Baiulos vel ad alia publica officia nullatenus aſſumendis; & illis qui tales ſcienter elegerint; nec non illis, qui contra excommunicatores, vel denuntiatores excommunicationum ſtatuta banna faciunt, ſeu præcepta, ac de excommunicatis publicè, qui ſe officiis Eccleſiaſticis ingerere pertinaciter non verentur, nec inde volunt recedere, à Sacerdote moniti vel Prælatis; & de interfectoribus Clericorum ſupradictum Concilium Valentinum ſeruari volumus & mandamus. Et quoniam excommunicationis, interdicti, necnon ſuſpenſionis, ſine ſententiæ maturitate debita ſunt ferendę; Conſtitutiones bonę memoriæ Domini Papæ Innocentij quarti, *Cum medicinal.* &c. *Quoniam periculoſum*, &c. *ſolet à nonnullis*, &c. in earum perlationibus obſeruentur. Diſtrictè nihilominus inhibemus, ne Epiſcopus vel Prælatus, vel alius ad quem ſententiarum ſpectat abſolutio prædictarum, cùm talibus ſententiis iam ſatisfecerint, vel parati ſunt ſatisfacere, iuxta Eccleſiæ arbitrium de offenſis pro ſolo actu abſoluendi, quodcumque extorquere præſumat.

Cap. xi. Quid obſeruandum in Teſtamentis condendis.

Prætereà inhærentes Toloſano Concilio, volumus & pręcipimus, vt teſtamentum, vel vltima voluntas cuiuſque, in præſentia ſemper Catholicorum virorum, & parochialis Sacerdotis, vel alterius perſonæ Eccleſiaſticæ, de voluntate ipſius parochialis Preſbyteri locum eius tenentis, condatur: præſertim vt idem Sacerdos, vel locum eius tenens, valeat de ipſo teſtatore laudabile teſtimonium perhibere, & ne de ipſo aliqua infidelitatis ſuſpicio habeatur, & maximè vt ea quę in pias cauſas reliquerit, ſine fraude fideliùs & citiùs perſoluantur. Quòd ſi teſtator vocare, vt diximus, Sacerdotem parochialem, & viros Eccleſiaſticos contempſerit,

careat Eccleſiaſtica ſepultura, donec de huiuſmodi mandati contemptu, qui eo tempore præſumitur, niſi eos vocauerit cum effectu, Eccleſię ſatisfactum fuerit competenter. Notarius verò, qui abſque ſolemnitate ſuperiùs expreſſa notare vel ſcribere præſumpſerit teſtamenta, vel vltimas voluntates, quovſque ad cognitionem Diœceſani ſatisfecerit, ingreſſum Eccleſiæ ſibi interdictum nouerit. Verùm quia parochiales Preſbyteri circa ſolutiones eorum quæ ad pias cauſas à decedentibus relinquuntur, negligentes exiſtunt, præcipuè ex quo in his quæ ad eos proueniunt, eiſdem fuerit ſatisfactum, ſtatuimus, vt omnia legata ad pias cauſas ab ipſis teſtatoribus derelicta, omnes parochiales Sacerdotes in ſcriptis penes ſe deinceps curent pleniùs retinere, vt ſciant quid, quantum, à quo & à quibus legatum fuerit ſeu relictum, circa quorum abſolutionem eos ſollicitos eſſe præcipimus & intentos; ſtatuentes, vt poſt obitum teſtatoris infra quindecim dies, hæres ab ipſo parochiali Preſbytero requiſitus, ipſius teſtamenti ſeu vltimæ voluntatis eidem Sacerdoti dare tranſcriptum ſeu tranſlatum, quoad legatum piis cauſis & piis vſibus deputatum, expenſis legatariorum teneatur: ad quod ab eodem Preſbytero per cenſuram Eccleſiaſticam valeat compelli ipſe hæres. Inſuper ſtatuentes, vt legantur in Eccleſia publicè, tum maximè die Dominica vel feſtiua, legitima & legata omnia ſupradicta, vt quid cui legatum fuerit vel relictum minimè ignoretur.

CAP. XII. Fœminæ intra Eccleſiæ ſepta non maneant.

Item præcipimus, vt nullus Sacerdos, vel Clericus regularis, aut ſecularis, aliquam fœminam teneat intra ſepta Eccleſiæ, de qua mala ſuſpicio valeat exoriri.

CAP. XIII. Calicibus argenteis vtendũ, & Eccleſiarum ruralium ædificia inſtauranda.

Calices quoque argenteos volumus haberi in omnibus Eccleſiis, quarum redditus & prouentus annuatim attingunt ſummam quindecim librarum Turonenſium, expenſis duntaxat quæ fuerint colligendo & reponendo deductis.

Statuimus etiam vt Epiſcopi & Archiepiſcopi, & alij Eccleſiarum Prælati, Rectores, vel alios qui ad hoc de conſuetudine tenentur, compellant per cenſuras Eccleſiaſticas ad reficiendum Eccleſias rurales, & alias domos, & alias officinas eiſdem Eccleſiis neceſſarias & ſeruitoribus earumdem, prout ipſis qui tenentur propriæ ſuppetierint facultates.

Item volumus & præcipimus, ne aliqui Clerici ſeculares in ſacris ordinibus conſtituti, & qui de beneficiis Eccleſiaſticis ſuſtentantur, coram ſeculari iudice, niſi in caſibus à iure conceſſis: nec etiam aliqui Regulares coram quocumque Iudice ſine ſui Maioris licentia ſpeciali, officium aduocati non aſſumant indebitè.

Cap. XIV. Clerici coram Iudicibus ſecula. lites non moueant: nec Regulares Aduocatum agant. Nulla officia ſecularia exerceant.

Statuimus quoque Valentinum Concilium innouando, vt nulli Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, ſeu Canonici cathedralium Eccleſiarum, ſeu aliàs Beneficiati, Iudicatum, Conſulatum, Aſſeſſoriam, vel alia officia publica in curia ſeculari, electi à populo, vel à ſeculari perſona recipiant; & ſi receperint, niſi infra menſem poſtquam publicata fuerint in ſuis Diœceſibus hæc ſtatuta non dimiſerint, ab officio & beneficio ſuſpendantur: & ſi per annum in contumacia perſtiterint, ſuis beneficiis per ſuos Epiſcopos ſine ſpe reſtitutionis priuentur.

Cap. XV. Auro vel argẽto Religioſorum equi non ornentur.

Ad hæc ſtatuimus, vt nullus Regularis in frænis, pectoralibus, aut calcaribus, & ſellis, ſuis vſibus deputatis, auro vel argento vtatur; ſed ſint ſellę Regularium albæ, vel nigrę, vel raſç. Denique ſtatutis canonicis quæ olim ſunt prodita pro honeſtate Clericorum ac vita, illud duximus adnectendum, vt aliquis Clericus botones vel firmallos aureos, vel argenteos, deauratos, vel deargentatos deferre in aliquibus veſtibus non præſumat.

Aleis & taxillis non ludant Clerici.

Statuimus inſuper, antiquos Canones innouando, ne Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, & qui beneficiis Eccleſiaſticis ſuſtentantur, ad aleas & taxillos non ludant: Coronam & tonſuram habeant congruentem: Quod ſic intelligi volumus, & ſeruari, vt omnes Prelati, & Regulares perſonę, ſupra aures in girum, ita quòd aures omnino pateant, ſint attonſi. Alij vero in rotundum ad minus vſque ad medium aurium tondeantur.

Forma coronæ eorũ præſcribitur.

Commatres quoque ſibi facere, pueros de ſacro fonte eleuando, aut aliquos in confirmatione tenendo, omnibus Clericis tum ſecularibus, quàm Regularibus inhibemus.

Venatio illis prohibetur.

Aues venatorias prætereà quiſquam Clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, vel alius qui de beneficio Eccleſiaſtico ſuſtentatur, in publico manu propria deferre non pręſumat:

& cum auibus & canibus non venetur, auem venatoriam manu propria deferendo, nec pro domneando cum eis frequentet hoſpitia mulierum.

Trepidare quoque, quod vulgariter biordare dicitur, cum ſcuto & lancea aliquis Clericus publicè non attentet; quia ex his multa diſſolutionis, laſciuiæ & ſcandali materia generatur, frænis autem, calcaribus, ſeu pectoralibus, deauratis nullo modo vtantur.

Cap. xvi. Nil proprium habeant Religioſi. Veſtibus laïcorum non vtantur, ſed colore & forma cuique inſtituto competentibus.

Item nulli Regulari pro veſtibus, ſeu pro pitantia, à ſuo Maiore pecuniæ ſumma detur: ad hoc enim datur ei materia proprium retinendi; ſed omnes in veſtiario induantur.

Prohibemus quoque diſtrictiùs, vt nulli Regulares cum balandranis, ſeu garmaſiis, vel aliis veſtibus laïcorum equitent vel incedant, ſed capas rotundas publicè deferant, vel ſuum habitum regularem. Et quia plurimi Regulares regularem deferre habitum erubeſcunt, Montis Peſſulani, & Auinionenſi Conciliis inhærentes, ſtatuimus, vt omnes Monachi nigri, & Canonici Regulares, veſtes deferant albas, vel nigras, vt cùm qui ex antiqua Eccleſię ſuę conſuetudine albas hactenus portauerint, huius Conſtitutionis prætextu nigras vel ècontra deferre propterea non præſumant; cùm in vnaquaque Eccleſia velimus vnum habitum ſecundùm ſtatum antiquum & laudabilem obſeruari: diſtrictè præcipientes, vt Regulares aliqui clara vel nigra, bruneta, vel panno alio ſumptuoſo, ſendato quoque aut ſerico non vtantur. Vt autem prædicta ſeruentur ab omnibus Clericis, tam Regularibus, quàm ſecularibus, ipſius Concilij approbatione inconcuſsè ſtatuimus, vt qui contra prædicta venerit, vel aliqua prædictorum, ſit ipſo facto ineligibilis ad beneficium Eccleſiaſticum, & multò magis ad Eccleſiaſticam dignitatem, ad quod, vel quam, poſt huiuſmodi exceſſum primò cùm eligi contigerit, vel vocari, niſi cum eo fuerit per ſedem Apoſtolicam diſpenſatum.

Tres Monachi in quolibet prioratu conſtituantur.

Statuimus etiam, vt ſi talis fuerit Prioratus Monachorum, in quo tres Monachi valent commorari, tres ad minus ponantur ibidem, & vnus ex eis Prior fiat, qui curam habeat animarum, vel aliorum. Si verò tot fratribus non ſufficiat Prioratus, cùm pauciores vix poſſint regulariter viuere,

viuere, duæ vel tres Eccleſiæ, iuxta arbitrium diœceſani, & Abbatis, ſeu Præpoſiti, vel Prioris, cui, vel quibus Eccleſiæ illæ ſubſunt, coniungantur in vnum; & illi Priori, qui inſtituetur in vna ipſarum, reſpondeant: qui Prior in illis Eccleſiis, in quibus tres non fuerint, miniſtret per Preſbyterum ſecularem. Adiicientes, vt ſi ille ad quem ſpectat Prioratuum ordinatio prædictorum, per annum negligens in his fuerit vel remiſſus, ipſorum Prioratuum ordinatio deuoluatur ad ſuperiorem proximum.

De Prioratibus verò Canonicorum Regularium, cùm Regulæ inſeruiant laxiori, ſi pluribus non ſufficiat prioratus, duo ſaltem Canonici in Prioratu ponantur: quòd ſi nec duobus facultates ſufficiant Prioratus, fiat ſicut de Prioratibus Monachorum. Hoc enim in iis præſertim agimus, vt Monachus, vel Canonicus Regularis abſque ſociis vel ſocio ſui Ordinis non moretur. Idem ſtatuitur pro Canonicis Regg.

Sanè cùm in collatione bonorum Eccleſiaſticorum haberi debet principaliter ante oculos ſolus Deus, diſtrictè præcipimus & mandamus, vt omnia Eccleſiaſtica bona perſonis idoneis, & ſtatuto à Canonibus tempore conferantur; nullo præcepto, vel promiſſo, remotis omni conditione & pacto, abſque omni diminutione, noua penſione in eiſdem ad opus conferentis vel alterius non iniecta, prout canonicæ ſtatuunt ſanctiones: circa quæ fraudem quamlibet euitari prorſus volumus, & diſtrictè mandamus. Firmiter inhibentes, ne redditus Eccleſiarum vacantium præſumat quiſquam præterquam ipſius Eccleſiæ quæ vacat vſibus applicare, aut eaſdem bonis ſuis aliquibus ſpoliare: ſi autem aliquis ſcienter contra fecerit, ipſorum beneficiorum aliter, quàm ſupra dictum eſt, collatorum in pœnam ipſius conferentis, & eius qui recipit, ſic collata, ad ſuperiorem ea vice tanquam vacantia per ſtatutum huiuſmodi deuoluantur. CAP XVII Beneficia quî conferenda.

Verùm quia in procurationibus exigendis, quæ ratione viſitationis debentur, quidam Prælati excedere aſſeruntur ſubditos inhumaniter aggrauantes, quos paterna tenentur gubernare prouidentia, ſtatuimus, ac diſtrictè præcipiendo mandamus, vt omnes Prælati cùm Eccleſias ſibi ſubditas vi- CAP. XVIII Cùm viſitant Eccleſias quid agere, quidve cauere debent Epiſcopi.

ſitabunt, priùs propoſito verbo Dei tam clero quàm populo, ac explicatis præſertim articulis fidei coram eis quærant de vita & conuerſatione miniſtrantium in eiſdem. Ornamenta tam altarium, quàm ſacerdotum, præcipuè corporalia, vaſa & calices, ſi ſint munda diligentiùs intuentes, cùm in pleriſque Eccleſiis interdum talia conſueuerint reperiri, quæ ſint horrori potiùs quàm honori. Intendant etiam ad emendationem congruam miniſtrorum per ſalubria monita, nunc leuia, nunc aſpera, iuxta datam ſibi à Domino prouidentiam & doctrinam. Notoria verò crimina, quæ examinatione non indigent, neque egent, cùm ſuper his notari poſſit meritò Ordinariorum negligentia, corrigant ſine mora. Statuentes, vt prædictas procurationes nullus recipiat niſi cùm per ſe vel per alium prouidum & honeſtum ipſas Eccleſias viſitauerit: nullam tamen pecuniam ipſe, vel alius pro eodem exigat vel recipiat vllo modo, niſi vna Eccleſia ſine alterius auxilio viſitatori commodè poſſit prouidere, attentiùs prouiſurus, vt aliquis de familia ſua occaſione alicuius officij, vel conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo, præter victualia moderata quicumque exigere, vel etiam recipere non attentent. Caueant inſuper & attendant, vt qualitercumque offerat, recipere non præſumant, vt non quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti quærere videantur.

Prohibemus & mandamus, vt cum prædictas Eccleſias viſitabunt non excedant euectionum numerum in Lateranenſi Concilio conſtitutum: Attendentes quòd de prędicto ibidem euectionum numero continetur, ſecundum tolerantiam eſſe dictum in illis locis, in quibus ampliores ſunt redditus Eccleſiaſticæ facultatis; in pauperioribus autem locis, tantam volumus & præcipimus teneri menſuram, vt exceſſu maiorum minores meritò non doleant ſe grauari: nec ſub tali indulgentia illi qui hactenus paucioribus equis vti ſolebant, indultam poteſtatem plurium ſibi credant.

Volumus inſuper & mandamus, vt in viſitationibus ſupradictis non quærant epulas ſuperfluoſas, ſed cum gratiarum

actione recipiant quod honeſtè ac competenter illis fuerit miniſtratum. Circa verò exactiones & tallias à ſubditis exigendas ſupradictum Lateranenſe Concilium ab omnibus volumus & præcipimus obſeruari: adiicientes, vt in vna eadémque Eccleſia niſi vna die abſque legitima cauſa & neceſſaria non morentur ad expenſas Capellani Eccleſiæ vel Rectoris. Quòd ſi fuerit contra præſumptum, contra faciens Dei maledictionem incurrat, à qua, niſi duplum reſtituat, liberetur.

Ad hæc, quia plus ſolito contemnitur religio iuramenti, contra periuros quoſlibet manifeſtè ſtatutum Auenionenſis Concilij vbique volumus obſeruari: adiicientes, vt occultè tranſgreſſores liciti iuramenti ab omnibus parochialibus Preſbyteris ad Epiſcopum tranſmittantur, qui iniungat eis de hoc pœnitentiam ſalutarem. *Periuris pœna infligenda.*

Licet autem ad extirpandum vitium vſurariorum pagina vtriuſque Teſtamenti conueniat, ſtatutum Auinionenſis Concilij ſuper his editum innouamus, Statuentes, vt ſeruetur ab omnibus, prout in ipſo pleniùs continetur. Adiicientes, vt Chriſtianos ad ſoluendum Iudæis, vel aliquibus aliis vſuras aliquos non compellat vllus Iudex Eccleſiaſticus vel etiam ſecularis. Statuimus inſuper, ſi ſit dubium an ſit aliquid de vſuris illis debitis, quę interdũ à Chriſtianis poſtulant ſibi ſolui, ijdem Iudæi veritatem priùs dicere iuramento ſuper legem Moſaïcam aſtringantur, rationibus aliis conuenientibus, quæ ad probandas vſuras inductæ fuerunt, non reiectis etiam hoc de mutuis cum ipſis Iudæis vſque modò contractis, obſeruandum. Statuimus & mandamus in his, aut quæ deinceps mutuauerint Iudæi Chriſtianis, Chriſtianorum ipſorum ſtetur ſimplici iuramento, an quicquam vſurarium ſit in eis; & in eo quod vſurarium eſſe dixerint, ſic iurati abſoluantur. *Cap. xix. De vſuris non cõtrahendis cum Iudæis.*

Et quoniam ex cappis rotundis, quas Iudæi portant communiter, honor vehementer confunditur Clericorum, qui cappis rotundis ex more vtuntur, præſentis approbatione Concilij duximus ſtatuendum, vt Iudæi aliqui deferri cappas rotundas de cætero non præſumant, ſed cappas por- *Iudęis cappas more Clericorũ deferre interdicitur.*

tent de cætero & deinceps manicatas, ita quòd manicæ longæ ſint adeò ſicut cappę nec in eiſdem manicis plicatura ſit aliqua atque ruga.

*Plura de Iudæis ſtatuuntur.*

Portent inſuper rotam amplam continuò & publicè ante pectus, cuius circulus ſit latitudinis vnius digiti, ac vnius palmi dimidij altitudo. Carnes quoque, quas ipſi priuatim faciunt in domibus ſuis, in macellis Chriſtianorum vendere non attentent. Et quia in contemptum noſtrum Iudæi aliquibus cibis noſtris & potibus non vtuntur, firmiter inhibemus, ne aliqui Chriſtiani audeant vti ſuis. Abuſum quarumdam partium abolentes diſtrictiùs præcipimus & mandamus, ne Chriſtiani contra Iudæos in teſtimonium in omnibus contractibus, & in omnibus curijs admittantur: ne autem Chriſtianos ſcandalizent, vel ſcandalizentur ab eiſdem, diebus Dominicis & feſtiuis operari publicè non præſumant.

Excommunicentur prætereà Chriſtiani, qui cauſa medicinæ, curę ſe commiſerint Iudæorum. Adijcientes, vt Iudæorum domini prædictorum per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur, vt Iudæos ſuos portare faciant continuè & publicè rotam & habitum ſupradictum. Ipſos quoque Iudæos per excommunicationem in Chriſtianos, qui in commercio vel aliis participationem habebunt aliquam cum eiſdem.

*Vectigalia non imponantur, nec admittantur.*

Noua autem pedagia quocumque nomine cenſeantur ſcienter quiſquam imponere, vel etiam recipere non attentet. Quòd ſi quis fecerit, excommunicationis ſententiam per ſedem Apoſtolicam in ijs ſingulis promulgatam incurrat. Quòd niſi monitus ab iis deſtiterit, per diœceſanum præcipimus ſolemniter publicari.

## *STATVTA SYNODI MONTISPESSVLANI Præſidente* IACOBO *Narbonenſi Archiepiſcopo, An.* M. CCLVIII.

LEGEM ſtatuit Dominus humani generis Creator, vt miniſterio vitæ rationabilis edocta, labe ruditatis abiecta, fieret diſcretionis luciditate præclara: tunc etenim ex lege reſultat iuſtitia, dum quiſque ſui debitum cuiuſcumque officij *, & cuſtodit quod ſancti Patres præceptis edocti iuſtitię; vt ſic dilucidentur obſcura, inordinata in melius conformentur, & tollantur iniurię, iúſque ſuum ſeruetur & largiatur cuilibet indefeſsè; diuerſa ſtatuta proinde ediderunt. Inde eſt quod Nos IACOBVS miſeratione diuina ſanctę Narbonenſis Eccleſię Archiepiſcopus, maiorum noſtrorum præſenti Concilio veſtigiis inhærentes, ipſorum edocti magiſterio, quædam pro moderamine, quædam verò pro tranſgreſſorum audacia refrænanda, de aſſenſu Venerabilium Fratrum noſtrorum præſenti Concilio comprobante, ad bonum ſtatum noſtrę Prouincię duximus ſtatuenda quæ inferiùs declarantur. Sanè quia prædeceſſores noſtri in prouincialibus Conciliis ad ampliandum cultum orthodoxæ fidei, tam ſuper Eccleſiarum libertatibus, quàm vita & honeſtate Clericorum, nec non & aliis diuerſis capitulis diuerſa pro qualitate temporum edidêre ſtatuta: Nos eadem per omnia approbantes, ad conſeruandam Eccleſiaſticæ libertatis iuſtitiam, & peruerſorum reprimendam audaciam, vt quantum poſſumus, viam maliciæ claudamus, & in quiete viuere cupientes, quietem aliis præparemus, prę́ſentis approbatione Concilij prouidè duximus ſtatuendum.

*ad.* * *reddit.*

CAP. VI. Contra Eccleſiaſticorum bonorum, iuriumque inuaſores.

Vt quicumque temerè bona Eccleſiaſtica inuaſerit ſeu occupauerit; aut res Eccleſiarum, vel Monaſteriorum rapuerit, perſoniſque Eccleſiaſticis iniurias intulerit, aut Eccleſias, ſeu loca religioſa: vel earumdem Eccleſiarum libertates & iura impediuerit vſurpando, ſciat ſe ipſo facto aucto-

ritate præſentis Concilij anathematis vinculo innodatum. Et quia peccata nocentium ſcire expedit & oportet, Statuimus vt ad requiſitionem illius Epiſcopi, contra quem, aut contra cuius ſubditos, ſeu Eccleſiaſticas perſonas, Eccleſias ſiue Monaſteria, aut loca religioſa, & in ſua diœceſi conſtituta hæc attentata fuerint, cæteri Epiſcopi reum huiuſmodi, ſiue reos tandiu excommunicatos denuntient, & per ſuas ciuitates & diœceſes faciant ſolemniter denuntiari, donec emendam proinde fecerint competentem: ipſo tamen Epiſcopo ad enuntiationem huiuſmodi priùs in ſua ciuitate ac diœceſi procedente.

Cap. II. Nulli Epiſcopus alterius diœceſis tonſurã, Ordinéſue ſacros conferat.

Quia verò nonnulli inſtantia opportuna, vel per obreptionem forſitan abſque ſui Ordinarij licentia per alios Epiſcopos tonſurantur, vt quod ſpecialiter prohibetur, fortiùs obſeruetur, ſtatuimus, vt nullus Epiſcopus de cætero prætextu ratihabitioni cuiuſlibet alterius diœceſani aliquem abſque licentia ſui Epiſcopi tonſurare audeat, nec ipſum multò fortiùs ad minores vel maiores Ordines promoueri. In tonſurando verò illos maximè qui cùm poſtulant tonſurari, ſunt in ætate viginti annorum, & ſupra conſtituti, cautelam habeat ordinator, vt talem aſcribat militię Clericali, qui ex deuotione non per fraudem adſcribi cupiat ordini Clericali; & qui non ſit omninò expers ſcientiæ clericalis.

Cap. III. A quibus prohibentur Clerici.

Demum obloquentium ora cum debita iuſtitia claudere cupientes, iuriſdictionem Eccleſiaſticam ſic volumus obſeruare illęſam, vt non ſimus aliis oneroſi, perpetuo ſtatuto duximus ordinandum, quòd clerici mercimoniam exercentes publicè, operatoriam ſcilicet, ſiue menſam hypothecam, vel ſimilia, pro vendendis mercibus tenentes, ſeu cum perſonis laïcis talia exercentibus, vel ſcholares, aut ſocij exiſtentes. Et qui tonſuram dimiſerint, aut in habitu non vixerint clericali, veſtes varias deferendo, vel alias clericos non decentes. Et qui mechanicas artes exerceant; aut qui operas ſuas aliis locauerint, vilia exercendo; quandiu ſe notabiles reddiderint, vel in fraudem aliqua commiſerint in pręmiſſis: necnon & modò quolibet bigami, & qui etiam ſui culpa propter homicidium, vel aliàs ſunt inhabiles ad reci-

Tonſuram, & veſtes Clericales deferant.

piendum ordinem clericalem, à taliis, ſeu quęſtis ab Eccleſia de cętero minimè defendantur: & qui honore clericali ſe indignos reddiderint, eius beneficio nullatenus foueantur. Priuilegia verò per Canonem, *Si quiſquis ſuadente*, conceſſo ordini Clericali per prædicta non intendimus in aliquo derogari.

Porrò animarum pericula vitare quantum poſſumus affectantes, ſtatuimus, vt ad mandatum executoris à Domino Papa ſuper negotiis aliquibus conſtituti, vel ab eodem Domino Papa iudicis delegati, aut ſubdelegatorum executorum, & Iudicis huiuſmodi, nullus paſſim aliquem excommunicet, vel etiam interdicat, ſeu excommunicatum vel interdictum denunciet, niſi qui priùs poteſtatis, & commiſſionis ſuæ executor, aut Iudex fuerit delegatus, Apoſtolicas litteras; & ſi ſubdelegatus fuerit eorumdem, ipſas litteras Apoſtolicas, nec non & ſuæ ſubdelegationis litteras oſtenderit, fidem faciens de mandato; cùm tali etiam de iure niſi priùs de mandato conſtiterit, minimè ſit credendum. Cap. IV. De Legatis à ſummo Pont. & ſubdelegatis.

Cæterùm Iudæorum inſatiabilem auaritiam quantùm cum iuſtitia poſſumus refrænantes, ſtatuimus, vt nullus de cætero Iudæum aliquem contra Chriſtianum ſuper exactionem debitorum audiat, nec ei audaciam aliquam præbeat, niſi priùs ſacra lege Moyſaica coram poſita Iudæus ipſe, qui iuſtitiam poſtulat ſibi exhiberi, per ſuum declarauerit iuramentum quid, & quantum de ipſo debito quod exigit vſura, vel ſors fuerit, vt ex tunc ſuper ſorte ſolummodò audiatur, vſurarum petitione penitus ſubmota; ſalua nihilominus defenſione qualibet Chriſtiano, ſi velit, & poſtulet ſe ad probandum admitti, quòd totum fuerit vſura quod Iudæus exigit, vel in maiori quàm declarauit quantitate. Cap. V. Iudæi à Chriſtianis debita non exigãt niſi præſtito iuramento

Verùm quia Quæſtores plurimi paſſim de locis aliis ad iſtam prouinciam ſe conuertunt, non abs re duximus ſtatuendum, quòd Epiſcoporum aliquis niſi priùs noſtras videat litteras ipſis conceſſas Quæſtoribus, ſuper negotio pro quo quæſtores huiuſmodi deſtinantur, eiſdem ſuas litteras non concedat. Cap. VI. De quæſtoribus, *vulgò, queſteurs.*

Pręcipientes firmiter & mandantes, vt omnes in noſtra

prouincia conſtituti ſtatuta ipſa cum deuotione recipiant, & obſeruent, ac eadem faciant à ſuis ſubditis inuiolabiliter obſeruari: ipſa nihilominus in proxima Synodo, & aliis ſynodis publicantes. Et ne prætextu ignorantiæ, quamquam non ſit conſtitutio ſingulorum auribus inculcanda, quiſquam ſe poſſit aut valeat ad excuſandas excuſationes in peccatis forſitan excuſare: Præcipimus & mandamus, vt conſtitutionem ſupradictam, prouida deliberatione præſentis Concilij editam, contra bonorum Eccleſiaſticorum temerarios inuaſores, omnes Epiſcopi diebus Dominicis & feſtiuis ab omnibus Capellanis, & Eccleſiarum Rectoribus in ſuis ciuitatibus, & diœceſibus faciant publicari.

Datum apud Montem Peſſulanum in prouinciali Concilio ibidem celebrato, octauo Idus Septembris, Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octauo.

De Clericis qui graue ſcelus perpetrarint, quid agendum.

Conſilium eſt, quòd Ordinarius det licentiam Seneſcallo Bellicadri, quòd ipſe per ſe, & alias quaſuis certas perſonas, ab eodem Seneſcallo nominatas, & ab Ordinario exceptatas, poſſit & valeat auctoritate Ordinarij Clericos capere pro raptu, homicidio, & incendio; fractionibus nocturnis domorum, depopulatione agrorum; in ipſo tamen flagrante crimine depreħenſos. Ita tamen quòd ad capiendum ſceleratum * . . . . . . illius loci in quo facinus ipſum perpetrabitur, Capellanum vel Rectorem, aut Officialem Ordinarij, aut Clericum aliquem, ſi alter eorum ibidem repertus fuerit, ſecum aduocet. Sin autem facinoroſum taliter depreħenſum ſine læſione ipſe capiat; captúmque ſine mora, & abſque læſione aliqua, ad curiam Ordinarij ducere non poſtponat. Huius autem licentiam per ſuas patentes litteras Ordinarius faciat, & vſque ad ſuum beneplacitum voluntatis: de ipſius verò conceſſionis licentia, vt appareat quòd Seneſcallus eiuſdem Ordinarij auctoritate procedat, idem Ordinarius patentes litteras ab eodem habeat Seneſcallo.

*f.* * Clericum.

PROCESSVS

## PROCESSVS HABITVS CONTRA PETRVM *Regem Arragonum, Anno Domini* M. CCLXXXII. *Indictione vndecima.*

MARTINVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum longa retro ſeries, ipſiúſque diffuſa narratio, cui vix tempora multa ſufficerent, tædio grandi nimirum audientes afficeret, ſi quondam FRIDERICI olim Romanorum Imperatoris, poſterorúmque ſuorum culpas horrendas, & exceſſus infandos, ab ipſis contra Deum, & contra Romanam Eccleſiam commiſſos; ac proceſſus perinde per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros ritè habitos contra ipſos, pœnáſque iuſtè illis indictas repetitio ſerioſa narraret. Ideóque ſumma rerum faſtigia prout imminentium caſuum neceſſitas exigit, abſque ſeductionis iniuria materia patitur, decreuimus proſequenda. Et quidem communem non credimus latere notitiam, qualiter fœlicis recordationis INNOCENTIVS Papa quartus prædeceſſor noſter, memoratum FRIDERICVM, qui ſe per eoſdem ſuos exceſſus & culpas innumeras indignum Imperio & Regnis, omníque honore ac dignitate reddiderat, in Concilio Lugdunenſi, eodem approbante Concilio, propter ſuas iniquitates à Deo ne regnaret vel imperaret, abiectum oſtendit, & denuntiauit omni honore ac dignitate priuatum à Domino, & nihilominus ſententiando priuauit, vt in eiuſdem prædeceſſoris ſententia contra ipſum Fridericum lata pleniùs continetur.

In Concilio Lugdu. Fridericus Imperio ſpoliatus.

Qualiter etiam poſt eiuſdem Friderici obitum licet Regnum Siciliæ ad diſpoſitionem Eccleſiæ Romanæ, cuius Iuris & proprietatis exiſtit, eſſet liberè deuolutum. Idémque prædeceſſor de illo ſe prouiſurum in eodem Concilio publicè prædixiſſet, quondam Conradus dicti Frederici natus, quanquam in eodem Regno ex ipſius ſui primogenitoris ſucceſſione nullum penitus ius haberet, tamen ſicut ex præmiſſis apparet, nec ille mortis ſuæ tempore habuiſſet, nec aliàs eidem Conrado ius competeret in eodem, ipſum Re-

gnum temeraria præſumptione occupauit, nec illius recentioris facti memoriam obliterauit obliuio, videlicet quòd ipſo Conrado ſubtracto de medio quidam MANFREDVS tunc Princeps Tarentinus, quem velut de copula damnata ſuſceptum, à dicti Regni ſucceſſione non ſolùm præmiſſa eiuſdem Friderici priuatio, ſed etiam macula illegitimæ natiuitatis arcebat, contra iuramentum fidelitatis, quod dicto prædeceſſori præſtiterat, temerè veniens ſub quondam Conradini nati dicti Conradi, ſuíque nepotis, ſimulata protectione tutoria ad quaſdam Ciuitates, Caſtra, & alia loca Regni eiuſdem manus occupatrices extendit. Propter quod & alios ſuos actus nefarios, & graues offenſas, piæ memoriæ prædeceſſor noſter ALEXANDER Papa quartus ipſum ex cauſis variis excommunicationis vinculo innodatum, Tarentino Principatu, honore Montis ſancti Angeli, omnibus Comitatibus, terris, feudis, dignitatibns, & aliis honoribus, ac bonis & iuribus, quæ in præfato Regno, & quæ alibi etiam ab Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis obtinebat; necnon & Vicaria in quadam ipſius Regni parte ſibi ab Apoſtolica ſede conceſſa; & etiam omnibus conceſſionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus, & priuilegiis, ſiue à prædictis Frederico patre, vel Conrado fratre ſuis, ſiue à ſede Apoſtolica in Regno ſibi factis eodem, vel alibi etiam ab Eccleſiis quibuſcunque, vel perſonis Eccleſiaſticis, tanquam rebellem & hoſtem Eccleſiæ Romanæ, ac violatorem fidelitatis ſibi præſtitę manifeſtum, ſuorúmque iurium inuaſorem, occupatorem, & detentorem ſacrilegum, & tanquam ſociatum nefando fœdere Sarracenis, eorúmque complicem, ductorem, & protectorem publicum, Apoſtolica authoritate priuauit.

*Manfredi geſta.*

Cúmque idem Manfredus nec iis aliiſue remediis contra malitiam eius adhibitis in ſua iniquitate remiſſior; ſed in committendo quotidie prioribus deteriora feruentior, poſtmodum fraudulenter præfati nepotis ſui morte conficta, idem Regnum proprio nomine occupans, & Regium in illo titulum & nomen vſurpans, ſe ortus ſui non erubeſcens primordia in illius Regem inungi, & coronari feciſſet, idem prædeceſſor noſter Alexander eius iniquitates & fraudes abo-

minans & deteſtans, caſſauit & irritauit, caſſum & irritum nuntiauit quidquid circa ipſum Manfredum per vnctionem, ſeu potiùs execrationem, & coronationem, quas excipere de facto præſumpſerat, quáſque nullas eſſe conſtabat, extitit tam temerariè, quàm doloſè præſumptum. Eiſdem verò Manfredo, & demum Conradino, qui ætatem præueniendo malitiâ à dictorum prædeceſſorum ſuorum iniquis ſemitis non declinans, ſed ad eadem Imperium & Regnum aſpirans, præfatam Eccleſiam & Cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Siciliæ Regem illuſtrem inſidiis multis impetiit, & multipliciter apertis conatibus infeſtauit, propter quod contra eum & fautores ſuos per recolendæ memoriæ Clementem Papam prædeceſſorem noſtrum varij habiti ſunt proceſſus, ſua ſorte ſuccisis nobis, & Regi, ac Regno prædictis, pacis & quietis ſerenitas arrideret, in ſubitas tempeſtates acta eſt æſtiua tranquillitas, bellum in media pace ſurrexit, facti ſunt hoſtes ex ſubditis, & qui eidem Regi Siciliæ ad fidelitatis debitum tenebantur, rebellionis ſpiritum infideliter aſſumentes, non ſolùm hoſtilia, ſed tyrannica patrauerunt. Sicut enim grauis clamat infamia, proceſſit adeò Panormitana ciuitas, & ciuium præſumptuoſa rebellio, quòd rebellandi audacia, & iurium interuerſione Regalium, ſuíque quantum in eis fuit abiectione dominij, non contenta, ferinæ immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas expoſuit, dum eorum exitialis iniquitas, non ſolùm quos ex deuotis Regis ipſius concepta potuit præoccupare nequitia, ſine ſexus ætatiſve delectu inhumaniter cecidit: verùm etiam partus quos adhuc viſcerum portionem clauſtra materna celabant, illis ſæuè deſectis, ſic præcipiti feſtinatione produxit in lucem, quòd eis nimirum procul dubio naturaliter lucis vſum antequam concederet natura, ſubtraxit, ipſis adeò præmatura & impiiſſima cæde cæſis, quod ortus eorum principia vitę præuenit occaſus. Quia verò, ſicut ex tunc multorum habebat aſſertio, & iam probat exitus euidenter, hæc in noſtram & eiuſdem Eccleſiæ turbationem & diſpendium tentabantur, & plurium ad hoc intentio laborabat & ſtudium, vt fornacis quaſi extinctæ recenter nos Eccleſia & Rex idem renouata eò grauiora

ſentiremus incendia, quò ſolent nocere grauiùs pericula recidiua.

Summus Pontif. excommunicationis ſentẽt profert in Mãfredi fautores, ac regni Siciliæ perturbatores.

Nos tantorum malorum cupientes obſtare principiis, ne ſero medicina ipſis iam procedentibus pararetur, in feſto Aſcenſionis Dominipræterito, nuper apud Vrbem veterem præſente multitudine copioſa fidelium, de Fratrum noſtrorum conſilio, vniuerſos & ſingulos cuiuſcunque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, attentè monuimus, eiſque diſtrictè præcepimus, ne in prædicto Regno, vel eius parte, nos & eamdem Eccleſiam aut præfatum Siciliæ Regem, qui Regnum Siciliȩ tenet ab ipſa, per ſe, vel per alium moleſtarent, impeterent, vel etiam perturbarent, occupando, inuadendo, ſeu occupari aut inuadi faciendo Regnum ipſum, vel aliquam partem eius. Præcepimus inſuper vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, & ſpecialiter Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Ciuitatibus, Communitatibus, & Vniuerſitatibus Caſtrorum, Villarum, & quorumcunque locorum Italiæ, maximè ipſius Romanȩ Eccleſiȩ temporali Iuriſdictioni ſubiectis, ne prædictis moleſtatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus, vel inuaſoribus, ſeu occupari vel inuadi facientibus dictum Regnum, vel aliquam partem ipſius in præmiſſis intenderent; & ne cum armis, vel ſine armis, ad turbandam in eodem Regno pacem, præfatorum Eccleſiæ ac Regis Siciliȩ, præſtarent illis conſilium, auxilium, vel fauorem publicè vel occultè; neue ſuper hoc ſocietatem, coniurationem, aut fœdus aliquod cum ipſis inirent. Si quis autem contra noſtram monitionem, & præcepta præmiſſa, per ſe, vel per alium quibuſcunque, dolo, fraude, vel machinatione facerent, cuiuſcunque forent præeminentiȩ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, excommunicationis ſententia, quam ex tunc in eos protulimus, ipſo facto ſe noſcerent innodatos. Ciuitates quoque, & Communitates quaſlibet, quȩ contra monitionem & præcepta eadem quocunque dolo, ingenio, arte, vel machinatione venire præſumerent, interdicti Eccleſiaſtici ſententiȩ, quam ex tunc in illos promulgauimus, voluimus ſubiacere. Ad hæc prædiximus Patriarchis, Epiſcopis, Archiepiſcopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradus Prælatis, quòd ſi contra

monitionem & præcepta præmiſſa, vel eorum aliqua, venire tentarent, nos eos omni Eccleſiaſticę dignitatis honore; cæteros autem Clericos non prælationis officium, ſed dignitates forſitan, vel Prioratus, ſeu alia beneficia obtinentes, & priuare curaremus obtentis, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout facti qualitas ſuaderet. Laïcis verò cuiuſcunque præeminentię, dignitatis, conditionis aut ſtatus, & præcipuè temporaliter ipſi Romanæ Eccleſię ſubiectis, expreſsè denuntiauimus, quòd ſi monitionem & præcepta huiuſmodi contra ea per ſe, vel per alium veniendo temerè non ſeruarent; Nos tantam temeritatem impunitam remanere nolentes ipſos feudis, & aliis omnibus, quæ à prædicta vel aliis tenerent Eccleſiis, priuare; Vaſallos eorum, ſi quos habent, à fidelitatis iuramēto quo tenerentur, eiſdem reddere penitus abſolutos, & perſonis eorum citra mortis periculum & mutilationis expoſitis, ad expoſitionem bonorum procedere illorum, prout culpæ ipſorum exigerent, & videretur expediens, curaremus.

Et licet Panormitanæ ciuitatis, & ciuium, nonnullorúmque Caſtrorum illarum partium, quæ contra eumdem Regem Siciliæ rebellarant, culpa grauis acerbiorem proceſſum exigeret: Nos tamen deſiderantes quòd ciuitatem, ciues, & loca prædicta, manſuetudo corriperet, & à tanti erroris inuio reuocaret, erga eos non rigorem, ſed manſuetudinem votis noſtris accommodam proſequentes, Vniuerſitatibus prædictorum ciuitatis, & Caſtrorum, aliorúmque locorum diſtrictè præcepimus, vt cuiuſlibet difficultatis & dilationis obiectu ſublato ad noſtra Eccleſiæ, ac Regis eorumdem mandata redirent: quódque prædictos moleſtatores, turbatores, occupatores, inuaſores, aut dantes eis in hoc auxilium, conſilium, vel fauorem in dictis ciuitate, Caſtris, villis, ſeu diſtrictibus eorumdem, nullo modo receptare, vel recipere attentarent, nec ipſorum aut alicuius eorum dominio, vel regimini, ſe quoquo modo ſubmitterent, neue ipſis, vel eorum alicui contra Eccleſiam vel Regem prædictos impenderent in prædictis auxilium, conſilium vel fauorem publicum vel occultum; & nihilominus confœderationes, ſeu obligationes quaſlibet, ſi quæ inter vniuerſi-

Panormitani rebelles.

tates eaſdem; vel inter ipſas, & quoſcumque alios initas, ſiue factas, ſuper occupatione, ac inuaſione prædictis; & iuramenta de illis ſeruandis, vel aliàs pro prædictis hinc inde præſtita relaxantes omninò. Vniuerſitatibus ipſis apertè prædiximus; quòd niſi præmiſſa celeriter adimplerent, contra Ciuitatem Caſtra, & villas eorum ſpiritualiter & temporaliter ſic procedere, authore Domino, curaremus, quòd pœna docente ſuę temeritatis & ſuperbiæ recognoſcerent qualitatem. Cæterùm licet dum iis & aliis modis, & viis, filiorum ſalutem paterna venabatur affectio, reliquorum, Ciuitatum, Caſtrorum, Villarum, cæterorúmque locorum, ciuium & incolarum Siciliæ in noſtram notitiam perlata rebellio, & præcipuè Meſſanenſium, qui eorumdem Panormitanorum imitati ſæuitiam, quàm plures ex miniſtris & deuotis Regis ipſius poſt ſecuritatem eis præſtitam crudeliter trucidaſſe dicuntur; Caſtrum Regium loci eiuſdem temerariis auſibus occupantes, cauſam multæ commotionis inducentes.

Itidem Meſſanenſes.

Nos tamen propterea non deſiſtentes à cæptis Venerabili fratri noſtro G. Epiſcopo Sabinenſi ad partes illas cum plenę Legationis officio, tanquam pacis Angelo deſtinato, bona in illis & pro illis partibus quæſiuimus, nec venerunt; pacem expectauimus, & turbinis grauioris tempeſtas apparuit, machinatis iamdudum, vt communis quaſi fert opinio, & ſubſecutorum conſideratio ſatis indicat euidenter dolis & inſidiis reuelatis: Si quidem PETRVS Rex Arragonum, quem carum filium nominari non patitur, exprimendus inferiùs ſtatus eius de procedendo aduerſus Affricam, quæſito colore, Inſulam Siciliæ, terram peculiarem ipſius Eccleſię, militum & peditum cateruâ ſtipatus, inuidens, occupans, & in illa eiuſdem Eccleſię pacem turbans, grauem contra eam ſeditionem excitans, grauitérque populum concitans, in eam temeritatis prorupit audaciam, quòd cum Ciuitatibus, aliiſque locis, Vniuerſitatibus, ciuibus, & Incolis eiuſdem Inſulæ, quibus ratione vxoris, filiæ ſcilicet memorati Manfredi, natorûmque ſuorum ſe teneri prætendit, confœderationibus, pactis, & conuentionibus, vt fertur, quin potiùs conſpirationibus, & ſceleſtis factionibus initis,

Petrus Rex Arag. regni Siciliæ vſurpator.

Regium in Regno prædicto nomen vſurpat, ſe Regem Siciliç nominat, & gerere pro Siciliæ Rege præſumit; In maioris præſumptionis augmentum præfato Regi Carolo in ſuis litteris Regni Siciliç titulum ſubtrahendo. Sicque non ſolùm dictos Panormitanos, quos aliàs pluries per Nuntios ad hoc ſollicitaſſe dicitur, in incœptæ contra dictum Regem CAROLVM ſeditionis & rebellionis contumacia confirmauit, eos per ſe ac gentem ſuam fouens, ipſiſque fauens in illa, & tam ipſos, quàm cæteros Inſulç memoratæ rebelles adeò contra eandem Eccleſiam eorum matrem & dominam concitauit, quòd nonnulli ex eis, & ſpecialiter Meſſanenſes, qui ante ipſius in Inſula memorata præſentiam dicti Legati Nuntios humiliter admittebant, dominium eiuſdem recognoſcentes Eccleſiç, noménque publicè inuocantes; eos poſteà contumaciter admittere denegarunt, baculo arundineo, eidem ſcilicet Regi Arragonenſi prætextu dictorum vxoris & filiorum ipſius, vt dicitur, innitentes. Quos tamen vxorem, filios, ſiue Regem per eos, ſeu ipſorum ratione in eadem Inſula, vel aliqua dicti Siciliç Regni parte, ius aliquod non habere præmiſſa declarant, & nos nihilominus decernimus & etiam declaramus. In quæ autem crimina falſæ regiæ dignitatis, imò & ſimplicis magiſtratus aſſumptio, ſeditio, violentiæque cum armis commiſſio incidant, quibus addicendi ſint pœnis talium patratores, non eſt opus exprimere; quia id nota & vetuſtiſſima decreta ſanxerunt. Nec leue his pondus adiicitur ſi eiuſdem Regis & Regni Arragonum conditio explicitè deſcribatur.

De Archiuo námque ipſius Eccleſiæ munimenta prodeunt, manifeſtè teſtantia qualiter quæ memoriæ INNOCENTIVS Papa tertius prædeceſſor noſter, quondam PETRVM Regem Arragonum, dicti Petri Arragonenſis Regis auum, Arelatenſi eius temporis Archiepiſcopo, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, necnon & quàm pluribus ſuis aſſociatum proceribus per mare ad Sedem Apoſtolicam accedentem, vt inibi ab eodem prædeceſſore Innocentio militare cingulum, & Regium accipere diadema, honorauit multipliciter honorificè, ac benignè recepit, & in Eccleſia

Idem Regnum Petro non competere, ſed Eccleſiæ Romanæ probatur.

ſancti Pancratij Martyris, trans Tiberim per bonæ memoriæ Petrum, Portuenſem Epiſcopum faciens in Regem inungi. Deinde propriis manibus coronauit, & Regalia inſignia vniuerſa, mantum videlicet & colobium, ſceptrum, & pomum, coronam, & mittram, quæ ad opus ipſius non ſolùm ſpecioſa, ſed etiam pretioſa parari fecerat, ex more in Regum coronationibus obſeruando largitus eidem, ab ipſo corporale iuramentum recepit. Per cuius religionem memoratus Rex inter cætera fidelitatem & obedientiam ipſi ſummo Pontifici eiúſque ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ, Regnúmque ſuum in ipſius obedientia fideliter conſeruare promiſit: ac demum idem Rex cum multo tripudio & applauſu coronatus, iuxta ipſum prædeceſſorem noſtrum Innocentium ad Baſilicam ſancti Petri Apoſtoli rediens ſuper illius Altare ſceptrum & diadema depoſuit, & militarem enſem de manu eiuſdem prædeceſſoris accepit; dictúmque ſuum Regnum anteà cenſuale à ſuis prædeceſſoribus eidem Eccleſiæ conſtitutum, cupiens principali poſt Deum, eiuſdem Beati Petri & Apoſtolicæ Sedis protectione muniri, prędeceſſori eidem Innocentio, & per eum ipſi Sacroſanctæ Apoſtolicæ Sedi obtulit, illúdque ſibi & eius ſucceſſoribus in perpetuum diuini amoris intuitu, & pro remedio animæ ſuæ, & progenitorum ſuorum, nouo adiecto cenſu conſtituit cenſuale, pollicendo adiiciens, & adiiciendo pollicens, quòd ipſe ac ſucceſſores ſui ſpecialiter eidem Sedi fideles & obnoxij teneantur. Hæc autem perpetua lege fore ſeruando decernens, vt huiuſmodi Regalis conceſſio firmitatem inuiolabilem obtineret ipſam in ſcriptis redactam de Procerum Curiæ ſuæ conſilio, præſente dicto Arelatenſe Archiepiſcopo, SANCIO patruo ſuo, HVGONE de Baucio, & ARNALDO de Faciano, ſuis Baronibus, ſigilli ſui munimine roboratam eidem Innocentio prædeceſſori conceſſit.

Numquid igitur præmiſſa collata pariter & ſolerti examinatione diſcuſſa, dictum Regem Arragoniæ nepotem fidelitatis, ad quam memoratus auus ſuus, cuius eſt in eodem Arragoniæ Regno hæres, ipſum ſicut & ſucceſſores ſuos

cæteros

cæteros tam publicè, tam ſolemniter obligarat, eidem Eccleſię debitorem, & violatorem publicum, reum grandis infidelitatis & damnabilis non accuſant? Profectò fidei debitæ violatio violantem proculdubio arguit infidelem; pręſertim cùm præmiſſa non leuiter aggrauet fraudulenta confictio, quâ idem Rex Arragoniæ nepos non abſque fraudis commento notabilis finxiſſe detegitur, & apud nos etiam per ſolemnes nuntios affirmaſſe, quòd cum ſumptuoſo & ſollicito apparatu ad Dei & Eccleſiæ ſeruitium, & exaltationem Catholicæ fidei, potentię ſuę brachium dirigebat. Quod tamen contra fidei eiuſdem vtilitatem, dictum Regem Carolum, Cruce ſignatum, in terræ ſanctæ ſubſidium, & publicè ad Dei eiuſdemque fidei obſequia proſequenda diſpoſitum, nulla diffidatione præmiſſa, quod multorum iudicio proditionis notam non effugit, hoſtiliter impetendo, necnon & contra ipſam matrem Eccleſiam, eius, vt prædicitur, terram inuadendo, & occupando direxit. Nec eum excuſat, ſed accuſat potiùs quòd ad partes Africæ, Inſulæ prædictæ vicinas, diebus aliquibus declinauit. Id enim ipſum adeò conſignaſſe probat, imò & conuincit euentus, vt opportunitate captata commodiùs iniquitatem quam conceperat, perpetraret; maximè cùm per ſuos nuntios miſſos exinde pluries dictos Panormitanos ſollicitaſſe, ipſis in præſumpta malitia conſilium, & auxilium attuliſſe dicatur. Nec ſit veriſimile quòd eamdem Africam, terram quippe diffuſo vaſtam ambitu, refertam incolis non prorſus imbellibus, crebris munitionibus, vt habet fama, non vacuam, opibus, & aliis opulentam, cuius inuaſionem vix multorum Regum Principúmue quorumcunque potentia coaceruata præſumeret, ipſe ad hoc procul dubio diuitiis impar & viribus, cum comitiua tam modica bellatorum ſolus aſſumeret inuadendum. Numquid & iterum hæc non patenter oſtendunt quòd ſæpefatus Rex Arragoniæ nepos, tanquam Inſulæ memoratæ dicti Regni Siciliæ partis non modicæ manifeſtus inuaſor & occupator, ac Panormitanorum rebellium, & ſeditionis, commotionis, ſeu concitationis paciſque turbationis contra præfatum Regem Carolum motæ notorius factor, & fautor, & aduerſus ipſam Eccleſiam actor

& factor, ſuique complices, comites, ſatellites, & miniſtri præmiſſam per nos in feſto prædicto latam in noſtris monitionibus, præceptis, & prohibitionibus non parentes, excommunicationis ſententiam incurrerunt, nec abſolutionis Vaſſallorum ſuorum à iuramento fidelitatis, ſi quo tenentur, eiſdem, priuationis feudorum, quæ ipſi à Romana, vel quibuſcunque aliis tenent Eccleſiis, & expoſitionis perſonarum citra mortem, & mutilationem, bonorúmque ſuorum comminatum in eodem feſto periculum euitarunt? Vniuerſos autem ſæpefatæ rebelles Inſulæ, ſcilicet Meſſanenſes, Agrigemnenſes, & cæteros ciuitatum, Caſtrorum, Villarum, aliorumque locorum eiuſdem Inſulæ ciues, habitatores, & incolas, cuiuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, qui dictis Panormitanis in pertinacia rebellionis aſſumptæ ſaltem ſe illis ſimili audacia ſociando, & eos proinde validiores & firmiores in illa reddendo; necnon ſocietatibus, confœderationibus, pactionibus pœnarum, & iuramenti adiectione firmatis, vt dicitur, vniendo fauerunt, & tam alios, quàm Panormitanos eoſdem, qui præfato Regi Arragonum nepoti contra prohibitiones & monita noſtra præmiſſa intendere in inuaſione ac occupatione prædictis, ipſum recipere ac receptare, ſe illius regimini ſubmittere, ſibíue contra Eccleſiam, vel Regem Carolum prædictos, fauorem, auxilium impendere præſumpſerunt, eidem ſententiæ ſubiectos, & periculo eſſe proculdubio liquet expoſitos. Ciuitates verò, Caſtra, Villas, & alia loca prædicta, necnon & Vniuerſitates ipſorum, Eccleſiaſtico ſuppoſitas interdicto.

Hæc ſunt igitur quæ per eumdem Regem Arragoniæ nepotem Deo & Eccleſiæ ſeruitia offerebantur. Hæc ſunt quę ipſius Eccleſiæ proſequi ſe iactabat obſequia. Hæc fidei Catholicæ incrementa, ſic exaltationem Religionis Chriſtianæ proſequitur, ſic procurat, ſic Dei, fidei, Eccleſiæ, & Religionis earumdem hoſtes proſequitur, ſic impugnat; talibus in ſe Regalem dignitatem intitulat, talibus titulis vitam ſuam, famam genuſque decorat? Licet itaque tantis exceſſibus, excedentiúmque demeritis proceſſus grauior deberetur, & ad executionem præmiſſarum comminationum

procedere non iniuſtè poſſemus, immò etiam ſicùt prædictorum conſideratio perhibet, deberemus, quia tamen neſcit à caris caritas etiam læſa recedere, inductu paternæ caritatis inducimur, vt cum ſimus licet inſufficientibus meritis illius Vicarij, qui non mortem peccatorum, ſed vt conuertantur & viuant, ſe velle fatetur; Regem Arragoniæ, & alios præfatos, denuntiationibus, monitionibus, mandatis, prohibitionibus & comminationibus, ad conuerſionem celerem, ne in peccatis, iniquitatibus, & ſententiarum laqueis quibus ſe, vt præmiſſa docent, apertiùs inuoluerunt, in morte obdormiant, excitemus. Ideóque præſente hac multitudine copioſa fidelium, de Fratrum noſtrorum conſilio denunciamus eoſdem Petrum Regem Arragoniç nepotem, ſuos comites, complices, ſatellites, & miniſtros, ac Inſulæ memoratę rebelles ex ſupradictis cauſis excommunicationis. Ciuitates, Caſtra, Villas, & alia loca præfata; necnon & Vniuerſitates ipſorum, interdicti præmiſſis ſententiis latis per nos ſubiacere de nouo, tam in Regem, & alios ſæpefatos, quàm Vniuerſitates, Caſtra, Villas, & loca prædicta ex cauſis eiſdem, & propter auctam eorum contumaciam in non parendo noſtris monitis & præceptis, & à nobis prohibita pertinaciter proſequendo diutiùs, ſimiles ſententias promulgantes. Ipſum autem Regem & cæteros vniuerſos & ſingulos, qui cum eo ſeu aliàs, in auxilium præſentis turbationis, ſeu rebellionis, dictam Inſulam intrauerunt, vel inibi exiſtentes eidem turbationi ſeu rebellioni quocunque modo fauerunt, attentè monemus, eiſque diſtrictè præcipimus, vt ab huiuſmodi ſuis exceſſibus & offenſis deſiſtentes, omninò Inſulam eandem penitus exeant, nunquam illuc, in noſtrum Eccleſiæ, vel Regis Caroli quo ad prçmiſſa qualecumque prçiudicium, redituri. Adiicientes, ne quis de nouo ad id eandem Inſulam intret, vel aliquam eiuſdem Regni partem publicè vel occultè imperat, turbet aliquatenus, vel moleſtet. Vniuerſis quoque ciuibus, incolis, habitatoribus, & vniuerſitatibus ciuitatum, & aliorum locorum ipſius Inſulç cum ſimilibus monitione ac diſtrictione iubemus, vt Regem Arragonum, & excommunicatos memoratos de ipſa Inſula

Interdicto ferit Petrũ Arag. ac fautores, &c.

prorſus expellant, nunquam eos vel alios ad præmiſſa, vel ſimilia inibi recepturi.

Petrũ iure omni in toto Siciliæ regno priuatum decernit Pontifex.

Diſtrictiùs inſuper inhibemus, ne idem Rex Arragoniæ ſe Regem Siciliæ nominet, ſigillum Regium ſub intitulatione Regni Siciliæ aſſumat, vel vtatur aſſumpto; neque priuilegia, immunitates, feuda, dominationes, bona, vel iura quęcumque in eo, aut aliqua eius parte concedat, vel tanquam Rex Siciliæ quidquam agat, neque dominium vel ſubiectionem aliquam in quaſcunque ſingulares perſonas, aut terras ipſarum, ſeu poteſtariam, vel quamlibet rectoriam, ſiue officium quocunque nomine cenſeantur, in ciuitate, vel quouis alio loco, maximè ipſius Regni Siciliæ, aut alicuius partis Italiæ in noſtrum Eccleſiæ ac Regis Caroli eorumdem quodcunque, vel qualecunque grauamen, vel per ſe, vel per alium recipiat, vel acceptet, aut cum eis, vel eorum aliquo in præfatorum Eccleſiæ ac Regis grauamen, vt prædicitur, ſocietatem, ſiue aliam confederationem contrahat, vel conſeruet qualitercunque contractam: neque ſingulares perſonæ præmiſſæ, vel aliæ vndecunque ciuitates, vel alia loca, eidem in Eccleſiæ ac Regis Caroli prædictorum perſecutione huiuſmodi perſiſtenti, vel alij pro eo, ſeu in fauorem ipſius præmiſſa concedant, vel aliquem præmiſſorum, aut alium pro eo, vel in fauorem ipſius, ad prædicta, vel eorum aliquod eligant, nominent, recipiant, vel aſſumant: nec ipſe Rex Arragoniæ, vel quiuis alius eaſdem ſingulares perſonas, ciuitates, & loca, vel vniuerſitates ipſorum ſpecialiter, aut cuiuſcunque partis Regni Siciliæ, vt ſe vel terras ſuas eiuſdem Regis Arragoniæ dominio, vel obedientiæ cuicunque ſupponant, aut eum, vel alium pro eo, ſeu in fauorem ipſius in poteſtatem, rectorem, vel ad aliud quodcunque officium, vt prædicitur, eligant, nominent, vel admittant, ſiue cum eo ſocietatem vel confœderationem aliquam contrahant, vel qualitercunque contractam obſeruent: aut quod ciues, incolæ, habitatores, ciuitates, vel alia loca prædicta, ſeu Vniuerſitates ipſorum, præſertim cuiuſcunque partis eiuſdem Regni Siciliæ à noſtra Eccleſiæ Regis Caroli prædictorum fidelitate, ſeu deuotione, quomodolibet

auertantur, vel auerſa etiam in huiuſmodi auerſione perſiſtant: per ſe Nuntium, vel litteras inducere, aut donis, promiſſionibus, ſeu alio modo quouis allicere, vel ſollicitare præſumant: néue ſingulares perſonæ, Ciuitates, Caſtra, Villæ, aut loca præfata ſe dicti Regis Arragonum huiuſmodi Eccleſiæ ac Regis Caroli perſecutioni quomodolibet inſiſtentis dominio, regimini, vel obedientiæ qualicunque ſubiiciant, ſiue in noſtrum Eccleſiæ, ſeu Regis Siciliæ præiudicium, vel grauamen, vt prædicitur: ipſum Regem Arragonum litteras, vel Nuntios ſuos, vaſa quæuis apta cuicunque nauigio, gentémue recipiant, vel receptent, vel ad ipſum vadant: eíue litteras mittant, aut ſibi, genti, vel nuntiis ſuis, aut aliis pro eis, maximè in aliqua parte ipſius Regni Siciliæ obediant, vel intendant: * fodrum miniſtrent, equos, arma, vel vaſa huiuſmodi ſub venditionis titulo, aut aliter quomodocumque concedant, ſeu ab ipſo Rege Arragonum, vel alio pro eo priuilegia, immunitates, feuda, vel largitiones quaſlibet in eodem Regno Siciliæ, quas conſtat, & nos nihilominus declaramus & decernimus non tenere, vel alibi occaſione inſtantis negotij eiuſdem Regni Siciliæ, aut ſtipendia vbicunque contra nos, Eccleſiam, vel Regem Carolum prædictos recipiant, vel pro receptis promiſſum audeant ſeruitium exhibere, aut alias præſtare conſilium, vel fauorem publicum, vel occultum, nec cum ipſo Rege Arragonum, vel alio pro ipſo, ſeu in fauorem ipſius ſocietatem, colligationem, vel quaſcunque conuentiones in noſtrum Eccleſię aut Regis Caroli eorumdem, qualecunque diſpendium contrahant, aut contractas etiamſi ub vinculo iuramenti, vel quarumlibet adiectione pœnarum, ſiue pactorum, audeant obſeruare.

*l.* * annonas militares, ſiue alimenta.

Singulariter autem MICHAELEM Paleologum, qui ſe Imperatorem nominat, quemque ſuper his, & præcipuè ſuper impenſo in prædictis memorato Regi Arragonum nepoti, contra nos, eoſdem Eccleſiam & Regem Carolum, conſilio, auxilio, vel fauore, necnon pactis, conuentionibus & confœderationibus initis cum eodem argumenta veriſimilia deferunt; vox prætereà publica & communis quaſi aſſertationis inceſſat: omnéſque ſibi de facto vel quomo-

Michaëlem Paleologum mulctat.

docunque ſubiectos attentè monemus, eiſque diſtrictè præcipimus, vt omnia, monitiones, præcepta, inhibitionéſque præmiſſa, quę ipſos Michaëlem & ſubditos contingunt, vel poſſunt quoquo modo contingere, vel in eis, ſeu quæ ad eos qualitercumque locum habere.

Excômunicatos declarat qui monitionibus hiſce nô obtemperarint.

Quæ omnia & ſingula volumus pro nominatis ſingulariter & expreſsè repetitis haberi, & velut taliter repetita robur efficaciámque ſortiri, diligenter obſeruent, eiſque ſtudeant in omnibus & per omnia humiliter obedire; alioquin tam ipſos Regem Arragonum nepotem, & Michaëlem Paleologum, quàm alios vniuerſos & ſingulos dictis noſtris monitionibus, præceptis, vel inhibitionibus non parentes, cuiuſcunque ſint præeminentię, dignitatis, conditionis, aut ſtatus Eccleſiaſtici, vel mundani, excommunicationis ſententiâ, quam in eos de ipſorum fratrum conſilio ex nunc ferimus perinde innodatos eſſe decernimus ipſo facto, ac ſi expreſsè fuiſſent in huiuſmodi proceſſus noſtri ſerie nominati. Ciuitates, verò, Caſtra, & alia loca quælibet, necnon Vniuerſitates, quæ ipſis monitionibus, præceptis, & inhibitionibus non parebunt, Eccleſiaſtico interdicto, quod ex nunc promulgamus, in illa eſſe volumus eodem modo ſubiecta: interdicta verò præmiſſa ſic arctè præcipimus obſeruari, vt in locis quę inciderunt in ea, vel in futurum inciderint, nulla Eccleſiaſtica Sacramenta, exceptis dumtaxat baptiſmate paruulorum, & pœnitentiis morientium, miniſtrentur. Nulla diuina celebrentur officia, niſi ſolùm Miſſarum ſolemnia, quę in Cathedralibus, ac aliis Collegiatis, & Parrochialibus Eccleſiis ad conficiendum Corpus Chriſti morientibus miniſtrandum ſubmiſſa voce, clauſis ianuis, interdictis & excommunicatis prorſus excluſis, ſemel tantùm in ſeptimana permittimus celebrari: non obſtantibus quibuſlibet priuilegiis, vel indulgentiis, Ciſtercienſibus, Prædicatoribus, Minoribus, vel aliis Religioſis, aut ſecularibus perſonis, dignitatibus, Ciuitatibus Caſtris, locis, vel Vniuerſitatibus quibuſcunque, ſub quauis forma vel expreſſione verborum ab eadem Sede conceſſis. Quę omnia quoad hoc omninò viribus vacuamus. Et nihilominus ſocietates, Colligationes, Conuentiones huiuſmodi, & quaſlibet alias

Ciuitatibus &c. vium interdicit Sacramêtorum, &c.

factas, & etiam faciendas in fauorem dicti Regis Arragonum, quæ ad inſtans negotium eiuſdem Regni Sicilię, aut in Eccleſię ſeu Regis Caroli prædictorum, qualecumque diſpendium vel grauamen, etiamſi fuerint iuramentorum pœnarum adiectione, vel quouis alio vinculo roboratę, de poteſtatis plenitudine diſſoluentes, & carere decernentes omni robore firmitatis; vniuerſos & ſingulos qui ſe ad eorum obſeruationem quomodocumque ſeu quantumcumque ſolemniter adſtrinxerunt, ad eas obſeruandas decernimus non teneri, nec pro eo quod ipſas de cætero non ſeruauerint, de reatu periurij, ac ratione pœnarum, vel conuentionum quarumlibet adiectarum, in illis poſſe in iudicio, vel extra iudicium impeti, ſeu aliquatenus moleſtari: quinimò eos ab illarum obſeruatione ſub pœna excommunicationis, quam ex nunc ferimus, & ipſos ſi ſecus fecerint, incurrere volumus ipſo facto, præcipimus penitus abſtinere.

Sanè omnibus tam perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus, quàm Ciuitatibus, locisque aliis, & Vniuerſitatibus ſupradictis, quæ huiuſmodi mandatis noſtris, præceptis, & inhibitionibus contumaciter non parebunt, apertè prædicimus, quòd non ſolùm ad exequendum comminationes pręmiſſas, ſed & alias grauiùs ſpiritualiter & temporaliter contra eos, & ſpecialiter contra Ciuitates quas contigerit in huiuſmodi contumacia deprehendi: ad priuandum eos Archiepiſcopali, vel Epiſcopali dignitate. Contra memoratos verò rebelles dictę Inſulę ad interdicendum ipſis cum quibuſlibet aliis, & aliis quibuſcumque cum eis omne commercium, quando & prout facti ſuaſerit qualitas, & expediens fore viderimus, procedemus.

Ad hæc præfatis Regi Arragonum, Michaëli Paleologo, & cæteris vniuerſis, qui contra præmiſſa noſtra monita, pręcepta, vel inhibitiones, prædictum Regnum Siciliæ in præfata Inſula, ſiue in reliquis eiuſdem Regni partibus inuadere, turbare, impetere, ſeu moleſtare quomodolibet præſumpſerint, publicè, vel occultè, hoc generali & publico denunciamus Edicto, quòd niſi dictus Rex Arragonum, & alij prædicti, in eiſdem Inſula & Regno Siciliæ, ac vicinis, ſeu totius Italiæ partibus commorantes, infra inſtans feſtum Pu-

rificationis Beatæ Virginis; alij verò magis remoti infra Calendas menſis Aprilis; dictus Paleologus infra Calendas menſis Maij proximè futuras: quod tempus eis ad hoc pro peremptorio termino aſſignamus, humiliter ad noſtra & Eccleſiæ mandata redierint, præcisè noſtris parituri beneplacitis, & tam nobis & Eccleſiæ, quàm memorato Regi Carolo, de contumacia & contemptu, damnis & iniuriis, omnique intereſſe ſatisfactionem plenariam competenti tempore, quod eis ad id præfiximus, impenſuri; ex nunc perſonas eorum, citra mortis & mutilationis periculum, & omnia bona mobilia exponimus à quibuſlibet fidelibus liberè occupanda, ipſóſque feudis, bonis, & iuribus quæ à Romana, vel à quibuſlibet tenent Eccleſiis, priuilegiis, indulgentiis, & gratiis quibuſlibet ipſis ab eadem Sede ſub quauis forma conceſſis, Apoſtolica authoritate priuamus. Vaſſallos eorum à iuramento fidelitatis, quo forſan tenentur eiſdem, penitus abſoluentes. Lapſo verò dicto termino, quandocunque nobis viſum fuerit ad priuandum eumdem Regem Arragonum, ipſius etiam abſentia nonobſtante, præfato Regno Arragonum, omnibuſque aliis terris ſuis, ſeu ad ipſa Regnum & terras ſimiliter exponenda, quo ad ipſum Regnum, & terras præfatas ſemper noſtro & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ iure ſaluo, & nihilominus contra eum pro qualitate criminum, quibus, vt præfatum eſt, eum obnoxium ſuperiora prætendunt, quantum noſtrum patietur officium, facti qualitas ſuggeret, & nobis expedire videbitur, authore Domino procedemus.

Omnibus bonis & ditionibus expoliantur.

Prædictas verò excommunicationis ſententias prohibemus abſque ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ, niſi forſan in mortis articulo, relaxari: quo caſu niſi abſolutionis beneficium obtinentes infra tres menſes poſtquàm reſtituti fuerint ſanitati, de loco interdicto, ſi forſan ibi fuerint, recedentes, Apoſtolico ſe conſpectui curauerint præſentare, ſatisfacturi de ſuis exceſſibus, pro quibus huiuſmodi ſententias incurrerunt, & ipſius Sedis beneplacitis parituri, eo ipſo in eaſdem ſententias relabantur. Ipſas quoque ſententias ſic firmiter & inuiolabiliter volumus obſeruari, quòd abſoluendi ab eiſdem vel relaxandi eaſdem, niſi forſan in mortis

articulo,

articulo, vt dictum eſt, tam omnibus noſtris Pœnitentiariis, quàm aliis quibuſlibet Confeſſoribus, ſiue generalibus, ſiue ſpecialibus, ſeu familiaribus quarumcunque, vel quantumcunque ſublimium perſonarum vbilibet conſiſtentium adimimus poteſtatem; etiamſi à nobis, vel aliquo prædeceſſorum noſtrorum, ſub quacunque verborum forma generalem vel ſpecialem, aut liberam abſoluendi aliquem, vel aliquos à ſententiis hominis, vel Canonis, ſeu aliàs eas quomodolibet relaxandi obtinuerint facultatem. Si quis autem ſine dictę ſanctæ Sedis ſpeciali mandato obtinendo deinceps contrarium fortè præſumpſerit, tam abſoluentem à prædictis ſententiis, ſeu relaxantem eaſdem, quàm huiuſmodi abſolutionem, vel relaxationem recipientem in quacunque dignitate, præeminentia, ſtatu, vel ordine fuerint conſtituti, ex hac cauſa excommunicationis vinculo innodamus: relaxationem etiam huiuſmodi ſententię Sedi prę-fatæ ſimiliter reſeruantes, mortis articulo duntaxat excepto, & tunc niſi ſanitate recepta infra tempus competens iuxta locorum diſtantiam ad eamdem Sedem venerint ſuum humiliter recogniturì reatum, & ipſius Sedis beneplacitis parituri, relabantur in eaſdem ſententias ipſo facto. Ab iis verò mulieres in hoc tantùm excipi volumus, vt ſi ſolùm ratione præſtiti fauoris in huiuſmodi ſententias forſan inciderint, poſſint per ſuos Diœceſanos iuxta formam Eccleſię abſolutionis beneficium obtinere.

Pœnitentiariis & aliis, abſoluendi ab interdicto poteſtas prohibetur.

Mulieres à Diœceſanis poſſunt abſolui.

Vt autem huiuſmodi noſter Proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas, ſiue membranas, proceſſum continentes eumdem, in præſentis Eccleſię ſancti Flauiani Martyris appendi vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus, faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro prę-conio, & patulo indicio publicabunt. Ita quòd dicti Petrus Rex Arragonum, & Paleologus, ac alij quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint excuſationem prętendere, quòd ad eos talis proceſſus non peruenerit, vel quòd ignorauerint eumdem, cùm non ſit veriſimile remanere quo ad ipſos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Montem Flaſconem ante prædictam Ec-

cleſiam ſancti Flauiani, in feſto dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum: Pontificatus noſtri anno ſecundo, ſub anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo, Indictione vndecima.

---

## *PROCESSVS DEPOSITIONIS HABITVS contra Petrum Regem quondam Arragonum.*

*Iterata in Petrum Arragoniæ Regem ſententia.*

MARTINVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum. De inſurgentis in Regno Siciliæ fremitu tempeſtatis, quam execranda Panormitanorum rebellionis audacia inchoauit, & reliquorum Siculorum malitia, Panormitanos imitata, proſequitur, ad Sedem Apoſtolicam infauſto rumore perlato: Nos præter proceſſum in hac Vrbe-Vetana ciuitate in feſto Aſcenſionis Domini tranſacto nouiſſimè habitum, ad compeſcendum tempeſtatem eamdem, quia procellarum illius ſpiritus non ceſſabat, ſed per inſidias Petri Regis Arragonum, quem ſtilo . . . . . . Rege ſolito non deſcribi, ſubſcriptóque . . . . . . meruerunt, inualeſcere paſſim videbatur, vt eiuſdem Regis, qui Regię dignitati non deferens, & generis ſui claritati non parcens, dictorum rebellium ſe ducem conſtituit & aurigam, nequitia reuelaretur apertiùs, & Eccleſię Romanę iuſtitia contra eum euidentiùs appareret, pridem in feſto dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum præterito, nuper in platea Eccleſiæ ſancti Flauiani Montisfalconis Balneoregenſis Diœceſis, præſente tunc multitudine numeroſa fidelium, duximus recenſendum; * qualiter fœlicis recordationis INNOCENTIVS Papa quartus, &c.

** Repetuntur quæ in priori Proceſſu, nempe ab his his verbis:* * Qualiter &c. p 649. *ad illa* * beneficium obtinere &c. p. 665. *ea idcirco prætermiſimus.*

Tantis itaque ac talibus, præmiſſis monitionibus, prohibitionibus, & pœnarũ cõminationibus memoratis Petro Regi Arragoniæ nepoti, rebellibus ſcilicet miniſtris, complicibus, ſatellitibus, & fautoribus eorumdem, tanquam apertis datis ſignificationibus vt à facie arcus fugerent, & ſe ab iis tanti recti iudicij mira duritia liberarent, non humiliatum, ſed ob-

duratum eſt in ſuis peruerſitatibus inſipiens cor eorum. Nec enim acquieuerunt monitionibus, nec prohibitionibus paruerunt, nec comminationum horruere ſæuitiam, nec ab eorum inſtantia expauerunt, ſed eis contemptis omnimodis ſuas nõ ſolùm comminatione aggrauante nequitias, verùm etiam multiplicationibus variis ampliarent, ad alias partes Regni Siciliæ extra ſæpe fatam Inſulam conſtitutas hoſtiliter impetendas ſuos, ſicut fertur, conatus nefarios extendentes. Ne igitur tam iuſtæ comminationes fiant iniuſtè ludibria, ſiue iuſtitia proſecutione debita fraudentur nouæ, ſicut grauis adeò horreſcit infamia, dignum putauimus, vt memoratum Petrum nepotem Regem Arragonum, tantam ipſius pertinaciam vltrix ſententia perſequatur, & ideò Regnum Arragonum, cæteráſque terras Regis ipſius, de Fratrum ipſorum conſilio exponentes vt ſequitur. Ipſum Petrum Regem Arragoniæ, eiſdem Regno & terris, regióque honore ſententialiter iuſtitia exigente priuamus, & priuantes exponimus eoſdem, Regnum, & terras occupanda Catholicis: de quibus prout Sedes Apoſtolica duxerit prouidendum, in dictis Regno & terris eiuſdem Eccleſiæ Romanæ, vt præmittitur, iure ſaluo, Vaſſallos ipſius quos pro vt præmiſſa declarant à iuramento fidelitatis, quo tenebantur, eidem iam abſoluimus, denuntiantes penitus abſolutos, & denuò ab eodem, & á quolibet fidelitatis vinculo, & homagio expreſſiùs abſoluentes, ac eumdem Petrum quondam Regem, Siculos complices, & fautores, omnéſque alios ſingulares, qui prędictas inhibitiones, monitiones, & comminationes damnabiliter contempſerunt, præmiſſis excommunicationis, Vniuerſitates verò, Ciuitates, & loca cætera denuntiauimus interdicti ſententiis ſubiacere, & ipſos & ipſa ex cauſis legitimis, & propter pertinaciam, auctámque ipſorum contumaciam ſimilibus ſententiis ſupponentes. Vniuerſis prætereà Chriſti fidelibus, cuiuſcunque conditionis, præeminentiæ, ſiue ſtatus, etiamſi dignitate Pontificali, ſiue regia forſitan decorentur, ſpecialiter Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque inferioris gradus Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, Religioſis cuiuſcunque Religionis aut Ordinis; & ſecularibus, ipſique Petro quondam Regi Arragoniæ, Comitibus, Vice-

Petrus Regno Arragonię, omnique ditione ſpoliatum declarat Sũmus Pontif.

comitibus, Baronibus, Vniuerſitatibus Ciuitatum, Caſtrorum, cæterorúmque locorum, ac vniuerſis incolis,& habitatoribus eorumdem Regni & terrarum, quibus dictum Petrum tunc Arragoniæ Regem priuauimus, diſtrictè inhibemus ne idem Petrus de dictis Regno & terris ſe de cætero aliquatenus intromittat: néue cæteri ſupradicti eidem Petro dudum Regi, vel alijs quibuſcunque contra dictas priuationem, expoſitionem, aut proſequentes eaſdem per quos dictum Regnum, & terras occupandas, Sedes eadem prouidebit, tentantibus ſe opponere, vel qualitercunque faueant ſiue præſtent in hoc conſilium, auxilium, ſeu fauorem publicum vel occultum, quacumque occaſione quæſita vel prætextu alicuius homagij, cuiuſcunque colligationis, confœderationis, ſocietatis, ſeu cuiuſuis conuentionis, aut contractæ hactenus ſiue in poſterum contrahendæ, etiamſi colligationes, confœderationes, ſocietates, conuentiones, & alia ſupradicta pœnarum adiectionis literarum, vel iuramenti, ſeu cuiuſlibet alterius ſint vinculo firmitatis innexa. Nos enim colligationes, confœderationes, ſocietates, conuentiones, cæteráque huiuſmodi præmiſſa, quæ ad hoc, de poteſtatis plenitudine diſſoluimus. Iuramenta ſine illis præſtita, pœnáſque propterea præmiſſas penitus relaxantes. Vniuerſos & ſingulos qui eas contraxerant ſe ad eorum obſeruantiam quantumcunque ſolemniter adſtringendo, ab ipſorum in præmiſſis obſeruatione penitus abſoluentes.

Specialiter autem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris perſonis Eccleſiaſticis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, incolis, & habitatoribus ſupradictis eorumdem Regni Arragonię & terrarum, prohibemus expreſsè, ne dictum Petrum olim Regem Arragoniæ pro Rege, vel pro domino recipiant, vel habeant, néue ſibi obediant, vel intendant, aut ipſi, vel alij pro eo de redditibus vel obuentionibus, ſiue iuribus Regalibus, ſeu ratione dominij debeant, reſpondeant, vel aliquam ſatisfactionem impendere ſub velamine quocunque præſumant. Alioquin memoratum Petrum quondam Regem, & omnes ſingulares perſonas cuiuſcunque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus Eccleſiaſtici, vel mundani, etiamſi dignitatis Regalis honore præfulgeant,

excommunicationis: Ciuitates verò, Caſtra, Villas, & loca cætera, necnon Vniuerſitates ipſarum, quę dictas inhibitiones, vel eorum aliquot præterire, propria temeritate præſumpſerint interdicti ſententiis, quas ex nunc ferimus, decernimus ſubiacere, nonobſtantibus quibuſlibet priuilegiis, vel Indulgentiis quibuſcunque, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Archiepiſcopis, ſeu quibuſlibet Prælatis aliis; Ciſtercienſibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hoſpitalariis, Templariis, ſeu Religioſis aliis, aut ſecularibus perſonis, etiam in dignitate qualibet conſtitutis; Ciuitatibus, Caſtris, Locis, Communitatibus, Collegiis, ſub quacũque verborum forma vel expreſſione, ab eadem Sede conceſſis, & quibuſlibet aliis Indulgentiis eiuſdem Sedis, per quas præſentis proceſſus effectus impediri valeat, vel differri. Quę quidem omnia priuilegia & Indulgentias, quoad hoc, omninò viribus vacuamus; & nihilominus contra huiuſmodi præſumptores, & ſpecialiter contra dictos Prælatos, Religioſos, Comites, Vicecomites, Barones, Incolas, habitatores, Ciuitates, Caſtra, Villas & alia loca, & Vniuerſitates ipſarum, ad priuandum eos, & ea quibuſlibet priuilegiis, & Indulgentiis, immunitatibus, ſiue gratiis ipſis ab eadem Sede conceſſis, necnon terris, feudis, & iuribus, quę á præfata Romana, vel aliis quibuſcunque tenent Eccleſiis ſeu perſonis Eccleſiaſticis, aut aliàs grauiùs ſpiritualiter & temporaliter quando, & ſicut facti ſuaſerit qualitas, & expedire viderimus, præuiâ diuinâ gratiâ procedemus.

Interdicto ſubiicit Papa Prælatos, ac Religioſos, (licet priuilegiis munitos) ſi Petro Arragon. & aliis excommunicatis faueant.

Vt autem huiuſmodi noſter Proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas, ſiue membranas, proceſſum continentes, eundem in maioris Vrbe-Vetanę Eccleſiæ appendi vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus, faciemus, quę proceſſum ipſum quaſi ſonoro pręconio, & patulo indicio publicabunt. Ita quòd idem PETRVS, vel alij quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſteà poſſint excuſationem prætendere, quòd ad eos talis proceſſus non peruenerit, vel quòd ignorauerint eumdem, cùm non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum, vel occultum, quòd tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud vrbem veterem in platea dictæ maioris Eccleſiæ, duodecimo Calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſecundo, anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo tertio, Indictione vndecima.

---

## *GESTA SYNODI AVRELIANENSIS, Anno circiter* M. XVII. *celebrata.*

Nefandæ hæreſes Stephani & Liſoij, ac gregariorum damnantur.

RVRSVM quoque duxi dignum memoriæ tradendum de præfato viro, ſcilicet AREFASTO, quomodò in Aureliana vrbe diuina ope, ſuíque ingenij ſalubri acumine hæreticam prauitatem latenter pullulantem, iamjámque per Galliarum prouincias nefandi erroris venena exitialia propinantem, non ſolùm deprehenderit, ſed etiam omninò compreſſerit. Erat enim de genere Comitum Normanorum, eloquio nitidus, conſilio prouidus, bonis moribus comptus, ac idcircò legationis officio tam apud Francorum Regem, quàm apud Proceres notiſſimus extitit. Hic in domo ſua quendam Clericum habuiſſe dicitur nomine HERBERTVM, qui lectionis gratia Aurelianam vrbem adire decreuerat. Verùm dum veritatis auctores quærere ſatageret, cœco itinere in totius hæreſis baratro dilabitur. Nam ea tempeſtate in eadem ciuitate duo Clerici STEPHANVS* & LISOIVS apud omnes ſapientia clari, ſanctitate ſeu religione magnifici, eleemoſynis largi, opinione habebantur vulgi. Eoſdem memoratus expetiit Clericus, & paruo temporis interſtitio, docilis diſcipulus cum diuini verbi dulcedine ab eis debriatur mortifero nequitiæ hauſtu, qui dementiâ errore diabolico irretitus, totius diuinitatis expers, ſapientiæ arcem conſcendiſſe ſe credidit. Qui patriam repedans, dominum ſuum, quem ſingulari affectu diligebat, ſubtilitate verborum in erroris viam ſenſim admouendo, ſecum attrahere cupiebat; teſtificans Aurelianum vrbem præ cæteris vrbibus coruſcare luce ſapientiæ, atque ſanctitatis lampade. In cuius verbis dominus eius intellectuali auditu ipſum animaduertit à via iuſtitiæ deuium; &

*Glabro* *Heribertus dicitur hiſt. lib. 3. c. 8.*

citò Comiti RICHARDO cauſam innotuit, atque rogauit, vt RODBERTO Regi literis peſtem in regno eius adhuc latitantem antequam propagaretur, patefaceret, & vt Rex eidem Areſaſto ad expellendam eam opportunum auxilium non denegaret. Itaque Rex inſperata re attonitus, mandauit vt idem vir cum Clerico ſuo ad Aurelianum vrbem citò greſſum dirigeret, pollicens omnimodis in hac re ſuum auxilium.

Cúmque iubente Rege iter ageret Carnotis deuenit, Fulbertum Venerabilem Antiſtitem ſuper hac re conſulturus qui fortè tunc aberat; nam Romam gratiâ orationis abierat. Tunc cauſa ſui itineris cuidam ſapienti Clerico EBRARDO nomine, Carnotenſis Eccleſiæ Sacriſcrinio innotuit: flagitans ſui conſilij opem, qualiter ſtare deberet in acie, & quibus armis ſe muniret contra multimodas artes diabolicæ fraudis. Qui ſapienti vſus conſilio eum prædocuit, vt quotidie primo mane Omnipotentis opem quæſiturus Eccleſiam deuotus adiret, orationi incumberet, atque ſacroſancta Communione corporis & ſanguinis Chriſti ſe muniret, deinde fidenter ad audiendum hæreticam prauitatem ſignaculo ſanctæ crucis protectus pergeret, nihil horum quæ ab eis audiret, contradiceret, ſed ſimulato diſcipuli vultu, omnia tacitus in domicilio pectoris conferret.

*Areſaſtus hæreſim exploraturus, Carnotū petit, vt Fulbertum Epiſc. conſuleret.*

*Quô ſe gerat optimū conſilium.*

Igitur Aurelianis deueniens, vti edoctus fuerat, quotidie ſacra communione, ac ſupplici oratione munitus, ad eorum doctrinam veniens, ad inſtar rudis diſcipuli vltimus intra domum erroneorum aſſidebat. Cúmque primùm diuinorum voluminum exemplis eum, & quibuſdam rerum ſimilitudinibus informarent, atque more perfecti diſcipuli ſubditâ aure intentum viderent, inter alias ſimilitudines ſylueſtris arboris ſimilitudinem ei proferunt. Tractandus es; inquiunt, à nobis vt arbor ſylueſtris, quæ tranſlata in viridario tandiu aquis perfunditur, donec humo radicetur, dehinc ſpinis & rebus ſuperfluis emundatur, vt poſtmodùm terræ tenus truncata ſarculo, meliori inſeratur ramuſculo, quæ poſtmodum fertilis fit mellifluo pomo. Itaque tu ſimili mo-

*Aurelianis diſcipulum ſe ſimulat.*

do tranſlatus de iniquo ſeculo in noſtro ſancto collegio aquis perfunderis ſapientiæ, donec informeris, & gladio verbi Dei vitiorum ſpinis carere valeas, ac inſulſa doctrina tui pectoris ab antro excluſa noſtram doctrinam à ſancto Spiritu traditam, mentis puritate poſſis excipere. At ille de omni verbo quod proferebant ſemper Deo gratias referebat: vnde rati ſunt eum conuerſum eſſe in eorum errorem, iamjamque ſuæ nequitiæ ſentinam verbis diuinorum librorum anteà coopertam ſecuri aperiunt, dicentes: *Chriſtum de Virgine* MARIA *non eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, nec verè in ſepulchro poſitum, nec à mortuis reſurrexiſſe:* addentes. *In baptiſmo nullam eſſe ſcelerum ablutionem: Neque ſacramentum Corporis & ſanguinis Chriſti in Conſecratione ſacerdotis. Sanctos Martyres atque Confeſſores implorare pro nihilo ducebant.*

Hæreſæon capita.

Qua in te ſit vera ſalus conſtituenda poſcit Arefaſtus ab hæreticis.

Cúmque hæc & alia execranda perditi & miſerrimi homines à fœtido pectore euomerent, Arefaſtus ſic ad eos dixiſſe fertur: Si in his quę enumeraſtis ſalus hominum, quæ ſperatur, nulla, vt dicitis, eſſe poteſt, à vobis obnixè rogo mihi aperire in quibus ſperari poterit, ne meus animus in dubio poſitus citò cadat in deſperationis ruinam. Proculdubio, frater, inquiunt, in carybdi falſæ opinionis hactenus *cum* indoctis iacuiſti, nunc verò erectus in culmine totius veritatis integræ mentis oculos ad lumen veræ fidei aperire cepiſti. Pandemus tibi ſalutis oſtium, quo ingreſſus per impoſitionem videlicet manuum noſtrarum, ab omni peccati labe mundaberis, atque ſancti Spiritus dono repleberis, qui ſcripturarum omnium profunditatem ac veram dignitatem abſque ſcrupulo te docebit. Deinde cœleſti cibo paſtus, interna ſatietate recreatus, videbis perſæpè nobiſcum viſiones Angelicas, quarum ſolatio fultus cum eis quouis locorum ſine mora vel difficultate cùm volueris ire poteris, nihilque tibi deerit, quia Deus omnium tibi comes nunquam deerit, in quo ſapientiæ theſauri, atque diuitiarum conſiſtunt. Intereà Rex & Conſtantia Regina, ſicut vir memoratus mandauerat, ad vrbem Aurelianam cum Epiſcoporum collegio venientes, die ſequenti illo ipſo ſuggerente omnis illa nequiſſima Congregatio ſimul per officiales Regios

Reſponſio.

Coram Rege, & Epiſcopis ſiſtuntur hæretici.

Regios de domo vbi erant congregati, abſtracti, & in Eccleſiam ſanctæ Crucis ante Regem, atque Epiſcoporum, ac Clericorum cœtum adducti.

Sed antequam ad conflictum veniamus, de cibo illo, qui cœleſtis ab illis dicebatur, quali arte conficiebatur, neſcientibus demonſtrare curabo. Congregabantur ſiquidem certis noctibus in domo denominata, ſinguli lucernas tenentes in manibus, ad inſtar letaniç dæmonum nomina declamabant, donec ſubitò dęmonem in ſimilitudine cuiuſlibet beſtiolæ inter eos viderent deſcendere. Qui ſtatim vt viſibilis illa videbatur viſio, omnibus extinctis luminaribus, quamprimùm quiſque poterat mulierem quæ ad manum ſibi veniebat ad abutendum arripiebat: ſine peccati reſpectu, & vtrum mater, aut ſoror, aut monacha haberetur, pro ſanctitate & Religione eius concubitus ab illis æſtimabatur: ex quo ſpurciſſimo concubitu infans generatus, octaua die in medio eorum copioſo igne accenſo probabatur per ignem more antiquorum paganorum, & ſic in igne cremabatur. Cuius cinis tanta veneratione colligebatur, atque cuſtodiebatur, vt Chriſtiana religioſitas Corpus Chriſti cuſtodiri ſolet ægris dandum de hoc ſæculo exituris ad Viaticum. Inerat enim tanta vis diabolicæ fraudis in ipſo cinere, vt quicunque de præfata hæreſi imbutus fuiſſet, & de eodem cinere quamuis ſumendo parum prælibauiſſet, vix vnquam poſteà de eadem hæreſi greſſum mentis ad viam veritatis dirigere valeret. De qua re parum dixiſſe ſufficiat, vt Chriſticolæ caueant ſe ab hoc nefario opere, non vt ſtudeant ſectando imitari. Verùm quia digreſſionem feciſſe videor, ad eadem modò quæ dimiſi vertatur oratio, ac ſuccincto curſu infidelium crudelitas tranſcurrendo peragatur, ne prolixior controuerſiæ ſermocinatio faſtidium generet delicato lectori.

*Nefanda eorum crimina.*

Igitur, vt dictum eſt, illis introductis ante Regem, & Epiſcoporum conuentum; prior AREFASTVS Regem allocutus eſt, dicens: Domine mi Rex, Miles ſum Richardi tui fideliſſimi Comitis Normaniæ, & immeritus teneor vinctus, & catenatus ante te. Cui Rex ita reſpondit: Cauſam tui aduentus citò nobis indica, vt eâ cognitâ aut reus in vinculis

*Hæreſim detexit Areſaſtus.*

tenearis, aut innoxius à vinculis dimittaris. Ad hæc ille reſpondit: Auditâ ſapientiâ & Religione horum qui vincti adſtant mecum ante te, ad hanc vrbem venire volui, vt inde exemplo bonorum operum, atque doctrina eorum melioratus redirem. Hæc quidem cauſa eſt, pro quo de patria mea exire volui, & hanc vrbem petij. Quòd ſi reatu aliquo pro hoc opere teneor, Præſules tibi aſſiſtentes videant, & iudicent. Tunc Præſules dixerunt: Si ſapientiæ ac Religionis modum quem ab his didiciſti nobis proferas, noſtro iudicio facile dignoſcetur. At ille ait: Regia maieſtas, & veſtra authoritas, eis iubeat, vt quę me docuerunt ea ipſi coram vobis dicant, quatenus audita à vobis aut digna laude habeantur, aut obliuioni tradantur. Quibus Rex atque Antiſtites cùm iuberent vt ſuæ fidei normam referendo patefacerent, totius veritatis inimici alia pro aliis dicentes, intra ſuę hæreſis fœditatem nulla adita introire volebant, ſed vt ſerpens quantò plus in manibus ſtringitur, tantò ampliùs elabitur; ita & iſti quò ampliùs concludebantur, veritatis ſermonem tantò magis labiliores videbantur effugiſſe. Tunc Arefastvs videns quòd redimerent tempus, & ſermonum clypeo feſtinarent obnubilare ſuæ fidei errorem, ad eos eſt conuerſus dicens: Veritatis magiſtros non erroris habere putaui, dum conſtanter illam mihi doctrinam, quam ſalutiferam euangelizabatis, viderem vos docere, atque pollicebamini pro pœnis inferendis, & etiam pro morte toleranda nunquam eam eſſe à vobis denegandam; nunc verò oblita fide quam promiſiſtis, vt videor timore mortis ab illa doctrina longè vultis fieri, méque adhuc rudem diſcipulum in periculo mortis dimittere paruipenditis. Vnde regiæ iuſſioni parendum eſt, & obedire tantorum Præſulum auctoritati oportet, vt in his quæ à vobis didici, ſi qua ſunt Religioni Chriſtianæ contraria, iſtorum iudicio cognita, quę ſequenda ſunt, & quæ reſpuenda agnoſcam. Docuiſtis equidem me nullam in Baptiſmo promereri veniam peccatorum; neque Chriſtum de Virgine eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, neque verè ſepultum, neque à mortuis reſurrexiſſe; neque panem & vinum, quod ſuper altare manibus Sacerdotum ſancti Spiritus operatione effici videtur ſacra-

*Quid ab hæreticis didicerit aperit.*

mentum, conuerti poſſe in Corpore & ſanguine Chriſti.

Cúmque hæc Arefaſtus vna voce peroraſſet, GVARINVS Beluacenſis Præſul interrogauit STEPHANVM & LISOIVM, qui huius erroris videbantur eſſe magiſtri, ſi ita ſentirent & crederent quæ ab Arefaſto erant memorata. At illi cum diabolo in inferno iam manſionem paratam habentes, vera eſſe memorata, & ita ſe ſentire ac credere conſtanter aſſerunt. Quibus cùm Præſul diceret, voluiſſe Chriſtum naſci de Virgine, quia potuit, & pro noſtra ſalute pati in humanitate, vt tertia die deuicta morte reſurgeret in ſua deitate, nóſque doceret eſſe reſurrecturos in reformatione: vipe-rino ore reſponderunt, dicentes: nos neque interfuimus, neque hæc vera eſſe credere poſſumus. Ad hæc Præſul eos, inquit, interrogans: Carnales parentes habuiſſe creditis, an non? Cúmque ſe credere aſſererent, Præſul reſpondit: Si ex parentibus vos eſſe procreatos creditis, cùm non eratis, ante ſæcula Deum de Deo genitum ſine matre, in fine temporis ſancti Spiritus obumbratione de Virgine natum, cur credere reſpuitis? At illi dixerunt: Quod natura denegat, ſemper à creatione diſcrepat. Quibus Præſul reſpondit, dicens: Antequam quidquam fieret per naturam, non creditis per filium Deum Patrem feciſſe omnia ex nihilo? Cui alienati à fide dixerunt: Iſta illis narrare potes, qui terrena ſapiunt, atque credunt figmenta carnalium hominum ſcripta in membranis animalium; nobis autem qui legem ſcriptam habemus in interiori homine à Spiritu Sancto, & nihil aliud ſapimus, niſi quod à Deo omnium Conditore didicimus, incaſſum ſuperflua & à diuinitate deuia profers; idcircò verbis finem impone, & de nobis quidquid velis facito: Iam regem noſtrum in Cœleſtibus regnantem videmus, qui ad immortales triumphos dexterâ ſuâ nos ſubleuat, dans ſuperna gaudia.

Guarinus Epiſc. Bellouac. hæreſiarchas interrogat, confutatque.

Cúmque ab hora diei prima vſque ad horam nonam multifariam elaborarent omnes, vt illos à ſuo errore reuocarent, & ipſi ferro duriores minimè reſipiſcerent, iuſſi ſunt ſinguli ſacris veſtibus indui in ſuo ordine, ſtatímque ab Antiſtitibus à proprio honore ſunt depoſiti; & Rege iubente Conſtantia Regina ante valuas Baſilicæ ſtetit, ne populus

Iudicium in eos proferunt Prælati.

eos intra Eccleſiam interficeret: & ſic de gremio ſanctæ Eccleſiæ eiecti ſunt. Qui cùm eijcerentur, Regina Stephani ſui olim Confeſſoris cum baculo, quem manu geſtabat, oculum eruit. Deinde extra ciuitatis educti muros, in quodam tuguriolo copioſo igne accenſo, præter vnum Clericum, atque vnam Monacham, cum neſario puluere, de quo ſupra diximus, cremati ſunt. Clericus enim & Monacha diuino nutu reſipuerunt.

# VITA
## SIVE MARTYRIVM SANCTÆ ROMANÆ Virginis & Martyris.

### *Item Fundatio, & Dedicatio Eccleſiæ & Cænobij ſanctiſſimi* QVINTINI *Martyris ad Bellouaci muros.*

## CAPVT PRIMVM.

DEVS Bonus, Iuſtus, Omnipotens, qui miſericordiam ſuam humano generi numquam negauit, omnéſque in commune mortales ad cognitionem ſui abundantiſſimis ſemper beneficiis erudiuit, voluntariam errantium cæcitatem, & procliuem in deteriora nequitiam ſecretiore conſilio, & altiori pietate miſertus eſt, mittendo Verbum ſuum, coæquale ſibi atque coæternum: quod caro factum, diuinam naturam naturæ contemperauit humanæ; vt illius ad infima inclinatio, noſtra fieret ad ſumma prouectio. Vt autem huius inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, cùm duodecim Apoſtoli per Spiritum ſanctum omnium edocti ſermocinatione linguarum imbuendum Euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, Beatiſſimus Petrus Apoſtolici ordinis Princeps, & Coapoſtolus eius Paulus, Vas electionis, ad arcem Romani deſtinantur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium Gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus diffunderet. Hæc autem duo præclara diuini ſeminis germina in quantas ſegetes populorum pullulauerint, atteſtatur ad paſſionis tolerantiam eorum exemplo roborata ibidem occiſorum innumerabilium copia Martyrum.

Romana igitur ab eis plantata Eccleſia, & à ſucceſſori-

bus eorum irrigata, Domino præſtante incrementa, ad exſtirpandas antiqui hoſtis verſutias, per diuerſas mundi partes direxit de fidei ſuæ fonte potatos diuini prælij bellatores, Huius intentionis deuotione egreſſi ſunt ex eadem vrbe duodecim Chriſti milites nobiliſſimi, & egregij prædicatores, qui Galliarum ſe ingerere non dubitarent atrocitati, idololatriæ eradicaturi falſitatem, & fidei ſeminaturi veritatem. Inter quos velut lucernæ ſuper candelabra poſitæ, effulſerunt Chriſti Martyres QVINTINVS, atque LVCIANVS: quorum alter Ambianenſem, alter verò Beluacenſem, quoadvſque inſigni martyrio coronarentur, adorſi ſunt expugnare incredulitatem.

SS. Quintinus & Lucianus.

## CAPVT II.

ERant eodem tempore Romæ in ſanctæ conuerſationis habitu duodecim virgines generoſæ, inuicem ſibi vna religioſæ fidei familiaritate coniunctæ: in quarum mentibus virtus ſacræ opinionis procreauerat honorabile culmen gratiſſimæ honeſtatis. Eruditæ enim erant multimodis virtutum generibus, & ſanctarum documentis Scripturarum formabantur omni opere pietatis, proficientes ſanctæ deuotionis gratia, diuina eis propitiante clementia. Audientes itaque quorumdam relatione multimoda ſupradictorum Martyrum certamina, ſimili deſiderio accenſæ, concordante voto, neglectáque patriæ & parentum dulcedine, fines Gallorum, Domino ducente, feruntur adueniſſe. Præcordialiter enim ſcientes, quoniam quicunque plus laborat in Dei ſeruitio, maioris præmij remuneratione condignus habebitur in futuro, elegerunt temporales ſuſtinere anguſtias, quibus retributiones nanciſcerentur æternas. Nulla doloſitas, nullus rancor inuidioſæ fraudis obuiauerat in itinere Sanctis, quoniam vnitæ erant auxilio déxteræ cœleſtis. Gratia autem diuini Spiritus admonente, ab inuicem ſeparari iuſſæ ſunt; quò vnaquæque earum ſuo ingenio fructum multipliciter acquireret Deo.

SS. Benedicta, Leoberia, & Romana.

Beata igitur nomine & merito BENEDICTA cum quadam collactanea ſua LEOBERIA Laudunum venit. Et Ro-

mana Beluacum adiens, cœpit toto cordis affectu Domino famulari. Sociata enim quibuſdam Chriſtianis, quos Dominico ouili adiecerat prædicatio ſancti Luciani, inſtabat ieiuniis, & orationibus crebris, & deſpiciebat omnia pro amore patriæ cæleſtis. Erat enim miræ patientiæ, ſanctæ humilitatis, & cæleſtium gratiarum exornata donis; mente tranquilla, ſermone nitida, & opere ſancta. Sic antecedebat nobilitatem corporis nobilitas mentis.

## CAPVT III.

CVM autem Princeps * terreni Imperij à principe ſuo diabolo inſtigatus ad delendam Chriſtianæ fidei religionem, & exaltandam idololatriæ ſuperſtitionem, per lata terrarum ſpatia iniquitatis decreta diuulgaſſet, ſeruos Dei & ancillas, vbicunque inuenti fuiſſent, aut idolis immolare, aut per diuerſa tormentorum genera mortis periculo ſubiacere adigebat. Vrbs in monte conſtituta, Beata videlicet Romana, ſupra fundamentum, quod eſt Chriſtus, poſita, occultari non potuit. Accepto enim in vaſe oleo, accenſam vigilans lampadem, quæ minimè extingui poſſet, habuit, quæ ab amoris Chriſti flagrantia neque minis ſuppliciorum, neque deceptionibus blandimentorum aliquatenus tepefieri potuit. Reſiſtens igitur fortiter perſecutoribus, accepta capitali ſententia, maluit pro Chriſto mori, quàm diabolicæ ſeruitutis ſpurcitia inquinari. Tranſuerberata eſt itaque gladio piiſſima virgo. Cuius anima ſtola innocentiæ & virginitatis ornata, ſummi Regis conſpectibus eſt præſentata, Agnum quocunque ierit cum his qui ſine macula ſunt ante thronum Dei ſecutura.

* Is fortè eſt Diocletianus.

Romana gladio transverberata, martyrio coronatur.

Corpus autem eius à viris Chriſtianis interim ſepelitur: quod tamen exareſcente idololatriæ inſania, & floreſcente Chriſtianæ Religionis doctrina, tranſlatum eſt in ſancti Petri ſacrario, & honorificè vallatum ſepultura. Sed quoniam priſcis affuere * temporibus artati perſecutionis inſtantia, ordinem paſſionis eius non ſcripſerunt; & poſteri de ea, quę non perſpexerunt, ne adinuentores innotarum rerum æſtimarentur, aſſerere dubitauerunt; decreuerunt maiores

* nonnihil hîc deſiderari, aut fortè (affuere) redũdare videtur.

noſtri diem martyrij eius ſe non ſolemniter celebrare, nec tamen memoriam eius paſſi ſunt omninò inſoleſcere, ſcientes quòd martyrio coronata, Chriſti cohæres regnat in gloria.

## CAPVT IV.

NOSTRIS verò temporibus cùm Comes Flandrienſis BALDVINVS puerum Philippum HENRICI Regis filium, ad regni proueheret ſolium, ipſúmque pro eo diſponeret regnum, ciuitas Beluacenſis ſuo deſtituta eſt Antiſtite. Annuente igitur ſupernæ pietatis æquitate, GVIDO decanus, Cuſtóſque Eccleſiæ ſancti Quintini Vermandenſis, & Archidiaconus Laudunenſis, conſtitutus eſt à præfato Principe Beluacenſium Epiſcopus; ordinante eum cum cęteris eiuſdem prouinciæ Epiſcopis viro illuſtri GERVASIO Remenſi Metropolitano. Vir quippe nobilis prudenter aſcendens altiores gradus Eccleſiæ, adeptus eſt culmen Epiſcopale. Qui facilè non carere ſe ferens præſentia Martyris, de cuius vberibus Eccleſiæ ſuxerat lac doctrinæ ſpiritualis, in honore & memoria eius ædificauit Eccleſiam haud longè à mœnibus Beluacæ ciuitatis in amœniſſimis locis. Circumdata enim pratorum, fluminiſque iucunditate, & vinearum vbertate, alacriores efficit ibi conuerſantes, vernæ viriditatis continua recreatione, & puriſſimi aëris ſaluberrima delectatione. Quæ cùm ſit admirabilis ſpecie ſuæ compoſitionis, admirabilior haberi poteſt ipſa facilitate celerrimæ conſtructionis. Nulla enim tam breui ſpatio tantum opus efficeret vis humana, niſi intercedente Martyre virtus auxiliaretur diuina. Duobus quippe annis incepit, & perfecit eam in decore ſuo.

Guido Beluacen. Epiſc. ſuccedit Guilberto. an. 1063.

Idem Fundator Eccleſiæ S. Quint. Beluacen.

Inceptũ eſt Eccleſiæ S. Quint. Beluac. ædificium an. 1067. & an 1069. conſummatum.

Idem reuerendus Guido Epiſcopus dealbatam vndique, & depictis inſignitam laquearibus, honoratam pretioſis ad cooperienda altaria, ſiue parietes in gyrum ornamentis, cum ſacerdotalibus reliquorumue miniſtrorum indumentis, ornatam auri & argenti copia, vnde honorabiliter deforis decorata ſunt multa ſancti Euangelij volumina, perfecta ſunt vaſa ad conficiendi * Dominici corporis & ſanguinis Sacramenta, & ad reliqua Eccleſiaſticis vtilitatibus congrua myſteria

* conficienda.

ſteria, additis redditibus quæ ſufficere poſſint quàm plurium Canonicorum neceſſitatibus, patratis circùm multis ædificiis vitæ eorum maximè opportunis.

## CAPVT V.

QVo inſpiratione diuina, ſapienti vſus conſilio, cum grandi honore, comitantibus turbis pſallentium Clericorum atque laïcorum, tranſtulit corpus præfatæ Virginis & Martyris ROMANÆ de Sacrario ſancti Petri, ad eam quam conſtruxerat Eccleſiam, vno antequàm dedicaretur die, eo * videlicet quo ipſius recolebatur memoria, nulla hominum prouidentia obſeruante, ſed ſolius Dei gratia, ad exaltandam ſuæ Martyris gloriam diſponente. Conſtitutum eſt namque vt ab eodem tempore annis omnibus eius feſtiuitas honore illic congruo celebraretur. Aggregauit idem Epiſcopus vndique collectas multorum Sanctorum Reliquias; quarum partem in altaribus, & in Sanctis Sanctorum collocaret, partem auro & lapidibus includens, ſancto Altari ad ornandum templum anteponeret. Dedicatio Baſilicæ Quintinianæ; & Trãslatio corp. S. Romanæ. * 3. Octob.

Sed quoniam de eius Dedicatione Eccleſiæ fecimus mentionem, non inconuenienter videtur aliqua de ipſa diſſerere: quoniam nec multo antè tempore, nec poſt dedicatam ſancti Remigij Eccleſiam à Domno Leone Papa viro ſanctiſſimo, audita eſt in aliqua mundi parte tam glorioſa dedicatio. Ad hanc enim aduenientes Eccleſiæ Sancti Quintini venerabiles perſonæ, triumphali honore aduexerunt ſecum ipſum corpus egregij Martyris. Conuenerunt etiam cũ copioſo Cleri militiæque comitatu multi Epiſcopi, GVIDO Ambianenſis, Ratholdus Nouiomenſis, GVALTERVS Meldenſis, HVGO Trecaſſinus, ODO * Siluanectenſis, MANASSES tunc nobilis Clericus, mox futurus Remenſis Archiepiſcopus. Conuenit vtriuſque ſexus, diuerſarúmque ætatum innumerabilis populus. Qua alacritate, quo triumpho occurrit Epiſcopus Beluacenſis aduocato ſuo Martyri Quintino, & Coepiſcopis ſuis? quotiens, & quanta obedientia obtemperantes ei in ipſa die ſolemniter ſecum proceſſerunt Beluacenſes Canonici? Quæ lætitia, quod gaudium per vicos & plateas agitabatur? Non enim indigena Quàm celebris fuit dedicatio. *al.* * Ratbodus.

erat, qui non amicum, propinquum, ſocium, hoſpitem adueniſſe cognoſceret, lætúſque amplexaretur, cùm in eorum ſuſceptione nemo grauaretur. Curia enim Epiſcopalis ſufficientier omnibus omnia diſtribuebat neceſſaria.

* 4. Octob. an. 1069. Plura Sanctorũ corpora ex diuerſis locis ad dedicationem allata.

Orta eſt interim Dominica dies *: & ex præcepto Antiſtitis proceſſit ad dedicandam Eccleſiam congregatio omnis Clericorum, atque Monachorum, cum Sanctorum corporum pignoribus, & reliquis ſacræ militiæ inſignibus. Hîc ergo Sanctorum ſociorum Quintini, & Luciani corpora ſibi obuiam facta ſunt. Hîc ſancti pueri & Martyris Iuſti, Sanctorúmque Geremari, & Ebrulfi, atque Conſtantiani Confeſſorum, hîc Sanctarum Romanæ, atque Angadriſmæ virginum corpora collecta ſunt. Congregata multitudine infinita, Pater GVIDO ceterique Pontifices ſacris accinguntur indumentis: qui antecedentibus ſe ſanctis corporibus, circuitione debita exteriora Eccleſiæ purificant; vt quod illi agebant viſibili myſterio, inuiſibili ſanctificaret * effectu. Quam deinde ingreſſi in dedicatione eius, & in diuinæ laudis ſacrificio, diem perduxerunt in veſperam. Quibus peractis omnes qui aduenerant, ſine alicuius exceptione perſonæ, non ſolùm illo, ſed & ſubſequenti die ſupraſcripti Patris ſolemne recepit conuiuium. Completa itaque tantæ Dedicationis exultatione, idem Coëpiſcopos ſuos recedentes ampliſſimis lætificauit muneribus. Competenti autem Virgini & Martyri veneratione, ſanctam Romanam in præfata Eccleſia quieſcentem annis pluribus honorauit. Illa verò quæ dubitantibus, & ſe non dignè venerantibus noluit aperire, credentibus, & honorantibus eam, quòd ab omnipotenti pietate quæ vellet obtineret, euidentibus documentis aſſeruit.

* *ſ.* ſanctificaretur, *vel* ſubauditur, Deus.

Nam cùm Rex PHILIPPVS adoleſcens, de procuratoris * poteſtate egreſſus, regni ſui gubernacula ſuſcepiſſet, & iuueniliter iracundia eius exardeſcens in ſæpe dictum Venerabilem virum Beluacenſem Epiſcopum non rectè, non iure expulſum ab Epiſcopatu ſuo, ablatis omnibus anno integro exilij pœna fatigaſſet, tandem recuperata Regis beneuolentia, deſolatæ, & penè ad nihilum redactæ ſedi ſuæ reſtituitur Epiſcopus.

* Balduini ſcilicet, de quo ſup. c. 8 Guido in exiliũ pulſus à Rege.

## CAPVT VI.

CVM verò maior vaſtitas, vehementiórque deſolatio, & ornamentorum alienatio Eccleſiæ quam conſtruxerat incubuiſſet, Clerici condolentes eam, cui ſeruiebant, diutiùs eſſe inornatam, ſimúlque auctorem ipſius à redemptione eorum quæ ablata fuerant, alleuare cupientes, circumtulerunt egregiam virginem Romanam per vicinas regiones in redimendis Eccleſiæ ornamentis, expenſuri quicquid eis à Fidelibus offerretur. Qui cùm pago Vilcaſino gradientes, apud Medantum perueniſſent, extra oppidum in quadam Parochia hoſpitium habere decreuerunt. Erat in eodem oppido quidam languens Berengarius, qui per triennium infirmitate detentus à lecto non ſurrexit. Hic audiens Clericos cum ſancto corpore aduenisse, mandat eis ſuppliciter per affines ſuos, vt ſibi vna nocte ante ſanctam Virginem permittant excubare. At ſacri theſauri cuſtodes primò cautæ obſeruationis gratia omnem à ſe ſegregandum extraneum, nec hunc accipiendum dictitantes, mox Presbyterorum, & reliquorum non ſpernendi teſtimonij virorum, bonum eſſe illum hominem, ſed languere, referentium, precibus inflexi, petitioni ipſius acquieſcunt. Allatus eſt itaque in lecto qui ſe mouere non poterat. Qui quantam fidem habuerit, quantáque deuotione ſupplices Deo preces ſanctæque virgini obtulerit, ſanitas reddita declarauit. Collocutus námque poſt noctem mediam cum ſacri corporis miniſtris, teſtatus eſt ſe ſanctam Virginem Romanam viſitaſſe*, & omnem infirmitatem ab eo abſtuliſſe. Quo audito læti vſque dum luceſceret in diuinis laudibus permanſere. Venientibus autem mane ad Eccleſiam Preſbyteris cum populo, gaudens referebat in publicum ſanus factus, quanta liberationis gratia, interueniente ſancta Virgine, reſperſerit eum Dominus. Diuulgata illicò res per oppidum ad venerationem virginis incitat vniuerſos. Quam cùm hymnis & canticis ſuo oppido inferentes, in Eccleſia ſanctæ MARIÆ ſemper Virginis hoſpitalitate honorifica recepe-

Reliquiæ S. Romanæ per diuerſas Galliæ prouincias circũferuntur.

* *f.* vidiſſe.

runt. Cùmque die altero miniſtri ſancti corporis cum eodem recederent, ſanitati redditus pariter profectus eſt. Cúmque admoneretur vt rediret, reſpondit ſe nullatenus domum ſuam ingreſſurum, neque à ſancta Virgine receſſurum, donec vnde egreſſa fuerat, ad ſancti Martyris Quintini reportaretur Eccleſiam. Quod & fecit, & ſe ſancto Quintino, & ſanctæ Romanæ liberatrici ſuæ in ſeruum perpetuum dedit.

Itinere verò quod cœperant pergentes, cùm longitudine viæ fatigati Argentolio * requieſcerent, quanta benedictionis ſuæ largitate famulos ſuos Beatiſſima Virgo pauerit, referamus. Erat enim tempus Quadrageſimale, in quo inundatio pluuiarum exuberantiam fluuiorum auxerat: ipſáque exuberantia capiendorum facultatem piſcium excluſerat. Cùm autem alumnos ſanctæ Virginis & extenſum iter, & prolixius ieiunium indulgere ſibi largiore refectione admonerent, egreſſi ad vicini fluminis ripam piſcatores, quos de nauicula egredientes conſpiciunt, vt ſibi piſces pro amore ſancti corporis, quod ſecum deferebant, tribuerent, aut venderent poſtulabant. Qui priùs ſciſcitantes vnde, & cuius meriti eſſet ſanctum illud corpus, & quo nomine diceretur; tandem reſponderunt ſe neque piſces habere, neque aliquos in tranſactis quindecim diebus proximis accipere potuiſſe, totúmque diem illum in opere tali fruſtrà conſumpſiſſe, & tamen in nomine Domini, & honore ſanctæ Virginis iterum in aquam ingreſſuros, & ſi quid acciperent, ei alacriter oblaturos. Res * mira credibilis eorum qui videre, & affuere, aſſertionibus comprobatur. Mox enim vt ingreſſi flumen dimiſerunt in eo rete, concluſa eſt piſcium copioſa multitudo: de quibus, plurimis ſibi retentis, obtulerunt ſancto corpori nonaginta quinque.

* *vulgò*, Argentueil.

f. * mirè.

His atque aliis virtutibus inſignis, glorioſa Virgo cùm apud Beluacum referretur, communi exultatione ab omni populo recipitur, & ad Eccleſiam ſancti Quintini, vnde aſportata fuerat, lætis pſallentium, veniámque poſtulantium vocibus deducitur, & inter Sanctorum Sancta reponitur. Vbi ſi quis fide certa Dominum deprecaturus aduene-

rit, ſine dubio poſtulata amborum interceſſionibus obtinebit: quod multarum infirmitatum curationes, & crebræ laborantium nobis inſinuant conſolationes.

Nos ergo feſtiuitatem ſanctæ Romanæ vnanimiter, & cum gaudio celebremus, pretioſúmque ſupradictum martyrem cum ea imploremus, vt ipſe pro fundatore & glorificatore Eccleſiæ ſuæ; & ipſa pro inſtitutore, & amplificatore ſolemnitatis ſuæ Domno Guidone Epiſcopo, & deuoto Clero, omníque populo intercedere dignentur apud eum, cui ſeruierunt, cui placuerunt, in quem viuunt, per quem poſſunt quod poſſunt, qui eſt benedictus, & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſecula, Amen.

*FINIS.*

# VITA
## DOMINÆ HILDEBVRGIS.

*Ex Cartulario Abbatiæ Sancti Martini Pontiſarenſis. cap.* 134.

Parentes Hildeburgis.

TEMPORE quo Rex PHILIPPVS, Henrici Regis filius, Regni Francorum regebat habenas, fuit quædam femina, HILDEBVRGIS nomine, de nobili Proſapia in pago Carnotenſi Caſtro Galardone exorta. Huius pater extitit HERVEVS Caſtri Galardonis dominus, potens diuitiis & honoribus: Genitrix verò illius BEATRIX vocata, & ipſa parentili generoſitate eximia. Quæ cùm infantiæ pueritiæque tranſiſſet annos, iam adoleſcentili ætate ſubeunte, nobilis adoleſcentula legaliter & honorificè, vt dignum erat, à parentibus in matrimonium coniuncta eſt viro generoſo, facultatibúſque locupletato, ROBERTO Ibrienſi. Succedenti deinde tempore congruo peperit tres filios; quorum primus ASCELINVS, cognominatus GOELLVS, ſecundus WILTINVS, vtrique Milites inſignes. Tertius ROBERTVS clericali ordine inſignitus. Deinde venerabilis matrona conſeruans quod ait Apoſtolus, honorabile connubium omnibus, & thorus immaculatus, honorabiliter viro ſuo fidem coniugij cuſtodiuit, corpus ſuum integerrimè à corruptione adulterij, atque ab aliena commixtione impollutum, Domino, cui omnis munditia & incorruptio placet, adiuuante, conſeruauit.

Porrò vir eius memoratus ROBERTVS cùm iam ſeneſcere inciperet, gratiâ Dei cor ſuum viſitante, apud ſemetipſum pertractans cùm Propheta Dauid, quoniam adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem ſuam: &, quia mundus tranſit, & concupiſcentia eius, om-

nia huius mundi oblectamenta, necnon fugitiuos honores, omniáque vanitatum deliria, quæ humana corda à cœleſti deſiderio ſubtrahunt, atque ad infernalia tormenta trahunt, deſerere decreuit, ſanctorúmque Monachorum contuberniis aggregare perſeueranti animo ſemetipſum inſtituit. Deſiderij itaque ſui procraſtinationem non ferens, vxori ſuæ venerabili Hildeburgi, filiiſque ſuis, atque familiaribus amicis, votum ſuum patefacere curauit; quorum conſilio licet propoſitum ſuum differre atque perturbare diutiùs conarentur, ordinata domo ſua, diſpoſitíſque rebus ſuis, Beccenſe cœnobium expetiit, ibique Monachus effectus, reſiduo vitæ ſuæ tempore religiosè humilitérque conuerſatus, vitam finiuit, atque, vt credimus, Sanctorum Monachorum cœtibus ſociatus, regnum Dei percepturus requiem ſempiternam introiuit.

Maritus eius Monachum induit in Beccenſi cœnobio.

Poſt obitum verò Roberti, cùm deinceps venerabilis vidua Hildeburgis in viduitate ſua ſe caſtificare, atque à coniugio abſtinere mallet, filij eius, & amici, timentes ne, quia adhuc iuuenis erat, à conſortio viri ſe abſtinere non valeret, ſuaſerunt ei, quatenùs nimirum viro nuberet: quorum conſilio diu multúmque reluctans, ceſſit inuita, timens ne ſi eis credere detrectaret, aliquod turpe ſibi, filiiſque ſuis, ac parentibus, de incontinentia ſua emergeret. Cùm ergo quidam Miles nobilis, diuitiis honoribúſque fulgens ei nubere geſtiret, conſtituto die venit cum multo militum comitatu, vt eam vxorem acciperet. Præparauit verò ſe venerabilis matrona, induitque ſe pretioſis veſtibus multicoloribus. Verùm cùm per gradum ligneum de domo egrederetur, repente gradus ligneus corruit, ipſáque ad terram corruens, grauiter per totum corpus, maximêque circa coxas alliſa eſt. Quapropter euidentibus indiciis à Domino hoc flagello percuſſam ſe eſſe animaduertens, ſéque ipſam miſeram, meretricémque incuſans, nullatenus ampliùs alicui ſe nupturam proteſtata eſt.

Vt ſecundò matrimonium contrahat cóſulunt filij & amici.

Sed quaſi miraculo impeditur.

Quomodò autem reliquo vitæ ſuæ tempore vixerit, qualitérque corpus ſuum mortificauerit, quibúſque eleemoſynis & abſtinentiis, operibúſque ſanctis Domini miſericor-

diam promeruerit, aliquantiſper pro poſſe declarabimus. Monaſteria Monachorum Sanctorum, Monialiúmque perluſtrans, ſocietates participationéſque orationum, & beneficiorum expetebat, & accipiebat, eiſque caritatem pro viribus expendebat: vnde locum morandi apud ſanctum Petrum Carnotenſem, & apud ſanctam MARIAM Columbenſem, & apud ſanctam MARIAM Beccenſem, & apud ſanctum Taurinum Ebroicenſem, & apud ſanctam MARIAM Ibriacenſem, ab habitatoribus locorum iſtorum expetiuit, & pro voluntate ſua accepit. Apud Ibriacum hoſpitalem domum receptui hoſpitum, peregrinorum, & pauperum ex proprietate ſua, filiique ſui GOELLI, furnúmque conſtituit; quibus pro poſſe impenſas præparauit. Videns verò propter frequentes guerras, quas filij ſui finitimis ſuis faciebant, ſe ibi quietè viuere non poſſe, à filio ſuo Goello res quas in confinio Gaudiaci villæ, quæ eſt iuxta Iſaram, iure hereditario poſſidebat, popoſcit ſibi dari, quatenus ſecurè quietéque ibi viuere valeret, & ab ipſo benignè accepit. Quo impetrato Pontiſaram venit. Eſt autem ibi iuxta Pontiſaram Monaſterium in honore ſancti Martini, quod tunc temporis regebat THEOBAVDVS, ſanctæ memoriæ Abbas: cognoſcens quidem loci illius habitationem opportunam frequentare cœpit, notáque Abbati & fratribus facta eſt, participationémque beneficiorum loci expetens, pro voluntate ſua adepta eſt. Poſtmodùm verò Xenodochium iuxta prædictum ſancti Martini Monaſterium fecit, pauperculámque domum ad ſuam habitationem, in qua, quia erat monaſterio contigua, quoad vixit, morata eſt. Adamauit itaque locum monaſterij Pontiſarenſis ſuper omnes domos quas viderat, & nouerat; fecitque ex proprietate ſua intra clauſtra monaſterij domum infirmariam, ornauitque Eccleſiam multis ornamentis, quæ vſque hodie in monaſterio conſeruantur. Si quando victualia Monachis deerant, ipſa pro poſſe ſuo illorum indigentiam ſupplebat. Hæc & alia in laïcali adhuc habitu poſita faciebat, & cùm religionis habitu indueretur, facere non deſiſtebat. Abbatem ex ſuo proprio ipſa veſtiebat, multiſque Fratribus veſtimenta præbebat.

*Morabatur identidem propè Monaſterium.*

*Præcipuè iuxta Monaſterium S. Martini Pontiſaræ.*

Quantùm

Quantùm autem ſibi parca fuerit, quàm larga aliis, non facilè valet ediſſeri. Domabat carnem ſuam multis cruciatibus, ne inſoleſceret, ſpiritúmque ſubiugaret, ſecundùm Apoſtolum: *Spiritu ambulate*, Et, *Carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis.* Quis verò audiat, & facilè credat, quantis vicibus & per æſtatem, & per hyemem ad orationem procumbens, ventrem & genua nudabat, & ſic terræ & pauimentis adhærebat. Hoc planè ideò faciebat quaternus caro frigeſceret, nec libidinis calorem ſentiret. Tolerabat nimios algores, fame ſitique arebat, vt tuam, Chriſte, conſequeretur miſericordiam. Et quia pſalterium in iuuentute ſua didicerat, pſalmos die ac nocte decantabat. His, aliiſque operibus bonis religioſa Sanctimonialis inſiſtebat. Auſteriſſimè vitam ducebat.

Volens denique Eccleſiam ſancti Martini reditibus ampliare, expetiuit filium ſuum GOELLVM, multiſque eum precibus deprecata eſt, quatenus pro ſalute animæ ſuæ, vxoriſque ſuæ, filiorum, filiarúmque ſuarum, omniúmque antecesſorum ſuorum animabus, daret Domino, & ſancto Martino, Monachiſque Pontiſarienſibus in eleemoſyna hæreditatem ſuam, quam habebat apud Gaudiacum. Quod facere recuſauit: verumtamen quoniam multis vicibus has poſtulationes repetiuit, tandem hoc conceſſit, vt Monachi tota vita matris ſuæ ſupradictam hereditatem haberent, atque poſt deceſſum eius vno tantùm anno. Factum eſt autem cùm vno anno poſt tranſitum religioſæ ſanctimonialis Monachi tenuiſſent hanc eleemoſynam, vt poſt finem anni GOELLVS eam in ſuam redigeret poteſtatem. Quadam autem nocte iacebat GOELLVS in lecto ſuo, videbátque ſe eſſe in Eccleſia ſancti Martini Pontiſarienſis inter altare principale & matutinale, vbi mater eius faciebat mandatum trium pauperum lauans eorum pedes, ipſe verò tenebat bacinos cum aqua, & manutergium, vti matri ſuæ ſeruiret. Ipſa aſpiciens in eum tanquam furibunda, loquebatur ad eum dicens: impie ſubreptor quare ſubripuiſti mihi eleemoſynam, quam dederam ſeruis Dei? & volebat eum percutere de cultello, album manubrium habente, quem tenebat in manu ſua, dicens: Niſi reddideris mihi hæreditatem

Multa cōfert Monaſterio Pontiſarienſi.

Poſt obitū in ſomniis admonet filium Goellum.

# VITA ET MIRACVLA SANCTI PETRI DE CHAVANON,

*Fundatoris ac primi Præpoſiti Eccleſiæ S.* MARIÆ *de Piperaco in Epiſcopatu S. Flori in Aruernia, Ordin. Canonicorum Regular. S. Auguſtini.*

A Stephano eiuſdem Eccleſiæ Canonico Reg. ante annos 500. conſcripta.

## *PRÆFATIO.*

CARISSIMO *ſuo Poncio, Dei gratia Piperacenſis Eccleſiæ Abbati Stephanus ſeruus Chriſti.*

*Vitam & actus ſeu miracula quæ Dominus per Domnum Petrum primum Piperacenſis cœnobij inſtitutorem patrauit, me ſcribere, Pater Cariſſime, ſalubriter ac ſæpiùs admonuiſti. Cui oneri me imparem iudicans, hunc penè laborem omnino ſubterfugi. Verum tuis orationibus fretus, quod in me animus erat, per te à me fieri poſſe confiſus, nolui meam inertiam obtendere, imò pro poſſe tanti Patris præcepto parere. Religioſiſſimo enim ſtudio commotus, ac nutu Dei, credo, præmonitus, quem per te hoc mihi iniungere perpendebam, noluiſti diutiùs lumen Eccleſiæ Dei in tenebris latere, neque ſub modio, ſed ſuper candelabrum omnibus qui in domo ſunt lucere. Æquius tamen fuerat hoc alicui ſancto viro ſcribenda mandare, cuius verba coniuncta virtutibus reflorerent; me verò veluti arborem infructuoſam relinquere, qui in horto deliciarum ſponſi nec manere, nec fructum aliquem offerre hucvſque curaui. Non enim paruum fructum in ſe habet talis labor, taliſque tractatus. At ego dum merita venerabilis viri ſtyli officio conor euoluere, laudes eius potiùs inclino, quàm digna factis depromam. Nam licet illa antiquorum facundiæ pompa mihi ſuppeditaretur, non arbitror tamen me in hoc poſſe ſufficere. Multa igitur de pluribus præteriens, quæ relatione fidelium vera eſſe comprobaui, ac nondum intercepit obliuio, pau-*

*ca de pluribus poſterorum memoriæ tradere curabo. Et ne longior epiſtolaris ſchedula tædioſa fiat, propoſitum opus aggrediar.*

Cap. I. Petrus nobilis Aruernus.

EX illuſtrium igitur proſapia Aruernorum prouinciæ, è territorio Langeacenſi Domnus Petrus, vir venerabilis vitæ, ac ſummæ ſanctitatis extitit oriundus. Sagaci ſiquidem parentum religioſorum cura educatus, ac liberalibus ſtudiis ceu quodam diuino præſagio, & Dei diſpoſitione ab infantia mancipatus, pueriles annos ſimpliciter, & aſtutè tranſegit. De ſtirpe verò eius plurimi extitiſſe feruntur, quorum vitam Deus per miracula ſæpiſſimè declarauit. Reuera enim cùm eſſent genere clari, & rebus locupletes, inter cateruas nobilium tanta honorificentia afficiebantur, quantò magis ad æternam, quàm tranſitoriam felicitatem aſpirabant. Et quia generatio rectorum benedicetur, iſte velut ſidus clariſſimum inter minora aſtra refulgens, lineam generis ſui ſanctitatis lampade mirabiliter decorauit. Ab ipſo enim iuuentutis primordio mundi illecebras deuitauit, laſciuiam fugit, quam ſolet illa ætas amplecti: & in Eccleſiis nunc parentibus comitatus, nunc ſolus pernoctando in vigiliis, & obſecrationibus, ſeipſum hoſtiam viuam, Deo placentem offerens, quibus poterat impenſis templum Spiritus ſancti ædificauit. Flagrabat eius intentio cœleſtis patriæ accenſa deſiderio, & iam cum Apoſtolo conuerſatio eius in cælis erat. Specie tenus mundo deſeruiens, irreflexa mente deſerta cum Ioanne Baptiſta petebat, cupiens carnis voluptates veluti pabula mortis euincere, & blandimenta mundi tranſitoria pro æternis deliciis mutare.

Virtutibus creſcit.

Tempore igitur iuuentutis tranſacto, cùm bona indoles hunc Dei virum ad maiora virtutum opera prouocaret, cœpit in eo virile robur excreſcere, & animi virtutem amplecti, ſæpiùs illud Euangelij euoluens ſecum: *Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et alibi: *Si vis eſſe perfectus, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me.* Erat autem prudens in moribus, verax in verbo, in omni bonitate & ſanctitate conſpicuus. Itavt cùm in dicto oppido

*Luc. 14.*

*Matth. 19*

pluriſmis eſſet refertus virtutum inſignibus, & Dominus etiam in præſenti ſeculo iis, qui eum ſequuntur, centuplum vt plurimùm retribuat, in futuro autem vitam æternam, ad Archiſacerdotium maximo Clericorum, & laïcorum aſſenſu ſublimatus fuerit. Fit Archipresbyter Langeacenſis.

Hunc verò dignitatis apicem adeptus, quàm piè, quàm ſobriè, quàm iuſtè vixerit, ſupra nos eſt dicere. Nam ſanctimoniæ, ac caſtitatis ita diligens amator etiam anteà fuerat, vt oculos ſuos omnimodè à vanitate auerteret, ne mors per feneſtras illas haberet ingreſſum. Pedes à lapſu, actiones ab omni caſu, quantum gratia Dei opitulante poterat, cuſtodire ſatagebat. Curam quoque ſubditorum ſibi paſtorali vigilantia gerebat; & tanquam ſpiritualis pater tam animæ, quàm corporis dape quoſque reficiebat ad poſſe, non immemor verbi Domini ad Petrum. *Paſce oues meas.* Hic eſt, IESV bone, tuus non ſurdus auditor, qui cùm temporalium flore poſſet lætari, maluit æternam iucunditatem momentaneis laboribus lucrari, quàm cauſam flendi in perpetuum ſibi comparare. Quid dicam, quòd os eius ſemper Deo colloquebatur in pſalmis, etiam in terra Angelicam vitam degens: pſallebat ſpiritu, pſallebat & mente. Si enim quoquam iter habuiſſet, erat ei mos, quòd primus ambularet, ac neminem præſtolaretur, vt pſalmodiam nuſquam interpolaret. Prædicat verbum Dei. *Ioan. 21.* Iter agendo pſallebat.

Quemadmodum autem mundum aſpernaretur non ſolùm ex dictis, ſed multò magis ex factis eius aſſiduis datur ſcire, quibus perniciem mundi penitus oſtendebat: & omnes ad Chriſtum trahere gliſcens, longa exhortatione creberrimè breuitatem huius vitæ arguens, ſic dicebat: « Vita noſtra quamuis mille tendatur annis, ad extremum tamen ætatis diem venimus. Cùm ergo hora vltima venerit, quid proderit continuatæ voluptatis fructus, quæ ſtatim vt ceſſauerit, videbitur non fuiſſe? Quid diuiti apud inferos ardenti quotidianæ, deliciæ, byſſus, & purpura proſunt? Omnis in hoc mundo fides eſt ſicut arundo, quam vanæ gloriæ ventus iactat, & fluuius tribulationum labefactat. Sunt hîc plurima mala bonis miſta impari menſura humanæ condi- Exhortationis ſermo S. Patris.

» tionis. Si fortè mundus iſte vſque in finem proſpera dare
» vellet, mors tamen interueniens cuncta auferret. Cadauer
» noſtrum in morte ſuſcipiet humus: Et, niſi caueritis, petet
» impia tartara funus. Erigamus mentes ad ſuperna: & ſom-
» no animæ excuſſo, cum Prophetarum maximo vigilanter
*Pſal.* 41. » canamus: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi ca-*
» *ro mea.* Spernite, Chariſſimi, breuem vitam, & longam acqui-
» rite, & pro labore breui æui perpetis requiem præparate:
» bona enim quæ diligitis, diu retinere nequitis. Cur non di-
ligitis, vbi in perpetuum vos fore beatos ſcitis? His & eiuſ-
modi aſſertionibus venerabilis Dei Sacerdos mundana, &
ſuperſtitioſa relinquere populum excitabat.

Poſtquàm verò Dominus omnipotens mirificare voluit ſanctum ſuum, miraculorum quoque inſignibus vita eius cœpit mundo manifeſtius declarari, tametſi eo nolente, vt qui omnes virtutes ſuas occulere mallet, quàm in lucem edere. Accidit autem vt Caſenſe monaſterium aliquandiu ſub eius cura fuerit: cuius loci Sanctimoniales, quæ tunc temporis ibidem ſatis religioſè commanebant, diligenter, & zelo Dei obſeruabat, vt nuſquam longiùs à monaſterio proreperent, abque ſuo fideliſſimo comitatu. Dum igitur cum quibuſdam illarum apud Daletum pro quodam vrgenti negotio eſſet profectus, & Dominus famulum ſuum miraculorum gloria inſignem mundo apertiùs voluiſſet manifeſtari, contigit ipſum ex more quotidiano Miſſam celebrare. Quo audito cœca mulier, quæ ibidem à multis annis lumen amiſerat, quantò citiùs ad monaſterium cucurrit, & à miniſtro altaris aquam de manibus illius ſancti hominis poſt conſecrationem Corporis & ſanguinis IESV Chriſti defluentem ſibi dari ſecretò, & quaſi furtim, rogauit, quam vt accepit, & oculos inde lauit, ſtatim lumen oculorum ac mentis recepit, & ſe recepiſſe exclamauit. Quod vbi vir ſanctus comperit, & ſi ſe ob hoc manifeſtari doluit, tamen quia Deus meritis, vt credimus, ipſius hoc effici voluit, non in gloriam eſt elatus mundi huius, ſed ſecum pauperi mulierculæ congratulabatur, dicens non ſuis meritis, ſed Dei virtuti id eſſe tribuendum. Et ita Dominus, qui merita ſeruo-

Regit monaſter. Caſenſe, Gallicè, *des Chaſes.*

Daletum, ſeu Aletum monaſterium à Caſenſi dependens.

Quotidie Miſſam celebrat.

Cœcam mulierem illuminat.

rum ſuorum longè, latéque dignanter aperit, in hoc famulo ſuo iam adimpleuit quod ſuis fidelibus promiſerat, dicens: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Hoc ſiquidem primum quod publicè geſtum eſt de Beato viro miraculum nobis in notitiam venit: nam anteà pro certo ſcimus Dominum plurima ipſius ſanctitatis indicia ſecretò oſtendiſſe. Verùm de illis ſcribere omitto, quæ latere ipſe maluit: Illa tantùm perſtringam breuiter, quæ certis multorum teſtimoniis occultari nequiuerunt. Nam ſi tantarum ipſius virtutum ſigna aut ariditas noſtri ſermonis poſſit excolere, aut memoria retinere, priùs habere poterit terminum lux hodierna, quàm pagina. *Ioan.* 14.

CAP. III. A ſupradicto igitur monaſterio quantocyùs peracto negotio digreſſus, quaſi ob verecundiam miraculi ad Caſenſe tanquam fugitiuus cum eiſdem Sanctimonialibus contubernium repedauit. Contigit autem alio quodam tempore, quòd cum Abbatiſſa præfati monaſterij, & cum quibuſdam aliis more ſolito equitaret, vt trituram meſſium in quadam earundem ſanctarum feminarum villa videret. Cúmque ibidem nox imminens eos occupaſſet, ac remanere coëgiſſet, tandem dum omnes ire cubitum feſtinarent, vir Dei Petrus vt liberiùs orationi vacaret, & etiam nocuos noctis vermes deuitaret, ſuper plauſtrum, quod caſu prope oſtium fœno oneratum erat, ſibi cubile parari curauit, quod extemplò accuratè, & diligenter à cubiculariis apparatum eſt. Dum verò ibi lucubraret, & in pſalmis meditaretur, ecce nequiſſimus ſpiritus, qui ſemper quieti bonorum inuidet, quamdam mulierem de ſociabus ipſius Sanctimonialis venerio furore ſtimulatam, in ſanctum Dei excitauit, quę ad lectum eius furtim per tenebras acceſſit, & vt ſecum cubaret nocte illa rogare cœpit. Cui ille: Recede à me femina nequam, fomes peccati, vade quietum, & ſigna cor tuum, quia diabolus hoc incipere, & loqui, imò facere te exhortatur. Cùm itaque illa inſtaret, nec vllatenus abſcedere vellet, vir ſanctus zelo Dei permotus, terribiliter cœpit ei minari niſi ab incœpto deſiſteret, ſe omnes homines illicò qui propè iacebant inclamaturum; illa verò confuſa pudore, & de turpi dolens repulſa vix tandem diſceſſit.

Impudicā mulierem ſtrenuè à ſe expellit.

Sed aliquandiu commorata, iterum eodem ſpiritu libidinis ſtimulata; immò ipſe ſpiritus nequam per ipſam virum Dei ſecundò aggreditur, atque ad peccandum veluti ſerpens primos homines tentando hortatur, ſed illorum, proh dolor! victor extitit, vnde genus noſtrum perculſum eſt: Hîc verò à ſecundo victus homine, gemebundus ad Tartara detruditur. Vir quippe Domini Petrus ſancto Spiritu roboratus, iterum atque iterum mulierem abſterrebat, & altiores intonando voces attentiùs illi minabatur, vt ſaltem verecundiam hominum vereretur, quæ zelum Dei poſtpoſuerat. O quàm magnus, & immenſus eſt Deus omnipotens! Ecce nempe alter Ioſeph in Ægypto huius mundi poſitus, alter Putipharis ab vxore patitur inſultus, in thalamo pallium relinquit, & cum amictu caſtitatis aufugit, ne veſtem pudicitiæ perdat quantum poteſt obnititur. Secundo itaque femina impudica metu, ac pudore percellitur, & clam per tenebras ad proprium ſtratum regreditur, vbi iterum cœpit æſtuare, & quid ageret anxia meditari. Occurrit illius animo; ſancti viri forinſeca pulchritudo membrorum, decor vultus, faciei hilaritas, eloquium dulce, valetudo, & cætera, quorum gratiam bonorum ſingulis Deus prout vult confert: quibus porrò non eſt, abuſus bonis, quin potiùs Creatoris obſequio ſe totum mancipauit. Sanctimonialis ergo illa femina, quæ potiùs dæmonialis dicenda eſt, tertiò tandem ſanctum virum de inceſtu alloqui meditatur, & ſagaciori artificio, verbiſque excogitatis acerbiſſimos ei dat inſultus. Quare, inquit illa, mihi non præbes aſſenſum? Apparet certè corporis mei pulchritudinem, formæque nitorem, & carnis lenitatem te penitùs ignorare, & ſi perſpexeris qualia, quámque iucunda ſunt hæc, nullatenus renues: valent ſiquidem quæ apparent, ſed magis latentia. Cúmque hæc & ſimilia proſequeretur, vir ſanctus ait ad Monacham: Poſtquàm video quòd aliter non deſiſtes, nec reſipiſces, Deum omnipotentem imploro, vt manifeſta in hac nocte animaduerſione pro hoc ſcelere mulcteris. Me autem ſcias omni remoto ambiguo neque corpus, neque animam ſorde luxuriæ vſquequaque polluturum. Tum verò tertiò confuſa, ac lacrymis furibunda diſceſſit, &

Petrus ob ſingularem caſtitatem Ioſepho comparatur.

grabato

grabato quodam, ac ſi exanimis eſſet, & feſſa vexatione diuturnæ ſtimulationis, proſternitur.

Ecce autem ex improuiſo quidam maximus bufo, quem vulgò rubetam dicunt; vel idem ſpiritus, qui eam interiùs veneno nequitiæ in virum Dei inflammauerat ſpecie bufonis immaniſſimi, veluti crepidæ nocturnalis turgidi, ipſam ibi cubantem per tibiam arripuit, dentibúſque acutiſſimis exteriùs turgidam repentiſſimè reddidit, & cum toxicatis luminibus dentes acutiſſimos per carnem, & neruos ad os vſque transfixit. Quod ei ſine dubio contigit, ne oratio viri ſancti quaſſaretur, vt ſagaciùs intuenti liquidò claret. Dixerat enim: vt manifeſta in hac nocte animaduerſione pro hoc ſcelere mulcteris. Voluit nempe Dominus & votum ſui ſerui perficere, & ne æterno plecteretur exterminio, temporali verbere eam punire. Tum verò dolore torquetur intolerabili, & ad cælum horrendos intonat clamores. Accurrunt cubiculariæ, & famuli, feſtinat omnis familia, monſtrum aſpiciunt horribile, viſóque conterriti fugiunt. Hærebat quippe vaſtiſſimo hiatu tibiæ, pedibus deſuper calcitrabat, cute nigerrima turgebat, ardentibúſque flammabatur oculis. Itur tandem ad Dominum Petrum, nunciatúrque quod Monacha talis tam terribilem patiatur peſtem, vt illi citiſſimè ſubueniat; eámque ipſum de tali re attentiùs exorare. Porrò vir ſanctus hoc perpendens Dei fore pro eius flagitio manifeſtiſſimam vindictam, vſque dum manè foret eam viſere ſe nolle aſſeruit. Tota igitur nocte inſecuta nec bufo illam deſeruit, nec aliquis eum inde remouere potuit. Virus occupat artus, horrendo femina plectitur incendio. Et tandem facto manè amicus Dei Petrus ad eam acceſſit, quam per ſpiritum adhuc torqueri nouit. Vidénſque illam tam horribili puniri tormento, compaſſus eſt miſerrimæ mulieri; & vt duo in illa impleret pietatis opera, miſeratus eſt ſalute egentem, & conſolatus eſt miſeram grauiſſimè languentem. Nam accedens ſignum Crucis ſuper locum morbi impoſuit, ſtatímque virulentum reptile membrum reliquit, quo ablato tumor omnis ita abſceſſit, vt nulla turgiditatis indicia in eius carne apparerent.

**Impudica mulier punitur.**

**Signo Crucis mulierem à bufone correptam liberat.**

O felix mercimonium caritatis, quo virus vipereum adimitur, ſalus animæ tribuitur, reatúſque præteriti noxa diluitur! Iam etenim videmus quòd Paulus de quibuſdam dixerat: *Vbi abundauit iniquitas, ſuperabundauit & gratia.* (*Rom. 5.*) Hoc viſo terrentur qui aderant, Petri ſanctitas innoteſcit, confunditur illa pudore, quòd ſanctum hominem de tali interpellârat turpitudine, & de præterito pœnituit, cauítque de futuro.

Cap. IV.

Peracto itaque ad quod ierant negotio, ad Caſenſe cœnobium illicò regreſſi ſunt. Vbi vir Dei Petrus ieiuniis, & obſecrationibus vacans, ſæpe Dominum ſupplicat, vt, à quo procedit omne datum optimum, locum oſtendat ſibi aptiſſimum, vbi relicto actu ſecularium, diuinum liber exequatur negocium. Votum huius Patris & deſiderium Deus cernens auditor humilium, cuius oculum nullum latet abditum, locum monſtrat illi idoneum per Apoſtoli Petri ſpiritum, antiquitus Dei Genitrici deditum, tunc temporis indigentiſſimum, Piperaci dicunt vocabulum, quem Sacerdos habens coniugium tenebat, ſed incultiſſimum. Petrus petræ fretus oraculo, lætificatus præſenti indicio, ſuo relicto Archipreſbyterio, Præſulis * Durani functus conſilio, aſſumpto habitu Canonico, oneréque mundi depoſito Deo militaturus perpetuò, ſuffultus fratrum gemino ſolatio, Vigiliarum Natali Dominico Piperacum venit ſolemni gaudio, anno Domini milleſimo ſupra ſexageſimum ſecundo.

(Piperacum ſibi diuinitùs præmóſtratum incolit, in Epiſcopatu S. Flori. * ſeu Durandi. Petrus fit Canonicus Regul. an. 1062.)

Præfatus verò præſul Duranus, vir ſanctiſſimus, audiens à vicinis Primatibus Petro, & ſociis eius gratis Eccleſias dari, eaſdem, & plures alias eis communi Claromontenſium Canonicorum Capitulo liberaliſſimè conceſſit. Deus autem ſuorum fidelium meſſem augmentare volens, numerum ſupradictum viſitans, in vnum plures adunauit ei Regularium, qui ſequantur victum Apoſtolicum, ſecundum edictum Auguſtinicum, nihil habentes in hoc mundo proprium. Multorum fratrum conglobato cuneo, exiguo manens in tugurio, dum arctantur frigore niueo, ignis flagrans accenſus plus nimio, domicilij hæret faſtigio. Quem vir ſanctus viſo periculo ſuis extinxit precibus illicò. O quan-

(Vitam cũ ſociis inſtituit ſecundùm Regulã Beati Auguſtini.)

tum fidei beneficium, quæ tantum compreſſit incendium! Dum putat fratrum perdere collegium, deeſt oblatum ardendi auxilium. Quantum apud hunc premere incendia, qui cæcorum mox accendit lumina? Aut quid eſt depellere flammulas, qui dæmoniacas profugat inſidias? Incendium extinguit.

Sed addatur pagina, nec enim deerunt Sacerdotis miracula. Dum enim longè latéque languentium ſplendeſcerent ſigna, iam ex inopinatis partibus ad eum turbæ cœperunt concurrere, eùmque immenſa turba perurgere. Eximius autem vir Dei exultans de mirabilibus, quæ ſedulè operabatur Dominus IESVS Chriſtus, cœpit animo complere quod ſibi fuerat diuino reuelatum oraculo. Parat enim templum Dei Genitricis titulo conſecratum erigere officioſiſſimo ſtudio, vbi paſtor oues ſibi commiſſas alat Domino, dæmoniaco ereptas excidio. Sicut ergo ſemper humani generis aduerſarius ſuam non deſiſtit oſtendere nocendi potentiam, tunc ex aduerſo ſaxum immaniſſimum de vicino monte ruptum repentiſſimè ſuper nouellum ædificium facit ruere, comminans paratum præcipitium, niſi vir Dei illi fuiſſet obſtaculum. Videns equidem ſacerdos pius rupem contra ædificium terrificè venientem, eleuata manu munimentum Crucis Dominicæ illi oppoſuit, moléſque illa ſtatim terræ defixa ita parendo ſubſtitit, vt virtute diuina videretur depreſſa. Proinde ſocij, affinéſque videntes Dei mira opera, Chriſtum, qui in Sanctis ſuis voluntatem ſuam mirificat, glorificauerunt: quippe qui ſicut Petro Apoſtolo ſuo mare ſtrauit, ſic Petro Sacerdoti ſuo petram grauiſſimam immobilem reddidit.

Eccleſiam monaſterij ſui dicat Virgini Deiparæ.

Domum ab irruente in eam rupe ſeruat.

Euoluto autem multorum dierum curriculo Guidonem, vnum ex primitiuis ſociis ſuis, in loco, Villa ſupra Motam * nominato, quò eum miſerat, grauiſſima paralyſi in vitæ diſcrimen redactum eſſe admonetur. Haud mora, illum viſitat, vt, ſi fieri poſſit, Piperacum deducat. At dum ei greſſum parat, ita captus omni ſenſu eſt, vt vita penè priuatus videretur. Compaſſus itaque Pater ſanctiſſimus filio paralytico, multiſque obſtrictus lacrymis, eum, vt fertur, propriis detergendo manibus ſaluti extemplò reſtituit. Quo

* *vulgò*, Sainct Saturnin de la Motte.

Sanat Guidonem paralyticum.

viſo venerabiliſſimus Dei Sacerdos, non in humanum elatus eſt fauorem, ſed bonitatem Dei in ſuo opere eſſe intellexit. O virum per omnia ſanctiſſimum! qui cùm in mundo nihil habeat proprium, fulget tamen in omnibus dote virtutum.

Briuatam (*Brioude*) venit ad ſepulchrũ S. Iuliani.

* *vulgò*, vieille Brioude.

Sub eodem fere tempore accidit, eum in vicum, cui nomen Briuata, Beatiſſimi Iuliani Martyris viſendi ſtudio proficiſci. Cùm autem vetulam Briuatam * deueniſſet, vndique ad eum cœpit populus affluere, & verbis ac lacrymis ab eo efflagitare, vt virtutem eius, quam præſcierant, agnoſcerent in liberatione cuiuſdam nauis, quam oneratam hominibus in proximo flumine iam mergi, jámque aduerſo flante vento periclitari videbant. Tunc vir piiſſimus fletibus, precibúſque populi ſupplicantis victus terræ proſternitur, vberes fundit lacrymas, geminat alta ſuſpiria, Dominum ſupplicat humillimè pro naufragantibus; & tandem manu eleuata, ſignóque Crucis facto ſuper nauim, verbi præcipit imperio, vt iniquus prædo, qui eam intus vexabat, diſcederet, Chriſtíque famulos, quos impiè necare gliſcebat, deſereret. Ad viri ſancti orationem, & imperium, inuidorum inuidiſſimus parens inuitus aufugit, vt ſignum nimij fœtoris ab eo in naui excitati indicauit. Sicque naufragij periculo erepti, gratias egerunt Deo miraculo oſtenſo.

Signo crucis naufragantes ab imminentiſſimo periculo liberat.

Per idem verò tempus vir Dei per omnia inſignis, omnibúſque virtutibus adornatus, & in verbo Dei ſimplicitatem Apoſtolicam obſeruans, verè ſacerdos, & hoſtia Dei, cùm ſe vbique ſollicitum circa alendorum pauperum negotium ſemper oſtendiſſet, etiam tunc temporis dudum ſuſceptum opus explere contendebat. Cùm jam ætas ad perfectam ſenectutem procliua* dependeret, ampliatis omnibus ſuis tam locis, quàm ſociis, extremum diem ſortitus eſt. Bonorum enim omnium perfectiſſimus remunerator Dominus glorioſiſſimum famulum ſuum laborioſa corporis mole diutiùs grauari non ſuſtinuit. Et ſimiliter vt merito meritum miſericordiæ Mater, cui tota mente famulatum ipſe fideliter præbuerat, prout dignus erat, compenſaret, Natiuitatis ſuæ die non dicam mori, ſed cœlis naſci voluit, relictis imis. Cúmque

Curam gerit alendorum pauperum.

* procliuis.

Obiit die feſto Natiuitatis beatiſſ. V.M.

ægritudine cogente corpus eius ſuper ſtramentum diſcipuli deponerent, vt ex iuſſu ſancti viri terra proxima terræ poneretur, pſalmodiam, hymnoſque decantans, in Deique amore & laudibus perſeuerans, ſexto Idus Septembris incontaminatum cælo ſpiritum reddidit.

Qui autem ad exequias eius perficiendas venerant, videntes glorificati corporis gloriam, carnémque cinere, & cilicio ſemper anteà obtectam, ita ſplendentem, & ad modum vitri puriſſimam, reſurrectionis quoddam decus jam proferre crediderunt. Accedentéſque vicini Sacerdotes, & Clerici, vulgúſque permiſtum, odorémque ab eo procedentem ſuper balſamum, & cinnamomum redolentem ſentientes, jam virum Apoſtolicum, & Deo digniſſimè aſſociandum acclamabant. Occurrunt huic liberaliſſimæ animę omnium cæleſtium conſortia agminum, THEOTOCO reuerentiſſimæ conſociata, conciuémque ſuum paradiſo reddunt, in ſinu Abrahæ perenniter quieſcentem; vbi gloriatur multipliciter laureatus, præſtante Domino noſtro IESV Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Eius corpus cinere licet ac cilicio coopertũ, miro ſplendore cõſpicuum apparet, ſuauiſſimúmque ſpirat odorem.

Petrus poſt carnis obitum, vt præſens ſit * iudicium, maiora dat miracula per Domini ſuffragia. Vbi enim tanti Patroni exceſſum diſcipuli deflent, & de eius migratione dolent, conſolatione ſolita carentes, inter ſuſpiria, gemitúſque mœrentium Berlanus quidam à primo ſtatu conuerſionis coquinæ deditus officio, deſtitutus viribus ſuis, areſactáque manu accedens, ſic inter ceteros aiens lamentabatur: Quis, Pater ſanctiſſime, gregem commiſſum conſolabitur, quiſve nobis ſic caritatiuè verbi beneficia impendet? Inter huius ſeculi frementes ſiluas, lupi ſubditos deuorabunt. Et quis nos à morſibus eorum conſeruabit? Quis, inquam, ampliùs me pauperrimum viribus deſtitutum corriget, & fouebit? Tu ergo Pater Cariſſime, miſerrimum conſolare, dolentem aſpice, ægrum conſolida, lacrymantem ſuſcipe, egentem miſericordia tua adiuua; tibi ſupplicantem ſeruum officio tuo, dum vita comes fuit, deditum in ſe, & nunquam à te diſceſſurum ſolita pietate intuere.

*indicium.

Miraculis poſt mortem claret.

Hæc & alia multa dicens flebat, & anxius anhelabat, erigens manum ſuper tumulum totaliter aridam, ſuffultúſque ſuper tantum Patronum lacrymis precibuſque perſeuerabat. Haud mora, ita ſanum ſe ſentiit, ac ſi nullius ægritudinis languore fuiſſet detentus. Et ſic orando, gemendóque triſtis aduenicns, lætus abſceſſit.

Berlani manus arida reſtituitur.

Tempore etiam quo DVRANVS Epiſcopus Aruernenſis regebat Eccleſiam, ROBERTVS Comes audiens famam, ſanctitatémque perfectiſſimi viri, quemdam villicum ſuum Briuatenſem, nomine Filiolum, febre diuturna vexatum, nullum ob nimiam ægritudinem percipientem cibum, cum cera quatuor ſolidis empta ad tumulum eius in hæc verba miſit: Excellentiſſimi Sacerdotis Petri feſtinanter adi Sarcophagum, rogans eum vt ob mei ſolitam amicitiam tibi ſoſpitatis fructum impendat. Audito venerabilis Comitis iuſſu, ſeruus parat iter arripere; tandémque per deuexa, & concaua feſſus, & viribus deſtitutus ante Beati tumulum viri paululùm quieſcens, talibus eum allocutus eſt verbis: Tibi, Pater ſanctiſſime, me per omnia ſibi ſubditum Conſul Robertus peracto tempore, modernæque dilectioni obnixè copulatus, febre longinqua maceratum, & niſi citiſſimè ſubuenias morti connexum mittit, vt ſanctitate tua miſeriæ meæ, oppreſſioníque ſubuenias, recordatúſque antiquæ dilectionis, nece fugata vel dilata, ſaluti reſtituas. Vix verba finierat, cùm incolumitatem ſentiit; domum ſoſpes reuertitur, familia congratulatur, Conſul de impenſo beneficio lætatur, multiplicíſque populi per aures ſanctitatis eius fama ab eo vſquequaque pronunciatur. Hæc ſunt illius opera, qui puerum paſtorem Prophetam fecit egregium, qui cùm virtutibus cuiuſlibet animum repleuerit, ardentem, incendentémque per omnia facit.

Villicus febribus laborans curatur.

Aniciensis quidam Clericus Bertrandus, cognomine Bos, qui cùm vir Dei præſenti vita frueretur, Eccleſiam beati Boniti tribuerat, quartana febre diutiſſimè ſtimulatus, adeò vt nec corpus erigere, nec ſuſtinere præualeret, cognita multorum à polyandro eius redeuntium ſoſpitate, in grabato proprio manens, nuncium direxit Piperacum, vt qui

Bertrandus Clericus quartana febre languens ſanatur.

præſentes aderant, exiguum de vino, quo Sacerdotis tumulus ſuperfundebatur, mitterent. Vt autem à miſſo relatore vinum optatum accepit, & guſtauit, ſanitatem integerrimam illicò ſentiit. Et ſic virtus progreſſa de tumulo vbique magnificabatur à populo. Et licet huius viri ſanctiſſimi naturæ debito mors extinxit corpuſculum, fulgent tamen viuentis membra polyandro.

Mirabilis liquor è ſepulchro S. Petri emanat.

Inter tot miracula vnum erat celebre, & continuum: quod ad ſanctiſſimi corporis tumulum fons aſſidui redundans ſudoris, in tantum continuatum ſumeret augmentum, vt riuus| vtrinque circumfuſa aquæ abundantia madida quaſi lacuna redderet. Ad hoc vndique auditum prodigium copioſa defluens multitudo languentium, manibus ſuis ſancto liquore madefactis * tangentes, à quacumque debilitate tenerentur, ſoſpites repentiſſimè regrediuntur. Ibi enim virtus diuina ſic affluenter exuberat, vt nullus abſque ſalutis auxilio redeat.

** videtur ſubſtituendũ ſe, vel ſua corpora.*

*Finis vitæ S. Petri.*

---

## QVÆ SEQVVNTVR EX TERRARIO S. PETRI Piperacenſis excerpta ſunt. *Fol. 23. b.*

QVONIAM *ad multorum audientiam congruum eſt peruenire, qualiter, & * quibus Domnus noſter Petrus in primo Piperacenſium Eccleſiam habuerit, quibuſque donis ipſam Eccleſiam Deus ob Genitricis ſuæ amorem, & ſancti viri religionem poſtmodùm ditauerit; ne rei veritas poſteros queat latere, litterarum monumentis mandare prouida deliberatione decreuimus.*

f. * à quibus.

*Nouerit itaque præſens ætas, omniúmque ſecutura poſteritas, quia Anno Domini milleſimo ſexageſimo ſecundo, cùm præfatus Dei ſeruus, diuina virtute ſuffultus carnis illecebras deuitaret, & Regulari Canonicorum iugo colla ſubmitteret, vt*

Origo ac fundatio Eccleſiæ Piperacen.

*diuino cultui tantundem vacaret, non Simoniaca peſte pollutus prælibatam accepit Eccleſiam ab ipſo* DVRANTO *venerabili Aruernorum Epiſcopo, & Augerio eiuſdem Eccleſiæ Capellano, & etiam à quibuſdam laïcis Principibus, qui in illis temporibus illam ipſam iure hæreditario poſſidebant, videlicet* AVDIGERIO *de Taglac, &* WILLELMO *de Piperaco, &* STEPHANO *&* DALMACIO *fratribus eius, &* 
* pro Feudales, ſeu Feodales. *quicquid eorum * feuales in poſterum dare voluerint.*

*Prætereà* RAIMVNDVS *de Digons, &* PONCIVS *Caſlanus, &* PETRVS *Rainaldi, quicquid in eadem Eccleſia tenebant Deo, & ſanctiſſimo viro penitus dederunt. Quo in loco dum corpus ieiuniis attenuaret, &, vt mos eſt talium, vigiliis pernoctaret, fama ſanctitatis eius crebreſcente, omnes illius loci incolæ ardenti animo dilexerunt, & ſuis honoribus amplearunt. Prædictus namque Pontifex cum relatu multorum & diſcretiſsimorum eum Dominicæ vineæ non inertem acciperet cultorem, & ſarmentorum ſterilium verbi Dei gladio mirabilem intelligeret amputatorem, quàmplures Eccleſias communi Capitulo Claromontenſium Canonicorum, & maximè in audientia Domini* ANSELMI *Decani, &* WILLELMI *Erzino, & Domni* RORGVI, *&* GILI, *&* RADVLPHI *Caſlani, imperio ſuo regendas nutu poſſeſſorum attribuit.*

Eccleſiæ à Piperacēſi Abbatia pendentes. *Hæc autem ſunt nomina earum, Eccleſia ſancti Vincentij, & Eccleſia ſanctæ* MARIÆ *de Vetula Briuata; Eccleſia ſancti Boniti; ambæ Eccleſiæ de Aurato; Eccleſia de Fraghaco; Eccleſia de Alteyraco; Eccleſia de Tauliaco; Eccleſia ſancti Petri de Chaſellis; Eccleſia ſancti Sebaſtiani de Valior-ſeyras; & Eccleſia ſancti Marij. Cui largitioni* ROBERTVS *tunc temporis Comes Aruernenſis aſſenſum præbuit, ſuiſque muneribus augmentauit; quia ſanctum Dei virum, videlicet Petrum Piperacenſis Eccleſiæ Præpoſitum medullitus diligebat, & arcana ſua præcipuè reſerabat. Sententiam igitur Eccleſiarum, & donum earum, ſi auſu temerario quis improbare præſumpſerit, à Corpore Chriſti, & Eccleſiæ ſegregatus cum Dathan, & Abiron in locum inferiorem perpetuò demergatur.*

CHRO-

# CHRONICON
## S. PETRI VIVI SENONENSIS,
### Ord. Sancti Benedicti.

*Auctore* CLARIO *primùm Floriacenſis, deinde eiuſdem Cœnobij S. Petri Monacho.*

ANNO ab Incarnatione Domini quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, Pontificatus Domni Leonis Magni Papæ anno ſecundo, Clodio primus Rex Franciæ regnauit annis viginti, poſt quem regnauit Childericus filius Merouei [1], expulſo Egidio Duce Romanorum de regno, atque interfecto.

Anno ab incarnatione Domini quadringenteſimo ſexageſimo ſexto, cœpit regnare Chilpericus *, & regnauit viginti quatuor annis, qui genuit filium Clodoueum in primis gentilem. Qui decimo quinto anno Regni ſui à Beato Remigio Remenſi Archiepiſcopo baptizatus eſt. Qui adhuc paganus genuit de concubina filium nomine Theodericum, qui regnauit poſt eum viginti quatuor annis. * Childericus.

Anno DIII Clodoueus baptizatur à ſancto Remigio Remenſi Archiepiſcopo, & quatuor filij eius, Theodericus, videlicet, quem de concubina genuit, & Clodomiris, Childebertus, & Clotharius, quos ex Chrochilde Chriſtianiſſima Regina habuit, quíque poſt eum regnauerunt. Fuit quoque præfato Regi & Reginæ filia nomine Techilda * quæ baptizata vouit Deo virginitatem & tenuit ſeptuaginta quinque annis viuens. Quæ adhuc viuente patre, adiuuantibus matre & fratribus cœpit ædificare ad orientalem plagam vrbis Senonicæ Cœnobium in honore Apoſtolorum Petri & Pauli. Regebat tunc ſedem Apoſtolicam Hormiſda Papa, Archipræſulatum Senonicæ Eccleſiæ Beatus Hera-

Clodoueus Rex à S Remigio baptizatur.

* *al.* Theodechildis.

Fundatio Monaſterij S. Petri Viui Senonenſis.

clius, Remenſem Eccleſiam ſupradictus Beatus Remigius iam ſenex.

* Meliùs quingenteſimo quadrageſimo tertio.

* DLIX. obiit ſanctus Benedictus, & in monte Caſſino per centum quinquaginta vnum annos iacuit, & pòſt corpus eius in Gallias tranſlatum eſt anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſub Papa Vitaliano.

Anno DLXXXII. Obiit ſanctus Germanus Pariſienſis, qui natus eſt in pago Eduaſenſi, vico Lauſia, & in manſo natiuitatis eius non canis, non auis prædam rapere præualet, quæ non ſtatim intereat. In quo loco eſt Eccleſia in eius honore conſtructa.

Tranſlatio Corporis S. Benedicti in Galliam.

Anno DCLX. Tranſlatio ſancti Patris Benedicti à Monte Caſſino in Gallias.

Priuilegium datũ in Synodo Senonenſi. Cui ſubſcripsère plures Epiſcopi.

Anno DCLXXV. tranſiit ad Chriſtum ſanctus EMMO Senonum Archiepiſcopus, ſepultúſque eſt in Baſilica beati Petri Viui. Hic Priuilegium libertatis, vnà cum Comprouincialibus Epiſcopis, monachis ſancti Petri ſynodaliter fecit temporibus Clotharij Regis, & Baltechildis matris eius. In quo Conuentu fuerunt Antiſtites glorioſi, ſanctus AVDOENVS Archiepiſcopus Rothomagenſis, & S. Faro Epiſcopus Meldenſis, Sanctúſque ELIGIVS Nouiomenſis Epiſcopus, & S. AMANDVS Tregetenſium Epiſcopus, cum aliis triginta Epiſcopis. Florebat tempore illo in eodem Cœnobio vir venerabilis Aigilenus Abbas in ſancta religione feruens: & Cœnobium illud ſingulare in his regionibus erat ſanctitate & religione.

Anno DCLXXVIII. Pipinus Auſter Maior domus Regię principatum Francorum ſuſcepit. Huius temporibus ſanctus VVLFRANNVS Senonum Archiepiſcopus, relicto Epiſcopatu, ordinatóque in eius loco Donno GERICO, viro clariſſimo, auunculo Beati EBBONIS eximij Confeſſoris, quíque ei in Epiſcopatu ſucceſſit; Fontanellam monaſterium petiit, ibique Monachus effectus Friſiam prædicauit.

Anno DCCX. Obiit Childebertus Rex Francorum.

Anno DCCXII. Obiit Pipinus ſenior, & filius eius Carolus Martellus Princeps factus eſt.

Anno DCCXV. Obiit Dagobertus Rex iunior decimo

quarto Kalendas Februarij, qui regnauit in Francia annis quinque. Secundo anno poſt mortem eius pugnauit primùm Carolus Martellus contra Radbodum ad Coloniam, regnante Theoderico filio ſupra dicti Dagoberti iunioris. Temporibus iſtius Dagoberti refulſit ſanctus EBBO Archiepiſcopus, miraculis & nobilitate clarus. Fuit autem ex Caſtro Tornodorenſi natus, & eiuſdem pagi Comes & dominus, à parentibus tamen diuinâ prouidente clementia litteris adimbuendum traditus, quibus, dante Deo, ſodales omnes quos in ſcholis habebat ſuperauit, & ſapientia & eloquentia præceſſit: Vbi autem parentibus orbatus eſt, ad regimen caſtri & pagi quod ſibi hæreditario iure competebat adclamatus, latenter fugit, & in monaſterio ſancti Petri viui ſub Abbatis imperio Deo militauit. In proceſſu verò temporum mortuo ipſius loci Abbate, Abbas factus eſt. Poſteà autem obeunte Gerico Archiepiſcopo auunculo ſuo, totius cleri & populi adclamatione, & conſenſu Regis, in pontificali ſede ſanctæ MARIÆ ſanctíque Stephani Prothomartyris locatus, claruit ſignis & virtutibus. Huius in tempore gens Wandalorum Galliam veſtare cœpit, Eccleſiæ ſunt deſtructæ, monaſteria ſubuerſa, captæ vrbes, deſolatæ domus, diruta caſtra, ſtrages hominum factæ; per totam Galliam Vvandalis ferro & flammis proterentibus omnia. Peruenientéſque Senonas ciuitatem cœperunt eam iaculis & machinis infeſtare. Quod cernens ſanctus Ebbo pro ouibus ſibi commiſſis ſe dedit periculo, exiénſque de ciuitate cum ſuis, fretus diuina virtute fugauit eos ab vrbis obſidione. Tantus autem timor illos inuaſit, vt penitus ſe * de vita viuere deſperarent, niſi fugæ præſidium expetiſſent. Illíſque fugientibus perſecutus eſt eos vſque dum expellerentur de finibus noſtris, cæſa multitudine eorum. Námque obcœcati per meritum ſancti Præſulis conuerſíque in ſeipſis maximam partem de ſuis occiderunt, & qui euaſerunt cum confuſione pauci ad ſua redierunt. Sícque Deus omnipotens liberauit populum vrbis à perſecutione Vvandalorum per meritum ſancti Ebbonis.

*S. Ebbonis geſta cõpendio narrantur.*

*ſ. * deinceps,*

Poſt hæc vir Dei Ebbo ſoli Deo placere cupiens, eremiticam vitam diligens, cœpit ſolus habitare in loco qui ap.

pellatur Arcea, vbi ſunt duæ Eccleſiæ, vna in honore ſanctæ MARIÆ, altera ſancti Michaelis. Ibique diebus ac noctibus Chriſto ſeruiens, mundo extitit ammirabilis. Sæpe autem rediens ad ciuitatem illuminabat populum ſibi commiſſum verbo & virtutibus. Claruit autem idem non ſolùm diuina eloquentia, ſed etiam miraculis, quæ non ſunt per negligentiam ſcripta. Ea verò quæ fuerunt ſcripta perierunt ſub perſecutione Paganorum. Reddidit enim cœcis viſum, ſurdis auditum, greſſum claudis, loquelam mutis, omnibúſque ad ſe venientibus opem leuaminis cum alacritate conferre non diſtulit.

Chrodolinus Abbas S Petri Viui. Præerat tunc temporis cœnobio beati Petri CHRODOLINVS Abbas, vir religione inclytus, & ſanctitatis opinione famoſus. Quo tempore vir ſanctiſſimus Chriſti Martyr S. Paternus Monachus & Martyr. PATERNVS à partibus Oceani veniens, diuina ammonitione, ſicut in eius paſſione legitur, in Cœnobio Beati Petri ſub Abbatis imperio Chriſto militauit.

In illis diebus donna INGOARA Deo ſacrata, ſoror S. Ebbonis fecit teſtamentum de hæreditate ſua Beato Petro, quæ cumiacet in Pago Tornodorenſi, donno Chrodolino tunc Abbate. Defuncto autem Chrodolino, ſucceſſit ei Viraibodus Abbas S. Petri. VIRAIBODVS cuius in tempore alia ſoror B Ebbonis Leoteria, & Mummia ſimiliter Deo ſacrata, dederunt cunctam hæreditatem ſuam Beato Petro, viuente adhuc & confirmante Beato Ebbone fratre ſuo. Iacent iſtæ duæ ſorores in cœnobio beati Petri, in oratorio ſanctæ MARIÆ. Vbi & ipſe ſanctus Ebbo conſepultus, innumerabilibus poſt mortem claruit virtutibus.

S. Vulfrannus obit. Anno DCCXLI. Obiit ſanctus VVLFRANNVS in Cœnobio Fontanella, per quem conuerſa eſt ad Chriſtum Friſia. Obiit & Carolus Martellus, ſepultúſque eſt in Eccleſia S. Dionyſij Pariſius. Hic res Eccleſiarum propter aſſiduitatem bellorum laïcis tradidit. Quo mortuo Carlomannus & Pipinus filij regnum ſuſcipiunt.

Pipinus Rex inunctus. Obit S. Ebbo. Anno DCCL. Pipinus in Regem eſt electus, & Childericus, qui de ſtirpe Clodouei Regis remanſerat, tonſoratus. Hîc deficit progenies Clodouei Regis. Et ſanctus Ebbo obiit.

Anno DCCLXVIII. Pipinus Rex obiit; & filij eius Carolus, qui dicitur Imperator Magnus, & Carlomannus eliguntur in Regno. Carolus Magnus.

Anno ſepting. ſexageſimo nono Carlomannus obiit.

Anno DCCCIV. Obiit Alcuinus Philoſophus Abbas S. Martini Turonenſis. Sub tempore Karoli Magni fuit Rambertus Senonenſis Archiepiſcopus, cuius tempore fuit Abbas S. Petri Domnus Bertemarius Defuncto Ramberto eligitur Magnus in Archiepiſcopum. Iſte ædificauit Eccleſiam in honore Saluatoris ſuper terram ſancti Petri, vbi Canonicorum ſepulturam inſtituens ſeipſum ibi ſepelire fecit. Tempore eius dedit Karolus Magnus ſancto Stephano Villas & prædia, & ornamenta varia; inſuper Reliquias Sanctorum pretioſiſſimas. Alcuinus moritur. Rābertus, & Magnus Archiepiſcopi Senon. Bertemarius Abbas S. Petri. *Chronic. S. Marian.*

Anno DCCCIX. decimo ſeptimo Kalendas Auguſti, ſecundâ feriâ, incipiente horâ diei quintâ, eclypſis in ſole apparuit, luna vigeſima nona, indictione ſecunda.

Anno DCCCXIV. Obiit Carolus Magnus, & HLudouicus filius eius, qui Pius dicitur, Regnum Francorum & Imperium Romanorum ſuſcepit. Cuius in tempore Pagani diffuſi ſunt in prouincia quæ Pontiuus pagus appellatur. Quod cernens HIEREMIAS Monachus & procurator Cœnobij ſancti Richarij, quod eſt ſitum in eodem pago, ſciénſque & timens multiplicatam eſſe malitiam in illa regione, conſilio accepto cum fratribus, accipiens corpora ſanctorum cum pluribus Reliquiis, quas Carolus Magnus illic aſportauerat ex multis regionibus ob amorem nepotis ſui, qui illic tempore ſuo præfuit Abbas, detulit eas Senones in Baſilicam ſanctæ Columbæ, tempore Magni Archiepiſcopi. Morante autem Hieremia Monacho, ibi factum eſt vt dormitionem acciperet domnus Magnus Archiepiſcopus. Dei igitur nutu ab omnibus idem Hieremias eligitur Archiepiſcopus. Erat enim valde eloquens & ſtudioſus in omni philoſophia. Ordinatus autem tranſtulit Reliquias in Eccleſiam ſancti Stephani, quas detulerat de ſancto Richario. Obtinuit autem Præcepta imperialia à Ludouico Auguſto ſanctę matri Eccleſiæ Senonenſi de omnibus quæ videbatur habere ipſa Eccleſia, ad munimen & defenſionem contra om- *Oderannus ad hunc an.* Hieremias ex Monacho S. Richarij Archiepiſc. Senonenſ.

nes iudiciarias poteſtates. Inſuper addidit ei Rex Abbatiam ſanctæ Columbæ, quam anteceſſores ſui nuper perdiderant, vt eſſet ſub tuitione Archiepiſcopi Senonicæ vrbis. * Valde enim familiaris erat Regi. Ipſe ædificauit Cellam in Aquitania in loco qui dicitur Mauriacus, mutans nomen eius & vocans Nouiacum, in honore ſancti Petri, in proprio fundo ipſius S. Petri Senonenſis, quam Theodechildis filia Regis Clodouci, & Baſolus Comes Aruerniæ ob amorē Dei ad ſtipendia Monachorum reliquerant. Per deprecationem FRODBERTI Abbatis Cœnobij ſancti Petri Senonenſis ipſam Cellam conſtruxit, & quòd homines ipſius pagi terras & prædia ſancti Petri diriperent, & in proprios vſus retinerent. Inſtituit autem & Monachos Regulares de Eccleſia ſancti Petri Senonenſis, qui illic Deo ſeruirent, quatenus locus ipſe prædia & terras, quas adhuc poſſidebat, ex toto non perderet, & vt ipſa Cella Deo auctore per cuncta tempora ſub cuſtodia Frodberti Abbatis & eius ſucceſſorum eſſet; & ibi gubernarent villas & Eccleſias quæ coniacent in Aquitania & Aruernia, in Lemouicenſi pago, ſicut anteceſſores ſui gubernauerunt. Poſtulauit autem idem Hieremias Archiepiſcopus, & Frodbertus Abbas, Ludouico Auguſto fieri ſibi Priuilegium de eadem Cella, & de omnibus appenditiis quæ adiacent Cœnobio ſancti Petri Senonenſis, quod & impetrauit. Defuncto autem Frodberto Abbate ſucceſſit ei ALBERTVS.

*[Margin: * poſteà tamen ab eodē Ludouico priſtinæ libertati & exemptioni fuit reſtituta rogatu Sulpitij Abbatis anno 835.]*

[Margin: Frodobertus Abbas S. Petri.]

[Margin: Albertus Abbas S. Petri.]

Obeunte verò Hieremia Archiepiſcopo, ſeptimo Idus Decembris, & ſepulto in Baſilica ſanctæ Columbæ, nutu diuino ſanctus ALDRICVS Pontificalem ſedem ſuſcepit Abbas ſancti Petri Ferrarienſis, viuente adhuc Pio HLudouico. Igitur S. Aldricus Cœnobium ſancti Remigij, quod erat ante portam ciuitatis, in propria villa eiuſdem Cœnobij, quæ vocatur Vallilias *, commutauit. Mortuo igitur Alberto Abbate, ſucceſſit ei Venerandus ANASTASIVS.

[Margin: Hieremiæ decedenti ſucceſſit Aldricus.]

[Margin: Cœnobiū S. Remigij transfert apud Vallilias.]

[Margin: * *Gallicè,* Vareilles.]

Anno autem vigeſimo HLudouici Imperatoris Regni, rebellauit contra eum HLotarius filius eius auferens illi regnum Francorum. Ipſo autem anno collecto exercitu copioſo valde, HLudouicus pater reſtituit ſibi Regnum

[Margin: Anaſtaſius Abbas.]

quod illi abſtulerat filius. Eodem anno quinto Kalendas Auguſti obiit * HROTLAVS matrona nobilis, coniux MAINERII Comitis Senonicæ vrbis, ſepultâque eſt in Baſilica Beati Mauritij * apud Vallilias in ſua hæreditate: de qua iamdudum teſtamentum fecerat ſancto Remigio. Reliquit autem & Beato Petro maximam partem hæreditatis ſuæ ob amorem Dei, & donni Mainerij ſenioris ſui, cuius corpus anteà tumulauerat in Baſilica Beati Petri in Oratorio ſancti Andreæ Apoſtoli. Ipſe verò Comes antequam moreretur dedit Beato Petro facultates magnas, & ornamentum maximum, inſuper & Reliquias pretioſiſſimas. Vertente igitur anno in die Aſcenſionis Domini fit bellum in Burgundia apud Fontanetum à quatuor filiis ipſius HLudouici, Carolo ſcilicet & HLotario, HLudouico & Pipino, vbi multus effuſus eſt ſanguis. Sanctus igitur Aldricus nondum expleto Cœnobio quod cœperat ædificare in honore ſancti Remigij, migrauit ad Dominum ſexto Idus Octobris, mandans ſua membra tumulari apud Ferrarias.

*al. Rothildis Comitiſſa.

*S. Remigij etiam dicta.

Anno DCCCXXIX. Obiit Hieremias Archiepiſcopus ſeptimo idus Decembris.

Anno DCCCXXXII. HLudouicus Regnum amiſit, & HLotarius recepit. Item HLudouicus recepit.

Anno DCCCXL. actum eſt bellum inter Carolum Regem & HLotharium apud Fontanetum.

Anno DCCCXLI. Obiit HLudouicus Pius. Sancto autem Aldrico ſucceſſit in Epiſcopatu VVENILO, nobilitate præcipuus, & ingenio acutus, qui perficiens Cœnobium ſancti Remigij apud Vvallilias, ditauit illud honoribus & facultatibus multis. Poſt mortem verò HLudouici anno vno fuit factum bellum quod ſupradictum eſt à quatuor filiis ipſius. Ex quibus Carolus, qui appellatur Caluus, regnum Francorum & Imperium Romanorum obtinuit. Lotharius verò partem Franciæ ſibi vendicauit, quæ vſque in hodiernum diem ex ſuo nomine Lotharij regnum appellatur. HLudouicus autem Burgundiam ſibi vendicauit, vnctuſque eſt in Regem à Vvenilone Archiepiſcopo. Perfecit autem idem Archiepiſcopus Baſilicam ſancti Remigij, apud

Vvenilo in locum Aldrici Archiep. ſuffectus. Chronic. S. Mariani ad an. 840.

Vvallilias, & dedicauit eam Kalendis Nouembris deferens illic ipſo die corpus Beati Valeriani Martyris, ditans illam opibus magnis, viuente adhuc RAVILAVDO Abbate ipſius Cœnobij. Eccleſiam verò ſancti Stephani, quæ erat vetuſtiſſima, renouauit idem Vvenilo, priſtinóque decori reformauit, quam quarto Idus Decembris dedicauit.

Rauilaudus Abbas S. Remigij.

In illis diebus erat OTRADVS huius vrbis Corepiſcopus, vir honeſtus & per cuncta laudabilis. Illo igitur in tempore reuelauerunt ſe ſancti Chriſti Martyres Sauinianus, Potentianus, Altinus, Eodaldus, & Serotinus Vveniloni Archiepiſcopo & ANASTASIO Abbati. Qui leuantes eos cum magno honore de Eccleſia vbi ſepulti erant, tranſtulerunt eos in baſilicam Beati Petri octauo Kalendas Septembris. Poſt hæc defunctus eſt Rauilaudus Abbas ſancti Remigij decimo ſecundo Kalendas Ianuarij. Sub ipſo tempore Vvenilo Archiepiſcopus Eccleſiam ſanctæ Columbæ dedicauit in honore ſanctæ Crucis decimo primo Kalendas Auguſti, & in craſtino leuata ſunt corpora ſanctorum Columbæ & Lupi de tumulis, vbi fuerant primùm ſepulti, cum honore maximo ab eodem Archiepiſcopo. Defuncto autem Anaſtaſio ſancti Petri Abbate, ſucceſſit ei DIDO. Otradus itaque Corepiſcopus defunctus in Baſilica Beati Deſiderij eſt ſepultus decimo ſeptimo Kalendas Februarij.

Tranſlatio SS. Sauiniani, Potētiani, &c. vt infra 847.

Anaſtaſius Abbas S. Petri.

Dido Abbas S. Petri.

Otradus Coëpiſcopus obit.

Anno DCCCXLVII. Octauo Kalendas Septembris tranſlata ſunt corpora Sanctorum martyrum Sauiniani, & Potentiani, Eodaldi & Altini, a Vvenilone Archiepiſcopo, & auditæ ſunt voces angelicæ in cœlo.

Anno DCCCLXV. Vvenilo Archiepiſcopus obiit, ſepultuſque eſt apud Vallilias quinto nonas Maij in Crypta ſanctę Anaſtaſiæ virginis. Huic ſucceſſit in Epiſcopatu Donnus EGIL Monachus omni bonitate conſpicuus, qui diligens Cœnobium Beati Petri tradidit ad ſtipendia Monachorum ibidem Deo ſeruientium villam Alſonis, cum Eccleſia & ſuis appendiciis. Cuius Donationem confirmari voluit ab Epiſcopis in Conuentu apud Piſtas, Sic:

Deceſſit Vvenilo Archiep. in cuius locū ſubrogatus eſt Egilus.

" Anno ab Incarnatione Domini noſtri IESV Chriſti
" DCCCLXIX. glorioſi Regis Caroli XXIX. Indictione ſecunda,

cunda, poſitis nobis diuerſorum vrbium Epiſcopis cum eodem Rege in Piſtis, quò ad componendum Regni ſui ſtatum acceſſerat, Reuerentiſſimus nobiſque dilectiſſimus Egil gratia Dei Archiepiſcopus Senonicæ Ciuitatis, propter inſidias & cupiditatem ſucceſſorum impetrato regali Præcepto de quadam villa ſui Epiſcopatus nomine Seuriaci, in Comitatu Senonico ſita, cum manſis omnibus in Villamari, & Septempiri, & Longumpiri, & cunctis ad eamdem villam pertinentibus plena integritate, cuidam eiuſdem Epiſcopatus Monaſterio ad orientalem plagam præfatæ vrbis in honorem ſancti Petri dicato, vbi turma Monachorum iugiter Deo famulatur, ob Dei eiuſdémque ſancti Petri amorem & honorem, per ſuæ authoritatis Præceptum reſtitueret vel donaret, & reſtituens, vel dans perpetim habendam confirmaret. Poſtulauit inſuper, vt quamdam Eccleſiam eiuſdem Epiſcopatus in honore S. Petri conſtructam, cum omnibus ad eam pertinentibus in eodem pago Alſonis ſitam, eidem Monaſterio S. Petri æternaliter concederet, atque concedens delegaret. Cuius petitionem libenter ſuſcipiens, libentiſſiméque perficiens reſtituit quæ iuris illarum eſſe dicebantur. Et dedit vel largitus eſt authoritate & poteſtate Regis quod piè à memorato Antiſtite poſtulatum eſt, vt quia locum ſuæ ſepulturæ in eodem Monaſterio præparare decreuerat, ex eadem Eccleſia luminare ibi continuatim miniſtraretur, & præfata villa cum ſuis appenditiis, vſibus Monachorum ibi degentium deſeruiat. Hoc igitur Præceptum flagitauit cariſſimus & dulciſſimus Egil Coëpiſcopus, vt noſtræ fraternitatis Conuentus Priuilegio noſtræ authoritatis roboraret atque confirmaret: neque abnuimus.

Igitur ſtatuimus vt hæc reſtitutio vel largitio noſtri Senioris, atque præfati Antiſtitis perpetualiter obſeruetur, neque à ſucceſſoribus ſuis vllo modo violetur, ſed ſemper ad vſus Fratrum, & ad lumen ſufficiendum pro ſua ſepultura teneatur: non modò hæc, verùm etiam omnia quę in tempore videntur habere, vel quidquid deinceps acquirere potuerint, ſeu à fidelibus eis collatum fuerit cauſa eleemoſynę, inſolubiliter ab illis poſſideatur. Quòd ſi quis noſtram exiguitatem contemnendo per aliquam cupiditatem, vel ſubre-

» prionem, hoc noſtrum Decretum infregerit, ſecundum au-
» thoritatem quam in Beato Petro accepimus, dicente Domi-
» no: *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis:*
» *& quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis:* eum
» iuſte ac rationabiliter anathematis vinculo obligamus, qui
» cœca cupiditate hæc Dei ſeruorum ſtipendia etiam poſt
» noſtram prohibitionem auferre præſumpſerit. Atque vt hæc
» Conſtitutio vera credatur, & profutura Dei famulis omni
» tempore inuiolabiliter conſeruetur, manus noſtræ ſubſcri-
» ptionibus eam vniuerſi firmauimus: & inſuper tam abſentes
» quàm futuros noſtri ordinis cooperatores, ſeu quoſlibet
» veræ Religionis ſectatores poſcimus, vt hanc tanti Pontifi-
» cis largitionem cùm legerint, vel audierint, voto & ſubſcri-
» ptione eam nobiſcum roborent.
» Ego EGIL indignus Archiepiſcopus Senonenſis Eccle-
» ſiæ hanc Donationem, & Conſtitutionem à me factam ſub-
» ſcripſi.

FVLCARIVS Tricaſſenſis Epiſcopus.

Ego CHRISTIANVS Autiſſiodorenſis Eccleſiæ Epiſcopus.

ÆNEAS Pariſienſis Epiſcopus.

HILDEGARIVS Meldenſis Epiſcopus.

ABBO Neuernenſis.

GVALTERIVS Aurelianenſis.

GVENILO Rothomagenſis.

ISAAC Lingonicæ Ciuitatis Epiſcopus.

HINCMARVS Metropolitanus Remenſis.

WLPHARDVS Bituricenſis.

AYRARDVS Turonenſis Metropolitanus Epiſcopus.

In diebus illis facta eſt fames & mortalitas magna per totum regnum Francorum, maximè per Aquitaniam & Burgundiam, ita vt præ multitudine morientium non eſſet qui ſepeliret. Nam Senonis inuenti ſunt vno die quinquaginta ſex homines mortui; ſed miſericordiâ Chriſti in ipſo anno ceſſauit. Mortuo itaque Didone Abbate ſancti Petri, ſucceſſit ei AQVILA, eruditus omniphiloſophia, diſcipulus eiuſdem Archiepiſcopi EGILI. Idem autem Archiepiſcopus totum tempus vitæ ſuæ ducens in bona conuerſatione

Aquila Abbas S. Petri.

diem clauſit extremum; quem ſepelierunt in Baſilica Beati Petri in oratorio ſancti Stephani. Succeſſit autem ei diuina prouidentia ANSEGISVS Monachus, vir in cunctis optimè agens. Cuius temporibus Senonenſis Eccleſia magno & pacifico viguit honore. Ipſe promeruit principatum totius Galliæ & Germaniæ à beatiſſimo Ioanne Papa, & Carolo Auguſto. Cuius Capitulum dignum duximus inſerere huic paginæ factum à Leone Apocriſario in Pontigone.

Anſegiſus Archiep. ſuccedit Egilo.

*Sancta Synodus, quæ in nomine Domini vocatione Donni Ioannis ter beatiſſimi, & iuſſione Donni Caroli Auguſti congregata eſt in Pontigone Anno Domini octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Indictione nona, decimo ſeptimo Kalendas Auguſti, hæc Capitula quæ ſubter adnexa ſunt, inſtituit.*

Synodus S. Pontigonenſis. *Hæc habet ad verbum Odoran. in Chronico ad an. 876.*

*Obeunte H Ludouico qui Romani Imperij iura regebat., Ioannes ter beatiſſimus Papa, per Iaidericum Belitrenſem, Anſegiſum Senonenſem, Formoſum Portuenſem, Ioannem Aretinum, venerabiles Epiſcopos, Donnum Carolum tunc Regem ad limina Beatorum Apoſtolorum inuitauit, eúmque Eccleſiæ ipſius defenſorem ac tutorem elegit, Imperialique diademate coronauit, eum præ cunctis ſolum eligens ſpecialiter qui Romani Imperij ſceptra teneret. Cuius ſacris inſtitutionibus pro debito parentes, quod ipſe confirmauit, pari conſenſu omnes cenfirmauimus.*

*al.* * Alatrinum.

*Sicut Donnus Ioannes ſanxit conueniente & conſentiente, ac condecernente * Donno ac glorioſiſſimo Carolo Imperatore ſemper Auguſto, Anſegiſum venerabilem Archiepiſcopum Senonum ſuam vicem tenere, & Primatum ei Galliæ & Germaniæ contulit, in euocanda Synodo & definiendo canonicè ſi quælibet inſurrexerint neceſſaria [& vt quælibet grauiora ad ipſius notitiam referat,] & nos vnanimiter omni deuotione laudamus, & vt ita Primatum ipſe teneat Galliæ & Germaniæ decernimus & ſancimus, cunctique ſucceſſores eius in propria vrbe Senonica.*

* concedente.

Archiepiſcopus Senonenſ. Primas Galliæ ac Germaniç.

* *Iſta deſunt apud Baronium an. 875*

Item inuenitur in geſtis Epiſcoporum Eccleſiæ Remenſis de Archiepiſcopo Senonenſi ita: *Obtinuit Donnus Anſegiſus Archiepiſcopus Senonenſis à Beatiſſimo Ioanne Papa, & à Carolo Auguſto, vt eſſet primus poſt Papam, & teneret Primatum totius Galliæ & Germaniæ, & vt fortiora quæque &*

*Chronic. S. Mariani ad an. [illegible] [illegible] habet iſta.* * Hincmarus.

*grauiora dijudicaret, Synodumque euocaret, ſi quælibet inſurrexerint; cunctique ei obediant Galliæ & Germaniæ Epiſcopi ſicut Epiſcopo Romano. Voluit autem ei reſiſtere* Immarus Archiepiſcopus Remenſis, ſed minimè potuit, conuictus Apoſtolica auctoritate. Suo etenim tempore Eccleſia Senonica magno & pacifico viguit honore.*

Idem Chronic. Caput S. Gregorij & brachium S. Leonis.

Poſtulauit autem idem Anſegiſus à Ioanne Papa dari ſibi Reliquias Pontificum atque Doctorum Gregorij atque Leonis, quod & impetrauit: plerumque etenim Miſſarum ſolemnia in ſede Apoſtolica celebrauit. Dedit autem ei Ioannes Papa caput Beati Gregorij Papæ vniuerſalis, filij Gordiani, plumbo incluſum; & brachium ſancti Leonis Papæ & Doctoris. Suſcipiens autem hoc munus idem Anſegiſus detulit Senones in Baſilicam ſancti Petri, quod vſque in hodiernum diem illic cum magno honore ſeruatur. Tranſtulit idem & corpora Sanctorum Præſulum, Leonis, Vrſicini, Agricij, & Ambroſij, in Eccleſiam ſancti Petri de baſilica ſancti Leonis vbi fuerant primùm tumulati, quæ primùm fuit dedicata in honore ſanctorum Geruaſij & Protaſij. Fuit autem ipſa habitatio Monachorum magna, ſed exigentibus peccatis hominum deſtructa eſt dum obſiderent Pagani ipſam ciuitatem. Erat enim in ipſa Baſilica turris excelſa valde, quam capientes pagani conſpiciebant ex illa omnia quæ infra muros habebantur. Chriſtiani verò qui infra ciuitatem habitabant, ſuper hoc facto, conſilio accepto, inſtruxerunt machinas contra ipſam munitionem. Irruentes igitur quadam die ex ciuitate freti ſuperno auxilio, & precibus ſancti Leonis, cuius baſilicam irreuerenter polluerant pagani, trucidauêre plurimos in ore gladij, & reliqui fugerunt. Poſteà verò ipſam Baſilicam cum turri ſubuerterunt, ne alia vice ſimiliter illis eueniret. Ea igitur tempeſtate multæ Eccleſiæ in hac prouincia ſunt deſtructæ, inter quas etiam Baſilica ſanctæ MARIÆ ante ciuitatem mirifico opere conſtructa funditus euerſa eſt. Commanebat autem in eodem Cœnobio maxima multitudo ſanctimonialium quæ virginitate ſeruata Déo ſeruire cupiebant. Erat verò in eodem loco caput Beati Quiriaci Martyris ab Hieroſolymis aſportatum à Carolo Magno, & conditum in

eadem Eccleſia cum magno honore, cum reliquiis ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ. Hilduinus & Andreas duo Presbyteri condolentes deſtructæ Eccleſiæ, ædificauerunt alteram in honore eiuſdem Virginis in proprio fundo ipſius Baſilicæ, vbi poſuerunt Reliquias cum ſancti Quiriaci capite. Fecerunt autem ipſi teſtamentum eidem loco de ſua propria hæreditate. Poſſeſſiones, & cartas, & templum ſecundum ſuum poſſe reſtaurauerunt. Floruit autem idem locus temporibus eorum magno honore, ſed poſt illorum deceſſum ad magnam ruinam deuenit. Archiepiſcopi námque maximam partem de ipſa hæreditate Militibus in beneficio tradiderunt; ipſa Eccleſia cuidam Militi tradita eſt in beneficio, & inde penè venit ad nihilum. Redeamus igitur ad ea quæ cœpimus enarrare.

Tranſlatio SS. Sanctiani, Auguſtini, & Beatæ in Eccleſiam S. Petri. *Eadem Odorannus in Chronico ad an. 883.*

Videns itaque Donnus Anſegiſus Archiepiſcopus ita deſtrui circumquaque Eccleſias, pretioſum Chriſti Martyrem Sancianum tranſtulit de Villa (quæ ex eius nomine Sanceïa vocatur) in Baſilicam ſancti Petri cum corpore ſancti Auguſtini Martyris, qui ibi quieſcebat, Eodaldo ipſius villæ preſbytero. Tranſtulit etiam idem ſubſequenti tempore corpus ſanctæ Beatæ Virginis in eamdem Eccleſiam, & in locello iuxta fratrem ſuum ſanctum Sancianum. Ferunt etiam veteres ipſum Martyrem & ſororem eius Beatam conſanguineos eſſe Beatæ Columbæ virginis, & ob amorem ipſius à partibus Hiſpaniæ adueniſſe cum pluribus aliis. Quos Aurelianus Imperator, vt Chriſtum prædicare cognouit, diuerſis pœnis eos afficiens decollari præcepit. Eſt autem ipſe locus vbi decollati ſunt quaſi duobus milibus ab vrbe iuxta ſyluam in quodam monte. Fuit autem Eccleſia ibi ab antiquis in honore horum Sanctorum ædificata, ſed tempore Paganorum fuit deſtructa. Eſt adhuc ibi crux lignea poſita pro Sanctorum reuerentia, vbi quoddam miraculum noſtris temporibus euenit. Quidam iuuenis & quædam iuuencula illic nocturno tempore aduenientes, voluptatem ſuam voluerunt adimplere, qui ſtatim defuncti ſunt ſubitanea morte. Alio quoque tempore Vvarinus quidam miles iniuſtè auferebat ſancto Petro quamdam terram, in quam dum pranſu-

rus aduenisſet, Monachi eius aduentum audientes, corpus ſancti Sanciani accipientes illuc detulerunt. Ille enim equum ſuum aſcendens, obuiam illis venit, comminans illos ne ingrederentur in terram ſuam Monachi verò fiduciam habentes in Deo conſtantes ſtabant. Pro nihilo ergo computans virtutem Martyris voluit percutere feretrum. Mox verò vt tetigit, percuſſus à Deo in terram cecidit, contractus toto corpore, multos poſteà viuens annos in ipſo languore. Frater verò eius arreptus à dæmone continuò expirauit, cernentes hoc cæteri in fugam ſunt conuerſi. Poſt hæc nemo fuit auſus ex eius progenie aliquam calumniam in terram * ſancti Petri inferre. Vocatur autem ipſe locus AD MARTYRES, eo quòd Pagani Martyres illic decollare ſoliti erant. Narrant etiam antiqui de iſto ſancto Auguſtino quòd fuerit Archiepiſcopus Treueris, orationíſque cauſa ad ſanctum Martinum deuenerit, & feſſus à labore hoſpitandi gratia in illa villa Sanceia diuerterit, ibíque ægrotans diem extremum clauſit, ſepultuſque eſt iuxta tumulum Sanciani martyris. Paſſiones horum Sanctorum & Præſulum iſtius ciuitatis non potuimus reperire, quæ tempore Paganorum fuerunt incenſæ.

** pendet adhuc hodie ab eodem Monaſterio.*

Tranſtulit etiam idem Anſegiſus in Eccleſiam ſancti Remigij apud Wallilias Sanctum Romanum de Cœnobio ſancti Germani Autiſſiodorenſis, impetrato hoc ab HVGONE Abbate eiuſdem loci. Abbas itaque ſancti Petri Aquila ex hoc mundo tranſiens, ſepultus eſt in oratorio ſancti Stephani, iuxta tumulum Donni Ægili Archiepiſcopi. Succeſſit autem ei FRANCO in ordine paſtorali.

Franco Abbas S. Petri.

Anno DCCCLXVII. obiit Nicolaus Papa ſanctiſſimus, cui poſt beatum Gregorium nullus Præſul videtur æquiparari poſſe pro ſtudio & rigore religionis diuinæ.

Anno DCCCLXXVII. Carolus Imperator, qui appellatur Caluus, cùm ſecunda profectione Romam peteret, Vercellis obiit, tertio Kalendas Octobris: ibíque ſepultus in Baſilica ſancti Euſebij annis ſeptem requieuit. Poſt hæc autem delatum eſt corpus eius Dei nutu in Franciam, & ſepultum in Eccleſia ſancti Dionyſij Pariſius. Suſcepit autem

regnum HLudouicus filius ipſius. Anno verò ſequenti Ioannes Papa Romanus ad Gallias veniens cum Formoſo Epiſcopo Portuenſe, ferens ſecum pretioſiſſimas reliquias per Arelatum & Ludunum aliaſque vrbes, Trecas venit ibíque cum HLudouico Rege & Anſegiſo Archiepiſcopo locutus, ad Italiam rediit, relinquens Formoſum cum Reliquiis eidem Anſegiſo. Pergens autem idem Formoſus ad Monaſterium ſanctæ Faræ in Brigeſo, dimiſit ibi caput Beatæ Agnetis. Quod dum poneret ſuper altare, cunctæ Deo ſacratæ in terram ruerunt velut in extaſi poſitæ. Reuertens autem ad Anſegiſum Senones poſuit maximam partem Reliquiarum in baſilica ſanctæ Columbæ ſecundo nonas Iulij, Eurardo tunc Præpoſito, poſteà Pontifice. Demorans autem quibuſdam diebus in vrbe profectus eſt Autiſſiodorum, ibíque in Cœnobio ſancti Germani pretioſas Reliquias poſuit. Poſt hæc defunctus eſt HLudouicus Rex Caroli Calui filius, relinquens filium ſuum paruulum, qui Simplex appellatur, cum Regno in cuſtodia Odonis Principis.

Eodem anno migrauit ad Chriſtum Donnus Anſegiſus Archiepiſcopus, ſeptimo Kal. Decembris, triſtante mundo, lætante cœlo, ſepultúſque eſt in cœnobio Beati Petri in Oratorio S. Bartholomæi. Cui ſucceſſit nutu diuino Donnus Evrardvs Monachus & Præpoſitus ſanctę Columbę quarto Kal. Maij, doctrinâ & virtutibus mirabilis. Cuius tempore gens Normanorum incredula per Gallias ſeſe diffudit totius crudelitatis genere debachata. Quinto igitur anno ordinationis ſuæ venerunt Senonas vaſtantes omnia. Siquidem ſubuerſa ſunt caſtra, deſolatæ vrbes, deſtructæ Eccleſię, ſuccenſa monaſteria. Tunc quoque cœnobium ſancti Remigij, quod erat apud Vallilias, incenſum eſt, & vſque ad ſolum dirutum. Svavo ipſius loci Abbate cum fratribus ad vrbem confugientibus cum corpore beati Romani, & pluribus Reliquiis. Intereà hoſtilis exercitus Senonem oppugnabat ciuitatem, eámque omni arte quæſitis machinis capere nitebatur, obſidens eam menſibus quinque. In illis diebus Eurardus Archiepiſcopus languore correptus obiit Kalendis Februarij, ſepultúſque eſt in Baſilica ſanctæ Co-

*Veriùs* 879. Obiit Anſegiſus Archiep.

Huic ſuccedit Eurardus.

Deſtruuntur Eccleſię à Normanis.

Suauus Abbas S. Remigij.

lumbæ in Oratorio ſancti Martini. Cui ſucceſſit ſequenti menſe Donnus VVALTERIVS nobilitate & ſcientia clariſſimus.

Vvalterius Archiep. Senon.

Tandem Sanctorum precibus ira Dei in miſericordiam verſa eſt: Franguntur vires hoſtium, impetus retunditur, confidentia debilitatur, ſicque intelligentes ſe fruſtra niti contra eos quos Dei pietas tuebatur, menſe Maio ab vrbis obſidione recedunt; dehinc ad propria redeunt. Eo igitur anno, Franci, Burgundiones, Aquitanienſes Proceres congregati in vnum cum Vvalterio Archiepiſcopo, Odonem Principem ſibi elegerunt in Regem. Vnxit autem eum Donnus Vvalterius Archiepiſcopus. Pace interim reddita BONO, cui poſt obitum præfati Suaui Abbatiæ ſancti Remigij cura erat commiſſa, cogitare cœpit quid de loco ageret, cuius tantummodò ſuperſediſſent ruinæ. Tandem placuit Abbati cæteriſque Fratribus, vt in prædiolo ſuo, quod eſt in ſuburbio ciuitatis poſitum, Monaſterium fundaretur, vbi priſco tempore fuerat conditum. Ædificatâ ergo baſilicâ, tranſtulerunt illic corpus ſancti Romani & Reliquias cum lætitia magna, vbi vſque hodie multis virtutibus pollet. Igitur Vvalterius Præſul nono anno ordinationis ſuæ, ſexto Idus Iunij, captus eſt á Richardo Duce Burgundionum, & poſitus in cuſtodia nouem menſibus, propter quaſdam contentiones quas inter ſe habebant, viuente adhuc Odone Rege. Poſt nouem autem menſes reuerſus eſt de cuſtodia Senones cum pace VIII. Kal Martij, datis obſidibus Richardo Duci ſub titulo ſacramenti.

Odo Rex inauguratur à Vvalterio.

Transfertur Monaſterium S. Remigij ad muros vrbis Senonenſis.

Mortuo autem Francone ſancti Petri Abbate, ſucceſſit ei AIGLO. Obeunte itaque Odone Rege Kalendis Ianuarij recepit regnum Carolus Simplex filius HLudouici. Sub ipſo tempore venerunt Normanni in Burgundiam vſque ad ſanctum Florentinum. Occurrit autem illis Richardus Dux cum ſuis, percuſſitque multos ex eis, & reliqui fugerunt v. nonas Ianuarias. In illis diebus BETHO Præpoſitus & Monachus cœpit ædificare muros ſanctæ Columbæ in circuitu. Eodem tempore Pagani obſederunt Carnotum ciuitatem. Collecto igitur exercitu Richardus Dux & Robertus prin-

Aiglo Abbas S. Petri.

ceps

ceps in eos irruerunt, peremptis ex paganis ſex millibus octingentis, capientes obſides à reliquis. Conſilio igitur accepto Carolus Rex cum Optimatibus tradidit Neuſtriam Normannis: ex illo tempore vocata eſt Normannia. Poſt hæc mediante Martio apparuit Stella à parte Circij emittens radium magnum fere diebus quatuordecim. Sequenti anno fuit fames magna per totam Galliam. In tempore illo Betho Præpóſitus ſanctæ Columbæ ordinatus eſt Epiſcopus Autiſſiodorenſis, quarto Idus Martij, peractíſque in Epiſcopatu annis quatuor defunctus eſt ſexto Kalendas Martij. Subſequenti igitur anno Kalendis Februarij igneç acies viſæ ſunt in cœlo diuerſorum colorum. Ipſo anno fuit diſſenſio magna inter Regem & Principes eius. Ob hoc plurima ſtrages inter illos perpetratæ ſunt, ſed fauente Deo omnis illa contradictio ceſſauit.

Betho Præpoſitus S. Columbæ & Epiſcopus Autiſſiod.

Mortuo autem Aiglone Abbate ſancti Petri, ſucceſſit ei SAMSON venerabilis; deinde defunctus eſt RICHARDVS Dux, ſepultúſque eſt in Baſilica ſanctæ Columbæ in Oratorio ſancti Symphoriani Kalendis Septembris. * Secundo anno poſt mortem eius Robertus Princeps rebellauit contra Carolum Simplicem, vnctúſque eſt in Regem à Walterio Archiepiſcopo tertio Kalendas Iulij. Et nondum anno expleto, decimo ſeptimo Kal. Iulij, factum eſt bellum Sueſſionis ciuitate inter Carolum Simplicem & Robertum ipſum, vbi interfectus eſt idem Robertus. Carolo verò à cæde belli victore reuertente, occurrit illi Herbertus infidelium nequiſſimus, & ſub fictæ pacis ſimulatione in caſtro, quod Parrona dicitur, vt hoſpitandi gratia diuerteret, eum compulit, & ſic eum dolo captum retinuit. Habebat enim ipſe Robertus ſororem iſtius Herberti in coniugio, de qua ortus eſt Hugo Magnus. Illic poſitus Carolus Rodulfum nobilem filium Richardi, quem de ſacro fonte ſuſceperat, vnà cum conſilio Hugonis Magni filij ſupradicti Roberti, & Procerum Francorum in Regnum ſublimauit. Idem autem Carolus poſt longam carceris macerationem defunctus eſt in ipſa cuſtodia, & ſepultus in Baſilica ſancti Furſei, in Caſtro Parrona. Vnctus eſt autem in Regem ipſe Rodulphus tertio Idus Iulij Sueſſionis ciuitate à iam dicto Vvalte-

Samſon Abbas ſancti Petri.
Richardus Dux ſepelitur in Eccleſia S. Columbæ.
* *Odorannus anno 922.*

rio Archiepiſcopo. In ipſo anno defunctus eſt Vvalterius Archiepiſcopus XIII. Kal. Decembris, & ſepultus in baſilica beati Petri. Cui ſucceſſit Vvalterius nepos eius, homo verſutus moribus, & ingenio callidus. Huius temporibus Pagani Burgundiam vaſtauerunt. Factum eſt autem bellum inter Christianos & Paganos in monte Chalo, peremptis ex Christianis multis millibus octauo Idus Decembris, vbi interfectus eſt Vvarnerius Vicecomes Senonum.

Vvalterio Archiep. ſuccedit Vvalterius nepos.

Vvarnerius Vicecomes Senonenſ.

Decedente autem Vvalterio Archiepiſcopo ſucceſſit ei Donnus ALDALDVS venerandæ memoriæ. Ipſe renouauit Baſilicam ſanctæ MARIÆ, quæ eſt iuxta Eccleſiam Beati Stephani: erat enim vetuſtiſſima, dans ad ſtipendia Canonicorum villam quæ vocatur Ebrola. Completis igitur Donnus Aldaldus in Epiſcopatu annis quinque migrauit ad Chriſtum VII. Kal. Octobris, cui ſucceſſit Vvillelmus Monachus. Quarto igitur anno ordinationis ſuæ, VI. Idus Ianuarij, primo gallorum cantu incenſum eſt Monaſterium ſanctæ Columbæ, & XVIII. Kal. Februarij eodem menſe obiit RADVLFVS Rex Autiſſiodoro, quem ſepelierunt in baſilica ſanctæ Columbæ. Poſt mortem eius HVGO Magnus vnà cum Francis accerſiens Vvillelmum Archiepiſcopum, miſit illum ad Oginam vxorem Caroli Simplicis, vt inde reduceret HLVDOVICVM filium eius. Fugerat enim ad patruum ſuum Regem Anglorum ob timorem Heriberti & Hugonis. Veniénſque Vvillelmus Archiepiſcopus, datíſque obſidibus ſub ſacramenti titulo Oginæ matri eius, reduxit HLudouicum in Franciam. Igitur XIII. Kal. Iulij vnctus eſt in Regem HLudouicus filius Caroli Simplicis apud Laudunum. Secundo anno poſt hæc XVI. Kal. Martij à gallorum cantu vſque ad lucem diei ſanguineæ acies per totam cœli faciem apparuerunt. Sequenti autem menſe IX. Kal. Aprilis Hungari adhuc in paganiſmo perdurantes, Franciam, Burgundiam, Aquitaniam ferro & igne depopulari cœperunt. Peruenientes autem Senones ciuitatem incenderunt Cœnobium ſancti Petri, vaſtantes omnem prouinciam. Cernens itaque Sanſon Abbas & Monachi malum hoc grande, conſilio accepto detulerunt corpora Sanctorum Sauiniani & Potentiani cum cæteris Sanctorum

Adaldus Archiep. Seno.

Vuillelmus in eius locum ſuffectus.

Rodulfus Rex obit.

Vvillelmus Archiep. Angliam petit. *Chronic. S. Mariani an. 937.*

Incenditur Cœnobiũ S. Petri Viui.

corporibus, & Reliquiarum pignoribus, cum magno honore in Eccleſiam eiuſdem Abbatiæ infra muros vrbis conſtructam in honore ſancti Petri *. Relictum verò eſt corpus ſancti Serotini in Crypta retro altare ſancti Petri. Vaſtantes igitur Pagani cunctam prouinciam redierunt ad propria incenſo cœnobio ſancti Petri, remanente ibi ſolummodò Oratorio ſancti Serotini, quod minimè potuerunt incendere. Qualiter autem Vvillelmus Archiepiſcopus corpora horum ſanctorum voluit retinere, vel qualiter illos reddiderit, in libello de virtutibus ſancti Sauiniani pleniùs inuenies.

** S Petri d'Arcè. al. de deniſon: parochialis eſt.*

Erat eo tempore BERNARDVS Archiclauis Abbatiæ ſanctæ MARIÆ, qui poſt mortem cuiuſdam militis in beneficio tenens ipſam Abbatiam, dum illam debuit meliorare, in quantum potuit adgrauauit, dans terras & prædia ſuis militibus. Inde terra & prædia eiuſdem loci in obliuione ſunt poſita, eò quòd periiſſent cartæ ipſius Eccleſiæ & teſtamenta. Sacerdos námque qui illíc deſeruiebat nihil curæ inde habebat. Recuperata autem pace ſanctæ Dei Eccleſię, Donnus Abbas Sanſon migrauit de hoc mundo, ſepultúſque eſt in baſilica ſancti Petri. Cui ſucceſſit ſanctus ODO Abbas primus Cluniacenſis Cœnobij. Accerſiens igitur idem Odo Vvillelmum Archiepiſcopum cum conſenſu Monachorum ſancti Petri præfecit eidem Cœnobio ARIGAVDVM Abbatem Religioſum & timentem Deum, Monachum ſancti Benedicti ſupra Ligerim.

Bernardus dilapidat bona Abbatiæ S. Mariæ.

S. Odo Abbatiam S. Petri regit. ac præficit Abbatem Arigaudum.

Decedente igitur Vvillelmo Archiepiſcopo XIX. Kalendas Septembris GERLANNVS eligitur Pontifex, Monachus ſancti Germani Antiſſiodorenſis. Poſt hæc rebellauerunt Francorum Proceres contra HLudouicum Regem; ſupèr omnes autem Hugo Magnus. In ipſo anno facta eſt fames valida per totum regnum Francorum. Tertio autem anno poſt hanc famem tradita eſt Senones ciuitas Rainaldo Comiti Remorum. Superueniens igitur Frotmundus Vicecomes cum exercitu, ingreſſus eſt caſtellum ſanctæ Columbæ. Illis verò qui in vrbe erant quieſcentibus meridiano tempore abſque vllo timore, egreſſus eſt Frotmundus cum exercitu de caſtello ſanctæ Columbæ, ingreſſúſque ciuitatem quieſcentibus cunctis iugulauit plurimos, & reliqui fugerunt

Vvillelmo Archiep. Gerlannus ſubrogatur.

quarto Calend. Auguſti. Ipſe etiam Rainaldus Comes fugâ lapſus eſt. Propter hoc igitur deſtruxit Frotmundus maximam partem murorum ſanctæ Columbæ, ne ſimiliter ingrederetur aliquis, ſicut ipſe fecit, & caperet ciuitatem.

Poſt hæc captus eſt HLudouicus Rex filius Caroli Simplicis dolo apud Baiogas ciuitatem à Normannis, multis Francorum interemptis, conficiente Hugone Magno. Obeunte itaque Arigaudo Abbate, & ſepulto in ipſo Cœnobio ſancti Petri, ſucceſſit ei DACHELMVS. Mortuo autem Dachelmo, ſubſequitur ei ARCHENGERIVS. Defuncto autem Frotmundo Vicecomite, RAINALDVS filius eius, qui vetulus appellatur, Comes Senonum factus eſt. Gerlannus igitur Archiepiſcopus longo iam ſenio confectus migrauit ad aſtra, vocatus nonis Auguſti, ſepultúſque in baſilica ſancti Germani Autiſſiodorenſis. Cui ſucceſſit HILDEMANNVS ſecundo Idus Septembris, ſancti Dionyſij monachus.

Abbates S. Petri Viui Dachelmus Archengerius.

Rainaldus Senon. Comes.

Hildemannus Archiep. Senon.

Defuncto autem Archengerio Abbate ſancti Petri, & ſepulto in eodem Cœnobio, ſucceſſit ei OTBERTVS. Poſt hæc menſe Maio, feriâ ſextâ, pluit ſanguis ſuper operarios. Ipſo anno menſe Septembri HLudouicus Rex totum tempus vitæ ſuæ plenum ducens anguſtiarum diem clauſit extremum, ſepultúſque eſt Remis in Eccleſia ſancti Remigij. Sequenti quoque menſe ſecundo Idus Nouembris, HLotarius iam iuuenis filius eius vnctus eſt in Regem Remis, & Hugo Magnus factus eſt Dux Francorum. Secundo autem anno poſt hæc menſe Auguſti obſedit ſupradictus Hugo Pictauis ciuitatem, ſed nihil ei profuit. Dum enim obſideret vrbem, quadam die intonuit Dominus terrore magno, diſrupítque turbo papilionem eius à ſummo vſque deorſum; ſtupórque magnus inuaſit omnes, ita vt viuere non ſe æſtimarent; ſtatímque in fugam verſi receſſerunt ab vrbis obſidione. Fecit autem hoc Deus per meritum Beati Hilarij, qui ſemper eſt defenſor ipſius vrbis. In ipſo anno defunctus eſt GISLEBERTVS Dux Burgundiæ, relinquens Ducatum OTTONI filio Hugonis Magni: habebat enim Otto filiam ipſius Giſleberti in coniugio. Secundo anno obiit Hugo Magnus Dux Francorum apud Drodingam Villam XVI.

Otbertus Abb. S. P. Viui.

Burgundiæ Duces Giſlebert. Otto.

Calendas Iulij, ſepultúſque eſt in baſilica ſanct iDionyſij Pariſius: cui ſucceſſerunt filij eius Hugo, Otto, Auuricus, nati ex filia Odonis Regis; Hugo fuit Dux Francorum, & Otto Dux Burgundionum. *An. 998. Odoran.*

Mortuo denique Otberto Abbate ſancti Petri, ſucceſſit ei NOTRANNVS, deſtructor ipſius Cœnobij. Nam vendens villas, & Eccleſias, & ornamenta Eccleſiarum ſancti Petri, & ſancti Remigij, ſanctique Eraclij, & ſancti Petri Ferrarienſis, parentibus ſuis diſtribuit, & poſteà Niuernenſium Epiſcopatum muneribus promeruit. Has enim omnes Abbatias tenebat. Factúmque eſt, vt à tempore illo vſque ad Donni Seuuini Archiepiſcopi tempus Abbatia ſancti Petri ſine Abbate remaneret. Monachis námque qui ibi remanſerant ob penuriam victus & veſtimenti huc illúcque vagantibus, locus ille ſanctus penè venit ad nihilum. Notrannus Abbatiæ S. P. Viui, & aliarū bona ſuis parentibus profudit.

In illo tempore erat quidam miles BVRCHARDVS, & vxor illius ILDEGARDIS, qui habebant quamdam munitiunculam in Pago Senonico ſuper Sequanam fluuium in loco, qui vulgo dicitur Braiacus, in locis paluſtribus. Ibi extruxerunt illi Cœnobium Monachorum in ſua hæreditate, in honore Domini Saluatoris, deferentes illic corpora Sanctorum Paterni martyris, & Pauacij Confeſſoris. Fundatio Monaſterij S. Saluatoris propè Brayam.

Cæterùm Hildemannus obiit ſepultus in baſilica beati Petri, expletis in Epiſcopatu annis quatuor, & menſibus decem & dimidium. & dies quatuor. Cui ſucceſſit ARCHEMBALDVS v. Cal Iulij, parentum potiùs & pecuniarum quàm Dei prouocatus examine. Archembaldus Archiep. Senon.

Mortuo denique Ottone Burgundionum Duce, ſucceſſit AVVRICVS frater eius. Sub ipſo tempore oritur contentio inter Anſegiſum Trecarum Epiſcopum, & Rotbertum Comitem. Eiectus autem ex ciuitate Anſegiſus à Rotberto perrexit in Saxoniam ad Otonem Imperatorem; adductiſque Saxonibus menſe Octobri obſedit Trecas ciuitatem tempore longo. Venientes autem in prædam Senones, voluerunt vaſtare totam regionem. Occurrerunt verò illis Archembaldus Archiepiſcopus, & Rainardus Comes vetulus cum exercitu maximo, in loco qui vocatur Villare: interfectiſque Saxonibus cum Duce ſuo Elpone, Senonenſes vi- Auuricus Dux Burgund.

Elpo Saxonũ Dux à Seno occiditur.

ctores rediêre. Dixerat Elpo incenſurum ſe Eccleſias & villas vſque ad ciuitatem, mittere ſe lanceam in portam ſancti Leonis. Interfectus autem reportatus eſt in patriam ſuam Ardennam: Sic enim iuſſerat mater eius Vvarna. Planxerunt autem eum valde Rainardus Comes, & Archembaldus Archiepiſcopus; conſanguineus enim illorum erat. Videns autem Bruno Dux ſocius eiuſdem Elponis quòd ipſe mortuus eſſet, & populus, reuerſus eſt in patriam ſuam.

Tranſlatio SS. Colũbæ Virg & Martyr. & Lupi Pontif. Senonenſis.

Sub ipſo tempore reſerantur Mauſolei Sanctorum Columbæ Virginis & Lupi Confeſſoris per notitiam cuiuſdam veterani Monachi. Solus enim ipſe nouerat quo loco tegerentur. Latuerant namque à tempore Paganorum vſque ad illud tempus in cripta ipſius Baſilicæ. Certiores autem facti de illorum præſentia, inuitatóque Archiepiſcopo Archembaldo, & populo innumerabili, leuauerunt eos cum magno honore XI. Kalendas Auguſti.

In illis diebus erat quidam miles Boſo nomine, raptor fortiſſimus, verſutúſque moribus, qui ingreſſus in munitiunculam Donni Burchardi apud Braiacum, deprædatus eſt cunctam prouinciam viuente adhuc Ildegarde vxore ſupradicti Burchardi. Igitur Rainardus Comes indignatus ſuper hac re, incendit munitiunculam ipſam capto Boſone cum Baſilica noſtri Saluatoris, deferens inde reliquias Eccleſiæ cum corporibus ſanctorum Paterni & Pauacij in Turrim Senonicæ ciuitatis. Poſtea verò reddidit ea per deprecationem Tetbaldi Comitis, ſub cuius dominatione idem locus eſſe videtur.

Corpora Paterni Mart. & Pauacij reſtituta Monaſterio S. Saluatoris.

Archembaldus vaſtat Cœnobium ſancti Petri.

Archembaldus itaque ſolo nomine Archiepiſcopus malis ſuis peiora addens, ſancti Petri Abbatiam ad ſolum vſque contriuit, quicquid Notrannus reliquerat ad nihilum redegit, Eccleſias, & villas, & ornamenta vendens, & diſtribuens, reliqua in vſus proprios retinuit. Relinquens verò domum ſuam quæ erat ad vſum Archiepiſcoporum, habitauit in clauſtro Monachorum, vendicans ſibi refectorium, in quo habitare cœpit cum meretricibus. Remanſerant autem ibi quindecim Monachi; ex quibus duodecim vna nocte ſunt defuncti. Tres verò de ipſa plaga euaſerunt, id eſt

Monachi 12. vna nocte interierunt.

Odo, Raimbertus, Adelingus, qui tamen in ipſo anno defuncti ſunt. Quidam autem Miles Frodo nomine compatiens ruinæ Cœnobij illius, poſtulauit ab ipſo Archiepiſcopo dari theſaurum ſancti Petri filio ſuo Frodoni. Factus autem Theſaurarius accepit illud tale ornamentum quod inuenit, & cartas ipſius Cœnobij, detulítque omnia in domum ſuam in ciuitatem. Fecit autem non cupiditate retinendi, ſed cauſa ſeruandi. Iſte verò FRODO filius Frodonis factus Archidiaconus dedit ad ſtipendia Monachorum ſancti Petri villam ſuam Arceam nomine, in diebus Donni Rainardi Abbatis, & Donni Leoterici Archiepiſcopi ex cuius beneficio eſſe videbatur. Iacet autem ipſe Archidiaconus in Capitulo Fratrum ad pedes Donni Seuuini Archiepiſcopi. Pater autem eius requieſcit in porticu Baſilicæ ipſius.

Frodo Miles Theſaurum & cartas illius Monaſterij ſeruauit.

Archembaldus verò canes ſuos & accipitres faciebat quieſcere in clauſtro ſancti Petri; & illi qui ſerò mittebantur ibi, Dei nutu mane inueniebantur mortui. Quod miraculum dum omnes conſpicerent, & ſuper hoc facto Deum laudarent, dicebant ei domeſtici ſui, quòd iniuſtè retineret clauſtrum & poſſeſſiones Monachorum. Ipſe verò totum pro nihilo deputans vacabat curis huius ſeculi. Quadam autem die duxit illum quidam Canonicus ſancti Stephani Candacher nomine, qui erat ſtudioſus in omni philoſophia, ad ſepulchrum Donnæ Theodechildis Reginæ, dicens illi: Lege Epitaphium hoc, quod edidit ſanctus Fortunatus Epiſcopus. Cœpit autem Archembaldus legere ſic:

*Hunc Regina locum Monachis conſtruxit ab imo*
*Techildis rebus nobilitando ſuis: &c.*

Dixit illi Candacher: Perſpice & intellige, quoniam non ad vſus canum, ſed ſeruorum Chriſti Cœnobium hoc conſtructum eſſe videtur. Cúmque malorum tot Dominus decreuiſſet facere finem, anno nono ordinationis ſuæ, menſe Iunio defunctus eſt Rainaldus Conſiliarius Regis H Lotarij, cuius conſilio & actu geſtum eſt, vt ipſe eſſet Archiepiſco-

pus. Sequenti autem menſe Iulio, incenſæ ſunt baſilicę ſan-cti Stephani, & ſanctæ MARIÆ, ſanctíque Ioannis Baptiſtę, & clauſtrum Canonicorum crematum eſt igne. Periit autem in ipſo incendio librarium ſancti Stephani, & ornamenta maxima, immò etiam Reliquiæ pretioſiſſimæ. Erat enim nox. Ruit autem Baſilica ſancti Stephani à fundamentis poſt incendium. Sequenti verò menſe Auguſti, XIV. Kalend. Septembris cœpit renouare Archembaldus Archiepiſcopus preſbyterium ſancti Stephani, perficiens criptas omninò. In ipſo menſe Auguſto obiit pater ipſius Rotbertus nomine, vir nobilis & diues valde. Ipſe verò Archembaldus eodem menſe obiit adhuc iuuenis quarto Kal Septembris, expletis in Epiſcopatu annis IX. & duobus menſibus, & die

Miſera ac repentina mors Archembaldi.

*His ſimilia refert chronic. S. Mariani.*

vno. Mortuus eſt autem hoc modo: apparuit ei inclytus martyr Sauinianus ſemel & ſecundò, ammonens illum vt reſipiſceret à tam nefario opere. Qui minimè obediens viſionibus illius, de viſione deterior eſt factus. Tertiâ verò monitione facta, percuſſit eum plaga inuiſibili, dicens illi: *Non ampliùs patiemur deſolari locum effuſioni noſtri ſanguinis conſecratum.* Surgentes autem cubicularij ammirantes quænam vox hæc eſſet, inuenerunt illum mortuum, nudúmque iacentem in terra. Factumque eſt diuino nutu, vt qui locum ſanctum expoliauerat, nudus inueniretur in refectorio quod vi monachis abſtulerat. Sepultus eſt autem in Baſilica Beati Petri.

Anaſtaſius Archiep. Archembaldo ſucceſſit.

Mortuo autem iſto tam crudeli interitu, omnis populus ſibi acclamabat Donnum ANASTASIVM virum egregium omni bonitate conſpicuum. Ex præcepto autem Regis HLotarij conſecratus eſt Antiſtes in Apuniaco villa XVIII. Kal. Ianuarias, & ſecundâ Dominicâ de Aduentu Domini

Eius virtutes recenſentur.

ſuſceptus eſt in ſede propria cum gaudio magno; ibique reſidens cœpit agere ea quæ Dei: erat enim miræ ſanctitatis & abſtinentiæ vir, vigiliarúmque amator continuus, & eleemoſynarum diſtributor largiſſimus; nutritor clericorum, amator Monachorum, mœrentium conſolator piiſſimus, pauperum, orphanorum, & viduarum pater. Cui apparuit inclytus Martyr Sauinianus viſu terribili comminans &

conteſtans, vt reædificaret Eccleſiam ſancti Petri quam ipſe ſuo ſanguine conſecrauit. Cuius voci obtemperans cœpit locum ſanctum reſtaurare, Monachos reuocare, terras & prædia pretio redimere. In proprio quidem ſtatu locum ipſum reſtauraſſet, Abbatémque Monachis præfeciſſet, niſi tam citò de hoc ſeculo migraſſet. Deus enim omnipotens non diu permiſit eum detineri in hac ærumnoſa peregrinatione. Ab illa ergo die quo ſacerdotium ſumpſit, vſque ad finem vitæ carnem non comedit, nec indutus eſt lino, ſed ſemper vſus eſt cilicio. Multam etenim perſecutionem ſuſtinuit patienter ab impiis in hoc ſeculo. Rainardus námque Comes vetulus ſemper contra Deum & contra ipſum contentioſa egit, multas iniurias inferens illi, ſed ſeruus Chriſti cuncta ſuſtinens, imitator illius factus eſt, qui pro nobis crucem ſuſtinuit. *Inſtaurat Abbatiam S. P. Viui, & multa confert Eccleſiis.*

Ædificauit autem Eccleſiam Donnus Anaſtaſius in honore ſanctæ MARIÆ in ſua hæreditate, in villa quæ vocatur Aguriacus, collocans iuxta eam ſuam domum, vbi die noctúque orationibus vacabat, de qua hæreditate fecit Chriſtum hæredem & Eccleſiam quam regebat. Aſportauit verò corpus Beati Victoris de propria villa ſancti Stephani, quæ vocatur Bruotea, condens illud in ipſa Eccleſia, quam ædificauerat, honore maximo. Iſtum etenim ſanctum Victorem ſocium Beati Mauritij detulit antiquo tempore Donnus Vviliarius Archiepiſcopus huius ſedis, de Agaunenſi Cœnobio, volente Abbate eiuſdem loci & fratribus, quem collocauit in Eccleſia ſancti Stephani lætante populo. Subſequenti autem tempore delatus eſt à Canonicis eiuſdem loci in pago Vvaſtinenſi in Bruotea villa, eo quod homines ipſius pagi terram ipſorum deuaſtarent, & in proprios vſus detinerent. Tumulatúſque ibi requieuit multis annis vſque ad Donni Anaſtaſij tempus, qui tranſtulit eum, ſicut iam dictum eſt, in Eccleſiam ſuam apud Aguriacum. Requieuit autem ibi vſque ad Donni Seuuini ſui ſucceſſoris tempus, qui aſportauit eum cum magno honore in Eccleſia ſancti Stephani, vbi nunc Dei gratiâ requieſcit. *Eccleſiam S. Mariæ exædificat.*

Baſilicam ſancti Stephani in quantum potuit Donnus Anaſtaſius reſtaurauit, perficiens cancellos & medietatem *S. Stephani reſtaurat.*

illius. Totam etenim illam perfeciſſet, niſi tam citò de hoc mundo migraſſet. Baſilicas autem Beatæ Mariæ, & ſancti Ioannis reſtaurauit. Dedit verò ad ſtipendia Canonicorum villas & Eccleſias, quas iure hæreditario poſſidebat. Talibus ornatus virtutibus tranſiit ex hoc mundo ad Deum, media nocte Dominica, VII. Idus Ianuarij, regnante adhuc HLothario Rege. Sepultus eſt autem in Baſilica beati Petri ſecundum eius præceptum, vbi mos eſt Archiepiſcopos ſepeliendi. Vixit verò in Epiſcopatu annis vndecim & menſe vno, & diebus XIII. Habebat autem idem Archiepiſcopus quamdam germanam Dei ancillam in monaſterio ſanctæ Faræ in Brigeſo *, cui apparuit Angelus Domini in ipſa nocte dicens: Quare tardatis & non ſurgitis hymnos Deo decantare, & laudare Chriſtum? ſciatis enim pro certo quòd hac nocte Anaſtaſius Chriſti Confeſſor tranſiit ex hoc mundo: ſitque vobis gaudium à Deo, quia ſemper gaudebit cum Chriſto. Surgentes autem Deo ſacratæ impleuerunt officium ſicuti de vno Confeſſore. Notatóque die & hora miſerunt Senones, qui hæc inquirerent, & ita inuenerunt ſicut Dei ancilla in viſione viderat.

Archiepiſcoporum Senonenſ. ſepultura apud S. P. Viuum.

* Gallicè *Fa monſtier en Brie.*

Feſtum S. Anaſtaſij 7. Ianuarij.

Poſt tranſitum autem Donni Anaſtaſij Eccleſia Senonica fuit ſine benedictione ſacerdotali vſque III. Idus Iunij, reſiſtente Rainardo Comite. Tertio Idus Iunij conſecratus eſt Donnus Seuuinus, die Dominica, in Baſilica ſancti Stephani Autiſſiodorenſis. Cui reſtitit ipſe Antichriſtus Rainardus negans ei introitum ciuitatis. Timebat enim perdere ciuitatem. Erat enim Donnus Seuuinus magnæ nobilitatis vir, ex ſorore nepos ipſius Rainardi. Videns autem hoc ipſe Archiepiſcopus, omnem prouinciam interdixit à Calendis Octobris vſque in caput ieiunij. Ipſo verò die receptus eſt in propria ſede. Eodem anno facta eſt mortalitas magna hominum, qua defunctus eſt Iſembardus Miles, frater ipſius Archiepiſcopi, Idibus Aprilis. Cœpit autem Donnus Seuuinus reſtaurare Cœnobium Beati Petri, præponens Abbatem Rainardum ſuum nepotem ex ſorore, Monachum B. Columbæ, medietatem ipſius Abbatiæ illi reddens, aliam in proprios vſus retinens. Fecit autem hoc non cupiditate, ſed causâ neceſſitatis. Poſſeſſionibus etenim quæ ad Archie-

Seuuinus Anaſtaſio ſuccedit *Odoran, an. 999. Et Chronic. S. Mariani.*

Cœnobiũ S. P. Viui inſtaurat. cui Abbatem conſtituit Rainardum.

piſcopos pertinebant penitus carebat, quia Archembaudus anteceſſor eas ſuis militibus tradiderat. Poſteà adduxit Monachos regulares ex Cœnobio S. Benedicti, & S. Petri Cluniacenſis, quorum exemplo ipſe Rainardus in melius proficeret. Perfecit verò ipſe Baſilicam ſancti Stephani, & dedicauit eam tertio Nonas Octobris, anno ſexto ſuæ ordinationis. In ipſo die fecit hæredem Chriſtum, & Eccleſiam ipſam, dans ad ſtipendia Canonicorum villas & Eccleſias quas poſſidebat. Ab illo ergo die quo ſacerdotium ſumpſit, vſque ad finem vitæ carnem non comedit, nec lino indutus fuit. Appropinquante autem ſolemnitate Apoſtolorum Petri & Pauli in die Sanctorum Ioannis & Pauli dum ſe ſopori dediſſet in domo ſua, quæ priſco tempore fuit refectorium Monachorum, quam Archembaldus monachis vi abſtulerat, apparuit ei inclytus Martyr Sauinianus comminans, & quaſi impetum faciens in eum dixit: *Cur locum effuſionis noſtri ſanguinis non reſtauras? Quare in proprios vſus retines prædia noſtri Cœnobij & terras?* Ad hæc expergefactus, adiit clauſtrum ſancti Petri, proſtratúſque humo coram Monachis veniam precabatur, reddens eis totam terram, quę coniacet in circuitu Cœnobij ipſius. Nam & ipſam abſtulerat Archembaldus, & in dominium Archiepiſcoporum fecerat deuenire. Hoc pacto rediit in ciuitatem, non habens vnde vel vno die refici poſſet: dicunt ei ſui: *Quid acturus es modò, quoniam nihil habemus vnde tu vel nos viuere poſſumus?* Ad hæc ſenior reſpondit: *Paſcet Deus pauperes ſuos. Dicit enim ſcriptura: Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Suſtentabor ex patrimonio meo, vſque dum reſtituat Deus poſſeſſiones ſuas ſancto Stephano.* Mirum in modum defuncti ſunt omnes qui tenebant poſſeſſiones ſancti Stephani. Tum ipſe gratias Deo referens recepit quod Archembaldus malè errando diſperſit. Pòſt cœpit domum ſuam ædificare iuxta ſancti Stephani Baſilicam, vt venientes filij Eccleſiæ præſentem inuenirent à quo reſponſum acciperent. Reſtituit etiam Domnus Seuuinus Monachis S. Petri Villam Alſonis, cum Eccleſia & appenditiis ſuis in Synodo Senonenſi, cuius Priuilegij exemplar hoc eſt:

Auſteram vitam agebat Seuuinus.

Anno ab Incarnatione Chriſti DCCCCLXXX. Indictione

» octaua, cùm ſederem ego SEVINVS Archiepiſcopus Seno-
» nenſis,&circumſederent quidam de Coëpiſcopis noſtris cum
» perſonis Eccleſiæ ſanctæ MARIÆ Virginis, ſanctique
» Stephani Protomartyris, quorum conſilio & actu vigor Ec-
» cleſiaſticus vigere debet, venerunt ante noſtram præſen-
» tiam Abbas Monaſterij ſancti Petri Viui & ſancti Sauiniani
» Martyris, cum turma Monachorum eiuſdem Eccleſiæ, pe-
» tentes à nobis ad ſupplementum victus & veſtitus ſui & ſuc-
» ceſſorum ſuorum, aliquod augmentum largiri à nobis ſibi
» clementer. Quorum petitionibus, & precibus prædictarum
» vel prænominatarum perſonarum conſentientes aurem ac-
» commodauimus, & quod petebant, quia ſuum eſſe vidi-
» mus, conceſſimus. Scilicet Altare quod eſt in pago Senoni-
» co, cum villa quæ dicitur Alſonus in honore ſancti Petri
» dicatum, quod olim Domnus EGIL bonæ memoriæ huius
» ſedis Archiepiſcopus eidem Eccleſiæ dedit, & litteris firma-
» uit. Item in villa, quæ dicitur Sanceias, Altare quod eſt in
» honore ſancti Sanctiani Martyris conſecratum. Item ter-
» tium quod diſtat à Crypta prædicti Monaſterij quinquagin-
» ta dextros in honore ſancti Sauiniani Martyris & Proto-
» præſulis noſtri. Quartum quoque in pago Pruuienſe in villa,
» quæ dicitur Naudus, in honore ſancti Lupi conſecratum.
» Ad petitionem igitur RAINARDI eiuſdem Monaſterij
» Abbatis, & Monachorum eius, dedimus hæc quatuor Alta-
» ria, vt ipſi & ſucceſſores eorum ex omni tempore poſſi-
» deant abſque alicuius ſeruitij adminiſtratione, & in eis fide-
» les ſacerdotes ad ſeruiendum Deo omnipotenti dignè con-
» ſtituant.

» Poſtulo ergo ſerenitatem ſucceſſorum meorum Archie-
» piſcoporum, vt ſicut cupiunt ſcripta voluntatum ſuarum
» cuncto tempore fieri rata, ita ortographium deſiderij mei,
» fideliúmque meorum perenniter ſeruent ſtabile. Vnde &
» propria manu firmo, roborandumque Coëpiſcopis meis, &
» fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ humiliter deprecor & trado.
» Prætereà violatores huius Priuilegij, & diminutores, gla-
» dio Spiritus ſancti, niſi reſipuerint, & ſatisfecerint quibus
» damnum datum eſt, ferimus. Actum in Eccleſia ſanctæ
» MARIÆ, & ſancti Stephani Senonicæ vrbis ſynodaliter
» atque feliciter.

SEVINVS peccator Archiepiſcopus firmo & ſigillo meo munro.

ODO Carnotenſis Archiepiſcopus *.

*Ita in antiquiori cod.

RAINOLDVS Pariſiorum Epiſcopus.

MILO Trecarum Epiſcopus.

Ego MANASSES Aurelianenſis Epiſcopus.

THEODORICVS huius ſedis Archidiaconus.

GRVNERIVS huius Eccleſię Archiclauis.

ALBERICVS Waſtinenſis Archidiaconus.

GRIVERIVS Cancellarius ſcripſit.

Anno DCCCLXXXVI. ſecundo Kalendas Decembris, aſcenderunt Normanni à Pariſius Senonis; & ſequenti menſe Maio redierunt in Franciam, iam defuncto Ewrardo Archiepiſcopo, & ordinato Walterio in loco eius. Qui eodem anno vnxit Odonem in Regem. Hic Priuilegium fecit Monachis S. Petri de electione Abbatis: cuius hoc eſt exemplar:

Odonem Regem vnxit Vualterius Archiep.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCI. Indictione nona, celebrata eſt Synodus in Magduno ſuper fluuium ligeris in Eccleſia Beati Liſardi Confeſſoris Chriſti, regia iuſſione glorioſi Regis Odonis diuerſis Eccleſiarum Epiſcopis confluentibus; vbi cùm de diuerſis Eccleſiæ vtilitatibus & negotiis tractaretur, expoſita eſt in omnium præſentia ratio Fratrum Beati Petri Apoſtolorum Principis Cœnobij Senonenſis Eccleſiæ in eius ſuburbio conſtituti, dicentes ſe plurimùm ex reuolutis temporibus diſcriminis iacturam toleraſſe enormiter, idcircò quòd eis à ſuis Pontificibus Senonenſis viceIicet Eccleſiæ Præſidibus, multi ex aliis Cœnobiis in prælaturam regiminis Abbates conſtituerentur, quòd vtique quia præter Regulam Beati Benedicti & inſtitutionem ſanctorum Canonum eſſe videbatur, ſancitum eſt à Beatiſſimis Pontificibus, monente, imò & deprecante eiuſdem loci venerabili Pontifice Gualterio Senonenſis Eccleſiæ, vt nullus deinceps ordinaretur vel conſtitueretur Pater Monaſterij, niſi quem ipſi ſua diſpoſitione & libitu voluntatis ex ſuis eligerent. Quocircà præſenti Priuilegio ſolemniter à prædictis decretum eſt Præſulibus, vt quicumque temerarius hanc tantorum authoritatem Pa-

« trum præſumpſerit violare, ſubvinculo anathematis habea-
« tur, & authoritate qua Dominus noſter IESVS Chriſtus
« poteſtatem contulit Diſcipulis ſuis ligandi & ſoluendi di-
« cens : *Quodcunque ligaueritis*, &c. omnium igitur manibus
« roboretur quod omnium conſenſu firmatur.

Et ſubſcripſerunt omnes, qui ibi aderant, Epiſcopi videlicet, & Archiepiſcopi, quorum hæc ſunt nomina.

GVALTERIVS immeritò ſanctæ Senonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus confirmauit.

EDACIVS Bituricenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus.

HEBERNVS Turonorum Archiepiſcopus.

* Autiſſiodorenſis. HERFRIDVS Epiſcopus *.

TEODARDVS Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus.

ADALGARIVS Æduorum Epiſcopus.

* Claromont. HERFREDVS Epiſcopus *.

Semper AGILMARI manens ſub nomine firma.

EVMENVS Niuernenſis Epiſcopus.

GLIMERIVS Carnotum Epiſcopus.

ADDOLENVS Albiæ Epiſcopus confirmaui.

AGILBERTVS gratiâ Dei Bituricenſis Epiſcopus.

WALTERIVS Epiſcopus Aurelianenſis.

* f. Gerundenſis. Seruus Dei humilis Epiſcopus Ierondenſis *.

* f. Cauriacenſis. GVARINVS Coroacenſis * Epiſcopus.

ADALDVS humilis Archipræſul.

Anno DCCCXCVI. Richardus princeps Burgundiæ recepit Sennis * contra Vvalterium Archiepiſcopum & Varnerium Comitem.

* Senonis.

Anno DCCCXCVIII, Obiit Odo Rex, & Carolus Simplex Regnum accepit.

Anno DCCCCLXXVI. Septimo Idus Ianuarij Anaſtaſius Archiepiſcopus Senonenſis obiit, & ſepultus eſt in Baſilica S. Petri. Et eodem anno menſe Iulio, quarto Idus prædicti menſis ordinatus eſt in eadem ſede Seuuinus Archiepiſcopus. In eodem anno obiit H Lotharius Rex ſenex, cui ſucceſſit H Ludouicus filius eius iuuenis. Eo tempore Domnus Abbas Rainardus cœpit reſtaurare clauſtrum S. Petri quod Archembaldus deſtruxerat, terras & prædia redimere. Erat

Anaſtaſio Archiep. ſuccedit Seuuinus.

autem ipſe Abbas nepos eiuſdem Archiepiſcopi. In diebus illis quieſcebat adhuc S. Ebbo in priori tumulo, in oratorio B. MARIÆ iuxta Altare ad dexteram fulgens innumerabilibus ſignis; quapropter communi conſilio prædictus Archiepiſcopus, & Abbas, leuauerunt eum cum magno honore, conuocato populo innumerabili. Tranſlatio corporis S. Ebboni.

Hîc deficit regnum Caroli magni Imperatoris. In illis diebus* erat in Remenſium ciuitate Archiepiſcopus ARNVLFVS vir bonus & modeſtus, frater HLotarij Regis ex concubina. Hugo autem Rex inuidebat ei, volens eum exterminare cum omni progenie HLotharij. Congregans verò Rex Synodum in vrbe Remenſi inuitauit Archiepiſcopum Senonum Seuuinum cum ſuffraganeis ſuis, vbi fecit deponere ipſum Arnulfum, dicens non decere fieri Epiſcopum ex concubina natum. In loco autem eius fecit conſecrare GERBERTVM Monachum & philoſophum. Gerbertus magiſter fuit Roberti Regis filij iſtius Hugonis, & Donni Leoterici ſucceſſoris Seuuini Archiepiſcopi. Arnulphum autem mancipari fecit cuſtodiæ in Aurelianenſi ciuitate, ibique manſit annis tribus alligatus, vbi etiam detinebatur nepos eius Carolus. Seuuinus autem Archiepiſcopus non conſenſit aliis in depoſitione Arnulphi, neque in ordinatione Gerberti. Alij verò Epiſcopi propter timorem Regis vnum depoſuerunt, alterum ordinauerunt. Nuntiantur autem hæc omnia Romano Præſuli; qui valde indignatus ſuper hoc facto interdixit omnes Epiſcopos qui Arnulfum deiecerant, & Gerbertum ordinauerant. Miſit quoque Leonem Abbatem ab Apoſtolica ſede ad Donnum Seuuinum Archiepiſcopum vrbis Senonicæ, vt vice ſua Synodum congregaret in Remenſi vrbe, mandans illi, vt ſine dilatione reuocaret Arnulfum de carcere, & deponeret Gerbertum de Epiſcopali ſede. Collecto igitur Concilio in vrbe Remenſi iuſſione Apoſtolica reuocatus eſt Arnulfus de cuſtodia, & cum magno honore receptus eſt in ſede propria. Gerbertus verò intelligens quòd iniuſtè ſuſcepiſſet pontificalem ſtolam, quamuis inuitus deſeruit. Altercationem autem Gerberti Pontificis & Leonis Abbatis valde vtilem,

*Nempe circiter an. 983.

Hugo Rex Arnulphũ ab Archiepiſcopatu ſubmoueri mandat.

Cui Seuinus renuit.

in geſtis Remorum Pontificum inuenies. Poſt hæc autem Gerbertus factus Pontifex Rauennæ ab Othone Imperatore & à populo eiuſdem vrbis. Poſteà autem defuncto Papa Romano, locatus eſt in ſede Apoſtolica.

Seuinus obiit. *Odoran. an. 999. cuius verba hîc referuntur. Chronic. S. Mariani.*

Anno DCCCCXCIX. 16. Kalendas Nouembris obiit Seuuinus Archiepiſcopus, qui iacturam Monaſterij ſancti Petri, quam Anaſtaſius Archiepiſcopus anteceſſor eius releuare cœperat, in priſtinum reſtituit ſtatum, ibique ſub diſtrictione regulari ordinauit Abbatem Rainardum, cuius etiam corpus in eodem monaſterio eſt ſepultum. Hic etiam monaſterium ſancti Petri Milidunenſis ab imo releuauit, & monachos in illo mittens Abbatem Vvalterium eis præfecit. Hic matrem Eccleſiam ſancti Stephani, quæ igni cremata fuerat, ab epiſtiliis erigens, & ex integro perficiens, ſignis & ornamentis Eccleſiaſticis decorauit, & adiunctis ſibi Milone Epiſcopo Trecacenſium, & Eriberto Autiſſiodorenſium, & Rocleno quoque Neuernenſium, cum maximo honore dedicauit. Eadem quoque die ad ſtipendia Clericorum ibidem Deo famulantium tria altaria ſub priuilegij teſtamento delegauit. Deinde brachium ſancti Leonis Papæ cum digitis ſancti Ebbonis, ab Abbate Rainardo & à fratribus monaſterij ſancti Petri multa prece obtinens, auro & gemmis ornauit, & eidem caſæ Dei contulit; pro quibus mutua viciſſitudine, & pro remedio animæ ſuæ, de altario ſancti Sauiniani, quod triginta paſſus à crypta monaſterij abeſt, & de altario ſancti Sanctiani, quod eſt in villa Sanceias, & de altario ſancti Petri, quod eſt in villa quæ Alſonus vocatur, & de altario ſancti Lupi, quod eſt in villa quæ Naudus dicitur, perpetua priuilegia vna cum conſenſu & voluntate Papæ Romani, & Coepiſcoporum ſuorum, ſancto Petro eiúſque Monachis fecit. Decreuit etiam vt Abbas eiuſdem monaſterij in conuentu Abbatum vel Clericorum poſt Epiſcopum primus ſedeat, & inter cæteros eiuſdem Epiſcopatus Abbates primatum teneat. Ipſe autem talem ſe exhibeat, vt dignus ſit tali honore. Tabulam quoque ex auro & argento ante altare ſancti Stephani * conſtruxit, de qua poſtmodum ante monaſterium facta eſt turris. Iſte Seuuinus apud vrbem Romani

** In ſacello ſcilicet eius quod eſt in*

mam per manum Ioannis Papæ Archiepiſcopale pallium, quo anteceſſores eius infulati ſunt, & Primatum Galliæ ſuſcepit. Et quamdiu vixit multa bona Clericis & Monachis dedit. Vixit verò in Epiſcopatu annis viginti duobus, ſepultúſque eſt iuxta ſuum præceptum in Capitulo ſancti Petri. *parte Septẽtrionali Eccleſia S. Petri Viui.*

In ipſo anno tradidit Vvalterius miles & vxor eius caſtrum Milidunum Odoni Comiti. Congregans autem Rotbertus Rex exercitum & Burchardus Comes, conuocatis Normannis cum ſuo Duce Richardo, caſtrum ipſum obſedit. Caſtro igitur capto ſuſpenſus eſt Vvalterius & vxor eius in patibulo. Burchardus autem Comes caſtrum à Rege recepit ſicut anteà poſſedit.

Igitur Rainardus Comes Vetulus ſanctæ Columbæ Abbatiam tenens in beneficio, plurima ei abſtulit, retinens in vſus proprios. Similiter Cœnobium ſanctæ Faræ Virginis, quod in dominio habebat, multis modis adgrauauit, nec non & Abbatiam ſanctæ MARIÆ Virginis deſtruxit in quantum potuit; in cuius poſſeſſione caſtrum quod Iouiniacus* dicitur, firmauit. Aliud verò caſtrum conſtruxit in terra Ferrarienſis cœnobij, quod ex ſuo nomine caſtrum Rainardi vocauit. In parte vero quadam ipſius vrbis turrim maximam ædificauit. Sícque intentus curis huius ſeculi ſenex & plenus dierum obiit, ſepultúſque eſt in Baſilica ſanctæ Columbæ Virginis, cui eius filius Frotmundus ſucceſſit, habens in coniugio filiam Rainaldi Remorum Comitis.

Rainardus Comes Abbatiarum bona aufert.

*Gal.* * *Iouigny.*

Anno Milleſimo adclamante Clero & populo electus eſt in Epiſcopatu donnus Leothericus ipſius Eccleſiæ Archidiaconus, cui reſiſtebant plurimi Clericorum cupientes Epiſcopium: qua de re Romam adiit Gerbertum Papam, qui & Siluester dictus eſt, cuiúſque diſcipulus in Remenſium vrbe fuerat iuuenis. Quem ille gratanter recepit, cum benedictione apoſtolica remiſit, & totius Galliæ Primatum dedit. Vnde rediens Senones cum pace ſuſceptus eſt à clero & populo honorificè. Volentibus autem eum intronizare, prohibuit Frotmundus Comes natus ex mala progenie. Habebat enim filium Clericum nomine Brunonem, quem volebat Epiſcopum facere. Quare donnus Leothericus ite-

Leothericus Pontif. Senonenſ. eligitur. *Chronic. S. Mariani.*

Cui aduerſatur Comes.

rum Papam adiit. Qui mittens litteras ſuas ad ſuffraganeos Epiſcopos Eccleſiæ Senonicæ iuſſit, vt congregati in vnum Apoſtolica auctoritate eum ordinarent. Qui iuſſa complentes conſecrauerunt eum apud ſanctæ Faræ Monaſterium.

Conſecratur in Monaſterio S. Faræ.

Anno MI. obiit Henricus Dux Burgundiæ ſine filiis.

Anno MXII. obiit Frotmundus Comes bonæ memoriæ.

Rainard. Abbas: quę Monaſterio contulerit, deſcribuntur. *Hæc Oderan. ad hunc an.*

Anno MXV. facta eſt traditio Senonicæ vrbis, & RAINARDVS Abbas Monaſterij ſancti Petri Viui obiit. Hic Monaſterium ſancti Petri ab imo renouauit, & clauſtra Monaſterij cum domibus ad ſe pertinentibus ædificauit. Tabulam etiam auream & argenteam ante altare conſtruxit: Crucem auream cum gemmis fabricauit: Signis, codicibus, palliis, ſacris vaſis, & reliquis ornamentis Eccleſiaſticis idem Monaſterium ditauit.

Leothericus Archiep. plures SS. Reliquias reperit, caſque exornat.

Donnus autem LEOTHERICVS quantam venerationem circa Sanctorum titulos & ſolemnitates habuerit, paucis dicemus. Qui quadam die adhuc viuente præfato Abbate Rainardo inueſtigare cœpit, vbinam eſſent recondita corpora ſanctorum Sauiniani & Potentiani. A tempore enim Vvillelmi Archiepiſcopi ob timorem Paganorum erant abſcondita in antris. Repertis autem eis per notitiam cuiuſdam veterani, Martini nomine, ſerui eiuſdem loci, cum omni diligentia condiderunt ea in locellis plumbeis, plura miracula ibi operante virtute Domini. Poſt hæc idem Archiepiſcopus cœpit diligenter inquirere, & Chriſtum continuis precibus exorare, vt ei dignaretur oſtendere quo loco tegebantur Reliquiæ, quas Hieremias Archiepiſcopus aſportauerat de ſancti Richerij baſilica. Chriſto autem adimplente deſiderium ſui famuli, inuenit eas per reuelationem retro altare ſancti Stephani. Apertâ igitur archâ in qua continebantur, tanta curationum genera eueniſſe noſcuntur, quanti aliqua parte corporis imbecilles ibi confluxiſſe monſtrantur. Dedit etiam ipſe Archiepiſcopus ſancto Petro & ſancto Sauiniano terram de Tillido, & de Gerillias, & ſyluam de Arcea, cum duabus Eccleſiis quæ in ea ſunt, per deprecationem FRODONIS Archidiaconi, de cuius beneficio erant. Abbatiam quoque ſanctæ MARIÆ quæ eſt extra muros

Multa Cœnobio S. P. Viui largitur.

vrbis dedit Leotericus Archiepiſcopus in beneficio Frotmundo Comiti, ad opus filij ſui Rainaldi Clerici, defuncto Grimerio Abbate ipſius Eccleſiæ & Archiclaui ſancti Stephani. Tunc verò quidquid boni adhuc poſſidebat eiuſdem Eccleſiæ locus, idem Frotmundus ſuis militibus in beneficio, tradidit, Bernardo Preſbytero eiuſdem loci.

In illis diebus obiit vir Dei Adraldus Archidiaconus Tricaſſinæ ciuitatis, & requieſcit in Cœnobio S. Sepulchri, quod ipſe extruxit in eodem pago.

Eodem tempore migrauit ad Chriſtum ſanctus GISLEBERTVS Meldenſis Epiſcopus, cuius vita multis claruit virtutibus.

Mortuo Frotmundo Senonum Comite, & ſepulto in capitulo ſancti Eraclij, ſucceſſit ei RAINARDVS filius eius nequiſſimus, qui perſecutionem intulit Eccleſiis Chriſti, & Leoterico Archiepiſcopo, in tantùm vt etiam (quod dicere & audire horribile eſt) quando ille diuinum officium celebrans, vultúmque dans populo ſalutabat, ille vultum auertens in poſterioribus ſuis ei pacem offerebat: nonnunquam in faciem eius ſpuebat, homines eius interficiebat, eúmque modis omnibus iniuriabat. Obpropter conſilio Romani Pontificis, & Abbatis Eccleſię Cluniacenſis, necnon ſuffraganeorum Epiſcoporum, & optimorum Procerum, præcipuéque Rainaldi Pariſienſis Epiſcopi, Anno ab Incarnatione Chriſti MXVI. 10. Kalendas Maij ciuitatem Regi Rotberto reddidit. Ipſe verò Comes fugiens nudus euaſit. Frater autem eius Frotmundus & quidam milites vrbis turrim defenderunt multis diebus. Quos tandem Rex cepit, & victus pietate viuos abire ſinit. Frotmundum autem Aurelianis in carcere truſit, vbi obiit. *Rainaldus Comes Senon. nequiſſimè ſe gerit.*

In eodem anno mortuo Rainardo Abbate ſancti Petri Viui, ſucceſſit ei Donnus Ingo Abbas ſancti Martini Maciacenſis, & ſancti Germani Pariſienſis, conſanguineus etiam Regis. *Ingo Abbas S. P. Viui.*

Rainardus autem Comes fugiens de ciuitate, ſicut iam dictum eſt, peruenit ad Odonem Comitem. Colligentes igitur ambo exercitum conſtruxerunt caſtrum Monſteriolum no-

mine ſuper Sequanæ fluuium. Dedit autem idem Rainardus Odoni Comiti illud caſtrum in beneficio, quod fuit in ſcandalum magnum Regi & Reginæ, & Archiepiſcopo. Erat enim ex ſancti Stephani beneficio. Sumptis igitur viribus ipſe Rainardus obſedit ciuitatem *, vaſtans omnia per circuitum tribus diebus. Tunc quoque incenſa eſt Baſilica S. MARIÆ extra muros, & S. Leonis, necnon & S. Deſiderij, cum ipſis duobus ſuburbiis. Quam perſecutionem ſecuta eſt fames valida, & mortalitas magna. Poſteà pacificatus eſt Rex & Archiepiſcopus cum Rainardo, datis illis obſidibus ſub ſacramento. Reddidit autem ei Rex medietatem ciuitatis, & Archiepiſcopus ſuam medietatem, tali tenore, vt poſt mortem eius medietas ciuitatis cum Comitatu deueniret in dominium ſancti Stephani, & medietas in dominium Regis. Poſtquam verò receptus eſt in ciuitate, pluribus iniuriis Archiepiſcopum affligens, ſeruos Chriſti & ſuos ad mortem vſque perſequens, quicquid boni anteà promiſerat irritum fecit.

*Senonenſem.

Aureliis hæretici ignis ſupplicio puniuntur.

Sub ipſo tempore exorta eſt magna hæreſis, noua & inaudita in vrbe Aurelianenſi. Quapropter accerſiens Rex Archiepiſcopum iuſſit congregari in eadem vrbe ſynodum. Erant autem ipſi hæretici ex melioribus ipſius ciuitatis Clericis. Communi verò conſenſu & voluntate omnium conuicti omnes perpeſſi ſunt ignis incendium.

Theodericus Epiſcop. Aurelian. monachus S. P. Viui.

Poſt hæc THEODERICVS Epiſcopus Aurelianenſis relinquens Epiſcopatum venit Senonas in Eccleſia B. Petri, vbi nutritus fuerat tempore Rainardi Abbatis ſui auunculi. Vbi commorans diebus non paucis, profectus, vt iret ad limina Apoſtolorum, exiuit: perueniénſque ad caſtrum Tornodorenſe beato fine quieuit in ipſa nocte, ſepultúſque eſt in Baſilica ſancti Michaëlis Archangeli, defunctus VI. Kal. Februarij.

Ludouicus Comes habitum monaſt. induit.

Eodem tempore HLVDOVICVS Comes Alemannorum orationis cauſa profectus eſt ad ſancti Michaëlis periculum, rediénſque vſque Senonas infirmitate carnis præuentus, in Monaſterio ſancti Petri Monachus effectus, migrauit in aſtra locandus, relinquens ibi poſſeſſiones in Villa

quæ dicitur Ariſcurt, & pallium vnum quod vſque hodie vocatur pallium H Ludouici.

In tempore illo factus eſt magnus conuentus in Antiſſiodorenſi pago, in Airiaca-Villa, à Leotherico Archiepiſcopo. Vbi de ſingulis locis delata ſunt ſanctorum Martyrum, Confeſſorum, Virginum pretioſa pignora in ſuis ſcriniis. Inter quæ de Cœnobio B. Petri Viui dum deferretur, vel referretur Beatus Martyr Sanctianus, imminentibus noctium tenebris ſuper duo capita ſcrinij emicuerunt duo præclariſſima ſydera, omnes totius noctis tenebras ſui ſplendore ſuperantia, oculis quidem deducentium viſibilia, ſed tactu impalpabilia. Ibi verò præſentes fuerunt Rotbertus Rex, & Goſlinus Bituricenſis Archiepiſcopus, cum aliis Epiſcopis, & Abbatibus, & populo innumerabili. Ibi etiam multa diſpoſita ſunt ad vtilitatem Eccleſiarum.

*Synodus in Airiaca-Villa.*

In illis diebus tranſiit de hoc mundo Sanctus Erueus Theſaurarius S. Martini Turonenſis, vir bonæ vitæ.

Inter hæc defunctus eſt Rainaldus Archidiaconus, qui Abbatiam ſanctæ Mariæ tenebat in beneficio. Dedit autem eam Leotericus Archiepiſcopus LEOTERICO Præcentori, qui cœpit eam reſtaurare per manum Bernardi Preſbyteri, perficiens cancellos, & mittens in eo ſex Clericos.

*Abbatiam S. Mariæ inſtaurat Leotericus Præcentor.*

Anno MXXV. obiit INGO Abbas IV. Kal. Februarij, cui ſucceſſit Donnus Ermenaldus. In cuius tempore Rex Robertus & Conſtantia Regina compoſuerunt ſancto Sauiniano loculum auro, argento, & gemmis pretioſis ornatum. In quo inſeruerunt etiam cum eo corpus ſancti Eodaldi * cum oſſibus pueri paruuli vnà humati in loculo plumbeo, in quo ante continebantur. In qua tranſlatione quidam cœcus recepit lumen, & pluuia quæ à Paſcha Domini non pluerat, abundanter deſcendit: & hæc tranſlatio facta eſt VIII. Kal. Septembris.

*Ermenaldus Abbas S. P. Viui.*

* *melius, Victorini, vt habetur in actibus S. Sauiniani & lib. de SS. Reliquiis S. Petri Viui, à Gaufrido conſcripto anno 1298.*

In illis diebus auferebant ſancto Petro Villam Auſonis, quam reddidit eidem ſancto, & Abbati Ermenaldo, eo ſatagente, ODO Comes famoſiſſimus.

Anno MXXVII. obiit FVLBERTVS Carnotenſis Epiſcopus vir ſapientiſſimus, & bonę vitæ.

Anno MXXXI. iam regnante HAINRICO filio eius, obiit Rex Francorum Rotbertus. Hic ſancto Petro & ſancto Sauiniano Præceptum Regale de ſuis rebus fecit.

Gelduinus ſedem Archiep. Senonenſ. vſurpat.

Anno MXXXII. obiit LEOTHERICVS Archiepiſcopus, & GELDVINVS in ſede ſublimatus non electione Cleri vel populi, ſed muneribus. Domnum verò Mainardum Clericum prudentiſſimum ipſius Eccleſiæ Theſaurarium, virum nobiliſſimum, in ipſa vrbe maiorem & primum, omnis populus à minimo vſque ad maiorem ad Epiſcopum quærebant, ſed vicit potentia Regis. Qui Gelduinus apud Pariſium ſuſcepta benedictione Pontificatus XV. Kal. Nouembris, nullo modo Senonas ciuitatem intrare potuit, reſiſtentibus Odone Comite, Damberto Vice-comite, & patre eius Mainardo ſupra memorato, & cæteris Proceribus.

Eodem igitur anno in meſſione ſubſequenti Rex copioſum exercitum applicuit Senonis:,& in Villa quę Maſliacus maior dicitur, caſtra poſuit. Comes itaque Andegauenſium Fulco, qui primus poſt Regem erat in ipſa expeditione, Abbatiam ſancti Petri fregit, clauſum Monachorum terra tenus incidi fecit. Vnde Monachis contra eos Sanctorum pignora deferentibus, quidam eorum furentes ſe ipſos interfecerunt. Talíque conflictu, & eiuſdem vrbis militum aſſultu multi ceciderunt; cæteri verò fugerunt. Rex autem tactus amore ſui patris Rotberti, qui valde ipſum locum dilexit, vi quadam ab ipſo loco eos eiecit. Deinde poſt tres dies rediit Pariſius, & ſubſequenti anno venit Senonas cum tribus milibus virorum, & caſtra poſuit in loco qui dicitur Chaliciacus. Vbi diebus ſeptem morantes, Abbatiam ſancti Remigij, & Burgum ſancti Leonis, nec non & ſancti Eraclij fregerunt, prædati ſunt & incenderunt; atque quoſdam ante mœnia vrbis iaculis interfecerunt, deinde ad patriam redierunt.

Anno MXXXIV. Wirpiuit Odo Comes Regi Hainrico medietatem vrbis Senonicæ, & Gelduinus receptus eſt in ſede in qua nondum fuerat, reſiſtentibus pluribus: & Abbas Gerbertus miſſus in Abbatiam ſanctæ MARIÆ foris muros.

Anno MXLVI. Obiit Ermenaldus Abbas, quem Gelduinus Archiepiſcopus, alter, vt verè dici poteſt, Archembaldus, omnibus modis quibus ſciuit & potuit inquietauit, afflixit, & iniuriauit, ſeruos & ancillas Abbatiæ prædando, carcerando, & omnia mala faciendo, etiam & ornamenta Eccleſiæ quomodocumque ſubripere poterat inuadendo, ſuiſque complicibus, quorum ſimilis erat, dando. Obiit autem VIII. Kal. Nouembris, & ſepultus eſt in clauſtro ſancti Petri. Cui ſucceſſit Donnus GERBERTVS Monachus eiuſdem loci; quem ſupra diximus Abbatem ſanctæ MARIÆ. Huic Gelduinus reddidit caput ſancti Quiriaci, quod de ipſa Eccleſia, ſcilicet ſanctæ MARIÆ, ante fuerat tranſlatum in matre Eccleſia ſancti Stephani. Eodem tempore defunctus eſt Frotmundus Trecacenſis Epiſcopus, cui ſucceſſit Mainardus Archiclauis ſancti Stephani.

Quanta mala Gelduinus intulit monaſt. S.P. Viui.

Gerbertus Abbas ibidem.

Tunc temporis ODO Comes exercitum congregauit, & contra Ducem Goſcelonem perrexit, & caſtrum, quod Barrus vocatur, tandem poſteà illud cepit, & in craſtinum cum ipſo Duce & Alemannis pugnauit. Victus fugam iniit, fugiens cum multis Proceribus & innumerabili multitudine militum, interfectus obiit. Poſteà ſanctus ODILO Abbas Cluniacenſis obiit virgo centenarius in die Circumciſionis Domini, cui Donnus HVGO ſucceſſit, vir totius honeſtatis. Poſt hæc ſequenti tempore Gelduinus, peractis in Epiſcopatu annis decem & octo, proiectus eſt de Pontificatu à Leone Papa & Rege Hainrico, gaudentibus Clericis, & lætante populo. Cui ſucceſſit MAINARDVS Trecacenſis Epiſcopus, & LEOTERICVS Præcentor ordinatus eſt Antiſtes Eccleſiæ Laudunenſis. Poſteà ipſo Gelduino reclamante ſe iniuſtè depoſitum, & Mainardum intronizatum, auctoritate Papæ Leonis conuocati, & in Concilio dijudicati, amiſit vterque donum curæ paſtoralis. Poſtea verò propter vtilitatem tam Eccleſiæ Senonenſis quàm totius patriæ circumiacentis, totius Concilij concordante conſenſu Mainardus eſt reſtitutus. Gilduinus autem pro ſua miſerabili vita deiectus omni honore eſt priuatus. Reuerſus námque à Roma Rodulfum Comitem adiit, & caſtella quę

Gelduinus exauctoratus.

Mainardus ſucceſſit.

ex paterno iure contingebant, vt ſe adiuuaret, dedit; ſicque ſe ab omni honore expulit. Domnus verò Mainardus ab Apoſtolica ſede rediens, clerum & populum lætum propter ſe inuenit, & in pace rexit. Ipſe oblationes Eccleſiarum reddidit Canonicis, quas Præpoſiti abſtulerant illis: Abbatiam ſancti Petri, & Abbatem, & Monachos, quippe quia inter eos ab infantia fuit nutritus & litteris doctus, valde dilexit. Conſuetudines prauas, iniuſtas, & malas, quas Gelduinus in ea miſerat, & Rainardo Comiti ſua inertia mittere ſiuerat, omnes ad nihilum magna vi & potentia redegit, & plus omnibus ſuis anteceſſoribus eam ſublimauit. Hoc multùm obfuit, quòd parum ſuperfuit.

Leo Papa Frotmundum Trecenſ. Epiſt. conſecrat.

In hoc tempore Papa Leo venit Lingonas ciuitatem, vbi ordinauit, Frotmundum Trecorum Pontificem, ibíque obiit Petrus Diaconus eius, ſepultúſque eſt in Capitulo ſancti Mammetis.

Tempore illo miſit Rex HAINRICVS Vvalterium Meldenſem Epiſcopum, & Vvaſcelinum de Chalinaco, cum aliis ad quemdam Regem in finibus Græcię, qui vocabatur Geriſclo, de terra Ruſciæ, vt ſibi daret filiam ſuam in vxorem. Quos ille cum pluribus donis, & cum filia remiſit in Francia.

Anno MLV. in Kalendis Auguſti, ſecunda feriâ, lunâ quartâ facta eſt tempeſtas valida & nimia per totum Senonicum pagum, quæ vaſtauit omnia ſata, & ſegetes, & vineta, & nemora, & interfecit homines & iumenta. Et in eodem anno vigilia Cœnæ Domini XIV. luna, ante Paraſceuem feria V. poſt primum pullorum cantum, effecta eſt ipſa luna tota nigra ſicut carbo extinctus, fere duabus horis, & poſt facta eſt in eclypſin, iterum re accenſa; & in ipſo anno mortuus eſt Comes Rainardus, filius Frotmundi, perſecutor ſanctæ Eccleſiæ, ſepultúſque eſt in Capitulo ſanctæ Columbæ. Tunc Rex Hainricus poſſedit ciuitatem, & omnia quę ipſe habuerat. Deinde Rex Hainricus, conuocatis Proceribus Franciæ, filium ſuum Philippum per manus Geruaſij Remorum Archiepiſcopi in Regem fecit vngere.

Anno MLX. obiit Rex Hainricus. Hic regale Præceptum fecit de Abbatiæ rebus ſancti Petri, ſicut fecerat & Pater eius Rotbertus. Mortuo autem Hainrico Rege apud

Victriacum

Victriacum caſtrum in Bieria, & ſepulto in Baſilica ſancti Dionyſij, Rodulfus Comes conſanguineus eiuſdem Regis duxit vxorem in coniugio contra ius & fas, vnde fuit excommunicatus. Balduinus verò Comes Flandrenſis Regem paruulum Philippum aluit, & Franciam gubernauit.

Anno MLXII. Obiit Mainardus Archiepiſcopus, peractis in Epiſcopatu annis XII. & menſibus tribus, & octo diebus, & iuxta patrem ſuum Mainardum, & Dainbertum Vicecomitem fratrem ſuum ſepultus in Capitulo ſancti Petri. Cui ſucceſſit in Archiepiſcopatu Domnus Richerius, ipſius Eccleſiæ Archidiaconus, Dei voluntate ab omni clero & populo electus. Qui ordinatus Pariſius in die ſancti Paſchæ ab Epiſcopo Gotfrido, & aliis, præſente Rege cum Principibus, rediens inde Senonas in octaua Paſchæ, & receptus cum gaudio in propria ſede. Rainardus Archiep. Senonenſ.

Anno MLXIV. Rex Philippus fecit regale Præceptum de rebus ſancti Petri Viui, ſicut pater ſuus Hainricus.

Anno MLXV. BERNARDVS Miles, & dominus caſtri Barris montis, in Capitulo ſancti Petri Viui, & vxor eius HVMBERGA competierunt & receperunt ab Abbate Gerberto, & à Monachis eiuſdem loci quartam * de Villa, quæ dicitur Rictiacus, & de Eccleſia eiuſdem Villæ, ſimiliter & de villa quæ vocatur Pauliacus. * partem quo loci fuit fundata Abbatia Moliſmenſis.

Anno MLXVIII. incœpta eſt renouari Eccleſia * ſancti Sauiniani ſociorúmque eius Martyrum, quæ in principio Chriſtianæ fidei ab ipſis idolis quibus polluebatur, quorúmque immundiſſimis immolationibus fœdabatur, emundata, in honore Saluatoris eſt conſecrata. Poſteà quoque ab eis pleniùs iacta ſunt fidei ſemina in vrbe Senonica, & in circompoſitis vrbibus ipſi ſancti cum maxima multitudine in ea poſt multa & exquiſita tormenta decollati, & honeſtæ ſepulturę ſunt traditi. Quæ quia vili ſchemate conſtruebatur, à fidelibus honeſtior vt fieret, diruebatur. Quod dum fieret, inuenta ſunt ſepulchra eorum, quæ à nullo mortalium quo in loco eſſent ſciebantur, plena ſarcofagis & loculis ſaxeis, plumbeis, gypſeis, & ſeptis * atque complanatis lidoriis, quę omnia plena erant corporibus honeſtiſſimè palliatis, aro- * Parochialis eſt, Monaſterio ſancti Petri contigua & ab eo dependens. * al. ſectis.

matizatis; & quod mirum eſt, quibuſdam deerant capita, quidam etiam in pedibus habebant ſandalia. Inter quæ etiam ſubter ſubpedaneum altaris lapidem repertus eſt tumulus laterculario cementarióque luto compoſitus, in quo inuentus eſt titulus in quodam latere, huiuſmodi:

*Calcator mundi iacet hac Titulfus arena,*
*Corpore contectus ſydera mente tenet.*

Inuentum eſt quoque in quodam lidorio hoc ſcriptum: *Hic poſitus eſt Tetulfus ante ſepulchra Martyrum, fabricator huius Eccleſiæ.* Pro his igitur & aliis, quas referre longum eſt, cauſis, maior incœpta Eccleſiæ fabrica quàm diſpoſitum fuerat. Præerat huic operi diſpoſitor & largitor munerum & mercedum ODO quidam ſacerdos: qui quia auarè & cum murmure hæc faciebat, correptus ſemel, & ſecundò, & tertiò ab eodem Beato Sauiniano, & à Religioſis parœchianis, non reſipuit; vnde lânguens & miſeram vitam ducens non pluſquàm annum vnum vixit. Suſcepit autem opus Eccleſiæ & largè & honeſtè perfecit vir quidam BALDVINVS, Maior huius Abbatiæ, & Petronilla vxor eius, & vterque eorum fœlicem vitam diuites & bonis omnibus abundantes conſummauerunt.

Fundatio Monaſterij Moliſmenſis. Anno MLXXIV. fundatum eſt Moliſmenſe Cœnobium.

Anno MLXXV. Arnulfus Abbas S. Columbæ detulit de Italia reliquias de corpore S. Thebaudi *, fratris ſui, & poſuit in eadem Abbatia: cœpitque ædificare Eccleſiam in honore eius ſancti, quæ eſt euntibus de ciuitate ad eamdem Abbatiam iuxta viam ad dexteram manum.

* Theobaldi.

Anno MLXXVIII. miſit Richerius Archiepiſcopus Monachos de Caritate in Eccleſiam ſanctæ MARIÆ ante portam.

Anno MLXXIX. Obiit Gerbertus Abbas S. Petri, vir bonæ memoriæ, qui eamdem Abbatiam rexit annis XXXIII. menſibus VII. & VIII. diebus. Ampliauit autem Abbatiam de multis poſſeſſionibus quas emit & acquiſiuit labore ſuo: & ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Sauiniani, VIII. Idus Iulij. Cui ſucceſſit Donnus HAIMO Monachus eiuſdem loci XVII. Kal. Aug. Quo die ſummo mane fuit terræ motus magnus.

Haimo Abbas S. P. Viui.

ſine vento, & pluuia, & tonitruo.

Anno MLXXXI. fuit Concilium apud Exolduni caſtrum XV. Kal. Aprilis.

Anno MLXXXII. 14. Kal. Nouembris obiit VVALTERIVS Meldenſis: & in ſequenti ſeptimana HVGO Dienſis Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ Legatus congregauit concilium in eadem vrbe & ordinauit Epiſcopum in eadem vrbe ROTBERTVM Abbatem Eccleſiæ Resbacenſis. Quod quia ſine præſentia & aſſenſu Richerij Archiepiſcopi, & Coepiſcoporum eius factum eſt, excommunicauerunt eum.

Rotbertus Ab. Resbac renitente Archiep. Senonenſi fit Epiſcop. Meldenſ.

Anno MLXXXIII. BERENGARIVS Turonenſis Magiſter, & ammirabilis philoſophus, amator pauperum effloruit: hic compoſuit orationem illam, quæ ſic incipit *Iuſte iudex* IESV CHRISTE. Poſt hæc fidelis & verè Catholicus vitam finiuit; ſuper cuius tumulum huiuſmodi epitaphium eſt:

Obiit Berengarius an. 1083. ſeu 1088.

*Quem modò miratur, ſemper mirabitur orbis;*
*Ille Berengarius non obiturus obit.*

Anno MLXXXV. obiit Haimo Abbas ſancti Petri 18. Kal. Maij, & ſepultus eſt in Clauſtro eiuſdem ſancti iuxta Abbatem Ermenaldum auunculum ſuum. Hoc anno magna pars æſtatis ſine pluuia fuit, & erat nimis neceſſaria arboribus & ſatis. Verùm Monachi S. Columbæ attulerunt corpus S. Lupi in Eccleſia S. Stephani, quem receperunt Canonici cum magna deuotione. Et eo exeunte de Eccleſia deſcendit abundanter pluuia, vnde cuncti reddiderunt Deo & eidem ſancto Lupo gratias. Eodem quoque anno Richerius Archiepiſcopus ordinauit WALTERIVM Meldenſem Epiſcopum 4. Nonas Nouembris, excommunicato ſupra dicto Roberto.

Valterius ordinatur Epiſc. Meldenſ.

Anno MLXXXVI. HERMINVS Abbas recepit Abbatiam ſancti Petri.

Anno MLXXXVII. delatum eſt corpus ſancti Nicolai Myrreorum Epiſcopi apud Barrum. Præcepto Regis Philippi in menſe Maio multa millia Francorum perrexerunt in Hiſpaniam in adiutorium Anfuldi * Regis Chriſtiani, cuius terram & regnum inuadere volebant Pagani, egreſſi de finibus ſuis iam mare tranſito. Sed audientes aduentum Francorum timore perculſi redierunt in ſua. Ipſo anno

* Alfonſi.

6. Idus Septembris obiit Willelmus Rex Anglorum & Comes Normannorum.

Anno MXCII. Philippus Rex dimiſit vxorem ſuam nobiliſſimam de qua habuit filium ſuum HLudouicum, & accepit Bertradam quæ reliquerat Fulconem Andegauenſium Comitem.

Anno MXCIII. Incenſum eſt & incredibili modo crematum Cœnobium ſancti Petri, cum tota villa, & Eccleſia ſancti Sauiniani in Kalend. Septembris, nocte media. Vnde damnum quod . . . . . . .

Anno MXCIV. congregauit Philippus Rex Archiepiſcopos & Epiſcopos regni ſui, in Remenſi vrbe, & obtinuit ab Archiepiſcôpo Richerio magnis precibus, vt Remis ad Concilium non dedignaretur ire; oſtendens Rainaldum Remenſem Archiepiſcopum podagrico dolore contractum non poſſe progredi de ſua ſede: & perrexit Richerius Archiepiſcopus Remis, & ſuſceptus eſt cum maximo honore à Rainaldo Archiepiſcopo, & vniuerſo Clero Eccleſiæ Remenſis, & ſedit in Concilio in nullo inferior Remenſi Archiepiſcopo; ſed penitus par & æqualis, vt pote qui non per aliquod debitum illuc perrexerat, ſed per dilectionem & orationem Regis. Eodem anno obiit Berta Regina, quæ à Rege Philippo priùs fuerat derelicta, ipſo Rege adhuc tenente Bertradam quam huic ſuperduxerat reclamante iuſtitia.

Anno MXCV. Vrbanus Papa XIV. Kal. Decemb. apud vrbem Aruernis Concilium fecit præſentibus CCC. Epiſcopis & Abbatibus. Item in eodem anno fecit aliud Concilium apud vrbem Turonis XVII. Kalendas Aprilis. Item hoc anno iubente Donno Richerio Archiepiſcopo in Monaſterio ſancti Petri Viui factus eſt Conuentus ſolemnis, & ſacratiſſimum caput Beatiſſimi Gregorij Doctoris, quod erat repoſitum in quodam ſcriniolo, vnà cum oſſe de corpore ſancti Patris noſtri Benedicti Abbatis, palam omnibus oſtenſum, & exinde in VI. Kal. Maij. vt ſolemniter hæc dies in Monaſterio agatur ſtabilitum.

*Tranſlatio Capitis S. Gregorij in Monaſterio S. P. Viui.*

Anno MXCVI. 5. Idus Iulij, Obiit Abbas Hermuinus ſancti Petri apud Mauriacum.

Eodem anno obiit Richerius Archiepiſcopus vir bonæ

vitæ & beatæ memoriæ, qui antequam moreretur VI. Kalendas Ianuarias, in die ſcilicet feſti Ioannis Euangeliſtæ, acceſſitis perſonis ſanctæ matris Eccleſiæ Senonum, Dainberto ſcilicet Præpoſito & Archiclaui nondum ſed mox poſt eum futuro Epiſcopo, & Helduino Archidiacono, & reliquis Archidiaconis, & Præcentore, & nonnullis Proceribus Senonicæ vrbis, miſit & mandauit Fratribus Monaſterij ſancti Petri, vt eo viuente eligerent & prouiderent ſibi Abbatem. Quod & fecerunt: eligentes omnium minimum ARNALDVM Monachum, eíque præſentauerunt. Cui ipſe multis præſentibus quis eſſet intimauit, ſcilicet ex humili parentela & ſanguine ortus, quémque ſic volebat viuere vt dignus eſſet regere commiſſos, de quibus ipſe vnus volebat eſſe, & corpus ſuum eidem in eadem Abbatia conceſſit humandum. Quod aliter euenit, quàm ipſe iuſſit, præualente inuidia æmulorum Eccleſiæ ſancti Petri. Ipſe tamen omnia quæ habebat dans Eccleſiis, Clericis & Monachis, atque pauperibus, peractis in Archiepiſcopio XXXV. annis, exceptis tribus menſibus & ſeptem diebus, nudus omnibus rebus temporalibus diem clauſit extremum; & quia de eius ſepultura corporis lis timebatur, ſepultus eſt in Eccleſia S. Stephani, in oratorio ſancti Laurentij Martyris. Eodem verò anno, ipſo adhuc viuente perrexerunt in Ieruſalem multa millia bellatorum, equitum, & ipeditum, diuitum & pauperum, quia inuaſerant Perſæ, & Turci, & Babylonij, & aliarum regionum ignotarum incolæ, Deum ignorantes, Hieruſalem, & omnes ciuitates vſque Conſtantinopolim, quorum timore nullus Chriſtianorum audebat adire ſepulchrum Domini.

*Arnaldus Abbas S. P. Viui.*

Verùm præfato Richerio de medio ſublato ſucceſſit Daimbertus ipſius Eccleſię vicedominus, nobilis & clarus, ab omni clero & populo electus. Permanſit autem ſine benedictione paſtorali anno vno, & duobus menſibus. Poſteà verò Romæ à Papa Vrbano conſecratus, cum Apoſtolica benedictione & pallij decore rediit, in ſede propria locatus XIV. Kal. Maij, Anno MXCVIII. ab Incarnatione Domini, lætante Clero, & bona deuotione populi. Cuius iam in Archiepiſcopio XI. anno penè peracto, teſtor Deum nuſquam

*Dainbertus Archiepiſcop. Senonenſ.*

*Author Chronici huius viuebat ea tempeſtate.*

Abbatiam S. Petri vel audiſſe, vel legiſſe, aut vidiſſe, quietiùs vixiſſe, vel fuiſſe ab omni inquietudine. Det Deus ſuccedentia tempora ſub eo, & cum eo habere læta & proſpera.

Anno MXCVII. 5. Kal. Octob. luna XXVII. viſa eſt in cœlo in parte Septentrionali, zona ignea ſanguinei coloris, longiſſima & multa latitudine expanſi, emittens quoque terribiles radios verſus meridiem. Viſa eſt verò per totam noctem ab ipſo crepuſculo vſque in lucem. Iſto anno obiit Hugo Canonicus, Camerarius Fratrum, omnium fere Canonicorum ſuorum contemporalium eruditor ſtrenuus, cui parcat miſericors Dominus, Amen. Hoc anno obiit Vrbanus Papa, & Paſchalis ſucceſſit: quo etiam anno capta eſt Hieruſalem ob occidentalibus militibus menſe Iulio; & de Chriſtiana gente tunc primùm ipſa ciuitas ſancta Regem meruit habere Chriſtianum.

Concil. Pictauienſe.

Anno MC. fuit Concilium apud vrbem Pictauis XIV. Kalendas Decembris.

Comes Trecenſis quædam elargitur Cœnobio S. P. Viui.

Anno MCIII. HVGO Comes Trecaſſinæ Campaniæ, & vxor eius nomine *Conſtantia*, precatu Arnaldi Abbatis, dederunt Eccleſiæ ſancti Petri Viui ancillam vnam apud ſanctum Potemium, & vnum de filiis eius nomine Belerium cum vxore quam accepturus erat; & quinque ſextaria ſalis depenſu librarum in feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ: & litteris firmauerunt ſigillatis, quas habemus.

Arnaldus Abbas Romam petit.

Anno MCIV. ARNALDVS Abbas Romam petiit cum litteris Domini Daimberti Archiepiſcopi, & cum litteris Richardi Romanæ Eccleſiæ Vicarij & Epiſcopi Albani, cúmque litteris Hugonis Lugdunenſis Archiepiſcopi, necnon & Domni Hugonis, Abbatis Cluniacenſis. Inuenit quoque apud ſedem Apoſtolicam Donnum Richardum Archiepiſcopum Cantorbienſem, & Epiſcopum cum eo Vinceſtrenſem. Horum autem omnium precibus & multorum aliorum qui aderant, impetrauit à Donno Paſchali Papa ſecundo Priuilegium apoſtolicum huic Eccleſiæ de omnibus rebus ad ſe pertinentibus. Quod recepit IV. Idus Nouembris.

Concilium Trecenſe.

Anno MCV. tenuit Concilium apud Trecas RICHARDVS

Albaniæ Epiſcopus V. Kal. Aprilis. In quo Concilio recitatum & confirmatum fuit Priuilegium ſancti Petri ab omnibus conſedentibus in ipſo Concilio. Illic quoque Abbas Arnaldus deponere fecit Gauſbertum quemdam Decanum Mauriacenſem præceptis eius inobedientem & rebellem, & Caſæ Dei Monachum; & miſit ibi Decanum de ſuis monachis nomine Petrum de ſancto Balderio. Inde rediens captus eſt ab inimicis militibus cognominatis Robertinis, & ductus in carcerem in pago Lemouico, in caſtro quod dicitur Ventudunus. Hoc autem totum factum eſt tractatu Petri Armari cuiuſdam militis, qui reclamabat in Eccleſia Mauriacenſi conſuetudines, quas aſſequi, quia rectitudo ei abſtulit, minimè potuit. Contigit autem vt eo tempore Epiſcopus Claromontenſis, vir religioſus nomine Petrus, congregato maximo exercitu circa Auriliacenſe Cœnobium (vt mos eſt Epiſcoporum præfatæ vrbis) hoſtes quæreret, qui nunquam deſunt ſanctæ Eccleſię. Peruenit autem ad aures eius, relatione Vvidonis & Rodulfi Fratris eius, qui Domini erant caſtri quid dicitur Scurrilias, quíque hominium fecerant præfato Abbati, dolo & machinatione ſæpe dicti Petri Abbatem carceratum. Vnde ſuper eum & ſuper caſtrum eius, quod dicitur Miramons, faciem exercitus vertit, & vellet nollet, Abbatem & ſuos coincarceratos cum ſuis omnibus melioribus rebus reddere fecit.

Anno MCVI. fuit Concilium apud vrbem Pictauis. Concil. Pictauenſe.

Anno MCVII. tenuit Concilium apud Trecas Papa venerabilis Paſchalis ſecundus. In quo intentio eius maxima fuit de Hieroſolymitano itinere & de treuua Dei. Item in hoc anno conſecrauit Donnus Dainbertus Eccleſiam in honore Sanctorum Martyrum Sauiniani & Potentiani in pago Milduino, in villa quæ dicitur Rampellunnus. Concil. Treceuſe.

Anno MCVIII. Tertio Kal. Auguſti obiit PHILIPPVS Rex Francorum. Qui inter cætera ſua bona facta Monachis ſancti Petri & ſancti Sauiniani Præceptum Regale fecit, ſicut fecerat pater eius Hainricus, de quiete terræ eiuſdem Abbatiæ. Dedit etiam ad reſtaurationem eiuſdem Abbatiæ poſt incendium quod paſſa eſt in diebus eius, Anno ſcilicet Incarnationis Dominicæ MXCIII. nouem marcas

argenti. Cui ſucceſſit in regno filius eius HLVDOVICVS qui vnctus eſt in Regem tertio nonas Auguſti à Dainberto venerabili Senonum Archiepiſcopo, & à ſuis Coëpiſcopis apud Aurelianam ciuitatem. Qui multa paſſus à Proceribus Franciæ in eodem anno, præcipueque à Vvidone, Rubeo cognominato, qui ei fraude & dolo ſuo filiam ſuam nuptum dare volebat; quod quia dignitati Regiæ indecens erat, & Conſulibus regni diſplicebat, auctoritate Apoſtolica Paſchalis Papę dimiſerat. Cui Vvidoni in ipſa hyeme magna vi & magnanimitate, per niues & per grandines, per tempeſtates hiemales caſtrum, quod dicitur Firmitas-Balduini, muniens illud circum circa vallo & palo, manúque militari, abſtulit, & ſibi retinuit.

Ludouicus Rex inungitur ab Archiepiſc. Senon.

Hoc anno obiit Vvillelmus Abbas ſancti Remigij XIV. Kal. Iunij, qui Monachus & nutritus fuit eiuſdem loci. Cui ſucceſſit in Abbatia Willermus nutritus & Monachus S. Petri Viui & ſancti Sauiniani, expetitus & requiſitus à Fratribus eiuſdem loci, & à Donno Dainberto Archiepiſcopo & à clero Senonenſi in Capitulo noſtro, præſente Arnaldo Abbate, & Fratribus ipſius Cœnobij, & conceſſus ad regendum prædictum Cœnobium. Ordinatus eſt autem Idibus Iunij, in qua die celebratur tranſitus ſancti Agricij Archiepiſcopi & Confeſſoris, cuius corpus requieſcit in Eccleſia ſancti Petri Viui & ſancti Sauiniani Martyris. Hoc quoque anno fuit aliquanta venditio annonæ, ita vt venderetur ſextarius frumenti ſex ſolidis, ordei IV. auenæ III. ſiliginis V. Hoc iterum anno perfecta eſt turris & coopertura ſuper chorum Cœnobij ſancti Petri Viui.

Item in hoc eodem anno venerunt alienæ gentes exeuntes de finibus ſuis tranſmarinæ, quas quidam Amorreos, quidam Amirales vocabant, & fecerunt de ſe tres partes: quarum vna tetendit ſuper Sarracenos, duæ ſuper Chriſtianos: Et venerunt non longiùs quàm eſt iter trium aut duorum dierum à ciuitate Barcinona. Verùm conſilio accepto Barcinonenſes, Comes ſcilicet & Epiſcopus, & Proceres, & compatriotæ quibus incumbebat neceſſitas, reclamauerunt aduocationem Regis HLudouici, & miſerunt ad eum Cauſidicos ſuos, Epiſcopum ſcilicet ipſius ciuitatis cum paucis nuntiis,

nuntiis. Qui querimoniam ſuorum ciuium & compatriotarum ſuorum ipſi Franciæ Regi referentes, inuenerunt eum variis militiæ bellis implicitum, ſcilicet verſus Regem Anglorum, Ducem Normannorum, qui contra ius & fas denegabat facere hominium quod debebat & debet Regibus Francorum. Similiter & Conſul Pictauorum, & Dux Burgundiorum, & multi alij Conſules qui ſunt ſub Rege Francorum. Cum quibus omnibus pro inſtante neceſſitate pacem fecit ſupradictus Rex, quibuſdam inducias & treuuas dando; de quibuſdam hominium debitum accipiendo. Vnde confidens plurimùm Rex ſpopondit legatis ſupradictis ſe vere præparaturum ad ferendum illi patriæ auxilium. Et ad curiam ſuam quæ in Pentecoſtes futura erat (nam hæc fiebant in diebus præcedentis Quadrageſimæ) dixit ſe ſuum conſilium, vt dignitatem Regiam decebat, accepturum. Inde ſupradictus Epiſcopus cum ſociis ſuis lætus cum Regis gratia retrogradum iter arripuit. Tum temporis Abbas Arnaldus apud Vrticidum quamdam villam ſancti Petri & ſancti Sauiniani pro quibuſdam oportunitatibus Mauriacenſis loci demorabatur. Quæ villa in pago Aruernico ſita non longiùs ab ipſa vrbe, ſcilicet Aruernis, quàm ſeptem miliaribus abeſt in publica via qua ad ſanctum Egidium itur. Illic didici à præfato Epiſcopo & ſociis eius quæ ſcripſi. Addiderunt etiam & dixerunt quòd ſupra ſcriptæ gentes à Monte peſſulo non longiùs erant quàm itinere quinque dierum, ſimiliter & de ſancto Egidio. *Hec narrat Author tanquam auritus teſtis.*

Verùm vt ad quædam, quę de præterito anno Incarnationis ſcilicet Dominicæ milleſimo centeſimo ſeptimo, quatuor diebus ante præſentem annum de quo agitur, redeam, meminiſſe decet, & ſcire eſt vtile de Tranſlatione ſanctiſſimi corporis communis Patris Benedicti. Quod causâ meliorandi capitij, vel Monaſterij Floriaci loci (qui ſuper ligerim fluuium eſt, vel nominatur) in naui ipſius Eccleſiæ per aliquod tempus collocatum eſt. Hoc anno præſcripto, perfecto capitio, & choro cum membris & vtroque latere conuenientibus, Abbas SIMON qui ad hoc ſategerat, & plurimùm laborauerat, & intendebat, vt in die tranſitus eiuſdem ſanctiſſimi Patris, duodecimo Kal. Aprilis, in priori Noua tráslatio corporis S. Benedicti facta An. 1107.

CCCcc

loculo, qui honorabilior erat, transferret, præuentus morte reddidit Deo debitum patris noſtri Adæ, & ſepultus eſt in clauſtro eiuſdem Cœnobij. Verùm conuocatio populi quę per multa loca facta fuerat, plurima ad diem denominati feſti conuenit, ſed non quanta debuit: Quis enim deeſſe debuit? Credo nullus quam pes portare potuit. Ad hunc conuentum venit & interfuit LVDOVICVS Rex deſignatus cum multis Proceribus Francię Regni, & communi lætitiæ ſuam coniunxit. Adfuerunt quoque IOANNES Epiſcopus Aurelianenſis, HVMBALDVS Epiſcopus Autiſſiodorenſis, viri religioſi cum maxima Cleri ac populi multitudine. Eadem die dedicauerunt maius altare in honore S. MARIÆ Dei Genitricis; & aliud, matutinale ſcilicet, in honore ſancti Benedicti, ſub quo poſitæ ſunt ipſa die ſanctę Reliquię eiuſdem Patris. Tranſlatum eſt autem ſanctiſſimum corpus in conſpectu omnium qui adfuerunt inſertum in metallino quodam & cupreo ſcrinio, in quo priùs, vt creditur, poſitum fuit quando allatum eſt de Caſſino monte. Illic vidi flentes præ gaudio Regem & Principes, & omne vulgus, præcipuéque Monachos & Abbates, hymnos & laudes vt decebat dicere volentes, ſed prę lacrymis non valentes. Leuatum itaque tãtum Gazophylacium, auro & argento, gemmíſque omnibus carius, ſuperpoſitum eſt feretrum auro gemmiſque fabricatum tanto Patri congruum. Eadem die fecerunt Monachi ipſius Eccleſię concedente præfato Ludouico, & patris conſenſum promittente, præſentibus prę fatis Epiſcopis, & Abbate ſancti Launomari Bleſenſis, & me *, qui Monachus ipſius loci ſum, & elegerunt Boſonem quemdam Priorem cuiuſdam ſuæ cellæ. Hoc totum factum eſt XIII. Kal. Aprilis. Rex autem Philippus vixit vſque in menſe Iulio, & in fine ipſius menſis, ſcilicet III. Cal. Auguſti, obiit apud Milidunum, præcipiens ſuum corpus ferri & tumulari in monaſterio ſancti Benedicti; donans ipſi loco plurima donaria, vt magnificentiam regiam decebat; cuius filius Ludouicus, Rex III. nonas Auguſti factus, valde ipſum Cœnobium dilexit, & rebus temporalibus creuit.

* *Author primò Monachus Floriacenſis, dein S. Petri Senonenſ.*

Hoc iterum anno venit quidam peregrinus apud caſtrum Nantonis & obiit, ſepultúſque eſt iuxta ſtratam publicam

eiuſdem caſtri, vbi factus eſt per multos dies multus concurſus populi vtriuſque ſexus. Cuius nomen ignorantes, ſanctum Peregrinum eum vocauerunt. Quem dicunt etiam feciſſe ſigna, quod dimitto induſtriæ ſagacis lectoris.

Hoc anno Ludouicus Rex Monachis ſancti Petri Viui regale Præceptum fecit, ſicut fecerat Henricus auus eius, & Philippus pater eius.

Anno MCIX fuit Paſcha Domini VII. Cal. Maij, quod eſt vltimum Paſcha. In ſubſequenti Maio, vel Iunio, atque Iulio, venditio annonæ, quam in præterito anno verno tempore diximus frumenti fuiſſe VI. ſolidorum, duplicata eſt, ita vt frumentum venderetur XII. ſolidis, alię annonę ſimiliter duplicatę ſunt. Hoc anno Ludouicus Rex iuuenis cum multis ſuis Conſulibus, vel Proceribus, bello vel amicitia pacem fecit. Tempeſtates multę factę ſunt, vis grandinum, & ventorum, & fulgurum, & fragor nubium cum petris cadentibus, multos homines occiderunt, arbores eradicauerunt, domos euerterunt, vineas ærugine ventóque ſubſequente læſerunt, racemos perpaucos & tenues nobis reliquerunt. Præſcripto die ſancti Paſchę quidam duo fures calices tres, quorum vnus maior, duo minores de auro & argento aptè compoſiti, dum in refectorio manducaremus, furati ſunt. Quorum primus iam pro ſimili vel pro alio neſcio quo furto cœcatus, in eodem anno ſuſpenſus, indignam vitam digna morte finiuit.

In ipſo eodem anno Petrus Decanus Mauriacenſis, fauentibus quibuſdam Monachis ipſius Monaſterij, eruit oculos cuiuſdam Capellani, quem fecit capere in nocte ſubſequente natiuitatem Beatiſſimæ Dei Genitricis MARIÆ, ſcilicet V. Idus Septembris. Quod ideò facere iuſſit, quia idem Capellanus ad Abbatem Senonas venerat auxilium & conſilium quærere de quibuſdam damnis, quæ ei faciebant Decanus & Monachi. Vnde Abbas eis litteras vt ad ſe emendaturi venirent, miſit: quas dedignati ſunt accipere. Quapropter idem Abbas XII. Kal. Nouemb. mouit & Cluniacum tetendit, & ibi per tres dies commoratus eſt, & fecit feſtum Omnium Sanctorum Kal. Nouemb. & accepit ſocietatem eiuſdem loci. Vbi etiam conqueſtus eſt cum Ab-

Decani Mauriacenſ. crudelitas.

Subiici renuit Abbati S. P. Viui.

bate eiuſdem loci, & aliis ſex Abbatibus, qui conuenerant in præſentia Donni Richardi Romanę Eccleſiæ Legati, de dedecore facto Eccleſiæ ſancti Petri, & ſibi. Quod ipſe audiens, & mirum ducens, Petro Aruernorum Epiſcopo, in quem confidebant ipſius malefacti factores ac fautores, litteras miſit, quarum eſt exemplar.

Epiſtola Richardi Alban. Epiſc. Claromont. Epiſcopo vt Decanũ Mauriac. coerceat.

» RICHARDVS Albanenſis Eccleſiæ qualiſcumque Miniſter, Apoſtolicæ ſedis licet indignus ſeruus & Legatus, PETRO Cariſſimo Aruernorum Epiſcopo ſalutem. Abbas S. Petri Senonenſis Monaſterij conqueſtus eſt apud nos de inobedientia & rebellione Mauriacenſis Decani, & fautorum eius. Quod grauiter ferentes vtpote de Romanæ Eccleſiæ filio, vobis mandamus & præcipimus, vt ab Eccleſia ſancta hoc tantum dedecus ſummoueatis; ne filios contumaces in pertinacia ſua eſſe ſinatis; ſed ad Abbatis obedientiam in præſentiarum venire cogatis. Quod ſi neglexerint, & mandatis noſtris non adquieuerint, gladio Spiritus ſancti eos ferimus, & vt itidem faciatis præcipimus. Præterea ex eiuſdem inobedientiæ radice Sacerdotem quemdam cœcatum pro certo accepimus, quod ſeuerê, & pro modo culpæ vindicandum iudicamus. Itaque laïci qui tyrannidem hanc exercuerunt, & cæcati Preſbyteri bona inuaſerunt, vel poſſident, excommunicentur; qui verò Sacerdotes, vel Clerici cooperatores aut conſentientes fuerunt, officio diuino arceantur, rebus eccleſiaſticis, ac iuſtitiis (quas nos præbendas vocamus) priuentur, talique ſententiæ ſubiaceant, quę eorum culpæ conueniat, & quam cæteri timeant.

Fauet Decano Epiſcopus Claromont.

His litteris apud Claromontem ab Abbate Epiſcopo delatis, finxit ſe & dixit eidem Abbati iuuaturum, quod non fecit. Námque idem Abbas montana conſcendit, Mauriacum adiit, cum eodem Decano, quia res ita exigebat, pręſentibus duobus Abbatibus, ſcilicet PETRO Auriliacenſi, & alio ſancti Martini de Tutela, & RODVLFO Priore de Caſa Dei placitauit, & in eodem placito præfatus Decanus fretus militari manu, & multorum laïcorum, qui illuc confluxerant, & præcipuè cuiuſdam Archipreſbyteri, nomine Petri de Sennis, qui conſenſu Epiſcopi ei conſentiebat, conſilio, dixit ſe nihil propter Abbatem facturum, neque de

obiectis reſponſurum , donec ante Epiſcopum. Quod audientes religioſi viri, qui illic aderant, dixerunt eum inobedientem & rebellem, non vt Monachum ſe habere vel eſſe. Qua pro re eum Abbas & conſentientes ei excommunicauit, & clauſtrum Monaſterij ne ingrederetur, foras expulſus prohibuit. Qui ſpernens omnia iuſſa Abbatis cum quatuor Monachis , qui eius turpi vitæ concordabant, ingrediebatur & egrediebatur , & cum militibus caſtri (quod vocatur *Clauers*) quique eruerunt oculos Capellani , & cum illis de Monteclaro, & de Salerno , atque de Surralliis, ſæpe conſilium fecit de captione Abbatis, & de morte ſociorum eius, & de diſtributione equorum eius : & nonnunquam noctis tempore aſſultus milites ſuper eum fecerunt illi, quos ſibi conſociauerat, dans & promittens terras & poſſeſſiones Eccleſiæ Mauriacenſis. Hæc autem omnia & his peiora fiebant in diebus Aduentus, & feſtis Natalis Domini, ſimiliter & poſt octauas Theophaniæ. Videns autem Abbas quòd non pœniterent, ſed dietim ad Epiſcopum , in quo confidebant, apud Claromontem irent & redirent, cogitans quoque quia hi qui eum auxiliabantur, & in quibus confidebat , inſtabant quotidie, dicentes, vt faceret Decanum aliquem Monachum aut de Caſa Dei, aut de Cluniaco, præuidénſque quòd perditio loci eſſet, dimiſſis omnibus laïcis conſilium habuit cum Monachis omnibus, exceptis tribus excommunicatis, & conſtituit Decanum ROTBERTVM de Capſana cognominatum , tunc Priorem de Vrticido, & hoc in die Sabbathi. In craſtino autem , Dominica ſcilicet die Septuageſimæ , iam explicata ſolemni Miſſa, irruit ipſe Exdecanus cum militibus multis & hominibus villæ ipſius quos præibat cum ſpatis nudis , & fregerunt partem curiæ , intrauerúntque per vim clauſtrum , quærentes Abbatem, & Decanum, & Monachos de Francia in Refectorio , & in Cellario, & in aliis officinis. Quos non inuenientes egreſſi ſunt de clauſtro, & inuenerunt quos quærebant ante capellam ſancti Benedicti, conſedentes & colloquentes. Quos videns Decanus , & ſciens quia iam audierat ad ſe perimendum venturos, currens intrauit cameram Abbatis, & clauſit oſtium poſt ſe. Abbas autem & Monachi eius foris remanſerunt , quos

verbis plurimùm minati ſunt, per capitia cucullarum turpiter apprehenderunt, de planis ſpatis ferierunt, ſed non læſerunt. Propter Decanum autem occidendum, quia per oſtia domus quę fortiter obſerata erant, & intrare non potuerunt, ſuper domum aliqui aſcenderunt, & de tegulis de quibus camera ipſa tegebatur remouerunt, & perforato tecto lapidem grandem demiſerunt putantes Decanum occidere. Qui lapis corruens cecidit ſuper ciſtam in qua erat quantulacumque pecunia, quæ de viatico Abbatis remanſerat, quam & habuerunt. Vnus autem ex eis iecit fuſtem quem tenebat, & percuſſit Decanum in mento & ſanguinolentum fecit. Qui videns ſe ita opprimi, aperuit oſtium cameræ & fuſtem tenens manu, loquénſque aſpera per medios armatos exiuit, & per clauſtrum Eccleſiam introiuit, & in vitem * quæ ad defendendum in eadem Eccleſia eſt, aſcendit, & oſtium poſt ſe clauſit, in quo defenſaculo iam ſe miſerant aliqui de noſtris. Hoſtes autem inſequentes Decanum, quia per oſtia non potuerunt, per parietes & per clydas quaſdam quę ſuper portam Eccleſię erant, frangentes omnia, intrauerunt, & oſtium per quod idem Decanus in defenſaculo illo intrauerat conabantur frangere, vel igne adlato ardere. Sed vnus de amicis Abbatis lanceam tenens, quemdam de ſeruis ſancti Petri, qui pluſquam cæteri malum mouebat & faciebat, in coſtis corporis eius vulnerauit, vnde aliis hoſtibus metus magnus factus eſt, & diſceſſerunt. Vnus quoque eorum qui in prædicto defenſaculo erant, iaciens lapidem percuſſit mulierem quamdam, quę galeam ferebat filio ſuo Eccleſiam frangent, & clamabat, percutite, occidite, ardete Francos illos. Quę de ipſa percuſſione non poſt dies multos mortua eſt. Erat autem filius eius ille qui accepit & miſit in carcere Capellanum, quando perdidit oculos iuſſu Exdecani Petri de ſancto Balderio.

* turrim.

Propter hæc omnia, & quia Monaſterium propter ſanguinem in eo fuſum à diuino officio ceſſabat, miſit Abbas duos de Monachis ſuis Rigaldum & Girardum ad Epiſcopum, mandans ei rem malè geſtam; & vt ad reconciliandam Eccleſiam aquam benedictam, & conceſſionem reconciliationis annueret. Qui tunc temporis in expeditione vltra Clarimontem itinere dierum trium erat, & quod Abbas

mandauit, facere noluit. Tantùm conceſſit vt Monachi diuinum officium in oratorio ſancti Benedicti facerent ſine ſonatione campanarum; & in Capella ſanctæ MARIÆ ex integro diuinum officium celebrarent.

Interim homines de Mauriaco timentes Abbatem diſcedere propter iniuriam ſibi factam, firmauerunt in manu eius ſe rectitudinem facturos, quam laudaret EBOLVS Vicecomes, & alij quidam Milites qui nominati fuerunt, nec non & ſi qui alij ab Abbate vocati eſſent. Vnde conſtituit eis Abbas diem & habuit laudatores; videntéſque ſe grauari iudicio, fidem non ſunt ſecuti. Quapropter Abbas ſecundâ ſeptimanâ Quadrageſimæ egreſſus à Mauriaco, Comitiſſam matrem Comitis, quia Comes Romam erat, adiit. Quæ dedit ei conſilium, vt ad caſtrum, quod Euan vocatur, in Lemouico pago iret, ibique Archiepiſcopum Bituricenſem Metropolitanum Epiſcopi Aruernenſis, & ipſum Epiſcopum, necnon & Archiepiſcopum Burdegalenſem, atque GERARDVM Engoliſmenſem Legatum Romanæ Eccleſiæ inueniret, & coram eis alloqueretur Epiſcopum de querimonia ſua. Quod & fecit: litteras quoque ſupra ſcriptas Donni Richardi Legati legere fecit in præſentia eorum; quas audientes reprehenderunt eum non obediſſe præceptis Legati, & laudauerunt ei vt iuſtitiam plenariam Abbati faceret, & pignora quæ ſæpedictus Exdecanus multa fecerat ſuper terras Eccleſiæ ſine aſſenſu Abbatis & Capituli, laudauerunt debere eſſe irrita. Et tunc promiſit Epiſcopus iuſtitiam ſe facturum Abbati, & diem nominauit qua apud Vrticidum ei mandaret quando montana aſcenderet, quod minimè fecit.

Corã Epiſcopis & Legatis conqueritur Abbas de Epiſcop. Claromont.

Hoc anno in Lateranenſi Eccleſia præſidente Donno Paſchali ſecundo, indictione tertia, nonas Martij factum eſt concilium.

Anno MCX. Abbas Arnaldus ipſa die Incarnationis Dominicæ in montanis Epiſcopum Aruernenſem, qui clam eo ipſas montanas aſcenderat, ſequens, venit ad caſtrum quod vocatur Caſlud, & hoſpitium habuit in quadam Eccleſia, quæ vocatur Baſſiniuacus, quæ eſt ſancti Petri Epiſcopus verò alias quàm ipſe putabat tenens vias, & declinans ab eo, rediit ad ciuitatem ſuam. Abbas autem iuit Mauriacum, &

expectauit eum ſex diebus. In quibus affuit EBOLVS Vicecomes, & alij multi Milites, qui laudauerunt hominibus eiuſdem Villæ, qui aſſultum ſuper Abbatem fecerunt, & Eccleſiam fregerunt, vt darent ſe eius miſericordiæ, quia rectitudo eos nimis grauaret, quod nequaquam fecerunt. Inde diſcedens Abbas per magnas niues, & frigora, & pręcipitia, rediit Vrticidum in Kalendis Aprilis. In craſtina autem quæ præcedebat diem de Ramis Palmarum miſit ad eum nuntios ſuos, vt requirerent eum quid faceret de iuſtitia, quæ laudata ſibi & imperata fuerat ab Epiſcopis. Quibus reſpondit nihil ſe facturum. Vnde Abbas mouens venit per quinque dies apud Bituricas in feria quinta Cœnæ Domini, & locutus cum Archiepiſcopo impetrauit ab eo litteras feriâ ſextâ, quarum exemplar hîc eſt.

Epiſtola Archiep. Biturićẽſis ad Epiſcopũ Claromont.

„ LEODEGARIVS Bituricenſ. Eccleſiæ humilis miniſter, „ PETRO dilectiſſimo Aruernorum Epiſcopo, Euge à Domi- „ no. Audito clamore venerabilis Fratris noſtri ARNALDI „ Abbatis Senonenſis Monaſterij apud Euan, reminiſcimur „ nos vobiſcum egiſſe ac concordauiſſe præſentibus, & ap- „ probantibus Gerardo Engoliſmenſium Epiſcopo, ſanctæ „ Eccleſiæ Romanæ Legato, & Burdegalenſi Archiepiſcopo, „ quatenus ſicut in litteris Domini noſtri Richardi Legati „ continetur, Mauriacenſes Monachos rebelles & inobe- „ dientes ad obedientiam eiuſdem Abbatis redire compelle- „ retis, quod & vos facturum conceſſiſtis. Nunc verò pluri- „ mùm miramur quoniam neſcimus quo ſpiritu actus, ſicut „ idem Abbas conqueritur, nihil feciſtis. Præſentibus igitur „ litteris fraternitati veſtræ mandamus, immò præcipimus, „ quatenus ſupradictos Monachos ipſi Abbati iuſtitietis, & „ fautores eorum, ſimul & omnes illos qui in Eccleſia de Mau- „ riaco aſſultum ſuper Abbatem in die Septuageſimę fece- „ runt, ſub anathemate ponatis, & in eadem Eccleſia recon- „ ciliatione facta diuinum officium celebrare ſinatis. Valete „ pro nobis orans.

Inde egreſſus Abbas venit ad ſanctum Benedictum, & ibi Paſcha Domini celebrauit. In feria ſecunda mouens inde venit ad curiam Regis apud Aurelianum, & locutus cum Rege narrauit ea quę paſſus erat, quomodò Claromontenſis

Epiſcopus

Epiſcopus litteras, quas per eumdem Abbatem ſibi Rex miſerat, paruipendens, non ſolùm non profuerat, ſed nocuerat. Vnde Rex indignatus miſit litteras ſuas eidem Epiſcopo, mandans ſe moleſtè ferre quòd locum Mauriaci, qui fiſcus regalis, & Capella Regum Francorum eſt, inquietabat, & ne vlteriùs faceret, præcepit, donec in curia ſua rectitudinem auditurus ſiquid in loco illo reclamabat, veniret. Poſt hæc quoque adiit Abbas præfatum Romanæ Eccleſiæ Legatum Richardum apud Lingonas, eique rem geſtam narrauit, & ab eo litteras quas ſupra memorato Epiſcopo mitteret, impetrauit, quarum exemplar hoc eſt.

Epiſtola S. R. E. Legati ad Epiſcopum Claromont.

“Richardvs Dei gratia Albanenſis Eccleſiæ qualiſcumque miniſter, Apoſtolicæ ſedis licet indignus, ſeruus & Legatus, Petro cariſſimo & venerabili amico ſuo, Aruernorum Epiſcopo Salutem. Scripſimus vobis de querimonia & proclamatione Donni Senonenſis Abbatis, & vt Decanum illum de cuius inobedientia & rebellione vobis diximus, cum illis qui cum eo eiuſdem malitiæ crimen ſectantur, ad emendationem & ſatisfactionem iuſtitię venire faceretis, vobis diligenter mandauimus. Sed & de illis qui Preſbyterum cœcauerunt, & tanto ſacrilegio aſſenſum præbuerunt, tam de Clericis, quàm de laïcis ſimiliter fecimus. Vos autem legationis noſtræ negotia paruipendentes, litteras quidem legiſtis, ſed de iuſtitia parum profeciſtis. Nunc ergo iterum earumdem cauſarum proclamationem retractantes, ex Apoſtolica auctoritate, donec ad emendationem veniant, illos interdicimus, & vt ſimiliter faciatis mandamus iterum, atque præcipimus. Sed & illos qui Eccleſiam fregerunt, & in Abbatem aſſultum fecerunt, & Monachos qui Abbatis obedientiam contemnunt, ſimiliter interdicimus: & ammonitos à vobis niſi Monachi de inobedientia, & laïci de aſſultu Abbatis ſatisfecerint, excommunicari præcipimus. Quorum enim culpas corrigere eſt, & non corrigunt, hi profectò malitiæ illorum participes exiſtunt. De terris verò abſque iuſſu Abbatis & Capituli pignoratis, vt eas Eccleſiæ ſuæ reddi faciatis præcipimus. Sed & de impugnatione quam laïci in mutando Decano, Abbati & Monachis faciunt, quia hoc ſancti Canones prohibent, ne vlteriùs fiat

» penitus interdicimus. Valete.

Has litteras cum litteris præſcriptis Bituricenſis Archiepiſcopi, necnon & Regis, miſit Abbas eidem Epiſcopo Claromontenſi per Rigaudum Monachum, quem inuenit in diebus Rogationum, in eadem ciuitate, & litteras quas deferebat, præſentauit. Vnde Epiſcopus dixit ſe obediturum, & in ſubſequenti ſexta feria poſt Aſcenſionem Domini montana conſcendit, Mauriacum venit, in Dominica die Monaſterium reconciliauit, & de excommunicationibus quæ ſibi in litteris præcipiebantur, partim fecit, partim dimiſit, ſcilicet illos qui parti Decani depoſiti fauebant, & pro eo terras Eccleſiæ ipſius inuaſerant & tenebant: illos autem qui Decanum Robertum, quem Abbas miſerat, calumniabantur & inquietabant, noluit excommunicare. Quod moleſtè ferens præfatus Monachus cum indignatione diſceſſit ab Epiſcopo. Et veniens, vt putabat, Senonas, Deo ita ordinante inuenit in Abbatia, quę Mozacus vocatur, Donnum Richardum Legatum Romanæ Eccleſiæ, ſæpe in hoc ſcripto inculcatum. Cui quoque ſicut geſta erant, cuncta retulit, & cum eo, iubente ipſo, Claromontem rediit, & cum eo Pentecoſten fecit, & cuncta quæ voluit ab eo impetrauit. Námque idem Epiſcopus licet nolens in Synodo quam tunc celebrabat, omnes ſicut in litteris continebatur, excommunicauit qui meriti fuerant; & Donnus Cardinalis has litteras ſuo ſigillo munitas fecit, & Eccleſiæ Mauriacenſi miſit.

[Margin: Epiſcopus tandem in reos fert excōmunicationis ſententiam]

[Margin: *Mauſacum prope Ricomagum.*]

[Margin: Synodus Claromōti]

» RICHARDVS Albanenſis Eccleſiæ qualiſcumque miniſter, Apoſtolicæ ſedis licet indignus ſeruus & Legatus, » Mauriacenſium fratrum perſecutoribus vt reſipiſcant. Dominus Papa Paſchalis in Concilio Trecenſi omnes eos excommunicauit qui pacem violarent, & præcipuè eos qui res Eccleſiaſticas vſurparent, vel perſonas in aliquo iniuſtè læderent, vt nec in vita, nec morte, Eccleſiæ communionem haberent, niſi digna ſatisfactione priùs reſipiſcerent. » Vnde nos ex præcepto Domini Papæ Epiſcopum Claromontenſem Mauriacenſis Eccleſiæ perſecutores excommunicare præcepimus & excommunicauimus coram Conuentu ſynodali. Nos quoque eoſdem omnes excommunicamus, & eis communicantes à Chriſtiana communione eos

[Margin: Richardus Legatus hiſce literis excommunicat percuſſores Decani Mauriac. & Abbatis.]

ſeparantes, & vbicumque fuerit aliquis eorum, diuinum officium interdicentes, vt ſecundum præceptum Domini Papæ nec in vita, nec in morte communionem habeant, niſi priùs condignè pœniteant. Hi ſunt, Scurriliacenſes, Salernenſes, Monteclarenſes, & Mauriacenſes burgenſes, qui neque Abbati neque Decano obediunt. Si quis autem Preſbyter, aut Archipreſbyter alicui horum perſecutorum fecerit officium, eo ipſo quod iniuſtè amminiſtrat, officio eum ſuſpendimus in perpetuum, & cum excommunicatis ipſum excommunicamus. Facientes enim & conſentientes pari pœna digni ſunt.

His litteris addidit verba, prohibuit viua voce Apoſtolica auctoritate, vt nunquam Abbas ſancti Petri aut ſucceſſores eius de alio aliquo monaſterio Decanum Mauriaco faciant, niſi de Senonenſibus Monachis, aut de Mauriacenſibus. Hoc dixit coram Epiſcopo multis audientibus, & mandauit Domino Daimberto Archiepiſcopo, vt & ipſum confirmaret. Miſit quoque & litteras quas ſubſcripſimus.

Epiſtola eiuſdem Richardi ad Archiep. Senonẽſem, & Abbatẽ S. P. Viui.

RICHARDVS Albanenſis Eccleſiæ qualiſcumque miniſter, Apoſtolicæ ſedis licet indignus ſeruus & Legatus, venerabili fratri DAIMBERTO Senonenſi Archiepiſcopo, & ARNALDO Abbati ſancti Petri ſalutem. Toloſam ad Concilium properantes Claromontem venimus, & Epiſcopum Synodum celebrantem inuenimus, & fecimus eum omnes illos excommunicare, qui excommunicato Priori non abhorrent communicare, & qui Preſbyterum excœcauêre, & qui res Mauriacenſis Eccleſiæ inuasêre, & qui in Abbatem & Decanum aſſultum fecêre, ſic ſcilicet, vt nec in vita, nec in morte, Chriſtianam communionem habeant niſi priùs condignè pœniteant. Valete.

Concilium Floriacẽſe.

In ipſo anno celebrauit ipſe Domnus Richardus Concilium Kal. Octob. apud Monaſterium ſancti Benedicti Floriacum. In quo adfuerunt Archiepiſcopus Senonenſis Donnus DAIMBERTVS, & RODVLPHVS Remenſis Archiep. & RADVLPHVS Archiepiſcopus Turonenſis, & LEODEGARIVS Archiepiſcopus Bituricenſis, cum Epiſcopis, & Abbatibus ſuis. In quorum omnium præſentia & auditu, præſente Epiſcopo Aruernenſi, in fine Concilij excommunica-

uit omnes illos, ſiue Clerici, ſiue laïci eſſent, qui vlterius calumniam facerent Abbatibus ſancti Petri Viui & ſancti Sauiniani de ordinatione & mutatione Decani vel Prioris Monaſterij Mauriaci. Fecit etiam pacem de Abbate & Epiſcopo Aruernenſi Petro de moleſtiis quas ſupra ſcripſimus. Inde abiens Petrus Epiſcopus ſupra ſcriptus in ipſo itinere ægrotare cœpit, & perueniens vſque ad ſedem Epiſcopatus ſui obiit, & ſepultus eſt in eadem Eccleſia Anno Incarnationis Dominicæ MCXI.

*Obiit Petrus Epiſc. Claromót.*

Anno MCXII. fuit ingens perſecutio, & prælia multa inter Regem H Ludouicum, & Regem Anglorum, & nepotem eius Comitem Theobaldum. Vnde multæ crematæ ſunt Eccleſiæ, & Villæ, & Abbatiæ vaſtatæ. Quapropter Arnaldus Abbas muniuit Burgum ſancti Petri vallo, & ſepe, & aliis propugnaculis quæ ſunt opportuna defenſioni.

Anno MCXIII. emit Abbas Moliſmenſis villam, quæ vocatur Pauliacus, de Milone filio Bernardi de Monte Barro, dans centum quinquaginta libras denariorum. Quæ villa cum appenditiis ſuis eſt de donationibus, quas dederunt Abbatiæ ſancti Petri Viui Senonenſis Ingoara & Leotheria ſicut & Rictiacum) quæ ambæ fuerunt ſorores ſancti Ebbonis. Dederunt etiam in pago Tornodorenſe Villam, quæ vocatur Fontanas, cum omnibus appenditiis & adiacentiis; & in pago Laſlinſe Bagnolum, & ſupra memoratum Pauliacum, in cuius parrochia ſita eſt Moliſmenſis Abbatia. Audiens autem Abbas Arnaldus hanc emptionem quam fecerat ſupradictus Abbas de Pauliaco villa, quæ eſt alodus S. Petri Viui, adiit eum cum duobus Monachis ſuis, Helduino ſcilicet Priore, & Girardo Cellerario, & calumniam fecit. Vnde reſpondit ei Abbas ſupradictus ſe locuturum cum Milone, qui vendiderat, iam monacho, & cum aliis, quorum conſilio vti debebat, & reſponſurum ſe vſque ad Rogationes quę primę futurę erant. Factum eſt autem hoc in fine iſtius anni de quo agitur, VII. ſcilicet Idus Martij.

Anno MCXIV. Quia vt ſupra dictum eſt, Abbas Moliſmenſis ſe reſponſurum Arnaldo Abbati dixerat in Rogationibus de terra quam emerat, miſit ad eum ipſe Arnaldus Abbas Guidonem Monachum de Alſono audire reſpon-

ſum eius. Cui dixit vſque ad feſtum ſancti Ioannis quod tunc primum futurum erat, accepturum ſe conſilium ſuum, & reſponſurum, quod non fecit. Eo autem in tempore accidit, vt pro quibuſdam HLudouici Regis negotiis IOSCERANNVS Epiſcopus Lingonenſis Senonas veniret. Quem prædictus Abbas adiit, & caritatiuè, vt tantum virum decebat, ei ſeruiuit, de Abbate Moliſmenſi querimoniam fecit, & de Rainardo * de Monte Barro, qui cenſum de Rictiaco ſimul & de Pauliaco, vnde res agitur, pluſquàm per octo annos abſtulerat, conqueſtus eſt. Qui benignè reſpondit ſe eos ad rationem mittere, & iuſtitiam Eccleſiaſticam ſi quando ad eum iret, aut mitteret, facturum, ſi rectitudinem denegarent. Qua pro re Abbas Arnaldus ad feſtum ſancti Mammetis quod eſt in menſe Auguſto, iuit, Abbatem Moliſmenſem caritatiuè ad rationem miſit, quod nihil profuit ſibi.

* al. Bernardo.

Anno MCXV. factum eſt Concilium Remis v. Kal. Aprilis. Item aliud fuerat celebratum apud Beluacum à CONONE Preneſtinenſi Epiſcopo, & Romanæ Eccleſiæ Legato. Rurſus in eodem Anno aliud apud Catalaunum v. Idus Iulij. Hoc eodem anno accepit Rex HLudouicus vxorem ſuam nomine Adelaïdem.

Concilia Bellouac. Remenſe, & Catalau.

Anno MCXVI. Abbas Arnaldus miſit Lingonas Walbertum Monachum ad ſupra memoratum Epiſcopum Ioſcerannum in ſynodo quæ ſecundum conſuetudinem fit poſt Paſcha, cum litteris Daimberti Archiepiſcopi deprecatiuis pro noſtra re. Vnde reſpondit Epiſcopus, & mandauit Abbati ſe venturum Senonas ad curiam Regis, & ibi ſe locuturum cum Abbate, quod & fecit. De Rainardo ſcilicet denominauit diem apud * Retiacum poſt primam diem feſti ſancti Bartholomæi in Auguſto, vbi Abbas iuit cum multa infirmitate corporis ſui, ſed neque iudicem, neque reſponſorem inuenit, & ſic deluſus rediit ad ſua. Quapropter ad aliam ſynodum, quæ fuit poſt collectionem frugum, miſit iterum Abbas ſupradictum Walbertum Monachum cum litteris, quarum exemplar eſt.

Agitur de lite inter Abbates S. P. Viui, Moliſmenſem, & S. Ioan. Reomaenſ.

al.* Ricciacum.

Domino ſuo Ioſceranno venerabili Lingonenſium Epiſcopo, frater ARNALDVS Abbas monaſterij ſancti Petri

« Epiſtola « Arnaldi « Abbatis

ad Ioſcelannum Lingon. Epiſc. » Viui, ſic crucem Domini portare vt eius remigio valeat
» transfretare. Manifeſtum eſt dignitati veſtræ, Donnum Ar-
» chiepiſcopum ſuas litteras in præterita ſynodo vobis mi-
» ſiſſe, & de iniuriis à Donno Abbate Moliſmenſi, & Rai-
» nardo de Monte Barro Monaſterio noſtro illatis, iuſtitiam
» veſtram acclamaſſe. Vos autem diem placiti dum Seno-
» nas veniretis diſtuliſtis, vbi cùm vobis præſentarer, tantum
» de Rainardo apud Retiacum diem poſuiſtis. Quamuis au-
» tem debilitati corporis ſuccumberem, tamen quaſi in lecti-
» ca me eò deuehi feci, ſed iudice & reſponſore ibi non in-
» uentis pro malè tractato me habui. Proinde ad vos denuò
» recurrimus, vt nos iuſtitiâ caſſari non permittatis. Præter-
» eà de Retiacenſi Eccleſia quam Rainardum adhuc de no-
» bis tenere, nec amiſiſſe ſperabamus, veſtram miſericor-
» diam, & huius ſanctæ ſynodi acclamamus, vt quid rectitu-
» dinis in ea monſtrare poterimus in ius nobis dirigatis.
» Valete.

In ipſa quoque ſynodo comperit præfatus Monachus Walbertus quòd Rainardus Miles de Barro Eccleſiam de Rictiaco, quam de Abbate ſancti Petri tenebat, Eccleſiaſtica auctoritate iudicante, perdiderat, & Bernardus Abbas ſancti Ioannis de Prato eam ab Epiſcopo expetierat, & ſuper nos inuaſerat. Vnde idem Monachus mentionem damni noſtri coram omnibus in præfata ſynodo fecit, & quia præfatus Abbas deerat, paucis verbis ſatisfecit. Quod vbi ad notitiam noſtram peruenit, Arnaldus Abbas, quia familiaris & ſocius noſtrę fraternitatis erat, litteras ei miſit quarum exemplar hoc eſt:

Epiſtola eiuſdem ad Abbatem S. Ioan. Reoma. » Domno BERNARDO amico ſuo, Monaſterij ſancti Ioan-
» nis Reomenſis venerabili Abbati, frater ARNALDVS Mo-
» naſterij ſancti Petri Viui Abbas ſalutem in Domino. Si bene
» & vos & veſtra valeatis, inde gaudemus. Cùm enim præ-
» cipuum ſit Domini mandatum, vt inuicem diligamus, ta-
» men vos & veſtros inter amicos & confratres præcipuos
» accepimus. Verumtamen cùm in ſynodo Lingonenſi noui-
» ter habita, cui abſens fuiſtis, clamores renouaremus, quos
» in anteriori ſynodo habuimus inter cætera de Retiacenſi
» Eccleſia quam Rainardus de nobis tenebat, iuſtitiam Domni

Epiſcopi inuocauimus, à quo vos eam occupaſſe accepi- «
mus. Ex conſulto itaque eius, & caſſidentium vos ſuper hac «
re conuenimus, & vt benignè & caritatiuè noſtra dimitta- «
tis, vos ammonemus. Si enim, quod abſit, poſt firmatam «
inter nos & vos ſocietatem ex induſtria occupaſtis noſtra, «
hoc eſt, vnde in nimiam ammirationem vertimur. Et quia «
Monachi veſtri Trecis ſatis contumelioſè noſtris Monachis «
dixerunt, nos in ſynodo ſine ratiocinatione mutua de per- «
ſona veſtra querimoniam feciſſe, id penitus abnegamus, & «
vt veridicos nos comprobetis exemplar litterarum, quas «
Lingonas miſimus, & vobis mittimus. Valete: & nobis ſu- «
per hoc conuenienter litteris reſpondete. «

Has litteras portauit prædictus Monachus Walbertus ad monaſterium ſancti Ioannis, & non inueniens Abbatem dedit eas Priori & Monachis eiuſdem Cœnobij, vt darent Abbati, quod dixerunt ſe facturos. Nec multò poſt pro Comite de Monte-Bardo, & Clarebaudo de Capuis, apud Caſtri locum conuentu habito, idem Vvalbertus Epiſcopo, & Duci, aliiſque Principibus Burgundiæ ſe præſentauit, reiterans clamores, quos erga præfatos Abbates habuerat. Epiſcopus verò humano pudore magis quàm Dei timore tactus, Bernardo Abbati Monaſterij ſancti Ioannis diem quâ ad ius ipſe, & Arnaudus Abbas Monaſterij ſancti Petri Viui conuenirent, per Archipreſbyterum nomine Rainauldum in die Dominica quâ *Miſericordia Domini* cantatur, determinauit. Abbati verò Moliſmenſi ſic, videlicet quòd ſi diem iuris Abbati Arnaldo denominare diffugeret, ipſi Abbati apud Epiſcopum ſuper hac re nullam ſpem fore confugij. Huic interminationi Abbas Moliſmenſis ſe ſimulans fore obnoxium, diem Abbati ſancti Ioannis itidem denominatam & apud Retiacum ſuſcepit. Abbas igitur Arnaldus vtrorumque Abbatum aduentum Retiaci operiens ſpe fruſtratus eſt, Mainardo Archipresbytero de Bardo ſuper Sequanam attendente quis Abbatum veniret, vel quis venire renueret. Iſte etiam Archipreſbyter apud Caſtrilocum & teſtis dierum coram Epiſcopo poſitarum fuit, & ad diem veniens quomodò vtrique ſe haberent vice Epiſcopi expectauit.

De importunitate tantæ iniuriæ omnibus mirantibus, Rainardus de monte Bardo (intererat enim) nuſquam religionem eſſe acclamauit, & ſeſe vbiuis omnibus iudicialibus ſententiis deratiocinaturum euidenter patefecit, Eccleſiam Retiacenſem ſe & anteceſſores ſuos plus centum annis cenſualem de manu Abbatum ſancti Petri Viui tenuiſſe, & eam vi Epiſcopali ab eo extortam Abbatem monaſterij ſancti Ioannis occupaſſe, Abbate Arnaldo Monaſterij S. Petri Viui hoc ignorante. Idem Abbas Arnaldus ammirans quid Moliſmenſis Abbatis abſentia ſignificaret, Moliſmum abiit, ſed Abbatem loci non inueniens, tanto labore fruſtra conſumpto, ad propria rediit, Priori & Monachis eiuſdem loci dicto negotio pro quo venerat.

Anno MCXVII. obiit Paſchalis Papa. Hic anno Incarnationis Domini MCIV. Epiſcopatus ſui octauo, precatu Arnaldi Abbatis fecit Priuilegium Eccleſiæ S. Petri Viui & ſancti Sauiniani Protopræſulis Senonum & Martyris.

Anno MCXVIII. facta eſt Capella apud Saliniacum in Sylua, in honore S. Andreæ Apoſtoli, & ſancti Laurentij Martyris, & conſecratum cimeterium in feſto eiuſdem Beati Martyris IV. Id. Auguſti.

Anno MCXIX. Donnus Cono Præneſtinus Epiſcopus, & Legatus Romanæ Eccleſiæ Senonas venit, quem adiit Arnaldus Abbas, & querimoniam fecit de Lingonenſi Epiſcopo, qui iuſtitiam diffugiebat ſibi facere de duobus Abbatibus ſupra ſcriptis. Qui miſit litteras, quarum exemplar hoc eſt.

Epiſtola Cononis Legati ad Epiſcop. Lingon. pro Arnaldo Abbate.

» CONO Præneſtinus Epiſcopus & Romanæ Eccleſię Legatus IOSCERANNO Lingonenſium Epiſcopo ſalutem. Querimoniam venerabilis Arnaldi Abbatis Monaſterij S. Petri Viui audiuimus de Abbate Moliſmenſi, & Abbate Monaſterij ſancti Ioannis de Prato, quorum vnus Eccleſiam vnam ei aufert, alter villam cum appenditiis ſuis. Vos autem iam bis diem placiti ei conſtituiſtis, ſed neque vos neque Abbates ad vllam illarum venire noluiſtis. Et quia iniuriam huius rei penes vos eſſe ſentimus, mandamus, & mandando obſecramus, vt ei inde plenariam iuſtitiam faciatis. Quòd ſi facere

facere nolueritis, querimoniam eius ante Dominum Pa- «
pam, quia de Legatione noſtra eſt, me ſciatis perlaturum, «
& cauſam eius quantumcumque potero proſecuturum. «

Hoc anno celebratum Concilium fuit Remis in Gallia à «
Donno Papa CALISTO ſecundo, duodecimo Kalenda- «
rum Nouembris. «

Quæ ſanctorum Patrum Sanctionibus de Simoniaca pra- «
uitate ſtabilita ſunt, nos quoque iudicio ſancti Spiritus, & «
auctoritate Apoſtolicæ ſedis vnanimiter confirmamus. Si «
quis ergo vendiderit, aut emerit, vel per ſe, vel per quam- »
libet ſummiſſam perſonam, Epiſcopatum, Abbatiam, De- »
canatum, Archidiaconatum, Preſbyteratum, Archipreſ- «
byteratum, Præpoſituram, Præbendam, Altaria, vel quæ- «
libet Eccleſiaſtica beneficia, promotiones, ordinationes, «
conſecrationes, Eccleſiarum dedicationes, clericalem Ton- «
ſuram, ſedes in choro, aut quælibet Eccleſiaſtica officia; «
vendens & emens, & dignitatis officij ſui, & beneficij pe- «
riculo ſubiaceat. Quod niſi reſipuerit, anathematis mucrone «
perfoſſus ab Eccleſia Dei, quam læſit, modis omnibus abſci- «
datur. Epiſcopatuum, & Abbatiarum inueſtituram per ma- «
num laïcam fieri penitus prohibemus. Quicumque igitur «
laïcorum deinceps inueſtire præſumpſerit, anathematis vl- «
tioni ſubiaceat. Porrò qui inueſtitus fuerit, honore quo in- «
ueſtitus eſt abſque vlla ſpe recuperationis omnimodò ca- «
reat. Vniuerſas autem Eccleſiarum poſſeſſiones quæ libe- «
ralitate Regum, largitione Principum, vel oblatione quo- «
rumlibet fidelium eis conceſſæ ſunt, inconcuſſas & inuio- «
latas in perpetuum permanere decernimus. Quòd ſi quis «
eas abſtulerit, aut inuaſerit, aut poteſtate tyrannica deti- «
nuerit, iuxta illud Beati Symmachi capitulum, anathemate «
perpetuo feriatur. «

Decreta Concilij Remenſis ſub Calixto II. *Iſthæc habet Rogerius in Annal. Anglic.*

Nullus Epiſcopus, nullus Preſbyter, nullus omninò de «
Clero Eccleſiaſticas dignitates, vel Eccleſiarum beneficia «
cuilibet quaſi iure hæreditario derelinquat. Illud etiam ad- «
ijcientes præcipimus, vt pro baptiſmatis, criſmatis, olei ſa- «
cri, & ſepulturæ acceptione, & infirmorum viſitatione vel «
vnctione, nullum omninò pretium exigatur. «

Preſbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, vxorum & con- «

» cubinarum contubernia prorſus interdicimus. Si qui autem » huiuſmodi reperti fuerint, Eccleſiaſticis officiis priuentur » & beneficiis. Sanè autem ſi neque ſic immunditiam ſuam » correxerint, communione careant Chriſtiana.

Poſtquam celebratum eſt hoc Concilium Remis, venit Domnus Papa Senonas, quem adiit Abbas Arnaldus, & oſtendit litteras quas habet Eccleſia S. Petri de duabus ſororibus ſancti Ebbonis, Ingoara ſcilicet & Leotheria, quas confirmauit, & approbauit, mittens Epiſcopo Lingonenſi litteras ſuæ auctoritatis ſigillo munitas, quarum exemplar eſt.

Epiſtola Calixti Papæ ad Ioſcerani Ep. Ling.

» CALLIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei IOSCERANNO Lingonenſium Epiſcopo, Salutem & Apoſtolicam be» nedictionem. Abbatis Arnaldi, & Fratrum Monaſterij S. » Petri Viui, querelam accepimus, quòd eis Moliſmenſis & » Reomenſis Abbates quaſdam poſſeſſiones iam diu à B. Pe» tri Monaſterio poſſeſſas, iniuſtè abſtulerint. Vnde Fraterni» tati tuæ præcipimus, vt longa dilatione ſepoſita canonicam » eis iuſtitiam facias. Nec Monaſterio eidem obeſſe permit» tas, quod ſecundum antiquam terræ conſuetudinem inſtru» menta ſine impreſſione ſigilli compoſita declarantur. Data » Senonis Nonis Decembris.

Concilium Bellouac. cui præſidet Cono Legatus.

Anno MCXX. Celebratum eſt Concilium IV. Calendas Nouembris à Domno CONONE Preneſtino Epiſcopo, qui tunc Legatus dicebatur trium Prouinciarum Rothomagenſium & Senonenſium, atque Remenſium. Ad quod Concilium cùm Archiepiſcopi cum Suffraganeis ſuis tam Epiſcopis, quàm Abbatibus, Beluaco harum inuitarentur prouinciarum, Domnus Daimbertus Senonenſis Archiepiſcopus inuitatus, moleſtia corporis detentus venire non potuit. Contigit itaque quod Arnaldum Abbatem S. Petri Viui inuitaret, cum vniuerſis Epiſcopis & Abbatibus ſibi ſubditis. Arnaldus itaque Abbas monitus libenter ſe ad tantum iter præparauit, & quam citiùs potuit iter aggreſſus eſt. Primo autem die cùm ad Eccleſiam S. Lupi, videlicet Naudo, perueniſſet, defeſſus itinere, & detentus pluuiali tempore, corporali infirmitate ingraueſcente, & præ ſenectute corporea deficiente virtute, in propria domo ſua inibi remanſit. Mox quemdam Monachorum ſuorum nomine

CLARIVM, * vt ſe excuſaret ad Concilium tranſmiſit. Monachus verò ille ad Concilium veniens, Abbatem Arnaldũ Dominum ſuum veris rationibus excuſauit, & totum Concilium audiuit, & reuerſus illic vbi eum dimiſerat, reperit. Ibíque cùm per aliquot dies demorarentur expectantes vt conualeſceret, tandem conualuit. & ad proprium Monaſterium cooperante diuina clementia redire diſpoſuit.

* *Author huius Chronici.*

Cùm autem inde exire vellet: Acceſſit ad eum vir venerabilis Alexander vocatus, ipſius Eccleſiæ Capellanus, omni laude dignus, multiſque virtutibus honeſtiſſimè condecoratus, quatuor philacteria argenti deaurata, vnum de ligno ſanctæ crucis Domini, alterum de dente S. Nicolai, tertium de ſepulchro Domini, quartum de S. Georgio præſentauit, & vt Domnus Abbas ſecum deferret, obtinuit. Referens quia cùm eſſet Capellanus Comitis STEPHANI vltra mare ſecum iuit, ſed antequam tranſirent, à ſummo Pontifice Romanæ Eccleſiæ inter ſe & Dominum Arnulfum, qui nunc Patriarcha videtur, licentiam ligandi atque ſoluendi accepit. Poſtquam mare tranſierunt populum conuocabat, exhortabatur, pœnitentias iniungebat, & ita populum magis virtutibus quàm telis inſtructum in præliis mittebat. Sícque faciendo ad ſepulchrum Domini, ſicut idem Alexander referebat, peruenerunt, celebratáque oratione pro qua venerant, conſpectibus Regis ſe præſentauerunt. Rex igitur Balduinus audiens tantum virum veniſſe, videlicet Comitem Stephanum, virum in rebus bellicis ſtrenuum, omni religione præditum ad ſe accerſiri præcepit, & apertis theſauris optionem dedit, vt quidquid ſibi placeret de theſauro regio acciperet. Tunc Comes Stephanus reſpondit ſe diuitem poſſeſſione auri & argenti, & omnium rerum terrenarum, tantùm ſe indigere theſauro ſanctarum reliquiarum. Audiens hoc Rex vocauit Arnulfum ſcriniarium ſuum, & ait ei, vt quicquid ſanctuarij in capella ſua eligeret, totum abſque mora ſibi tribueret. Comes igitur Stephanus accepit de ſepulchro Domini, & de cruce eius, & de corpore ſancti Georgij. Effecit autem idem Alexander cum ſumma ſagacitate, ſicut ipſe referebat, per ſocietatem

Reliquiæ S. Nicolai, S. Georgi, & de ſepulchro Domini conferuntur Abbatiæ S. P. Viui.

quam cum Arnulfo habuerat, vt ſibi de iiſdem reliquiis clam portiunculas daret, qui non negauit, quoniam antiqua ſocietas eum hoc facere coegit. Has portiunculas decenter auro argentóque conditas dimidium dentem S. Nicolai, pro quo aſſerebat ſe dediſſe marcam & dimidiam argenti, & integram vnciam auri, Domino Abbati apportauit, & in Archiuo ſancti Petri apportare memorans ſic obſecrauit.

Alexãdri Presbyteri donatio de reliquiis & aliis rebus.

„ Summe & venerande Pater, lacrymans memoro cum quanto labore has Reliquias habui, de Hieruſalem apportaui, & cum quanto amore ſeruaui. Aſt ego indignus & peccator non ita cum digno honore ſeruaui, nec tractaui ſicut tractare debui. Nunc ſumme Pater quoniam thuribulum argenteum vobis dedi, & duos argenteos calices, alterum horum optimè deauratum, cum caſula & pluuiali ſacerdotis, cum veſtibus reliquis vſque etiam ad ſubdiaconum, Miſſæ neceſſariis, vobis quoque dedo ipſa philacteria, videlicet cor meum & animam meam. Et vt has honorificè tractetis, domum meam, quam in caſtro Pruuini habeo, cum omnibus vtenſilibus ſuis, & vno lecto veſtito, poſt obitum meum ſuſcipiatis. Accerſitóque dictatore & notario, cartam vobis ſcribere faciatis, & obſecro, vt illum qui vobis amodo auferre voluerit, excommunicetis. Pro hac mercede mihi recompenſate anniuerſarium meum quinque ſolidis de eadem domo eadem die in refectione Fratrum, & honore harum reliquiarum; vt honorificè condiantur & in archiuo S. Petri ſolemniter ab omnibus celebrentur, ad laudem & ad gloriam nominis Chriſti, beneficio cuius dantur bona, per omnia ſecula, Amen. "

Eleuans itaque Domnus Abbas tanta & tam magna munera, reuerſus eſt ad propria. Receptæ ſunt autem capſellæ ſanctarum Reliquiarum à Clero & populo, monſtrata ſolemniter & deoſculata ſecundo Kalendas Nouembris, regnante Domino noſtro Iesv Chriſto, cuius regnum & imperium ſine fine permanet in ſecula ſęculorum, Amen.

Anno MCXXII. obiit Daimbertvs Archiep. anno ordinationis ſuæ 27. penè tranſacto, ſepultúſque eſt in Capitulo S. Petri Viui.

Anno MCXXIII. ordinationis ſuæ agens viceſimum ſeptimum annum, Domnus ARNALDVS Abbas ſuæ conſiderans debilitatem ætatis, ſuæque præuidens vicinitatem mortis, vtpote vir fractus plus ſui honoris laboribus, quàm ſuorum annorum tranſitionibns, iuſſit apicibus adnotari omnia nomina librorum quæ ipſe conſcribi fecerat, & bene ornauerat, & per manus notariorum tranſcriptos, in archiuis Eccleſiæ ſancti Petri Viui ad reſtaurationem & ad vſum ipſius Eccleſię locauerat. Hæc enim ſumma omni tempore fuit intentio ſuæ mentis ſubtrahi ſibi fere omnia ſecularia negotia, quamuis plurima moleſtè occurrerent, mentémque vnitam ad ſe traherent, quatenus maximè, expeditiúſque in diuerſorum ornamentorum genere ſuæ Eccleſiæ laboraret: & maximè ſcriptoribus inſtaret, quatenus libros conſcriberent quos ipſe Eccleſiæ redderet, & ad Dei ſeruitium faciendum Fratribus coaptaret. In his etiam in tantùm erat intentus, vt propriis manibus aliis expers laboribus, ferret libros ac reuolueret, membranas etiam ſecundum modum voluminum inciſas numero Fratribus ad parandum daret; ipſéque poſtea ſcriptoribus ad ſcribendum reportaret. Námque tanto ardore & deſiderio, tantáque feſtinantia hoc perficere cupiebat, quòd nulla niſi ſibi timens diſpendium moræ huiuſcemodi, negotia velociùs perficere credebat. Et quoniam antequam ipſe ſuſciperet curam rerum gerendarum, Monaſterium ex toto fuit ſuccenſum, codiceſque Eccleſiæ omnes ferè ſuccenſi & incinerati, idcircò ſupradictus Domnus Abbas Arnaldus laborabat, vt penuria librorum, vel vilitas non conturbaret gregem ſuorum Monachorum. Cauſam igitur quare nomina librorum notare diſpoſuerit, ſimplex lector atque prudens inuenire poterit. Timebat enim vir venerabilis inſtantiam temporum, & mutationes perſonarum, & diuerſitates intentionum. Multoties enim vidimus, quòd hoc quod præterita perſona dilexit, hoc ſubſequens aut paruipendendum putauit, aut ex toto neglexit. Igitur nomina futuris deſignare voluit, vt omnes nomina librorum legerent, & lecta memoriâ retinerent, & ſicut ipſe ad Dei ſeruitium libros de-

dicauit, ipſi dedicarent, eiúſque ſuper hoc excommunicationem omnes vniuerſaliter confirmarent. Excommunicauit enim omnes indifferenter qui aliquem vel aliquos ſubſcriptorum librorum vel venderent, vel accommodarent, vel aliquo modo efficerent, quo Eccleſia perderet, & librum non rehaberet. Ipſe enim Deo obtulit, & quâ cuſtodiâ potuit muniuit. Non ergo culpa conſtructoris erit, ſi negligentia ſucceſſorum diſperſum fuerit, quod ipſe ad honorem & ad gloriam Saluatoris conſtruere laborauit. Nomina autem librorum hæc ſunt.

Catalogus librorum quos exſcribi orauit Arnald. Abbas

Pentateucum Moyſi, videlicet primam partem bibliothecæ in vno ſeparatim conſcripſit corpore, vt Fratres redimeret à toto bibliothecæ onere, qui liber legendus eſt ex ordine à Quinquageſima vſque in mediam Quadrageſimã. In ſecundo volumine continentur libri v. Ioſue, & Iudicum, & Ruth, & Hieremias (qui leguntur à media Quadrageſima vſque in Paſcha) & Pſalterium in eodem volumine. In tertio, Tractatus B. Auguſtini in Epiſtolam B. Ioannis Apoſtoli. In quarto, homiliæ 40. B. Gregorij Papæ: & Actus Apoſtolorum: & Epiſtolæ Canonicæ, & Apocalypſis. Hæc omnia leguntur à Paſcha vſque ad Penteceſten. Et in eodem volumine Apoſtoli Pauli Epiſtolæ. In quinto, quatuor libri Regum, & Paralipomenon, & paſſio S. Tyburtij Martyris, & in ſexto volumine 15. libri explanationis B. Gregorij Papæ in Iob. Altera enim pars hîc habebatur. Hinc quoque leguntur in ſeptimo volumine Machabæorum libri duo, & Ezechiel, & Daniel, & 12. minores Prophetæ: & Eſayas: quæ leguntur à Pentecoſte vſque ad Natale Domini. Aliquos horum librorum tam præcedentium, quàm futurorum neceſſitas coegit ſcribere, alios verò vetuſtas renouare. Hinc ſequitur Paterius in octauo volumine. Nonum volumen habet Tractatum Origenis ſuper Ioſue. Decimum habet Dialogum Gregorij, & loci Floriaci deſcriptionem, & B. Benedicti Tranſlationem. In decimo primo volumine, inuenies librum Paſtoralem B. Gregorij Papæ. Paulus Longobardorum hiſtoriographus numeratur duodecimus, & in eodem inuentio capitis B. Ioannis Ba-

ptiſtæ. Tertium decimum volumen continet hymnos & cantica totius anni, & glorioſa bella gentilium Hieroſolymis & Chriſtianorum, & deſcriptionem locorum ſanctorum. Corpus decimi quarti voluminis continet Epiſtolas ad legendum diſpoſitas, & ad totius anni Miſſas prætitulatas. Quinto decimo volumini attribuitur liber interius ſimilis, ſed exteriùs diſſimilis: Interiùs Epiſtolarum, ſed exterius argento coopertus. Sed tamen iſte fuit factus tempore Domini Hermuini Abbatis. Sextum decimum complent euangelia diebus totius anni competenter attitulata. Hinc ſequuntur duo volumina Antiphonarij; primum ab Aduentu Domini vſque in Paſcha, & aliud a Paſcha vſque ad Aduentum. Hos duos ſi ſuperiori numero coniungere volueris, octodecim inuenire poteris. Si hunc * in quo legis alios, addere quæris, nouem decim continuè numerabis. Viceſimus libellus eſt quem dedit nobis eo anno quo incenſi fuimus Iotrenſis Abbatiſſa, in quo ſunt parabolæ Salomonis, & Cantica Canticorum, & libri Sapientiæ, & Sapientia IESV filij Sirach.

* *Originalis eſt Codex horum Chroniscorū nobis tandem reſtitutus à quatuor annis.*

Anno MCXXIV. qui eſt annus ordinationis Arnaldi Abbatis xxviij. cum quatuor menſibus, dimiſit Arnaldus Abbas Abbatiam ſuam & HERBERTVS electus eſt.

Herbertus Abbas eligitru S. P. Viui.

Anno MCXXVIII. Inuiſibilis ignis plurimos depaſtus eſt in regno Francorum. Cui morbo miſericorditer meritum B. Dei genitricis MARIÆ obuiauit, præcipuè in vrbe Sueſſionis. Et GVILLERMVS Comes Flandriæ dictus Longa ſpata, obiit.

*Quę ſequūtur à Suppari authore adiecta fuiſſe codicis MS. characteres indicare videntur.*

Anno MCXXIX. Eccleſia Vallis Lucentis fundata eſt; Cuius primus Abbas Donnus HERPALDVS fuit, ſedens annis XXX. PHILIPPVS Ludouici Regis Francorum Remis coronatus eſt, poſteà de equo lapſus moritur.

Fundatio Abbatiæ Vallis Lucentis Ord. Ciſt.

Anno MCXXXIII. Stephanns Ciſtercienſis Abbas moritur, ſuccedit Rainardus Abbas quartus.

Anno MCXLII. Magiſter PETRVS Abaëlardus moritur. Cuius ſepulturæ inſertum eſt Epitaphium huiuſmodi.

*Eſt ſatis in titulo, Petrus hic iacet Abaëlardus,*
*Huic ſoli patuit ſcibile quicquid erat.*

Anno MCXLIII. Eccleſia Vallis-lucentis primò dedicata eſt.

Henricus, & Hugo Archiep. Senonenſes.

Anno MCXLIV. Mortuus eſt HENRICVS Senonum Archiepiſcopus; & voces auditę ſunt media nocte, primùm in Burgo S. Petri, poſteà in ciuitate. Henrico defuncto ſucceſſit HVGO Archiepiſcopus.

Anno MCXLVI. Facta eſt communia in ciuitate Senonis à Rege Ludouico.

Ando MCXLIX. Deſtructa eſt Senonum Communia ab Eugenio Papa Romano, & à Ludouico Rege Francorum per deprecationem Herberti Abbatis ſancti Petri Viui: qui Abbas interfectus eſt ab eadem Communia pro fidelitate ſuæ Eccleſiæ.

Anno MCL. Beluaco HENRICVS, frater Ludouici Regis Francorum, & Monachus de Clara valle Præſulatum tenet, qui poſteà Remenſis Archiepiſcopus fuit.

Anno MCLI. Donnus Vgo Antiſſiodorenſis Epiſcopus moritur, vir bonæ memoriæ. Hic, vt pręfati ſumus, Pontiniacenſis primus Abbas fuit. Sepultus eſt in iam dicto Cœnobio honore condigno.

Anno MCLII. Incenſa eſt ciuitas Senonenſis. Famoſus in noſtro ſeculo Comes Campaniæ Teobaudus moritur.

Anno MCLIII. Donnus Eugenius Papa moritur. Miraculis etiam glorioſis illius ſepulchrum illuſtratum eſt. Succedit ei Anaſtaſius Papa menſe Auguſto.

Anno MCLIV. Anaſtaſius Papa moritur ſenex valde. Succedit ei Adrianus Papa, qui primò Abbas fuit ſancti Rufi.

Anno MCLVI. Rex Ludouicus confirmauit Eccleſiæ ſancti Petri Viui tranſitum, & hoſpitamentum mercatorum in Burgo, quod voluit auferre ſuggeſtione quorumdam habitantium in ciuitate. Confirmauit etiam omnem libertatem ſecundum tenorem Priuilegij patris ſui.

Noua Inuentio SS. Potentiani, & Altini.

Anno MCLX. Inuenta ſunt corpora ſanctorum Chriſti diſcipulorum ac Martyrum Potentiani atque Altini, ſub maiori altari à venerabili HVGONE Senonenſi Archiepiſcopo, in Sarcophagis intrinſecùs plumbeis, extrinſecus ligneis: quæ

quæ quidem ibidem diu latuerant, ſed à nullo Fratrum in eadem Eccleſia Deo ſeruientium ſciebantur. Facta eſt autem hæc reuelatio tempore GIRARDI eiuſdem Eccleſiæ Abbatis, ipſo cum omni ferè conuentu præſente. Præfatus autem Pontifex de tanta reuelatione cum cum multis Clericorum ſuorum lætificatus, Deo grates reddidit, & tantorum Martyrum corpora abſque vlla diminutione in eodem loco, vbi Deo annuente diu requieuerant, ſicut priùs erant cum magno gaudio repoſuit. Facta eſt autem hæc grata & beata reuelatio VII. Idus Iunij, regnante Ludouico Rege. Eodem anno apparuit eclypſis lunæ in menſe Auguſto: ipſóque anno mortua eſt Regina Franciæ filia Imperatoris Hiſpaniæ: Rex verò Ludouicus conſilio procerum ſuorum accepit in coniugem filiam bonæ memoriæ venerabilis Comitis Theobaudi, quam poſtmodum prædictus Hugo Senonenſis Archiepiſcopus Pariſius in Reginam vnxit, ipſámque cum Domino ſuo Rege ipſo die præſentibus duobus Cardinalibus OTTONE videlicet atque HENRICO Piſano, in Eccleſia B. MARIÆ coronauit: & in eadem Eccleſia ipſis Cardinalibus, & multis aliis præſentibus Miſſæ officium ſolemniter celebrauit. Quod factum valde diſplicuit Remenſi Archiepiſcopo, & eius Epiſcopis.

*Hugo Senon. Archiep. Regem, Reginamque coronauit.*

Anno MCLXII. ſanctus Thomas Archiepiſcopus ordinatur: Fames ingens fuit.

Anno MCLXIII. Domnus Alexander Papa tertius celebrauit Concilium Turonis in octauis Pentecoſtes, ſcilicet XIV. Cal. Iunij. In ipſo verò anno venit idem venerabilis Papa Senonis cum multa caterua Epiſcoporum, & Cardinalium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in feſto ſancti Hieronymi, quod eſt II. Kal. Octobris, vbi à prudentiſſimo Hugone eiuſdem vrbis Archiepiſcopo, & multis Epiſcopis, Abbatibus, & omnibus vicinarum Eccleſiarum Conuentibus, in Eccleſia B. Protomartyris Stephani honorificè eſt receptus. In eadem ſiquidem vrbe per annum & dimidium in ſede Archiepiſcopali commoratus, in ſequenti anno à præfato Hugone Archiepiſcopo, & Clericis eiuſdem Eccleſiæ rogatus, conſecrauit eis altare in honore Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli in eccleſia noua XIII. Cal. Maij, in qua

*Concil. Turonenſe ab Alexandro Papa celebratum.*

*Diu commoratur apud Senones.*

die fuerunt tunc temporis octauæ Dominicæ Reſurrectionis. Poſtea verò dedicauit Eccleſiam Beatæ Virginis & Martyris Columbæ VI. Kal. Maij præſente eiuſdem Eccleſiæ bonæ memoriæ Abbate Odone, qui ipſam Eccleſiam, vt apparet, à fundamento extruxerat: qui tamen infra ipſum annum eſt mortuus, & in ipſa Eccleſia ſepultus. In Eccleſia verò Beati Petri Viui à Girardo venerabili Abbate, & Fratribus eiuſdem Eccleſiæ, ſæpiſſimè cum honeſtiſſimis & iocundis proceſſionibus & maxima exultatione ſuſceptus multotiens ibi ſolemniter Miſſæ officium celebrauit, ipſúmque locum, & eius habitatores ſicuti bonus & pius pater benedictionum ſuarum conſecratione ſæpiùs muniuit.

Anno MLXIV. Sanctus Thomas exulatur.

Anno ab Incarnat. Dom. MCLXV. Ludouico Regi natus filius, Philippus nomine, XI. Kal. Septembris.

Anno MCLXVII. Imperator Romanorum Fridericus Romam obſedit odio Domni Alexandri Papæ: Cuius exercitus penè omnis peſte interiit: ipſe verò cum ingenti triſtiſtitia ad ſua reuerſus eſt. Hoc anno diſcordia nata eſt inter Regem Francorum & Anglorum.

Guillelmus Archiep. Senon.

Anno MCLXVIII. Mortuus eſt HVGO Archiepiſcopus Senonenſis, cui ſucceſſit WILLERMVS, XI. Kal. Ianuarij conſecratus. Item in ipſo anno mortuus eſt Vvarinus Vicecomes Senonenſis, ſepultúſque eſt in Capitulo S. Petri Viui, pro cuius ſepultura prædicta Eccleſia duos modios frumenti in molendinis Vicecomitatus annuatim in perpetuum poſſidere debet.

Anno MCLXIX. Nonas Februarij Catana vrbs in Sicilia terræ motu ita ſubuerſa eſt, ac ſi per centum annos non fuiſſet inhabitata. Vbi Epiſcopus cum Clero, & Abbate de Mileto, cum XL. Monachis, & populus innumerabilis extincti ſunt.

Anno MCLXX. In tranſmarinis partibus tantus terræmotus fuit tertio Cal. Iulij, vt peremptorum infinitus eſſet numerus.

Anno MCLXXI. Sanctus Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus pro libertate Eccleſiæ IV. Kal. Ianuarij martyrio coronatus eſt.

Anno MCLXXIII. Igneæ acies nocte in Regno Anglorum viſæ ſunt III. Idus Februarij; & ſubſequenti Martio diſcordia inter patrem & filium Reges ſcilicet Anglorum nata eſt. S. Thomas canonizatus eſt à Papa Alexandro.

Anno MCLXXIX. Domnus Alexander Papa tertius celebrauit Concilium Romæ IV. Idus Martij, feriâ ſcilicet ſecundâ poſt medium Quadrageſimæ: & in ipſo anno Henricus Comes Trecenſis cum Petro de Curtinaco, & aliis multis Ieroſolymam peregrè profectus eſt; & filia Regis Ludouici Conſtantinopolim ducta eſt & filio Imperatoris in vxorem tradita: & Philippus vnctus eſt in Regem. Hoc anno vigilia ſanctorum Geruaſij, & Protaſij graui incendio crematum eſt Cœnobium ſanctæ Mariæ, quod eſt ad portam ſancti Leonis . . . . . . .

Quodam præſagio pertimeſcens ſuauiter equitabat. Volens itaque ſocios ſuos attingere equum ſuum quo citiùs pergeret cœpit ſtimulis perurgere, qui celeriùs pedes mouens, molli ſuperficie tenus terra deficiente, quatuor pedibus in vnam partem concurrentibus, corruit in terram toto proſtratus corpore. Quod Bernardus Prior ſentiens in alteram partem ſe proiecit, & tam longè in medio agro diſſiluit, quod ipſius iacentis pedes equi pariter corruentis ſella vix attigit, quod vtique ſociis accurrentibus immenſæ lætitiæ cauſa fuit. Sic nimirum Deo ſanctorúmque præſentium patrocinantibus meritis, qui priùs nihil mali pertulerat, & tunc & poſteà per totum iter permanſit incolumis. Non longè autem ab illo loco Armandus & Ioannes non ſine effuſione lacrymarum recedentes ab eis regrediuntur ad propria. Bernardus verò & Philippus Cantor in Galliam reuertentes cum pace atque lætitia per viam longi itineris ad ciuitatem Senonicam perducuntur menſis Ianuarij die octauo.

* *Hic folium vnum à codice MS. eſt auulſum.*

Hæc ſiquidem ſcripto & memoriç quatuor de cauſis commendari voluimus. Primò vt ſanctorum veneratio Eccleſiæque ſancti Petri honor & dignitas noſtris ſucceſſorúmque noſtrorum temporibus celebrior habeatur. Secundò vt Mauriacenſium fidelitas & obedientia erga ſuum Abbatem, ſanctíque Petri Viui Eccleſiam comprobata noſcatur. Tertiò vt prodiuerſis rerum euentibus, pro diuerſis locorum

ſiue temporum qualitatibus, de tàm difficili propoſito non ſine magna deliberatione præſumatur. Quartò vt ex rebus viſis & auditis ſi de Mauriacenſis Eccleſiæ perſonatu quicumque tale contigerit, faciliùs quid agendum ſit videatur. FINIT, AMEN.

Hæc alia manu adiecta ſunt. Poſthæc eodem anno prædictus VGO Decanus viſitandi gratia matrem ſuam ſancti Petri Viui Senonenſis Eccleſiam petiit: vbi in ipſo Capitulo coram vniuerſis Fratribus ſuam dimiſſionem, & cætera, ſicut à Bernardo Priore & Philippo Cantore facta fuerat, per ordinem recognouit, & certam de omnibus fidem fecit.

Anno MCLXXX. Obiit Odo Abbas, & ſucceſſit Gauterius de Naudo.

Anno MCLXXXIV. In vigilia B. Ioannis Baptiſtæ ciuitas Senonenſis graui incendio vaſtata fuit cum omnibus Eccleſiis, quæ à porta ſancti Deſiderij vſque ad portam ſancti Remigij, à parte orientali & vſque ad portam S. Leonis in ciuitate continebantur. Poſt etiam hoc incendium ſequenti menſe, ſexto Calendas Auguſti combuſtum fuit Laniacum, & Abbatia tota.

# CHRONICON
## S. MEDARDI SVESSIONENSIS
## Ab Anno CCCCXCVII. ad MCCLXIX.

*Auctore Monacho Benedictino eiuſdem Aſceterij.*

CCCCXCVII. CLODOVEVS Rex Francorum ſextus, Paganus ſicut anteceſſores ſui Reges, à ſancto Remigio Archiepiſcopo Remenſi baptizatur. Huius Clodouei, primi Regis Francorum Chriſtiani, fuit vxor ſancta CHROCHILDIS Regina. Tempore Clodouei ſanctus MAMERTVS Epiſcopus Viennenſis claruit. His temporibus in Vienna vrbe terræ motus maximus fuit. Ibi multæ Eccleſiæ & domus multorum concuſſæ fuerunt & ſubuerſæ. Illic beſtiæ multæ oberrantes, lupi, vrſi, ac cerui, ingreſſi per portam ciuitatis, deuorantes quamplurimos per totum annum hoc faciebant. In vigilia ſiquidem ſanctæ Paſchæ dum ſanctus Mamertus Epiſcopus in eadem ciuitate Miſſarum ſolemnia celebraret, Palatium Regale, quod in eadem ciuitate erat, diuino igne ſuccenſum eſt. *Clodoueus aueſſatus Idola Chriſtianã religionem amplectitur.*

DXII. CLODOVEVS primus Rex Francorum Chriſtianus obiit, & quatuor filij eius, THEODORICVS, CHLODOMIRVS, CHILDEBERTVS, & CHLOTARIVS, Regnum eius inter ſe æqualiter diuiſerunt. A tranſitu ſancti Martini vſque ad obitum Chlodouei centum & duodecim anni ſunt. *Eius filij regnum diuidunt.*

DXVII. CHLOTARIVS & CHILDEBERTVS frater eius peremptis nepotibus, ſcilicet duobus filiis Chlodomiris fratris ſui iam defuncti, partem Regni Francorum quam tenebant inter ſe diuiſerunt.

DXXIV. Sanctus BENEDICTVS magnus habetur: BOETIVS occiditur.

DXLIV. Sanctus Pater BENEDICTVS obiit. S. MEDAR-

DVS, & S. GILDARDVS magni habentur.

Clotarius Eccleſiam S. Medardi apud Sueſſiones condit.

DLVI. Sanctus MEDARDVS Nouiomenſis Epiſcopus obiit, quem CHLOTARIVS Francorum Rex honorificè ſepeliuit, & Eccleſiam in honore ipſius extra ciuitatem Sueſſionenſem miro opere fabricauit, & multis opibus ditauit.

ſiue * 561. Obit Clotarius.

* DLXVII. CHLOTARIVS tenens totum Regnum Francorum obiit, quem quatuor filij eius cum magno honore Sueſſionis deferentes in Baſilica ſancti Medardi ſepelierunt anno quinquageſimo primo Regni ſui. Quatuor enim filij eius, ſcilicet CHAREBERTVS, GVNTRAMNVS, CHILPERICVS, atque SIGEBERTVS de Regno Francorum diuiſionem legitimam inter ſe fecerunt. Accepítque Charebertus Regnum auunculi ſui Childeberti, ſedémque conſtituit Pariſius. Guntramnus accepit Regnum auunculi ſui Chlodomiris, ſedémque conſtituit Aureliani. Sigebertus verò Regnum auunculi ſui Theodorici, ſedémque conſtituit Remis. Chilpericus verò accepit Regnum patris ſui Chlotarij, ſedémque conſtituit Sueſſionis. Chrannus verò filius Chlotarij cùm inimicus eſſet patris & rebellis, iuſſit eum prædictus Chlotarius Rex pater eius cum vxore & filiabus igne conſumi, & ſic factum eſt De Chilperico verò filio Chlotarij exiuit progenies Regum Francorum, ſcilicet Lotharius magnus Rex Francorum, quem habuit ex Fredegonde vxore ſua peſſima, quæ poſteà fecit prædictum Chilpericum Regem maritum ſuum cauſa adulterij ſui occultè occidi.

DLXX. Sanctus Vedaſtus obiit.

DLXXIV. Sanctus Germanus Pariſienſis Epiſcopus obiit.

DLXXXIII. Pelagius Papa. Mauricius Imperator, cuius filium ſanctus Papa Gregorius ſacrat.

DLXXXIV. Sanctus Gaugericus magnus habetur.

DXC. Profitente Simone multis cruciatibus affecto, tunica Domini integra reperta eſt in arca marmorea in ſancta ciuitate Ieruſalem.

DXCII. Gregorius Magnus ordinatur Papa.

DCIV. Phocas Imperator. Hic Papa Bonifacio petente ſtatuit ſedem Eccleſiæ Romanæ caput Eccleſiarum eſſe;

&Pantheon permittit dedicari in ſanctę Mariæ omniúmque ſanctorum honore.

dcxi. Heraclius Imperator, qui Crucem Dominicam à Perſide Ieruſalem reportauit.

dcxxii. Sanctus Gaugericus obiit.

dcxxix. Sanctus Bauo obiit.

dclvi. Sancta Gertrudis obiit.

dclx. Aduentus corporis ſancti Benedicti in Gallias.

dclxxii. Sanctus Audoenus Archiepiſcopus Rotomagenſis, & S. Leodegarius Epiſcopus Auguſtidunenſis inſignes habentur.

dclxxviii. Theodoricus Rex, Childerico fratre ſuo interfecto, in Regno Francorum reſtitutus eſt.

dclxxxi. Ebroinus Princeps Francorum, & Dux, Pręfectus Palatij, & Maior domus interfectus eſt.

dclxxxvii. Pipinus ſenior pater Caroli Martelli Princeps Francorum & Dux, Præfectus Palatij, & Maior domus ſub Theodorico Rege effectus eſt.

dcxciii. Theodoricus Rex obiit, Clodoueus filius eius ſucceſſit.

dcxcv. Clodoueus puer Rex obiit; Childebertus frater eius ſucceſſit.

dccxii. Childebertus Rex Francorum obiit decimo-octauo Kalendas Maij: ſepultúſque eſt apud Cauſiacum in Baſilica S. Stephani Protomartyris: Dagobertus iunior puer filius eius ſucceſſit.

dccxiv. Pipinus ſenior Princeps Francorum & Dux, Præfectus Palatij, & Maiordomus obiit, & Carolus dictus Martellus in loco patris ſui ſucceſſit. Obtinuítque prędictus Pipinus ſenior Principatum ſub ſupraſcriptis Regibus Theodorico ſcilicet, Chlodoueo, Childeberto, & Dagoberto iuniore viginti ſeptem annis.

dccxx. Daniel quondam Clericus ſucceſſit Dagoberto iuniori in Regno, & Chilpericus nuncupatur.

dccxxv. Chilperico, nuncupato Danieli, ſucceſſit in Regno Theodoricus Rex Francorum.

dccxxxi. Obiit Beda Preſbyter.

dccxli. Theodorico Regi ſucceſſit in Regno Franco-

rum Hildericus qui poſteà fuit depoſitus, & in Monaſterio S. Medardi Sueſſionenſis tonſuratus. Zacharias Papa. Hildericus Francorum Rex, Carolus dictus Martellus Princeps & Francorum Dux, Præfectus Palatij, & Maior domus obiit, Pipinus verò iunior paruus, & Carlomannus filij eius loco eius ſucceſſerunt.

DCCXLV. Carlomannus Frater Pipini iunioris parui Monachus efficitur, & Pipinus iunior paruus frater eius totum Principatum Francorum ſolus obtinuit.

DCCL. Pipinus iunior paruus Princeps Francorum & Dux, Præfectus Palatij, & Maior domus, filius Caroli Martelli, per auctoritatem Zachariæ Papæ electus eſt ad Regem, & vnctus per manus ſanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiſcopi, & eleuatus eſt à Francis in regno Francorum in Monaſterio ſancti Medardi Sueſſionenſis, Hildericus verò, qui falsè Rex vocabatur, tonſoratus eſt, & in Monaſterium miſſus eſt.

DCCLIV. Stephanus Papa, qui venerat in Franciam adiutorium & ſolatiuum quærendo pro iuſtitiis Eccleſiæ Romanæ, Pipinum vnctione ſacra confirmauit in Regem Francorum.

DCCLXVIII. Pipinus iunior paruus Rex Francorum obiit, & Carlomannus, & Carolus magnus filij eius regnare cœperunt.

DCCLXXI. Carlomannus obiit, & Carolus Magnus ſolus regnare cœpit in Regno Francorum.

DCCCI. Carolus Magnus Imperator Romanorum factus eſt.

DCCCXIV. Carolus Magnus obiit quinto Kalendas Februarij, hora diei tertia, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo, ſepultúſque eſt in Eccleſia Aquiſgrani, quam ipſe ædificauerat. Ludouicus verò piiſſimus filius eius in Regno & imperio ſucceſſit. Soror eius erat Bertha inclyta mulier, & filia prædicti Caroli Magni Imperatoris. Caſtrum Vici ſuper Axonam cum omnibus appendititis ſuis donatum fuit Eccleſiæ ſancti Medardi Sueſſionenſis, tempore Eugenij Papę, & Ludouici Pij Imperatoris.

Caſtrum in Bertha confert S. Medardo.

Corpora

DCCCXXVI. Corpora ſanctorum Marcellini & Petri à

Roma

Roma delata ſunt in Eccleſia beati Medardi Sueſſionenſis tempore Eugenij Papæ & Ludouici. SS. Marcellini & Petri in Eccleſ. S. Medardi Sueſſionenſis.

DCCCXXXIX. Ludouicus pius Imperator & Rex Francorum obiit duodecimo Kalendas Iulij, & filij eius ſuccedunt Lotharius, Ludouicus, & Carolus Caluus. Iſte Carolus Caluus poſteà fuit Imperator Romanorum. Ipſe enim mutare fecit corpora ſanctorum Medardi, & Sebaſtiani, & Gregorij, & aliorum, & ponere in cryptas ſexto Kalendas Septembris. Et SS. Medardi Sebaſt. & Greg. reconduntur in cryptis.

DCCCLXXVII. Carolus Imperator & Rex Francorum obiit, & Ludouicus Balbus filius eius ſucceſſit.

DCCCLXXX. Ludouicus Balbus Rex Francorum obiit, & Ludouicus & Carlomannus filij eius ſuccedunt.

DCCCLXXXIII. Ludouicus filius Ludouici Balbi Rex obiit, anno verò ſequenti frater eius Carlomannus Rex obiit.

DCCCLXXXIX. Odo cœpit regnare.

DCCCXCIII. Carolus iunior nepos Caroli Imperatoris cœpit regnare.

DCCCXCVIII. Odo Rex obiit, & Carolus filius Ludouici iunioris regnauit. Iſte Odo Rex Eccleſiam B. Medardi in ſua mundeburde & ſucceſſorum ſuorum in perpetuum ſuſcepit. Fecit etiam prædictus Rex Odo Caſtrum de Vico, & de ſancto Medardo firmare propter inſurgentium Danorum inſolentiam; & multa alia bona, poſſeſſiones & confirmationes Eccleſiæ Beati Medardi contulit. Caſtrum de Vico.

DCCCCXVII. Hungri primùm Rhenum traiecerunt, & vſque Burgundiam peruenerunt.

DCCCCXIX. Conrardus Rex obiit, & Henricus ſuccedit.

DCCCCXXII. Robertus Rex efficitur. Anno ſequenti interfectus eſt à Carolo Rege præliando, & Rodulfus Rex regnare cœpit. Eodem anno Carolus Rex captus eſt.

DCCCCXXXVI. Rodulphus Rex obiit, & Ludouicus filius Caroli iunioris regnare cœpit.

DCCCCXXXVII. Hungri Europam, Franciam & Burgundiam vaſtauerunt.

DCCCCLIV. Ludouicus Rex obiit, & Lotharius filius eius

ſucceſſit. Eodem anno Hungri ſecunda vice Franciam vaſtauerunt.

Abbetia S. Quintini in Inſula.

DCCCCLXV. Monachi apud ſanctum Quintinum in Inſula ponuntur.

DCCCCLXXIX. Ludouicus pius filius Lotharij Rex effectus eſt patre viuente, & volente.

DCCCCLXXX. Saxones Franciam vaſtauerunt, & à Francis cum Imperatore ſuo Ottone fugati ſunt.

DCCCCLXXXVI. Ludouicus Rex, filius Lotharij Regis, obiit, & Hugo, cognominatus Chapet, Dux Francorum (Carolo, fratre Lotharij Regis, anunculo Ludouici Regis filij Lotharij, traditione capto, & apud Aurelianenſem vrbem cum vxore ſua incarcerato) Rex Francorum effectus eſt; & ita diſiunctum eſt Regnum Francorum à genealogia Caroli Magni Imperatoris, & Regis Francorum.

DCCCCLXXXVIII. Robertus, inclytus filius Hugonis Chapet Regis Francorum, Rex effectus eſt, patre viuente & volente.

DCCCCXCVIII. Hugo Chaper quondam Rex Francorum obiit.

M. Quarto Calendas Aprilis die Paraſceue factus terræ motus, & draco in nube apparuit in veſpere.

Henricus Rex Abbat. S. Medardi eximit à poteſtate Comitis.

MXXXI. Robertus inclytus Rex Francorum, filius Hugonis Chapet obiit, & filius eius Henricus ſucceſſit. Iſte Henricus Rex in decimo quinto anno Regni ſui Abbatiam B. Medardi de poteſtate Stephani Comitis eripuit, & in ſua mundeburde ſuſcepit propria. Caſtrum etiam de Vico cum appenditiis ſuis de quo priuabatur Eccleſia tunc temporis incuria & nugacitate prædicti Stephani Comitis, Eccleſiæ reſtituit. Ipſam verò Eccleſiam à moleſtatione & inquietudine Roberti Militis, Domini de Couciaco, viriliter defendit, & plurimas conſuetudines, quas ipſe Robertus dicebat ſe habere in Eccleſiam Beati Medardi & in poſſeſſione Eccleſiæ, viriliter reuocauit.

MXLIX. Renoldus Abbas Eccleſiæ beati Medardi quia abſque voluntate & licentia Regis Henrici Romæ vocatus, abiit, Abbas eſſe deſiit.

MLIX. Philippus, Henrici Regis filius, Rex effectus eſt, patre viuente & volente, & communi conſenſu Francorum.

MXCVI. Godefridus Dux Lotharienſis, & Robertus Dux Normaniæ, & multi alij Principes, & innumerabilis populus Chriſtianorum diuerſarum terrarum & linguarum, cruces acceperunt contra Paganos, & iter per Conſtantinopolim arripuerunt. In anno verò ſequenti obtinuerunt inclytas Ciuitates, & plurima Caſtella, in terra Bithyniæ, Meſopotamiæ, & Syriæ : & in anno tertio obtinuerunt ciuitatem ſanctam Ieruſalem, & factus eſt Godefridus Dux Lotharienſis Rex Ieroſolymorum. Balduinus verò frater eius factus eſt Princeps ciuitatis Ediſſæ, id eſt Roheis. Baimundus verò Princeps Siciliæ, factus eſt Princeps ciuitatis Antiochiæ. Ciuitatem verò Nicæam reſtituerunt Imperatori Conſtantinopolitano Alexi, & plurimas ciuitates & Caſtella à Turcis ſibi ablata.

MCVIII. Philippus Rex obiit, & Ludouicus Groſſus filius eius ſucceſſit.

MCXII. Epiſcopus Laudunenſis & omnes Primates vrbis interfecti ſunt, & ciuitas igne ſuccenſa.

MCXXI. Gaufridus, cognominatus Collumcerui, Abbas Eccleſiæ B. Medardi effectus eſt.

MCXXVII. Inclytus Carolus Comes Flandrenſis à ſuis peruerſis hominibus occiditur.

MCXXIX. Philippus puer, filius Ludouici Groſſi, Rex effectus eſt patre viuente,

MCXXX. Thomas de Marla, Dominus de Couciaco, perſecutor Eccleſiæ peſſimus interficitur.

MCXXXI. Philippus Rex obiit, & Ludouicus iunior frater eius Rex effectus eſt patre viuente, ſcilicet Ludouico Groſſo. Innocentius Papa ſecũdus, qui illis diebus in Francia venerat, prædictum Ludouicum iuniorem, Philippo Rege fratre eius defuncto, qui duobus annis, & dimidio regnauerat, Remis inunctum conſecrauit. Gaufridus, cognominatus Collum-cerui, Abbas Eccleſiæ Beati Medardi, Epiſcopus Catalaunenſis effectus eſt, & Odo Abbas ſucceſſit. Eccleſia beati Medardi Sueſſionis dedicatur à domno Inno-

Gaufridus Collum-cerui ex Abbate, Sueſſ. Epiſc. Catalau. effectus.

Eccleſiæ S. Medardi dedicatio.

centio Papa ſecundo prædicto, Pontificatus ſui anno ſecundo, in honore beatæ MARIÆ ſemper Virginis,& ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum, & in honore Beati Medardi Epiſcopi & Confeſſoris Idus Octobris. Prædictus ſiquidem Papa ante dicationem Eccleſiæ prædictę Odonem Abbatem Eccleſiæ beati Medardi, nolente, ſed contradicente Epiſcopo Sueſſionenſi Aurelianis benedixit pridie Kalendas Octobris.

Galterus Abbas.

MCXXXIII. Odo Abbas deceſſit, & Galterus ſucceſſit. Altaria ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ, & ſanctorum Marcellini & Petri, ſanctorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi,& Capella ſuper murum in honore beati Nicolai ,dedicata ſunt à Domno Ioſſeno Sueſſionenſi Epiſcopo.

MCXXXVII. Ludouicus iunior Rex Francorum accepit vxorem, nomine Alienorem, Comitis Pictauorum Guillermi filiam ; & per eam factus eſt Dux Aquitanorum. Ludouicus Groſſus quondam Rex Francorum obiit. Eccleſia Corbeiæ combuſta : ſiccitas inaudita.

MCXLII. Capella ſancti Bartholomæi in valle, Eccleſia ſancti Petri de Rotundis, Eccleſia ſanctæ Sophiæ apud ſanctum Medardum, Altare retro Chorum ad Crucem, dedicata ſunt à Domno Arnulpho Sueſſionenſium Epiſcopo. Omnes iſtę dedicationes factæ ſunt tempore Odonis, & Galteri, & Ingranni Abbatum.

MCXLVI. Ludouicus iunior Rex Francorum, & Conradus Imperator Romanorum , cruces acceperunt contra Paganos, & multi alij Principes Chriſtianorum ,& infinita multitudo populorum ; & anno ſequenti cum maxima multitudine armatorum,equitum,& peditum per Conſtantinopolim Ieroſolymam profecti ſunt,& inclytam ciuitatem Damaſcum cum Balduino Rege Ieroſolymitano obſedunt; ſed à quibuſdam militibus Chriſtianis Syriis traditi, nihil profecerunt, & ita reuerſi ſunt vnuſquiſque in patriam ſuam ,nihil vel parum in terra promiſſionis proficientes.

Ingrannus Abbas.

MCXLVIII. Eugenius Papa Remis Concilium tenuit. Galterus Abbas obiit, & Ingrannus Abbas de Marchenis, Monachus Corbeiæ , Abbas Beati Medardi effectus eſt.

Temporibus Ludouici Iunioris Regis Francorum, & Ingranni Abbatis Eccleſia Beati Medardi, facta eſt communia in riparia Beati Medardi, & iterum diſſipata.

MCLXVI. Philippus filius Ludouici Iunioris natus eſt.

MCLXXIV. Henricus Archiepiſcopus Remenſis obiit, & Guillelmus Archiepiſcopus ſucceſſit.

MCLXXVII. Ingrannus Abbas renuntiauit Abbatiæ, & Gaufridus Præpoſitus de Riparia, Monachus Eccleſiæ, Abbas effectus eſt. Hugo Epiſcopus Sueſſionenſis obiit, & Neuelo de Baſochiis Epiſcopus Sueſſionenſis effectus eſt. Gaufridus Abbas. Epiſcopi Sueſſ. Hugo & Neuelo.

MCLXXVIII. Alexander Papa generale Concilium Romę in Eccleſia Lateranenſi celebrauit in Dominica medię Quadrageſimæ.

MCLXXIX. Philippus puer filius Ludouici Iunioris Rex efficitur patre viuente.

MCLXXXV. Gaufridus Abbas renuntiauit Abbatiæ, & Galcherus Abbas de Flauigniaco, & Monachus de Clugniaco, Abbas Beati Medardi effectus eſt, & eodem anno, ſcilicet poſt decem menſes obiit, & Bertrannus ſucceſſit Abbas. Tempore Bertranni Abbatis inſultum fecerunt Sueſſionennenſes in Eccleſiam Beati Medardi. Galcherus Bertrannus Abbates.

MCLXXXVII. Ciuitas ſancta Ieruſalem, & vniuerſa terra promiſſionis, à Paganis capitur, & depopulatur in feſto ſancti Petri ad vincula, præter ciuitatem Tyrum. Ludouicus filius Regis Philippi natus eſt. Lucius Papa, qui ſucceſſerat Papę Alexandro qui Concilium tenuit generale, deceſſit, & Vrbanus Papa ei ſucceſſit.

MCLXXXVIII. Philippus Rex Franciæ, & Richardus Rex Angliæ, cum Principibus & populis multis, cruces acceperunt contra Paganos; & in ſequenti anno profecti ſunt. Philippus verò Rex Franciæ cum Francis ciuitatem Tolomaïdam maritimam cum multis aliis Chriſtianis obſedit. Poſteà verò à Paganis obſidione circumdatur. Tanta verò fuit fames in exercitu Chriſtianorum, quòd gallina venderetur decem ſolidis turonenſibus. Richardus verò Rex Angliæ in Inſulam Cypri profectus, Græcis expulſis, totam Inſulam ſuo dominio mancipauit. Poſteà verò venit cum ſuo exercitu àd obſidionem Tolomaïdę. In tertio verò anno

poſtquam obſeſſa eſt, prædicta ciuitas capta eſt à Chriſtianis in feſto ſancti Chriſtophori, & Paganis occiſis, captis, & captiuatis, & ciuitate ordinata & munita reuerſus eſt Philippus Rex Franciæ infirmitate cogente. Poſt non multum verò temporis quædam ciuitates, ſcilicet Baruth & Gibel, & quædam aliæ, à Chriſtianis mirabiliter acquiruntur. Vrbanus Papa deceſſit, & Celeſtinus ſucceſſit.

Galterus de Couſſiaco Monachus.

MCXCIII. Galterus de Couſſiaco Monachus factus eſt tempore Bertranni Abbatis, & erat quindecim, vel ſexdecim annorum.

Et Petrus de Courtemont.

MCXCVI. Monachi poſiti ſunt apud Vicum, Petrus de Courtemont Monachus efficitur. Arnulphus Piaz naſcitur. Bertrannus obiit, & Galterus Balena ſuccedit.

Galterus de Balena & Rogerius Abbat.

MCXCVII. Galterus Balena Abbas obiit, & Rogerus Faucillons ſucceſſit. Celeſtinus Papa obiit, & Innocentius tertius ſucceſſit. Tempore Rogerij Abbatis Beati Medardi fuerunt in Francia duo Apoſtolicæ Sedis Legati, ſcilicet Octauianus, & Petrus de Capis, ſed non in vno tempore.

MCCII. Balduinus Comes Flandriæ cum Epiſcopis, Principibus, & populis multis Chriſtianorum, prædicatione bonæ memoriæ Magiſtri Fulconis Preſbyteri cruces contra Paganos acceperunt; ſed quibuſdam caſibus interuenientibus Conſtantinopolim contra Græcos profecti ſunt, & ipſam vi capiunt, & prædictum Balduinum Imperatorem Græcorum conſtituunt. Poſt non multum verò temporis prædictus Balduinus pugnans cum Comanis & Blacis, ipſis fugientibus cum veloci equo inſecutus eſt cum paucis, & vſque hodie incognitum eſt quid de eo factum ſit.

Albricus de Brana:

MCCIV. Rogerus Faucillons Abbas reſignauit, & Albricus de Brana ei ſucceſſit.

& Milo de Baſochiis Abbat.

MCCVI. Albricus Abbas deceſſit, & Milo de Baſochiis ei ſucceſſit.

Gobertus de Couciaco Monachus.

MCCVIII. Gobertus de Couciaco Monachus efficitur, & erat ſeptem vel octo annorum.

MCCIX. Ludouicus filius Regis Philippi Miles efficitur apud Compendium. Innumera multitudo infantium & puerorum de diuerſis partibus, ciuitatibus, Caſtellis, Villis, Caſtris & agris Galliarum, abſque licentia & aſſenſu parentum ex-

euntes, dicebant ſe cauſa ſanctæ Crucis quærendæ iter vltra mare arripuiſſe, ſed nihil profecerunt; omnes enim diuerſis modis perditi, mortui, vel reuerſi ſunt. Dicunt quidam & pro certo affirmant, quòd de decennio in decennium antequam illud mirabile accidiſſet, piſces, ranæ, papilliones, & aues ſimili modo ſecundum genus ſuum & tempus proficiſcebantur. In illo tempore verò tam immenſa multitudo piſcium capta eſt, vt omnes mirabiliter mirarentur. Quidam verò ſenes & decrepiti iſtud pro certo affirmant, quòd de diuerſis Galliarum partibus innumera multitudo canum apud Caſtrum Campaniæ, quod vocatur Manshymer, congregata eſt. Ipſi verò canes in duas partes diuiſi, ad inuicem fortiter & acriter pugnantes, ferè omnes ſeſe mutuò cæde interfecerunt, & pauciſſimi reuerſi ſunt.

MCCX. Muri & Fortaricia Eccleſiæ B. Medardi facta ſunt.

MCCXII. Philippus Rex Franciæ, cum Francis multitudine maxima nauium congregatis, ad portum, quod dicitur Dens *, in Angliam voluit transfretare, ſed Ferrando Comite Flandrenſium ſibi cum multis aliis impediente, quibuſdam nauibus ſuis amiſſis, reliquas verò iuſſit igne conſumi, & ſic cæptum ſuum imperfectum reliquit, & reuerſus eſt.

MCCXIII. Bellum fuit apud Caſtrum de Muriaus, in quo Rex Arragonenſis occiſus eſt; & multa alia millia Arragonenſium, Albigenſium, Tholoſenſium, cum Principibus ſuis, à Simone Comite Montisfortis, & à pauciſſimis Francis occiſi, capti, & fugati ſunt, ita mirabiliter vt vix credi potuiſſet. Robertus de Courcon, Apoſtolicæ Sedis Legatus, venit in Franciam.

MCCXIV. Bellum fuit apud Pontem de Bouines inter Philippum Regem Franciæ & Francos ex vna parte, & Ferrandum Comitem Flandrenſem, & Ottonem dictum Imperatorem, & Guillermum Longam ſpatam, fratrem Ioannis Regis Angliæ, Comitem Saleſberienſem, & Reginaldum Comitem Bolonię, & Hugonem Dominum de Boua, & multos alios Principes Alemannorum, Theutonicorum, Hainoenſium, Flandrenſium, & Anglorum, & omnes fu-

gati ſunt à Francis, parum vel nulli occiſi, multi capti: inter quos Fernandus, Guillermus, Reginaldus, & multi alij nobiles Flandrenſium, Anglorum, Alemanorum, & cæterorum. Ludouicus filius Regis Franciç cum maxima multitudine militiæ Francorum Ioannem Regem Anglorum ab obſidione Caſtri, quod vocatur Rocha-Monachorum, fugauit, & de terra Pictauorum exire coëgit. Galterus verò de Couſſiaco Prior de Vico efficitur menſe Auguſti, & Galterius de Muriſiaco efficitur.

MCCXV. Ludouicus cum Francis transfretauit in Angliam, ſed nihil profecerunt.

MCCXVI. Innocentius Papa tertius generale Concilium Romæ celebrauit. Eodem anno deceſſit, & Honorius ſucceſſit.

MCCXVII. Venerabilis Albricus Archiepiſcopus Remenſis, cum multis Prælatis, & Principibus Chriſtianis diuerſarum linguarum, cruces acceperunt contra Paganos, & in terram Suriæ profecti ſunt, & ſimul coadunati cum Ioanne de Brienna Rege Tolomaïdæ, nauibus aſcenſis, in manu forti in Ægyptum profecti ſunt, & inclytam ciuitatem Ægypti Damietam viriliter obſidione circumdederunt, & in breui à Paganis obſeſſi ſunt. In tertio verò anno, ſcilicet anno ab Incarnatione Domini 1219. mirabiliter capta eſt. In ſequenti verò anno quibuſdam caſibus & periculis Chriſtianis prouenientibus, reddiderunt ipſam Paganis, & treuga decem annorum inter ipſos facta, & captiuis tam Chriſtianis, quàm Paganis ex vtraque parte redditis, reuerſi ſunt cum armis & ſupellectilibus, nauibus aſcenſis, vnuſquiſque in patriam ſuam.

Corpus B. Leucadiæ. MCCXIX. Corpus Beatæ Leuchadiæ Virginis à latronibus nocte furatur, poſteà verò in fluuio Axonæ inuenitur in vigilia Pentecoſtes; & caput eiuſdem Virginis in vaſe argenteo per manus Milonis Abbatis in die Beatę Mariæ Magdalenæ apud Vicum reponitur: Milo Abbas obiit in die ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, & Radulphus de Bria Abbas ſucceſſit. (Radulphus de Bria Abbas.)

MCCXXII. Gobertus de Couſſiaco facit profeſſionem menſe Iunio, & eodem anno Diaconus efficitur menſe

Martio

Martio apud Vallem-ſerenum.

MCCXXIII. Philippus Rex obiit Idus Iulij, & Ludouicus filius eius ſucceſſit. Gobertus de Couſſiaco Preſbyter efficitur menſe Septembri apud Nouiomum, & eodem anno venit cum pannis apud Vicum moraturus tertio nonas Nouembris.

MCCXXIV. Ludouicus Rex Franciæ Caſtrum, quod vocatur la Rochelle, cum Francorum exercitu obſidione circumdedit, & capit, & totam Aquitaniam ferè ſibi ſubiecit.

MCCXXV. Quidam ruſticus Lecator, nomine Bertrannus de Raiz, finxit ſe conſilio quorumdam Flandrenſium eſſe Comitem Flandriæ Balduinum, Imperatorem Conſtantinopolitanum, & multi Flandrenſes adhæſerunt, & maximè Valencenienſes & Hahenoenſes, & obtinuit maximam partem Flandriæ, reſiſtentes & contradicentes tam ipſos quàm terras illorum, tam ferro quàm igne vaſtando. Ad vltimum verò colloquium habuit cum Rege Francorum Ludouico apud Caſtrum Peronne, ſaluo ire, & ſaluo venire ſaluo venire, & ſaluo redire. Ibi verò malitia & fraude Flandrenſium, & prædicti Bertranni, multis argumentis, indiciis, & interſignis detecta & probata, iuſſus eſt prædictus Bertrannus à Regno Francorum indilatè recedere: qui poſteà in Campaniam, vnde oriundus erat, per manus Erardi Militis Domini de Chaſtenay captus, & iterum in Flandriam reductus, & per villas, & Caſtella, & Nundinas ductus, cognitus eſt à multis, & pater & mater eius, & fratres, & alij parentes eius. Ipſe ſiquidem publicè confitebatur ſingulis, quia ipſe eſſet Bertrannus de Raiz. Ad vltimum verò ſuſpenſus eſt apud villam, quæ vocatur Inſula. Bertrannus de Raiz ſe Comitem Flandriæ Balduinũ ſimulat.

MCCXXVI. Ludouicus Rex Franciæ cum maximo Francorum exercitu, in virtute magna, n terram Albigenſium profectus eſt, & ciuitatem Auiennenſem* obſidione circumdedit, & poſt multos aſſultus & labores ipſam ſibi ſubiecit, cum multis Ciuitatibus, Caſtellis, & Villis. Eodem verò anno in reditu ſuo obiit, & Ludouicus puer duodecim vel tredecim annorum, filius eius ſucceſſit. Honorius Papa tertius obiit, & Gregorius Papa nonus ſucceſſit. *al.**Auinionenſem.

HHHhh

MCCXXVIII. Pax fit inter Albigenſes, & Francos, & abſoluti ſunt ab excommunicatione, quam longo tempore ſuſtinuerunt.

MCCXXIX. Fredericus Romanorum Imperator cruce ſignatus cum exercitu Longobardorum, & Allemannorum, & quorumdam aliorum Chriſtianorum, in terram Suriæ profecti ſunt. Colloquio ſiquidem habito inter ipſum Imperatorem & Paganos per internuntios, reſtitutæ ſunt ei quinque ciuitates cum chaminis & viis publicis conſtitutis inter ipſas. Ciuitas ſancta Ieruſalem reſtituta eſt, * præter Templum Domini, Bethleem, Rama, Nazareth, & Ioppe. Treugâ ſiquidem inter ipſos decem annorum factâ ipſe Fredericus cum magno gaudio ſuorum in ſancta Ieruſalem profectus eſt, & Coronam, & diadema in Baſilica ſepulcri tanquam Rex Ieroſolymorum portauit. De prædictis verò ciuitatibus non poterant murari, nec firmari, præter ciuitatem ſanctam Ieruſalem, & Ioppen, & quoddam Caſtrum, quod erat hoſpitalis ſancti Ioannis Alemannorum: Cuſtodibus ſiquidem ſuis in turri Dauid, & ciuitatibus, & aliis, provt ſibi placuit, ordinatis & poſitis, & locis ſanctis viſitatis, reuerſus eſt in terram ſuam excommunicatus, ſicut ante fuerat. Cùm autem reuerſus fuiſſet, in rebus & poſſeſſionibus Eccleſiæ Romanæ & cæterarum Eccleſiarum, Templariorum & Hoſpitalariorum crudeliùs arma mouit, quàm vnquam fecerat.

Lege *, ſimúlque.

MCCXXX. Henricus Rex Angliæ cum magno exercitu Anglorum in Britanniam minorem contra Regem Francorum Ludouicum puerum, Petro dicto Mauclero hoc faciente, transfretauit, ſed nihil profecit: multis ſiquidem ex ſuis amiſſis diuerſis generibus morborum, in Angliam reuerſus eſt febre quartana laborans. Philippus Comes Boloniæ auunculus Regis Ludouici pueri, cum Roberto Comite Drocarum, & aliis Baronibus Francorum ferè cunctis, Ludouico puero in terram Britanniæ minoris contra Regem Angliæ, & Comitem Britanniæ, & cæteros inimicos illius, cum exercitu quorumdam Francorum prædicto Regi adhærentium, tanquam crudeles & impij, derelicto, contra

Comitem Campaniæ Theobaldum, qui Regi adhærebat, arma mouerunt, & quaſdam munitiones ſuas captas deſtruxerunt, Dameriacum verò, Cergiacum, Fauerias, & quaſdam villas & domos Eccleſiæ Beati Medardi Sueſſionenſis, ferro & igne vaſtauerunt, villis, & domibus, & munitionibus Militum intactis permanentibus & integris cum rebus vniuerſis.

MCCXXXI. Inclyta ciuitas Hiſpaniæ, nomine Corduba, à Rege Hiſpaniæ, & à Chriſtianis poſt longam & laborioſiſſimam obſidionem capta eſt contra Paganos, & in ditione Chriſtianorum locata.

MCCXXXIII. Galterus de Couſſiaco Prior de Vico magnus Prior Eccleſiæ beati Medardi efficitur menſe Iunio in die ſanctorum Geruaſij & Protaſij. Eodem die Gobertus de Couſſiaco Prior de Vico factus eſt.

MCCXXXVI. Galterus de Couſſiaco magnus Prior Beati Medardi obiit menſe Septembri, in die feſtiuitatis ſancti Principij Epiſcopi & Confeſſoris. Hæreticorum maxima multitudo, quos quidam vocabant Bulgaros, alij Piſlos, per diuerſas ciuitates, & Caſtella Franciæ, Flandriæ, Campanię, Burgundiæ, & cæterarum Prouinciarum, procurante quodam Roberto fratre Prædicatore capti, examinati & probati per Archiepiſcopos, Epiſcopos, & cæterorum graduum Eccleſiaſticorum Prælatos, ad vltimum damnati, & tanquam Hæretici ſecularibus poteſtatibus ſunt traditi. Quidam verò ipſorum ad agendam pœnitentiam in carcere ſunt retruſi. Alij verò, qui hæreſibus renunciare noluerunt, igne conſumpti ſunt, & bona ipſorum à ſæcularibus poteſtatibus ſunt recepta. Non ſolùm iſtud factum eſt in illo anno, ſed antè per tres continuos annos, & pòſt per quinque continuos annos & plus. Dicebatur ſi quidem à multis, quòd infinita multitudo Hæreticorum per diuerſas partes Galliæ diſperſę erant. Hoc anno inſultum fecerunt Sueſſionenſes in Eccleſiam Beati Medardi. Hoc anno inundatio aquarum inſolita facta eſt. Petrus de Milli magnus Prior factus eſt menſe Nouembri.

Bulgari' ſiue Piſli hæretici.

MCCXXXVII. Radulphus de Brana Abbas deceſſit, & Re-

Reginaldus de Nātolio Abbas.

ginaldus de Nantolio ſucceſſit menſe Maio. Robertus Comes Atrebatenſis. Palatinus, frater Regis Ludouici, Miles efficitur apud Compendium.

MCCXXXIX. Theobaldus Rex Nauarræ, Comes Campaniæ, Dominus Briæ, & Comes Trecarum Palatinus, Almaricus Comes Montisfortis, Comes Barrenſis, & Dux Burgundiæ, cum multitudine maxima Principum, Baronum, Militum, & innumera multitudine Francorum, equitum & peditum, cruce ſignatorum, nauibus aſcenſis in portu Ciuitatis Maſſiliæ, in terram Suriæ contra Paganos profecti ſunt. Colloquio ſiquidem habito per internuntios inter Paganos & ipſos reſtituta eſt eis omnis terra, quam Chriſtiani tenebant tempore perditionis. Ciuitates, Neapolis, Ierico, Gaza & Caſtrum fortiſſimum, quod vocatur Biaufort. Ciuitas verò Aſcalona optimè murata eſt, & firmata, & munita à Chriſtianis. Omnis terra Chriſtianorum reddita eſt præter fortiſſimum Caſtrum quod eſt in terra Arabię vltra flumen Iordanis, quod vocatur Monsregalis. (Alij verò nominant ipſum le Crac de Monte regali) ciuitatem Damiatam. Treuga ſiquidem cum Rege Damaſceno per triginta annos factâ, & cum Rege Ægypti per decem annos, & captiuis ex vtraque parte redditis reuerſi ſunt. Antequàm verò quam treuga fuiſſet, omne præſidium Turris Dauid, & quædam turres, & muri, quæ per manus & ſumptus peregrinorum conſtructa erant in ciuitate ſancta Ieruſalem pro ciuitate tuenda & defenſanda, à Paganis deſtructa ſunt, confracta & ad terram deiecta & proſtrata. Eodem anno Imperator Conſtantinopolitanus, ſcilicet Comes Nemurcij cum exercitu magno Francorum per Alemaniam, Hungariam, Bulgariam, & per terram ſiccam à Francia Conſtantinopolim in manu forti & excelſa reuerſus eſt, & quædam Caſtella, quæ inimici ſui Græci ſibi abſtulerant, obſeſſa & expugnata, ditioni ſuæ reſtituit. Gregorius Papa nonus Fredericum Imperatorem Romanorum, Regem Longobardiæ, Allemaniæ, Apuliæ, Siciliæ, & Ieroſolymorum, per longum tempus excommunicatum anathematizat, & tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus

damnat. Temporalia verò Frederici dicti Imperatoris, prout multi experti ſunt, vſque ad obitum prædicti Gregorij noni Papæ parum vel nihil imminuta ſunt propter hoc. Prędictus verò Fredericus abſtulit multa diuerſis Eccleſiis in Imperio illius & Regnis conſtitutis, multis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Abbatibus, & cæterorum graduum Eccleſiaſticorum Miniſtris, ab Eccleſiis ſuis & locis expulſis, exulatis. Eodem anno Iacobus Epiſcopus Prænestinus Apoſtolicę ſedis Legatus venit in Franciam circa Epiphaniam Domini, & receſſit circa Purificationem B. MARIÆ. Obiit Petrus de Fontenay Subprior S. Medardi.

MCCXL. Spinea Corona pretioſiſſima à Ludouico Rege in ciuitate Pariſius cum magno honore & maxima humilitate prædicti Regis, & fratrum ſuorum, itavt omnes qui aderant & viderant, & omnes qui audierant multùm nimis mirarentur, proceſſionaliter defertur, & in Capella prædicti Regis, quam miro opere & maximis ſumptibus propter hoc fabricabat, honorificè reponitur. Eodem anno quidam Principes & Barones Albigenſium cum fautoribus ſuis, in vnum congregati, terram, quam Rex habebat in terra illa, & adhærentes Regi cœperunt fortiter & acriter impugnare, terram Regis & illorum ferro & igne vaſtando & deprędando. Ipſi verò appropinquantes ciuitati Carcaſſonę à Burgenſibus, & illis qui manebant in Burgo forenſi intus, nocte per traditionem ſunt intromiſſi. Ciuitatem verò, & illos qui intus erant, & Cuſtodes Regis qui intus erant, in craſtino obſederunt, & magnis aſſultibus longo tempore vexauerunt. Ludouicus verò Rex miſſo exercitu ſuo cum Vicecomite Caſtridunenſi, & Ioanne nobili Milite de Bellomonte, ipſos fugauit. Ipſi verò Albigenſes ab obſidione recedentes, totum forenſem Burgum inclytum Carcaſſonę igne combuſſerunt. Burgenſibus verò cum vxoribus & filiis, & familiis non audentibus propter traditionem quam fecerant remanere, ſecum ducentibus. Poſteà verò, Deo dante, omnia in pace reducta ſunt, & ad voluntatem prędicti Regis in tota terra Albigenſium ordinata. Quædam genera hominum, qui vocantur à quibuſdam Tartarini, à

quibuſdam verò Comani , à quibuſdam verò peritis creduntur eſſe Iſmaëlitę id eſt filij Iſmaëlis ; quem habuit Abraham ex Agar ancilla ſua , quos Dauid vocat Agarenos. Prædicti verò comedentes carnes hominum , beſtiarum, auium , & ſerpentium , & ſugentes & bibentes ſanguinem, & parum panis & vini vtentes ; cum innumera multitudine & incredibili equitum & peditum tam virorum quàm mulierum Regna Bohemiæ, & Hungarię, & Ducatum Poloniæ, & quaſdam alias terras maximas & optimas in illis partibus ſitas, ferro & igne deuaſtant, maximas & incredibiles cædes vtrorumque ſexuum tam virorum , quàm mulierum facientes, nec alicui ſexui parcentes.

Eodem anno obiit Petrus de Milli Magnus Prior menſe Iunij : cui ſucceſſit Guillermus de Minci. Et eodem anno datæ ſunt mihi induciæ per ſpatium tredecim annorum, in craſtino B. Benedicti menſe Iulij.

*ſiue *, Alfonſus.*

MCCXLI. Anfurdus * frater Regis Ludouici , Comes Pictauenſis, Miles efficitur apud Saumur. Eodem anno in die Exaltationis ſanctæ Crucis maxima pars Dominicæ Crucis: illa ſcilicet , vt multi boni teſtimonij viri teſtantur, quam Helena Conſtantini mater poſt inuentionem eiuſdem ſanctæ Crucis à Ieroſolymis Conſtantinopolim ſecum honorificè fecit deferri, & in Capella glorioſiſſimi Conſtantini Imperatoris dilectiſſimi filij ſui fecit honorificè reponi; prædictus verò Conſtantinus illam partem Dominicæ Crucis in expeditionibus ſuis cauſa victoriæ faciebat ſecum glorioſè & honorificè deferri. Illa verò pars Dominicæ Crucis à Ludouico Rege Francorum die prædicto cum magno honore, & maxima humilitate prædicti Regis, & fratrum ſuorum, ita vt omnes qui aderant, viderant, & audierant multùm nimis mirarentur , proceſſionaliter nudis capitibus & pedibus, cruribus , & brachiis, in ciuitate Pariſius in Capella prædicti Regis, quam miris operibus & ſumptibus in honore eiuſdem ſanctæ Crucis , & pretioſiſſimæ ſpineæ Coronæ Iesv Chriſti Domini noſtri, veri Dei & veri hominis, fabricabat , honorificè reponitur. Siccitas inconſueta.

MCCXLIX. Damieta nobilis illa fortiſſima & munitiſſima

ciuitas Mahometitarum in Ægypto, vno, eodémque die obſeſſa eſt & capta à Ludouico Rege Francorum, de genere Hugonis Capeti, & ab exercitu Chriſtiano cruce ſignato, immò, vt veriùs dicamus, mirabiliter & miraculosè à Domino eidem data & tradita octauo nonas Iunij, ſcilicet in ſuperuigilia feſtiuitatis ſanctorum Confeſſorum Medardi & Gildardi, quæ tunc fuit in Dominica poſt octauas Pentecoſtes. Et eodem anno, neſcimus quo Dei iudicio, per magnos labores & ſumptus Chriſtianorum quaſi inexpugnabilis facta, integra & ſana abſque vllo detrimento reſtituta eſt iteratò Sarracenis.

*Quæ ſequuntur ex eodem MS. cod. excerpta ſunt.*

MCCXLIV. Guillermus de Minci reſignauit Prioratum menſe Aprili: Cui ſucceſſit Ioannes de Clameciaco menſe Iunij in die feſtiuitatis Apoſtolorum Petri & Pauli.

MCCXLVI. Reynaldus Abbas S. Medardi deceſſit, & oannes ſucceſſit.

MCCLII. Obiit Ioannes de Clameciaco Magnus Prior ſancti Medardi, in menſe Septembri, in vigilia ſancti Matthæi Eaangeliſtæ. Cui ſucceſſit Hieronymus de Couſſiaco, in menſe Nouembri, in quinto die eiuſdem menſis.

MCCLIII. Reſignauit Abbatiã S. Medardi Ioannes de Merincourt in menſe Auguſti in craſtino S. Laurentij; Cui ſucceſſit Hieronymus de Couſſiaco, Magnus Prior eiuſdem Monaſterij in menſe Septembri in craſtino Ordinationis S. Gregorij Papæ. Cui ſucceſſit in magno Prioratu eiuſdem Monaſterij Gobertus de Couſſiaco Prior de Vico, in menſe Februarij, in craſtino Purificationis Beatæ MARIÆ.

MCCLIV, Obiit Conraldus filius illius peſſimi perſecutoris Eccleſiæ Frederici quondam Imperatoris. Eodem anno rediit à peregrinatione vltra-marina Ludouicus Rex Francorum cum Margarita vxore ſua prægnante, & tribus pueris in vltramarinis partibus generatis. Et in vigilia Natiuitatis Beatæ MARIÆ receptus eſt apud Pariſius proceſſionaliter & ſolemniter cum eiſdem.

## *DE TEMPORIBVS QVORVMDAM Ordinum.*

ANNO Domini MLXXVI. Cœpit Ordo Grandi-Montis.

MLXXXVI. Cœpit Ordo Caturſienſis.

MXC. Cœpit Ordo Trunci Berengerij.

MXCVIII: Cœpit Ordo Ciſtercienſis. Eodem anno cœpit Ordo Militiæ Templi Domini.

MCVI. Cœpit Ordo Monaſterij Fontis Ebrardi.

MCXX. Cœpit Ordo Præmonſtratenſis.

Eodem anno cœpit Ordo Militiæ Hoſpitalis S. Ioannis.

MCXCVIII. Pontificatus Innocentij Papæ tertij anno primo, cœpit & inſtitutus eſt Ordo ſanctæ Trinitatis, quem ſolebant appellare Ordinem Aſinorum, eo quòd Aſinos equitabant, non equos.

## *INCIPIT PROSAPIA REGVM Francorum vſque ad* DAGOBERTVM *Iuniorem, filium* HILDEBERTI *ſecundi.*

PRIAMVS genuit Faramundum: Faramundus genuit Chlodionem: Chlodio quia ſine filio fuit, ſucceſſit ei in Regno nepos eius Merouens: Meroueus genuit Hildericum: Hildericus genuit Clodoueum, quem ſanctus Remigius baptizauit, & in baptiſmate mutato nomine vocatus eſt nomine Ludouicus: Ludouicus genuit Clotharium & fratres eius: Clotharius genuit Chilpericum & fratres eius: Chilpericus genuit Clotharium Magnum ex Fredegonde: Clotharius genuit Dagobertum, & Blithildem ſororem eius: Dagobertus genuit Clodoueum, & Sigebertum: Clodoueus genuit Lotharium, & Hildericum, & Theodoricum: Theodoricus genuit Clodoueum, & Hildebertum: Clodoueus quia ſine filio fuit, ſucceſſit ei in Regno frater eius Hildebertus,

Hildebertus. Iſte glorioſus Rex iuſtus, bonæ memoriæ Hildebertus, regnauit annis ſeptemdecim. Poſteà migrauit ad Dominum, ſepultúſque eſt Cauſiaco Monaſterio, in Baſilica ſancti Stephani Protomartyris. Hildebertus genuit Dagobertum iuniorem: Dagobertus iunior Rex puer ęgrotans mortuus eſt, regnauítque annis quinque. Franci nimirum Danielem quondam Clericum, cæſarie capitis creſcente, in Regnum ſtabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Chilpericus verò Rex, qui eſt Daniel quondam Clericus, in vrbe Nouiomo mortuus eſt, regnauítque ſex annis. Quo mortuo Franci Theodoricum Regem in ſedem Regni ſtatuerunt. Hildericus verò, qui poſteà depoſitus, Theodorico ſucceſſit in Regno.

---

## *INCIPIT GENEALOGIA,*

### *De qua ortus eſt* CAROLVS *Magnus Rex Francorum & Imperator Romanorum.*

PRIAMVS genuit Faramundum, &c. (require ſuperiùs totam genealogiam vſque ad illum Regem) Clotharius genuit Dagobertum & Blitildem ſororem eius: Blitildis verò ſoror Dagoberti genuit Arnoldum ex Auſberto illuſtri viro: Arnoldus genuit Arnulphum, pòſt Metenſem Epiſcopum: Arnulfus, qui poſteà fuit Epiſcopus, genuit Aiſtulfum Metenſem Epiſcopum, & Gualchiſum & Flodulphum, & Anſigiſum: Anſigiſus genuit Pipinum ſeniorem ex Begga filia Pipini Maioris domus. Iſte Pipinus ſenior febre valida correptus mortuus eſt; obtinuítque Principatum ſub ſupraſcriptis Regibus, Theodorico ſcilicet & Clodoueo filio eius, & Childeberto fratre Clodouei, viginti ſeptem annis & dimidio. Pipinus verò ſenior Princeps & Dux Regni Francorum, Præfectus Palatij, & Maior domus, genuit Carolum ſeniorem, cognominatum Martellum. Carolus Princeps & Dux Regni Francorum, Pręfectus Palatij & Maior domus, genuit Pipinum iuniorem paruum, & Carlomannum, pòſt Monachum. Pipinus iunior

paruus, Princeps & Dux Regni Francorum Præfectus Palatij, & Maior domus, factus Rex Francorum hoc modo: Burghardus Wirceburgenſis Epiſcopus, & Folradus Capellanus, miſſi fuerunt ad Zachariam Papam interrogando de Regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes Regalem poteſtatem, ſi bene fuiſſet, aut non. Et Zacharias Papa mandauit Pipino, vt melius eſſet illum Regem vocari, qui poteſtatem haberet, quàm illum qui, ſine Regali poteſtate manebat, ſed vt non conturbaretur ordo, per authoritatem Apoſtolicam iuſſit Pipinum paruum Regem fieri anno Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo primo. Pipinus verò paruus ſecundùm morem Francorum electus eſt ad Regem, & vnctus per manus ſanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiſcopi: & eleuatus eſt à Francis in Regno Francorum in Monaſterio ſancti Medardi, quod ſitum eſt in Sueſſionis ciuitate. Hildericus verò, qui falsè Rex vocabatur, tonſoratus eſt, & in Monaſterium miſſus Anno ab Incarnat. DCCL.

Anno DCCLV. venit Domnus Stephanus Papa in Franciam, adiutorium & ſolatium quærendo pro iuſtitiis Eccleſiæ Romanæ: & in anno ſequenti confirmauit prædictum Pipinum paruum vnctione ſacra in Regem Francorum, & cum eo inunxit duos filios eius, Carolum Magnum, & Carlomannum in Reges: Pipinus verò paruus Rex Francorum genuit Carolum Magnum Regem Francorum, & glorioſum Cæſarem, quem Leo Papa conſecrauit, & in Eccleſia S. Petri Romæ die natalis Domini Imperatorem vnxit. Genuit ſiquidem prædictus Pipinus paruus Rex Carlomannum, Fratrem Caroli Magni. Carolus magnus Imperator Auguſtus & Rex, genuit Ludouicum piiſſimum Auguſtum & fratres eius Pippinum & Carolum. Ludouicus Pius Imperator genuit ex Iudith Imperatrice Carolum Caluum, & Lotharium, Pipinum, & Ludouicum ex Ermengarde Imperatrice. Carolus Caluus genuit Ludouicum, de quo dictum eſt, qui nihil fecit, quia poſt mortem patris duobus annis tantùm vixit. Ludouicus filius Ludouici genuit Carolum Simplicem, & Carlomannum. Hic Carolus ſimplex ab Heriberto captus eſt. Carolus ſimplex genuit Ludouicum ex

Ogiua. Ludouicus genuit Lotharium Regem & Carolum Ducem ex Gerberga. Lotharius Rex genuit Ludouicum iuuenem. Ludouicus iuuenis Rex obiit, & ſucceſſit in Regno auunculus eius, ſcilicet Carolus Dux, frater Lotharij, ſed impediente Hugone Chapet Duce Francorum, non fuit inunctus in Regem; ſed prædictus Hugo ipſum prædictum Carolum captum expulit à Regno, ſicut ſuperiùs ſcriptum eſt. Carolus Dux frater Lotharij genuit Ermengardem, & Gerbergam. Ermengardis genuit Albertum Comitem de Namuco. Albertus genuit Albertum qui nunc eſt: & Gerberga ſoror Ermengardis genuit Henricum ſeniorem de Bruſella. Henricus ſenior genuit Comitem Lambertum, & Henricum fratrem eius, & Matildem ſororem eorum. Hanc Matildem duxit vxorem Comes Euſtachius de Bulonia, & genuit ex ea duos filios, Euſtachium, & Lambertum. Euſtachius accepit vxorem filiam Godefridi Ducis, Idam nomine, nobilem genere & moribus; & genuit ex ea quatuor filios, GVILLERMVM Godefridum, qui nunc eſt Dux Lotharingiæ, Balduinum, & Euſtachium. Godefridus verò & Balduinus fuerunt Reges Ieroſolymorum. Euſtachius verò genuit filiam nomine Matildem, quam poſteà duxit in vxorem Stephanus Rex Anglorum.

---

## *QVOMODO DISIVNCTVM SIT REGNVM Francorum à genealogia* CAROLI *Magni Regis Francorum & Imperatoris Romanorum.*

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCCLXXVI. obiit Lotharius Rex, ſenex & plenus dierum, ſepultúſque eſt Remis in Eccleſia Beati Remigij. Cui ſucceſſit Ludouicus filius eius iuuenis, qui regnauit in Francia annis vndecim, & mortuus eſt, ſepultúſque eſt in Baſilica Beati Cornelij Martyris, Compendij. Cui ſucceſſit frater eius Carolus. Eodem anno rebellauit contra eum Hugo Dux Francorum, eo quòd accepiſſet Carolus filiam Herberti Comitis Trecarum. Collecto igitur exercitu copioſo valde obſedit eum Lauduni, vbi manebat Carolus cum vxore ſua. E-

xiens Carolus de Ciuitate fugauit Hugonem cum exercitu ſuo, incenſis hoſpitiis, vbi multitudo hoſtium commanebat. Cernens igitur Hugo quòd non poſſet Carolum vincere, conſilium habuit cum Anſelmo Epiſcopo eiuſdem Ciuitatis, vetulo traditore, qui erat Conſiliarius Caroli. Tradens autem Anſelmus Laudunum in nocte vna quieſcentibus cunctis Hugoni Duci Francorum, vinctus eſt cum vxore ſua Carolus, & ductus eſt in cuſtodia Aurelianis ciuitate. Non enim erat ipſe adhuc Carolus vnctus in Regem, reſiſtente ei Hugone Duce. Manens autem Carolus Aurelianis interim genuit ei vxor ſua duos filios, Ludouicum, & Carolum. Eodem anno vnctus eſt Hugo Dux in Regem Remis ciuitate, & in ipſo anno Robertus Regum piiſſimus filius eius Rex ordinatus eſt. Sic defecit progenies Caroli Magni à Regno Francorum. Robertus Rex, qui non fuit de ſtirpe illa, genuit Henricum Regem: Henricus Rex genuit Philippum Regem. Philippus Rex genuit Ludouicum, qui ordinatus eſt Rex anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo octauo, reſidente Papa in ſede Apoſtolica Paſcaſio ſecundo. Ludouicus Rex genuit Philippum. Ludouicum, Henricum Clericum, Robertum, Petrum Clericum, itémque Philippum, & Conſtantiam, quam Euſtacius Stephani Regis Anglorum filius accepit vxorem. Philippus maior natu, patre adhuc ſuperſtite, Remis vnctus eſt in Regem: non multò pòſt dum Pariſius equitando in platea curreret, offenſus in porcum equo decidit, móxque vitam & Regnum amiſit. Cui frater, patre adhuc ſimiliter viuente, ſuccedens Ludouicus accepit vxorem, nomine Alienorem, Comitis Pictauorum Guillelmi filiam; & per eam Pictauos, omnémque poſſedit Aquitaniam; quâ ob incontinentiam repudiata, duxit alteram de Hiſpania, Conſtantiam nomine, ſed hac de medio facta accepit aliam, filiam Theobaldi Comitis Bleſenſis, de qua in ſenectute ſua natus eſt ei filius, quem vocari Philippum fecit, qui puer cùm quatuordecim eſſet annorum, iuſſu Patris Remis vnctus eſt in Regem. Qui puer eodem anno ſacrationis ſuæ duxit vxorem, filiam Comitis Hainoenſis, conſilio Philippi Comitis Flandrenſis, cuius neptis erat. Qui Philippus cùm vi-

geſimumſecundum ageret annum, genuit ex ea filium, quem vocauit Ludouicum. Qui Ludouicus accepit in vxorem, filiam Regis Hiſpaniarum nomine Blancham. Mortuo ſiquidem Rege Philippo anno quadrageſimo quinto Regni ſui, ſucceſſit ei prædictus Ludouicus filius eius, cùm triginta & ſeptem eſſet annorum. Habebat ſiquidem prædictus Ludouicus ex vxore ſua Blancha, antequam Rex efficeretur, filios, ſcilicet Dagobertum, Ioannem, Ludouicum, Robertum, Anfurdum. Poſtquam autem Rex effectus eſt, genuit ex ea filium nomine Carolum, & filiam nomine.

Obiit ſiquidem prædictus Ludouicus Rex anno Incarnati Verbi milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſexto, ætatis ſuæ quadrageſimo, Regni ſui quarto. Cui ſucceſſit filius eius Ludouicus puer maior natu, cùm tredecim vel quatuordecim eſſet annorum, quia Carolus, qui maior natu erat, iam defunctus erat. Conſecratus ſiquidem fuit & coronatus in ciuitate Remis per manus Iacobi Sueſſionenſis Epiſcopi, quia tunc ſedes Archiepiſcopatus vacabat. Accepit ſiquidem prædictus Ludouicus Rex in vxorem filiam Comitis Prouinciæ, nomine . . . . . . de qua genuit filiam nomine . . . . . . anno decimoquinto Regni ſui. Robertus verò frater eius accepit in vxorem filiam Comitis Brabantiæ, nomine . . . . . . Anfurdus verò filiam Comitis Tholoſani: Ioannes verò & Dagobertus iam defuncti erant.

---

## *DE GENEALOGIA REGVM Francorum.*

ITEM Ludouicus Groſſus Rex genuit Robertum Groſſum Comitem Drocarum: Qui genuit Philippum Epiſcopum Beluacenſem, & Henricum Epiſcopum Aurelianenſem, & Robertum Comitem Drocarum: Qui genuit Henricum Archiepiſcopum Remenſem, Ioannem de Brana, Petrum Malum Clericum, & Robertum Gaſteblé Comitem Drocarum: Qui genuit Ioannem Comitem qui nunc eſt. Item Petrus malus Clericus accepit in vxorem ſororem Arturi Ducis Britanniæ, & per eam factus eſt Dux

Britanniæ, & genuit ex ea Ioannem Ducem Britanniæ qui nunc eſt. Item Ludouicus Groſſus Rex ſupradictus genuit Petrum de Cortenaïo: Qui genuit Petrum, qui poſteà fuit electus in Imperatorem Conſtantinopolitanum, Robertum de Cortenaïo, & Comitiſſam Engoliſmenſem: Quę genuit Reginam Angliæ vxorem Regis Ioannis: Qui genuit ex ea Henricum Regem Angliæ, qui nunc eſt, & Richardum Ducem Cornubiæ, qui nunc eſt, & quandam filiam, quam accepit vxorem Fredericus Imperator Romanorum, & genuit ex ea prolem.

---

# GENEALOGIA

## *Rollonis primi Ducis Normanniæ.*

ROLLO Paganus & crudeliſſimus perſecutor Eccleſię & deſtructor Galliarum & Chriſtianorum, poſteà per miraculum factus Chriſtianus genuit Willelmum Ducem Normanniæ: Qui Richardum primum: Qui Richardum ſecundum: Qui Richardum tertium. Pòſt Robertus: Qui genuit Vvillelmum Baſtardum Ducem Normannię. Iſte Vvillelmus cum magno exercitu & forti tranſiuit in Angliam, & factus eſt Rex Angliæ primus de Ducibus Normannorum, aduerſariis fugatis & interfectis. Qui genuit Robertum Ducem Normanniæ, qui fuit in expeditione Ieroſolymitana cum Godefrido de Buillon, & mortuus fuit ſine hærede. Genuit ſiquidem Vvillelmum Regem Anglorum mortuum ſine hærede. Genuit ſiquidem Henricum Regem Angliæ, & Ducem Normanniæ: Qui Mathildem Imperatricem. Iſta primò fuit vxor Imperatoris; quo mortuo nupſit Gaufrido Comiti Andegauenſi, cuius filius fuit Henricus Rufus Rex Angliæ, & Dux Normanniæ, qui fecit interfici Beatum Thomam Martyrem Archiepiſcopum Cantuarienſem. Iſte Henricus genuit Gaufridum Ducem Britanniæ: Qui Arturum Ducem Britanniæ, mortuum ſine hærede, & quandam filiam Duciſſam Britanniæ, quam accepit in vxorem Petrus Malus Clericus, & genuit ex ea Ioannem Ducem

Britanniæ qui nunc eſt. Item Henricus Rufus Rex Angliæ genuit Henricum iuniorem, mortuum ſine hærede. Item genuit Richardum Regem, mortuum ſine hærede. Item genuit Ioannem Regem Angliæ; qui genuit Henricum Regem Angliæ, cum vix eſſet viginti duorum annorum. Iſte Henricus accepit in vxorem filiam Comitis Prouinciæ. Item Ioannes Rex Angliæ genuit Richardum Ducem Cornubiæ, qui accepit in vxorem tertiam filiam Comitis Prouinciæ. Item Henricus Rufus Rex Angliæ genuit Duciſſam Saxoniæ, matrem Othonis Ducis Saxoniæ, & Imperatoris Romanorum, ſed poſteà fuit depoſitus. Item Henricus Rufus Rex Angliæ genuit Reginam Caſtellæ, quæ genuit Candidam Reginam Franciæ, matrem Ludouici Regis qui nunc eſt.

Item Vvillelmus Baſtardus Rex Angliæ, & Dux Normanniæ genuit Comitiſſam Boloniæ: Quæ genuit Theobaldum Groſſum Comitem Trecarum: Qui genuit Adelam Reginam, vxorem Ludouici Regis Francorum. Qui duo genuerunt Philippum magnanimum Regem Franciæ: Qui Ludouicum: Qui genuit ex Candida Ludouicum Regem Francorum qui nunc eſt. Robertum Comitem Attrebatenſem]: Alphonſum Comitem Pictauenſem: Carolum Andegauenſem, Cœnomanenſem, & Prouinciæ Comitem.

Item Theobaldus Groſſus Comes Trecarum genuit Henricum Comitem Trecarum, & Theobaldum Comitem Trecarum: Qui genuit Theobaldum Comitem Trecarum, qui nunc eſt: Qui genuit filiam, quam accepit in vxorem Ioannes Dux Britanniæ, qui nunc eſt. Item Theobaldus Groſſus Comes Trecenſis genuit Comitiſſam Pertici: Quæ genuit Comitem Pertici, qui occiſus fuit in Anglia. Item Theobaldus Groſſus Comes Trecenſis genuit Theobaldum Comitem Bleſenſem, Vvillelmum Archiepiſcopum Remenſem, & Stephanum Comitem Sacri-Cæſaris: Qui genuit Theobaldum Comitem Bleſenſem. Item Comitiſſa Boloniæ ſupradicta genuit Stephanum Comitem Boloniæ, qui poſteà factus eſt Rex Anglorum: Qui genuit Mathæũ Comitem Boloniæ: Qui genuit vxorem Reginaldi Comitis Boloniæ: Qui duo genuerunt Comitiſſam Boloniæ, quam

accepit in vxorem Philippus, filius Philippi magnanimi Regis Franciæ. Qui duo genuerunt filiam, quam accepit in vxorem Galtherus Comes Niuernenſis, qui nunc eſt.

---

# CHRONICON BREVE

## Eccleſiæ S. Dionyſij ad Cyclos Paſchales.

### *Authore illius Abbatiæ Monacho Benedictino.*

ANNO DCCCCLXXXVI. Obiit Hlotharius filius Ludouici, qui regnauit annis XXXII.

Anno DCCCCLXXXVII. Ludouicus filius Hlotharij. Et ipſo anno V. nonas Iulij, Vgo Rex factus eſt. Et in ſupradicto anno III. Kalend. Ianuarij Rodbertus filius Hugonis Deo iuuante Rex ordinatus eſt.

Anno DCCCCXCIV. Obiit ſanctus Majolus Abbas.

DCCCCXCVII. Obiit Vgo Rex IX. Kal. Nouembris.

MII. Obiit Henricus glorioſiſſimus Dux Burgundiorum.

MV. Obiit Robertus Abbas.

MVII. Obiit Bucardus Comes ſenior.

MVIII. Ordinatio Domni Viuiani Abbatis.

MXV. X. Kal. Maij capta eſt ciuitas Senonis à glorioſiſſimo Rege Rotberto.

MXVI. Obiit Rainoldus Epiſcopus.

MXXIV. Obiit Hugo glorioſiſſimus Francorum Rex Rotberti filius Regis, qui..... puer mirificis bellorum inſignibus, pietatis, & manſuetudinis gemmis laureatus effulſit.

MXXVIII. Henricus Rex ordinatur à Vvidone Archiepiſcopo Remenſi.

MXXXI. Obiit Domnus Robertus piiſſimus Rex Francorum, & Henricus regnat.

MXLIX. Obiit Domnus Vviuianus Abbas.

MLI. Leo Papa venit in Galliam.

MLIX. Philippus Rex ordinatur.

MLX. Obiit Domnus Henricus Rex, Philippus puer regnat.

MLXV. Obiit Willelmus Comes.

MLXVI. Cometa viſus eſt à VI. Kal. Maij per IX. dies, à veſpere vſque ad gallicinium. Ipſo anno Willelmus Dux Normannorum Angliam intrauit, Hairaldum Regem occidit, ſéque regni diademate coronauit.

MLXXXV. Fames magna fuit.

MXCIV. Obiit Domnus Yuo Abbas.

MXCIX. Idus Iulij Hieruſalem à Chriſtianis capta eſt. Eodem anno Vrbanus Papa obiit.

MC. Guillelmus Rex Anglorum & Comes Normannorum obiit.

MCVIII. Obiit Philippus Rex, & Ludouicus ordinatur IV. nonas Auguſti.

MCXVI. Magnus ventus in vigilia Natalis Domini. IV. Cal. Septembris Philippus naſcitur filius Ludouici.

MCXX. Natiuitas Ludouici Regis filij Ludouici.

MCXXII. Obiit Adam Abbas. Ordinatio Sugerij Abbatis.

MCXXVIII. Hoc anno Philippus puer viuente patre Remis coronatus eſt. Reſtitutum eſt Monaſterium Argentolij Eccleſiæ Beati Dionyſij, ſtudio Domni Sugerij Abbatis.

MCXXXI. Boamundus iunior perimitur.

MCXXXII. Obiit Philippus Rex puer. Hoc anno Ludouicus iunior à Papa Innocentio conſecratus eſt Rex.

MCXXXIV. Obiit Henricus Rex Anglorum.

MCXXXVII. Obiit Ludouicus Rex Francorum.

MCXL. Dedicatum eſt nouum opus Eccleſiæ Beati Dionyſij anteriori parte à Domno Hugone Rothomagenſi Archiepiſcopo, XIX. anno adminiſtrationis Domni Sugerij Abbatis, qui idem opus conſtruxit.

MCXLII. Obiit Stephanus Epiſcopus Pariſienſis.

MCXLIII. Dedicatio capitalis partis Eccleſiæ; & Tranſlatio Beati Dionyſij & ſociorum eius in eamdem partem capitalem, aliorúmque ſanctorum, quorum ibidem corpora continentur XXIII. anno adminiſtrationis Domni Sugerij Abbatis.

MCXLVI. Ludouicus iunior Rex Francorum cum innumerabili exercitu Hieroſolymam profectus eſt contra Sara-

cenos, eâ præcipuè causâ quòd ciuitatem Edeſſam occupaſſent. Quo etiam anno ab eodem Rege regni adminiſtratio commiſſa eſt venerabili Abbati ſancti Dionyſij Sugerio, Stampis videlicet in generali Conuentu, quod factum eſt communi omnium electione & vnanimi aſſenſu Pontificum, & Optimatum, Comitis ſcilicet Andegauenſis, Bleſenſis, Flandrenſis, Niuernenſis, & aliorum omnium, qui de propinquis & remotis partibus ibidem conuenerant. Cúmque Abbas omninò reniteretur, & diceret ſe non ſine mandato Summi Pontificis hanc curam ſuscepturum, contigit eodem anno vt Domnus Papa Eugenius in Gallias veniret. ui in Paſcha Domini apud ſanctum Dionyſium magnificè ſuſceptus & coronatus: memoratum Abbatem, vt eandem adminiſtrationem ſuſciperet, ſub obedientiæ pręcepto coëgit.

Imperator quoque Alemanniæ ipſo anno exhortatione Abbatis Clareuallenſis Bernardi, cum ſuo nihilominus exercitu eamdem peregrinationem ſuſcepit, vnde Rex Francorum Ludouicus poſt innumeras ſuorum mortes & pericula cum quibuſdam Optimatum ſuorum, videlicet Flandrenſis, Bleſenſis, & Niuernenſis, incolumis reuerſus, cùm à multis, & præcipuè à Summo Pontifice Eugenio de conſtantia & fidelitate prædicti Abbatis ſancti Dionyſij ſatis certioratus fuiſſet, regno ſuo in ſumma pace recuperato, eumdem venerabilem Abbatem & eius Eccleſiam pro meritis ſpectatæ fidei in ſummo ſemper honore & amicitia habuit. Quippe qui ne regni aduerſarij fratri Regis Roberto iungerentur, ei ante alios de Hieroſolymis regreſſo, & regni pacem turbare nitenti, in faciem liberè reſtitit, donec ſibi commiſſa pacificè & fideliter conſeruata, reuertenti poſteà Regi cum integritate reſtituit.

MCLI. Sugerius Abbas obiit. Ordinatio Domni Odonis Abbatis.

MCLII. IX. Cal. Aprilis obiit Radulſus Comes.

MCLIII. Hoc anno Ludouicus Rex duxit vxorem ex Hiſpania Regis filiam.

MCLIX. obiit Regina Conſtantia ex Hiſpania. Eodem anno Ludouicus Rex duxit filiam Comitis Bleſenſis.

MCLXV. Filius Ludouici Regis iunioris Philippus natus eſt.

MCLXVII. Hoc anno Vvillelmus medicus attulit libros Græcos à Conſtantinopoli.

MCLXVIII. Hoc anno allata ſunt tria corpora Virginum de Colonia in Eccleſiam B. Dionyſij à Magiſtro Rainaldo.

MCLXIX. Domnus Yuo Abbas electus eſt.

MCLXXII. Obiit Yuo Abbas, & eodem anno Vvillelmus.

MCLXXIII. Guerra inter Reges Francorum & Anglorum.

MCLXXIX. Conceſſus eſt vſus Mitræ, & annuli, & ſacerdotalium Guillelmo Abbati ſancti Dionyſij, & ſucceſſoribus eius; & prima ſedes in dextro latere ante omnes Archimandritas, & prima vox in ſententiis. Eodem anno conſecratus eſt Rex Philippus puer, filius Ludouici Regis Cal. Nouembris à Guillelmo Remenſi Archiepiſcopo, & à Guillelmo Abbate ſancti Dionyſij, qui poſt conſecrationem eius ſuſcepit ab eo coronam, & camiſiam, & cætera regalia indumenta . . . . . ſecum, tunicam . . . . . calcaria & ſceptrum.

Obiit Ludouicus Rex pater Philippi Regis.

MCLXXX. Hoc anno conſecrata eſt Regina, filia Comitis Anoenſis in Eccleſia Beati Dionyſij.

MCLXXXI. Hoc anno orta eſt guerra inter Philippum Regem, & omnes amicos ſuos, & Comitem Flandrenſem.

MCLXXXIV. Hoc anno vineæ gelu vſtæ ſunt VI. Idus Iunij, & meſſes.

MCLXXXV. Hoc anno fuit peſtilentia hominum, & ſiccitas aëris.

MCLXXXVI. Hoc anno V. feria infra octauas Pentecoſtes multa loca & diuerſa regni fulmen colliſit; & pax facta eſt inter Regem & Comitem Flandrenſem.

MCLXXXVII. Hoc anno ordinatus eſt in Abbatem ſancti Dionyſij Domnus Hugo de ſancto Dionyſio.

Natiuitas Ludouici filij Philippi Regis.

MCXC. Hoc anno Philippus Rex Francorum Hieroſolymam profectus eſt.

MCXCVII. Obiit Hugo Foucaut Abbas : cui ſuccedit Hugo Mediolanenſis.

MCCV. Obiit Hugo Mediolanenſis B. Dionyſij Abbas: cui ſucceſſit Henricus Abbas.

MCCIX. Fuerunt hæretici Sacerdotes, & Clerici, & laïci condemnati, ab ordinibus degradati, & igne concremati apud Pariſius, in loco qui dicitur Champiaus, tempore Philippi inclyti Regis, &* ...... bonæ memoriæ Epiſcopi Pariſienſis.

* Petri.

MCCXIV. Hoc anno actum eſt bellum in Flandria, in quo captus eſt à Philippo Rege Ferrandus Comes Flandriæ, & Comes Boloniæ, & multi alij.

MCCXV. Hoc anno natus eſt Ludouicus Rex filij Ludouici Regis, in feſto ſancti Marci Euangeliſtæ.

MCCXVI. Hoc anno natus eſt Robertus filius Ludouici Regis in exitu Septembris.

MCCXIX. Hoc anno natus eſt Ioannes filius Ludouici R-gis in exitu Septembris.

MCCXX. Hoc anno natus eſt Alfonſus filius Ludouici Regis, in feſto ſancti Martini hiemalis.

MCCXXI. Hoc anno obiit Henricus B. Dionyſij Abbas, qui multa bona fecit Eccleſiæ B. Dionyſij; & venerabilis Petrus ſucceſſor eius electus eſt. Hoc anno natus eſt Philippus filius Ludouici Regis Dominicâ primâ Quadrageſimæ.

MCCXXIII. Pridie Idus Iulij Medontæ obiit Illuſtriſſimus Rex Francorum Philippus; Idus verò Iulij cum honore debito ſepultus eſt in famoſiſſimo Macharij Areopagitæ Dionyſij Monaſterio, præſentibus duobus eiuſdem filiis Ludouico & Philippo, præſente etiam Rege Hieroſolymorum Ioanne, Legato Apoſtolicæ Sedis, Portuenſe Epiſcopo, duobus Archiepiſcopis, 24. Epiſcopis, duobus mitratis Abbatibus, aliiſque perſonis tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis, quarum numerus ſoli Deo cognitus eſt. Hoc nimirum diuina diſponente prouidentia, vt quia idem Philippus cultor fideliſſimus fidei Catholicæ, pius amator & deffenſor egregius ſanctæ Matris Eccleſiæ in vita ſua extitit, ipſa vice muneris in præſenti glorioſas eidem in ſuis paſtori-

bus & filiis in obitu exequias exhiberet.

Tempore ſuo Philippus Rex ſupradictus hos Comitatus acquiſiuit: Comitatum Virmandenſem, Pictauenſem, Andegauenſem, Turonenſem, Cenomanenſem, Alenconenſem, Cleromontenſem, Bellemetenſem, Pontiuinenſem. Philippo ſucceſſit in regnum Ludouicus filius eius, VIII. Idus Auguſti Rhemis ſolemniter conſecratus. Regina Blanca coniuge ſua eodem die cum ipſo pariter coronata.

MCCXXIV. Hoc anno ſuſpenſus eſt in Flandria quidam, qui ſe dicebat Comitem Flandriæ Balduinum Conſtantinopoltanum, qui multos ſeduxerat vt ſibi conſentirent.

Hoc anno nata eſt Iſabel filia Ludouici Regis in Martio.

MCCXXVI. Ludouicus Rex Philippi Regis filius cùm reuerteretur à ſubuerſione Auennienſium mortuus eſt in Aluernia, apud caſtrum Montpencer, cui ſucceſſit in regno Ludouicus filius eius, qui fuit Rhemis coronatus à Venerabili Patre Iacobo Epiſcopo Sueſſionenſi. Hoc anno natus eſt Carolus filius Ludouici Regis in exitu Martij.

MCCXXVIII. Conceſſus eſt Eccleſiæ B. Dionyſij vſus tunicæ & dalmaticæ & benedictionis ſuper populum à Domino Papa Gregorio, viuente Petro Abbate.

Hoc anno obiit Petrus de Autolio Abbas S. Dionyſij, in feſto SS. Vedaſti & Amandi: & electus fuit Odo Clemens in Abbatem eiuſdem Eccleſiæ, in feſto S. Scolaſticæ facta fuit electio; & in ipſa die idem Odo recepit à Rege Ludouico regalia: à Domino Romano Cardinali & Apoſtolicæ ſedis Legato confirmatus fuit, & in craſtino ab Epiſcopo Carnotenſi benedictus.

MCCXXXI. Hoc anno cœpit Odo Abbas renouare Capitulum Eccleſiæ Beati Dionyſij Areopagitæ, & perfecit illud vſque ad finem chori, hoc excepto, quòd turris vbi ſunt cymbala à parte reueſtiarij non erat perfecta, nec voltatus erat chorus, ſed à parte ſancti Hippolyti totum erat perfectum, & etiam voltatum erat à parte veſtiarij.

MCCXXXIII. Hoc anno Obiit Philippus filius Philippi Regis Francorum, Comes Boloniæ, Cleromontis, Albemarlæ, Domni Martini, de Moretel, Domno frontis en Paſſois, & ſepultus eſt in Eccleſia B. Dionyſij ad ſiniſtram.

partem altaris matutinalis, anno vitæ ſuæ XXXIII. Hoc anno Obiit Ferrandus Comes Flandriæ.

MCCXXXIV. Hoc anno Margarita filia Comitis Prouinciæ inuncta eſt in Reginam Franciæ apud Senonas ab Archiepiſcopo Senonenſi; cui inunctioni & diſpenſationi interfuit Odo Clementis Abbas S. Dionyſij cum Epiſcopalibus ornamentis.

MCCXXXVI. Hoc anno in Purificatione Beatæ MARIÆ tranſlatum fuit cum magna ſolemnitate corpus ſancti Hippolyti ab oratorio, quod diu fuerat, in medio nauis Eccleſiæ, in nouum oratorium in ſiniſtra parte noui operis, & tunc fuit maxima inundatio aquarum.

MCCXXXVII. Hoc anno fuit maxima mortalitas fratrum Monachorum in Eccleſia Beati Dionyſij fere vſque ad XLIV.

MCCXXXVIII. Hoc anno profecti ſunt Hieroſolymam Rex Nauarrę, qui & Comes Campaniæ, & Comes Montisfortis, & tota ferè nobilitas Baronum, tam Militum, quàm populorum. Et eodem anno Alfonſus de Hiſpania duxit in vxorem Comitiſſam Boloniæ.

MCCXXXIX. Hoc anno regnante Ludouico Rege, filio Ludouici Regis, fuit Conuentus Eccleſiæ B. Dionyſij apud Vicenas feria V. poſt Aſſumptionem B. MARIÆ virginis, quæ tunc erat V. Cal. Septembris; & illuceſcente aurora induerunt ſe albis & pretioſiſſimis cappis, vt honeſtiùs cæteris proceſſionibus, cùm Corona Dominica, de Conſtantinopoli ad Regem per certiſſimos nuncios aſportata, vſque ad Eccleſiam B. MARIÆ Virginis Pariſius deueniret, vbi Domnus Odo Clementis, tum temporis Eccleſiæ B. Dionyſij Abbas, cum cæteris Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ornatus epiſcopalibus indumentis, mitram habens in capite, annulum in digito, & manu baculum paſtoralem, ad dextram altaris B. Virginis aſtitit. Proceſſio verò noſtra à cæteris ſeparata in media naui Eccleſiæ B. Virginis remanſit: Guillelmus verò Cantor tunc temporis Eccleſię B. Dionyſij à Vicenis vſque ad dictam Eccleſiam B. Virginis omnes cantus tanquam inter cæteros Cantores ſpecialis Pręcentor mirabiliter inchoauit, maximè in naui Eccleſiæ B. Virginis,

*Aue Regina cælorum*, intonans ita altè quòd omnes ſtupefacti ſunt audientes. Inde vſque ad Regis palatium coronam Dominicam cum diuinis Reſponſoriis deducentes, in capella Domini Regis cereos, quos in manibus portabant in honore dictæ coronæ, ſimiliter obtulerunt, & capella, & etiam dicta ſacroſancta corona, cum toto palatio palliis & ornamentis pretioſiſſimis de domo noſtra ad hoc Pariſius delatis, cunctis aliis ornamentis vilipenſis, decentiſſimè fuerunt ornata.

MCCXL. Hoc anno nata eſt Blanca primogenita Ludouici Regis in Tranſlatione ſancti Benedicti.

MCCXLI. Hoc anno nata eſt Yſabellis filia Ludouici Regis die Martis. Eodem anno fuit ſiccitas magna à Dominica poſt natale Domini vſque ad Exaltationem ſanctæ Crucis menſe Septembri. Eodem die cœperunt pluuiæ: & eodem anno fuerunt omnia vina tam fortia, quòd non poterant bibi commodè ſine aqua, & multi in anno illo patiebantur malum maximum in oculis eorum.

MCCXLIII. Hoc anno natus eſt Ludouicus primogenitus Ludouici Regis in feſto S. Matthæi Apoſtoli.

MCCXLIV. Hoc anno cœpit Rex Francorum Ludouicus die Sabbathi ante feſtum S. Luciæ valida febre, & vehementi fluxu ventris, apud Pontiſaram grauiter infirmari. Et eo anno paucis diebus reuolutis deuenit Lugdunum Innocentius Papa IV.

MCCXLV. Hoc anno fuit natus Philippus filius Ludouici Regis in feſto Apoſtolorum Philippi & Iacobi.

MCCXLVI. Odo Abbas B. Dionyſij fuit Archiepiſcopus Rotomagenſis: & Guillelmus factus fuit Abbas.

Hoc anno dixit Rex quòd Ioannes haberet comitatum Hanoniæ poſt mortem matris: & Guillelmus Comitatum Flandriæ.

MCCXLVII. Hoc anno in feſto B. Dionyſii comedit Ludouicus Rex, & Robertus, Alfonſus, Carolus fratres eius, in refectorio noſtro, & Comes ſancti Egidij, & multi alij Barones.

MCCXLVIII. Hoc anno feria VI. Pentecoſtes Ludouicus Rex accepit vexillum, & peram, & baculum in Eccleſia B.

Dionyſij, & fratres eius, ab Odone Cardinale; & poſt accepit licentiam in Capitulo noſtro, & Robertus, & Carolus fratres eius, cum magna humilitate: Dominicâ pòſt Margarita vxor eius ſimiliter fecit.

MCCLIII. Hoc anno Domnus Guillelmus Abbas ſancti Dionyſij vigiliâ Annunciationis miſit duos ſolemnes nuntios ad Ludouicum Regem Franciæ vltra mare, videlicet Thomam Cantorem, & Nicolaum tertium Priorem eiuſdem Eccleſiæ, qui in Natali Domini pòſt, & eorum familia integra cum proſperitate & gaudio per Dei gratiam ad propria remearunt: & in Dedicatione ſequenti mortuus fuit Guillelmus de Macouris Abbas iſtius Eccleſiæ, & ſucceſſit ei Henricus dictus Malet.

MCCLVIII. Mathęus Vindocinenſis conſecratus eſt Abbas B. Dionyſij.

MCCLIX. Tranſlati ſunt Sugerius, Henricus, Petrus, Adam, Yuo, Hugo Abbates.

MCCLXIII. Hoc anno tranſlati ſunt die ſancti Gregorij Reges Odo, Hugo Capet, Robertus, Conſtantia eius vxor, Henricus, Ludouicus Groſſus, Philippus filius Ludouici Groſſi, Conſtantia Regina quæ venit de Hiſpania.

MCCLXIV. Tranſlati ſunt Reges in dextro Choro, ſcilicet Ludouicus Rex filius Dagoberti, Carolus Martellus Rex, Berta Regina vxor Pipini, Pipinus Rex, Hyrmintrudis Regina vxor Caroli Calui, Kallomagnus Rex filius Pipini, Kallomagnus Rex filius Ludouici Balbi, Ludouicus Rex filius Ludouici Balbi.

MCCLXVII. In die Pentecoſtes fuit Philippus filius Ludouici Regis Miles nouus Pariſius.

MCCLXX. Chriſtianiſſimus Rex Ludouicus obdormiuit in Domino in die Lunæ poſt octauas Aſſumptionis, circa horam nonam. Eodem anno in Quadrageſima natus eſt Carolus filius Philippi Regis de prima vxore.

MCCLXXI. Coronatus eſt Philippus filius eiuſdem Ludouici.

MCCLXXVI. Hoc anno menſe Maio natus eſt Ludouicus filius Philippi Regis de vxore ſecunda.

MCCLXXX. Prior S. Dionyſij factus eſt Abbas S, Launomari

mari Bleſenſis. Eodem anno ſic creuit fluuius Sequanæ, quòd aqua poſſet accipi cum manibus deſuper magnum pontem, de quo maiores duæ arcæ totaliter corruerunt. Eodem anno & tempore fecit Conuentus proceſſionem ad fluuium Sequanæ cum clauo & corona Domini,&brachium ſancti Simeonis deportauerunt.

MCCLXXXI. Conſummatum eſt nouum opus Eccleſiæ B. Dionyſij à Domno Matthæo Abbate.

MCCLXXXII. Condemnatus eſt Petrus Rex Aragonum.

MCCLXXXIII. Ioannes de Pontiſara Prior Argentolij factus eſt Abbas de Ferrariis.

MCCLXXXIV. Hoc anno venit quidam in Alemanniam, qui dicebat ſe Fredericum eſſe, & multos deceptionibus ſuis ac magicis artibus, de quibus peritus erat, decepit; ita vt multum comitatum, vt dicebatur, haberet, & multi credebant illum eſſe eumdem Fredericum, qui quondam Imperator fuerat. Tandem cognita malitia ſua tanquam maleficus, & execrandis artibus operator, in eiſdem partibus concrematus eſt.

Hoc anno VI Cal. Februarij tranſlata ſunt corpora Domini Ioannis quondam Comitis Niuernenſis, & Duciſſę de Brabant, de priori loco, & poſita ad pedes Ludouici Regis patris ſui.

Eodem anno Carolus Rex Siciliæ in Capitulo B. Dionyſij, præſente Conuentu, eius orationes impetrando, flexis genibus ſacra Euangelia oſculando, & eos Deo commendando, humiliter receſſit ab eis.

Philippus filius Philippi Regis factus eſt Miles in feſto Aſſumptionis B. Virginis; & duxit vxorem filiam Regis Nauarræ, & factus eſt cum eo Miles frater eius Dominus Carolus, & filius Comitis Atrebatenſis, & multi alij. Cui domino Carolo conceſſum eſt regnum Aragonum à Sede Apoſtolica.

Eodem anno profectus eſt ſuper regnum Aragonum Philippus Rex Franciæ cum exercitu ſuo. Accepit autem peram & baculum in Eccleſia Beati Dionyſij Dominica die in

medio Quadrageſimæ, quæ fuit IV. Nonas Martij: & ab illa die cœpit iter.

Eodem anno menſe Martio obiit famoſiſſimus Carolus Rex Siciliç. Eodem anno III. die Octauæ B. Vrginis Aſſumptionis, Ioannes Cholet Apoſtolicç Sedis Legatus apud Pariſius congregauit Concilium, & aduenit ibi maxima multitudo Prælatorum.

MCCLXXXV. Hoc anno obiit Philippus Rex Franciæ, filius Ludouici Regis, III. nonas Octobris apud Caſtrum quod dicitur Parpegnien: ſepultus eſt autem in Eccleſia B. Dionyſij III. nonas Decembris à venerabili viro Ioanne Cholet, tunc temporis Sedis Apoſtolicæ Legato.

Eodem anno coronatus eſt Philippus Rex, filius eiuſdem Philippi Regis, cum vxore ſua, in die Epiphaniæ.

MCCLXXXVIII. Obiit venerabilis Abbas Mathæus Vindocinenſis apud Belnam. Eodem anno Reginaldus Gifardi electus eſt in Abbatem in Capitulo B. Dionyſij à toto Conuentu.

MCCLXXXIX. Hoc anno circa feſtum Reſurrectionis Dominicæ Pariſius magnum argumentum fidei noſtræ nobis oſtenſum eſt. Quidam Iudei hoſtiam ſacram à quodam peſſimo habuerunt, quam in aquam calidam poſitam cum cultello percuſſerunt: de qua virtute diuina ſanguis copioſe effluit in tantum, quòd tota aqua rubefacta eſt. Qui capti veritatem confeſſi ſunt, quorum quidam confuſi ſunt, alij baptizati ſunt.

MCCXC. Hoc anno miſſi fuerunt à Curia Romana duo Legati in Franciam, quorum nomina, Domnus Girardus, & Domnus Benedictus, qui conuocatis omnibus Prælatis eiuſdem regni tenuerunt Concilium in Eccleſia B. Genouefæ Pariſius.

Eodem anno frater Ioannes de Auteul, Magnus prior Eccleſiæ B. Dionyſij, factus eſt Abbas B. Audoeni Rothomagenſis à Domino Papa.

MCCXCI. Iſto anno capta eſt ciuitas Achonenſis à Soldano. Propter quod facta eſt prædicatio generalis de Cruce.

MCCXCII. Iſto anno motum fuit bellum inter Regem Franciæ & Comitem de Henaut.

# FRAGMENTVM

## *Ex Chronico MS. Eccleſiæ Rotomagenſis* *.

MCCXXVII. HOc anno cùm Dominus THEOBALDVS Rotomagenſis Archiepiſcopus voluiſſet adducere marrenum apud Rotomagum quod fecerat fieri in foreſta ſua de Louiers, Balliuus de Valle-Rodoli * marrenum illud arreſtauit, cuius rei facta denuntiatione Epiſcopo loci, Epiſcopus illum excommunicauit. Ex hac occaſione, ſeu excommunicatione Dominus Rex Franciæ traxit eumdem Archiepiſcopum in cauſam coram ſe, dicens quòd iniuriatus erat ei, eò quod fecerat Balliuum ſuum excommunicari eo inrequiſito. Item conquerebatur de eo de hoc quòd idem Archiepiſcopus ceperat foagium de Villeta, quæ eſt in Parrochia de Louiers, cùm illud foagium ad ſe pertineret ratione feodi, quod de ipſo tenebatur, & miles qui iſtud tenebat ipſum aduocabat Dominum. Item dicebat Dominus Rex quòd Archiepiſcopus non debebat facere marrenum in foreſta de Louiers ad vſus aliorum marrenorum non tantum ad vſus marenni de Louiers. Item cõquerebatur Dominus Rex de dicto Archiepiſcopo, eo quòd excõmunicauerat Decanum, & quoſdam Canonicos de Gornaco, qui ſunt ſub protectione eius, & de patronatu ipſius. Citari fecit Rex eundem Archiepiſcopum, quòd reſponderet, quare non veniebat ad Scacarium reſponſurus, & iuri pariturus, de his quæ ei obijcerentur, ſicut alij Epiſcopi, & Barones faciebant in Nortmania. Propter iſtam cauſam fuit Archiepiſcopus citatus coram Rege apud Vernonem, & comparuit: & dixit quòd non tenebatur reſpondere in Curia ipſius de iſtis cauſis, tum quòd quædam earum erant ſpirituales, tum quòd feodale nihil tenebat de eo per quod teneretur reſpondere in Curia ſua. De qua reſponſione

** Ad illuſtrandas epiſtolas 62 63. 64. Miſcellan. pag. 521. & ſeqq*

vulgò * *du Vaudreuil.*

Lis Regem inter & Archiep.

Rex & Regina valde irati fuerunt, & receſſit Archiepiſcopus illis non pacatis.

Vnde Rex conuocauit plures Barones ſuos & conſuluit eos quid eſſet agendum ſuper tali reſponſione Rotomagenſis Archiepiſcopi: Item citatus fuit Archiepiſcopus, & præſentibus Baronibus quæſitum fuit ab eo, ſi de aliqua re reſponderet in Curia Domini Regis, & reſponſum fuit quòd nihil audierat de quo teneretur reſpondere, quia nihil tenebat niſi puram Eccleſiam vnde dominium ſuum tenebat. Vnde iratus Rex per conſilium Baronum ſuorum confiſcauit omnes Archiepiſcopi poſſeſſiones ſeculares. Vnde Archiepiſcopus habito tractatu cum Epiſcopis ſuis, omnia dominia & caſtella, quæ Rex habebat in Archiepiſcopatu ſuo, interdicto concluſit, exceptis tantummodò ciuitatibus, & inde exulauit ad Curiam Romanam profecturus, & infirmitate detentus Remis, & miſit ad Curiam Romanam. Impetrato autem à Curia Romana quòd Legatus nomine Romanus, qui tunc veniebat ad partes Gallicanas, cauſam audiret, Archiepiſcopo priùs reſtituto: & per rigorem iuſtitiæ per Legatum Archiepiſcopus plenariam habuit reſtitutionem mobilium & immobilium, cum fructibus inde perceptis; & reportato in ciuitate Rothomagenſi marreno per Caſtellanum de Valle-Rodoli, quod ipſe arreſtauerat, & Archiepiſcopo reddito, ita remanſit Archiepiſcopus de omnibs iſtis querelis in pace ad laudem Domini noſtri IESV Chriſti.

*Interdicto ferit Regis caſtella.*

*Bona Archiepiſcopo reſtituuntur*

MCCXXXI. In menſe Maio conſtitutus in Curia Romana Decanus Rothomagenſis THOMAS de Freauilla in præſentia Fratrum renuntiauit electioni de ſe factæ in manu Domini Papæ; ad cuius reſignationem Dominus Papa dedit Eccleſiæ Rothomagenſi Dominum Mauritium Epiſcopum Cenomanenſem in Archiepiſcopum & Paſtorem; qui receptus fuit in eadem Eccleſia die Dominica ante feſtum B. MARIÆ Magdalenæ.

*Mauritius fit Archiep. Rotomag.*

MCCXXXII. poſt deceſſum Æliciæ Abbatiſſæ Monaſterii Villarenſis celebrata fuit electio in eodem Monaſterio, & fuerunt duæ electæ, & repræſentata fuit electio Mauritio

*Electionē Abbatiſſæ infringit.*

Archiepiſcopo, qui electionem examinauit provt debuit; & comperto quòd non fuit forma ſeruata Concilii in eligendo, electionem de vtraque factam caſſauit, & Capitulum iure eligendi ea vice priuauit, aſſignauítque eidem Capitulo Abbatiſſam Leciam de Bonſemoncel; ſed ipſa non obtinuit Abbatiam propter contradictionem Regis, & ipſe Archiepiſcopus excommunicauit omnes Moniales adhærentes Regi in hoc facto, & contradicentes prædictę Abbatiſſæ.

MCCXXXIII. In menſe Iulij ſaiſiuit Dominus Rex Ludonicus iunior Regalia Domini Rotomagenſis Archiepiſcopi, propter cauſas quæ expreſſæ ſunt ſuperiùs in tempore Theobaldi Archiepiſcopi, & propter quaſdam alias cauſas; propter quas Dominus Archiepiſcopus Rotomagenſis Mauritus ſuppoſuit totam Diœceſim Rotomagenſem interdicto: & incœpit interdictum à vigilia S. Michaëlis, & durauit vſque ad feſtum ſanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani anno reuoluto, quia tunc ei reddita fuerunt bona ſua, cum omnibus quæ recepta inde fuerant tempore intermedio. Mauritius Diœceſim Rotomag. interdicto ſupponit.

Hoc anno Magiſter Stephanus de Caſtro Auni factus eſt Decanus Rotomagenſis per Mauritium Archiepiſcopum, quia compromiſit Capitulum in ipſum.

MCCXXXIV. Hoc anno in octaua Epiphaniæ Domini obiit Mauritius Rotomagenſis Archiepiſcopus apud Salicoſam: & delatum fuit corpus eius, & ſepultum eſt in Eccleſia Rotomagenſi. Obiit Mauritius.

*Addenda pag. 372. & 375.*

## Epiſtola HINCMARI Remenſis Epiſcopi ad CAROLVM Regem.

*Domno* KAROLO *Regi glorioſo Hincmarus nomine non merito Remorum Epiſcopus ac plebis Dei famulus.*

Carolum Caluum admonet vt Eccleſiæ immunitates illibatas conſeruet.

ECCE Domine, ſicut hic dilectus frater & venerabilis Coëpiſcopus noſter ODO, ac Miſſi veſtri verbis pleniùs poſſunt dicere, & exiguitas mea his litterulis Dominationi veſtræ duxit ratum ſignificare. HINCMARO Epiſcopo rebus, & facultatibus Eccleſiaſticis, quibus ſpoliatus fuerat, reueſtito in prouincia, & competenti loco, ab electis, ex vtriuſque partis conſenſu, Iudicibus, ſecundùm leges Eccleſiaſticas, ſine poteſtatis veſtræ aliquo detrimento, & cum honoris veſtri augmento, dicente Dei Spiritu per Pſalmiſtam: *Honor Regis iudicium diligit.* Quæſtio contra eumdem HINCMARVM commota, regulariter audita, & ventilata, ac diffinita, quantum ad miniſterium Epiſcopale pertinuit, licet iſdem Epiſcopus ex integro non fuerit reueſtitus. Contumacium autem cauſa alterum finem expectat. Non igitur quod in adoleſcentia veſtra quando animus hominis lubricus, & qui ad indebita vſurpanda ſolet eſſe procliuus, Domino vos cuſtodiente, non accidit, in perfecta ætate vobis ſcripſi: minimè autem perſuaderi leges Eccleſiaſticas vel in modico infringi, ſiue conuelli à quocumque ſuſtineatur. Scientes ſicut Conſtantius & Conſtans Imperatores in Edicto ſuæ Legis, quo immunitatem Eccleſiæ, ac ſuis miniſtris, debere magis Religionibus, quàm Officiis, & labore corporis, vel ſudore rempublicam contineri, ſicut ſæpe ſoletis recolere à B. Gregorio Brunichildi Reginæ Francorum ſcriptum eſſe: [Facite quod Dei eſt, & Deus faciet quod veſtrum eſt.] Huic præmit-

*Lib. 9. Epiſt. 57.*

tens ſententiæ: [ Confidimus, inquit, quòd tantò propitiùs cauſas veſtras ſua pietate diſponet, quanto ipſe de ſua vos eſſe videt cauſa ſollicitos.] Olim enim ſicut Honorius, & Theodoſius in lege data Eccleſiæ ſcribunt ( vt eorum verbis vtamur) Clericos indiſcretim ad ſeculares Iudices debere deduci, infauſtus præſumptor edixerat, quos abdicatâ Tyranni præſumptione Epiſcopali audientiæ reſeruamus: fas enim non eſt, vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. Quæ lex poſteà à deceſſoribus & prædeceſſoribus veſtris Regibus, Eccleſiæ & Miniſtris ſuis conſeruata fuit ( niſi fortè aut per exceſſum Principum, aut per negligentiam Epiſcoporum ad tempus aliquo modo extitit violata) qua aut correctione, aut innouata conſtitutione indigens, per eos ad ſtatum ſolidatum eſt reducta, vel in ſtatu ſolido confirmata, ſicut in Aui & Patris veſtri Capitulis, in libro primo Capitulorum habetis, quæ in quaternionibus vobis nuper apud Piſtas oblatis, & pro ea cauſa Compendii in rotula Dominationi veſtræ à me collecta, & vobis data, ſine difficultate poteſtis relegere.

Poteſt enim fieri vt alicui Principi ante vos hinc ſubreptum ad modicum fuerit, & iterum æterna lege correctum, ſicut Iulianus, & poſteà Imperator Mauricius decreuerunt, vt ei qui ſemel in terrena militia ſignatus fuerit, niſi aut expletâ militiâ, aut pro debilitate corporis repulſus ſui in Monaſterium recipi, & Chriſto eum militare non liceat. Quod religioſi Imperatores, & ſanctus Gregorius auctoritate Apoſtolica, & generali Epiſcoporum conſenſu Eccleſiaſtico vigore, ac Reipublicæ Chriſtianæ cohibente religione deſtruxerunt, velut in eius epiſtolis ad ipſum Mauricium Imperatorem, & ad plurimos Archiepiſcopos directis, oſtenditur. Quod & diuæ memoriæ Auo veſtro Carolo ſubripuit, ſicut maiorum traditione & verbis, & ſcriptis didicimus; & in primo libro Capitulorum Cap. CXII. [a] demonſtratur, de liberis hominibus ad ſeruitium Dei ſine ſua licentia non conuertendis; quod Eccleſia & Reſpublica non conſenſit, quódque poſteà correxit, ſicut in eodem libro Cap. CXXXIV. [b] monſtratur, de rebus nihilominus Eccleſiaſticis diuiden-

a *In edit.* 120.

b *Ibid.* 143.

dis, eidem Auo veſtro incongruentia quædam ſubripuit, quæ* oris profeſſione, & edicti ſubſcriptione correxit, ſicut
Cap. 85. in præfato primo libro Capitulorum cap. LXXIV. euidenter oſtenditur. Vnde præiudicium ad tempus extortum, vel vſurpatum, pro legis iudicio nemo ſanus ſapiens tenuit, retinet, vel tenebit.

Cæterùm in ſecundo libro Capitulorum cap. XIII. continetur: [ vt ſi talis cauſa in qualibet prouincia, aut in aliquo Comitatu orta fuerit, quæ aut ad dehonorationem Regni, aut ad commune damnum pertineat, quæ etiam ſine noſtra poteſtate corrigi non poſſit, non diu latere permittatis, qui
al. * Quia quicquid. omnia, Deo auxiliante, corrigere debemus. * Quicquid hactenus in his quæ ad pacem & iuſtitiam totius populi pertinent, & ad honorem Regni, ac communem vtilitatem, aut à nobis, aut à vobis neglectum eſt, debemus, Deo auxiliante, certare, qualiter ab huius noſtro & veſtro ſtudio
* Cap. 27. emendatum fiat. ] In quarto etiam libro cap. XXIV. * ſcriptum eſt: [ ſi quis aliqua neceſſitate cogente homicidium commiſit, Comes, in cuius miniſterio perpetratum eſt, & compoſitionem ſoluere, & faidam per ſacramentum pacificare faciat. Quòd ſi vna pars ei ad hoc conſentire noluerit, id eſt, aut ille, qui homicidium commiſit, aut qui compoſitionem ſuſcipere debet, faciat illum Comes, qui ei contumax fuerit, ad præſentiam noſtram venire, vt eum ad tempus quod nobis placuerit in exilium mittamus, donec ibi caſtigetur, vt Comiti ſuo inobediens eſſe vlteriùs non audeat, & maius damnum inde non adcreſcat. ] Cur autem iſta vobis bene ſcientibus ſcribo, quia vobis tacere non audeo, patenter contendo. Iam plus quàm quatuor annis, ex quo Luido in Parœcia noſtra inuitus homicidium perpetrauit, vnde LOTHARIVS nepos veſter in Regno ſuo ſine reſpectu alicuius perſonæ Regium miniſterium adimpleuit. Nunc autem ad Piſtas, & inde ad Baſium eumdem Luidonem, vt cum hominibus Dominationis veſtræ pacificatus eſſe poſſet (ſicut vobis, & nepoti veſtro conueniſſe audiui) ducere ſtudui, & ſecundùm commendationem veſtram per Legale iudicium cauſa perrexit vſque ad id loci, vt ne

faidam

ſaidam homines veſtri iurarent, vias inde ad veſtram commendationem petierint, cùm iudicatum fuerit vt * eiſdem Leudem renuntiaret, & homines veſtri faidam iurarent. Et ſi alia eidem Luidoni quærere vellent, in mallo illius de quibuſcunque vellent eum interpellarent, & ipſe iuſtitiam redderet, quod & ipſe Luido humiliter obtulit. Poſteà autem qualiter inde actum fuerit, vos non latet: ſcio tamen quia ſicut Capitula dicunt, inde actum non fuit, nec tantùm inde in Palatio veſtro fuit executum, quantùm Capitulum iubet, vt quilibet Comes in ſuo Comitatu inde facere per auctoritatem debet; vnde vos inquietare tunc propter Aquitanorum præſentiam nolui.

f. * eidem Leuden reuadiarent.

Nunc autem quia ipſi veſtri homines & proprietatem & beneficium in veſtro Regno, & in mea Parœcia habent, ſed & Boſo in noſtra Diœceſi beneficium vnum habet, conſideret inde ſapientia veſtra qualiter ſecundum miniſterium vobis à Deo commiſſum, & ſecundum honorem veſtrum, inde fiat, ne hæc cauſa diutiùs ex veſtra parte imperfecta remaneat: & ſi maius damnum inde fuerit, periculum anima veſtra, quod auertat Dominus, contrahat. Vtrum autem vobis placeat, vt ipſi homines veſtri cum Miſſo veſtro in noſtram Parœciam, vbi proprietatem & beneficium habent, & ipſa cauſa corrigi debet, veniant; aut ſi non venerint, quod in veſtro Regno habent, in bannum mittatur, aut aliter inde fiat, veſtræ ſapientiæ intererit. Ego autem quoniam ampliùs hāc cauſam differre non audeo, ſi iterum aliud quod rationi & authoritati conueniat, à vobis, aut ab illis inde non accepero, in die ſancti Remigij, vita comite, Deo adiuuante, vbi locus ſermonis mei inter ſacra Miſſarum ſolemnia venerit, ante corpus illius ſacratiſſimum, qui verè eſt Epiſcopus, authoritate Dei, & ſanctorum Apoſtolorum, & ipſius Francorum Apoſtoli, in quibus & nobis licet indignis pro patribus natis filius Dominus dixit: *Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*: eos qui ad pacem redire nolunt (ſicut Canones ſacri præcipiunt) & quolibet modo conſentientes eis, ab omni ſocietate totius Chriſtianitatis excommunicare curabo, donec ad pacem, quam Chriſtus oſtendit & docuit, redire cum debita ſatisfactione procurent:

eóſque ( ſicut præcipiunt Canones ) Regibus, & Epiſcopis, & quibuſcunque potuero litteris excommunicatos eſſe denuntiabo, vt communicantes excommunicatis, excommunicati & ipſi pariter habeantur. Non enim vobis, vel nobis, paruipendenda eſt ſancti Gregorij ſententia, quæ concordans Apoſtolo, præſertim de poteſtatem habentibus dicit: Qui non corrigit reſecanda, committit.

Audiui denique quoſdam reprehendere nos Epiſcopos, & dicere, qui volumus tota die per ſcripturas parabolare, quod deuotio religionis veſtræ non ſinat ſuis auribus ſuſurrari. Apoſtolus námque Deo plenus dicit: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Scripta ſunt autem propter nos, & Dominus ad Prophetam: *Audiens nuntiabis eis ex me.* Ex me, inquit, id eſt, quæ ego in ſcripturis loquor, & non ex te, id eſt, ex tuo animali & carnali ſenſu. Et ſanctus Leo Canones ſacros ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentiâ conſeruatos dicit. Et de Legibus, quibus Eccleſia moderatur, & Chriſtianitas regitur, Chriſtus Dei ſapientia dicit: *Ego ſapientia habito in conſilio. Per me Reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt.* Conditores quippe legum non modò verbo, ſed ſcripto leges condiderunt, & condunt, & ſubſcriptione confirmauerunt, atque confirmant. Quas non illi Reges cuſtodiunt, de quibus Deus, qui ( vt ſcriptum eſt ) facit hypocritam regnare propter peccata populi, dicit: *Ipſi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui*: Sed illi Reges eas condunt atque conſeruant, de quibus item Deus, vt præmiſimus, dicit: *Per me Reges regnant*: quales promittens Deum timere, iubet honorificari Apoſtolus, dicens: *Regem honorificate.* Et, *Obedite Regi quaſi præcellenti*: videlicet qui Regis Regum obedit mandatis, & eius cuſtodit iudicia. Alioquin, vt ſanctus Petrus dicit, *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*: Hinc enim eius Coapoſtolus dicit: *Non eſt poteſtas niſi à Deo. Et qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*: quia nihil fit in mundo, niſi quod aut Deus miſericorditer facit, aut fieri iuſte permittit. Cùm itaque Reges ex illo regnant, miſericordia illius eſt, vt ſaluentur populi eis commiſſi. Cùm verò non ex illo, ſed permittente iuſto ipſius

Rom. 15. 4

Prou. 8. 12. & 15.

Oſee 4. 8.

1. Pet. 2. 17. & 13.

Act. 5. 29.

Rom. 13. 1. & 2.

iudicio Reges regnare videntur, vindicta eſt peccatoris populi, & regnantis cumulus pœnæ; ſed fideles quique poteſtati aut à Deo collatæ, aut à Deo permiſſæ non reſiſtunt, cùm iuxta Petri vocem: *Sub manu Dei humiliantur*, & de bonis Principibus gratias referunt, & de his qui ad purgationem ſuam à Deo regnare permiſſi ſunt gementes exultant, ſicut ſcriptum eſt: *Exultauerunt filiæ Iudæ in omnibus iudiciis tuis Domine.* Sícque non reſiſtunt ordinationi Dei, qui nouit non mala facere, ſed ordinare. Reſiſtunt autem iniquis iniquorum operibus & mandatis; vnde ſcriptum eſt: *Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi*, qui neſciunt culpas palpare, ſed pungere, & tolerant patienter propter Dominum inlata mala ſibi à Principibus malis.

*Pſal. 96. 8* — *Eccle. 12. 11.*

Quapropter qui nobis derogant, dicentes: Quid volumus tota die loqui per ſcripturam, ſi de omni verbo otioſo reddant rationem in die iudicij, ſicut veritas non mentiente ore dicit, videant quid ſuſtinebunt de hoc criminoſo detractionis, & contra nos murmurationis verbo. Non enim cum ſancto Moyſe illis dicimus, *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Nos enim quid ſcimus, illiſque cum Apoſtolo inculcamus: *Neque murmurauerítis, ſicut quidam murmurauerunt, & à ſerpentibus perierunt.* Quibus enim * increſcere legere, vel audire quæ ſcripta ſunt, vel ſcribuntur, ſciant quia non de ignorantia iudicabuntur, ſed de contemptu, quo nolunt ſcire, quo nolunt legere, vel audire condemnabuntur. De qualium choro Dominus in Pſalmo dicit: *Noluit intelligere vt bene ageret. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* Cùm enim non dicit, non potuit intelligere, ſed noluit intelligere, apertè reatum contemptus denuntiat, pro quolibet contemptor meritò debitas pœnas luet.

*1. Cor. 10. 10.* — * *legendum* increſcit, id eſt, quos piget. — *Pſal. 3. 55.*

---

## EPISTOLA FVLBERTI CARNOT. EPISC.

FVLBERTVS *Carnotenſium Epiſcopus H. ſalutem ab illo qui mandat ſalutes Iacob.*

EPISTOLARI breuitate coactus interrogationi tuæ compendioſè reſpondeo. De Eccleſiaſticis rebus Hie-

Res Eccleſiæ religio-

eóſque (ſicut præcipiunt Canones) Regibus, & Epiſcopis, & quibuſcunque potuero litteris excommunicatos eſſe denuntiabo, vt communicantes excommunicatis, excommunicati & ipſi pariter habeantur. Non enim vobis, vel nobis, paruipendenda eſt ſancti Gregorij ſententia, quæ concordans Apoſtolo, præſertim de poteſtatem habentibus dicit: Qui non corrigit reſecanda, committit.

Audiui denique quoſdam reprehendere nos Epiſcopos, & dicere, qui volumus tota die per ſcripturas parabolare, quod deuotio religionis veſtræ non ſinat ſuis auribus ſuſurrari. Apoſtolus námque Deo plenus dicit: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Scripta ſunt autem propter nos, & Dominus ad Prophetam: *Audiens nuntiabis eis ex me.* Ex me, inquit, id eſt, quæ ego in ſcripturis loquor, & non ex te, id eſt, ex tuo animali & carnali ſenſu. Et ſanctus Leo Canones ſacros ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentiâ conſeruatos dicit. Et de Legibus, quibus Eccleſia moderatur, & Chriſtianitas regitur, Chriſtus Dei ſapientia dicit: *Ego ſapientia habito in conſilio. Per me Reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt.* Conditores quippe legum non modò verbo, ſed ſcripto leges condiderunt, & condunt, & ſubſcriptione confirmauerunt, atque confirmant. Quas non illi Reges cuſtodiunt, de quibus Deus, qui (vt ſcriptum eſt) facit hypocritam regnare propter peccata populi, dicit: *Ipſi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui*: Sed illi Reges eas condunt atque conſeruant, de quibus item Deus, vt præmiſimus, dicit: *Per me Reges regnant*: quales promittens Deum timere, iubet honorificari Apoſtolus, dicens: *Regem honorificate.* Et, *Obedite Regi quaſi præcellenti*: videlicet qui Regis Regum obedit mandatis, & eius cuſtodit iudicia. Alioquin, vt ſanctus Petrus dicit, *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*: Hinc enim eius Coapoſtolus dicit: *Non eſt poteſtas niſi à Deo. Et qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*: quia nihil fit in mundo, niſi quod aut Deus miſericorditer facit, aut fieri iuſte permittit. Cùm itaque Reges ex illo regnant, miſericordia illius eſt, vt ſaluentur populi eis commiſſi. Cùm verò non ex illo, ſed permittente iuſto ipſius

*Rom. 15. 4* — *Prou. 8. 12. & 15.* — *Oſee 4. 8.* — *1. Pet. 2. 17. & 13.* — *Act. 5. 29.* — *Rom. 13. 1. & 2.*

iudicio Reges regnare videntur, vindicta eſt peccatoris populi, & regnantis cumulus pœnæ; ſed fideles quique poteſtati aut à Deo collatæ, aut à Deo permiſſæ non reſiſtunt, cùm iuxta Petri vocem: *Sub manu Dei humiliantur*, & de bonis Principibus gratias referunt, & de his qui ad purgationem ſuam à Deo regnare permiſſi ſunt gementes exultant, ſicut ſcriptum eſt: *Exultauerunt filiæ Iudæ in omnibus iudiciis tuis Domine.* Sícque non reſiſtunt ordinationi Dei, qui nouit non mala facere, ſed ordinare. Reſiſtunt autem iniquis iniquorum operibus & mandatis; vnde ſcriptum eſt: *Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi*, qui neſciunt culpas palpare, ſed pungere, & tolerant patienter propter Dominum inlata mala ſibi à Principibus malis.

*Pſal. 96. 8* *Eccle. 12. 11.*

Quapropter qui nobis derogant, dicentes: Quid volumus tota die loqui per ſcripturam, ſi de omni verbo otioſo reddant rationem in die iudicij, ſicut veritas non mentiente ore dicit, videant quid ſuſtinebunt de hoc criminoſo detractionis, & contra nos murmurationis verbo. Non enim cum ſancto Moyſe illis dicimus, *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Nos enim quid ſcimus, illiſque cum Apoſtolo inculcamus: *Neque murmuraueritis, ſicut quidam murmurauerunt, & à ſerpentibus perierunt.* Quibus enim * increſcere legere, vel audire quæ ſcripta ſunt, vel ſcribuntur, ſciant quia non de ignorantia iudicabuntur, ſed de contemptu, quo nolunt ſcire, quo nolunt legere, vel audire condemnabuntur. De qualium choro Dominus in Pſalmo dicit: *Noluit intelligere vt bene ageret. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* Cùm enim non dicit, non potuit intelligere, ſed noluit intelligere, apertè reatum contemptus denuntiat, pro quolibet contemptor meritò debitas pœnas luet.

*1. Cor. 10. 10.*

* *legendum* increſcit, id eſt, quos piget.

*Pſal. 3. 55.*

---

## EPISTOLA FVLBERTI CARNOT. EPISC.

FVLBERTVS *Carnotenſium Epiſcopus H. ſalutem ab illo qui mandat ſalutes Iacob.*

EPISTOLARI breuitate coactus interrogationi tuæ compendioſè reſpondeo. De Eccleſiaſticis rebus Hie-

Res Eccleſiæ religio-

sè & cautè ſunt diſtribuendæ. ronymus dicit ad Nepotianum : [Amico quippiam rapere furtum eſt , Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt , accepiſſe pauperibus erogandum , & eſurientibus plurimis , vel cautum eſſe *, vel timidum , aut, quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid exinde ſubtrahere , omnium prædonum crudelitatem ſuperat. ] Item ad Pammachium [ vbi * ditior eſt largitore cui largiendum eſt : pars ſacrilegij eſt, rem pauperum dare non pauperibus. ] Vnde Iſidorus : [Magnum ſcelus eſt res pauperum præſtare diuitibus, & de ſumptibus inopum acquirere fauores potentium. ] Conſidera itaque quia nullum ſcriptura excipit, non Epiſcopum , non Abbatem, non aliquem domus Dei Oeconomum. Quiſquis ſibi commiſſæ Eccleſiæ bona ſubtrahit, intelligat ſe iam non paſtorem , ſed inuaſorem eſſe, omníque prædone crudeliorem , furémque domeſticum ac familiarem inimicum. Qui enim ea quæ ſolis omninò pauperibus eroganda ſuſcepit, in alienos vſus temerè dilapidat , non vult in deſerto huius ſæculi turbam pauperum eſurientem reficere , ſed cum ſceleratiſſimo Iuda loculos ſibi conſtituit, & ea quæ in pauperum cibos aggregamus, fur improbus aſportat.

Epiſt. 2. ante fin.
ad * velle.
In medio.
al. * ibi.
Lib 1. Sent. c. 65.

Debent quippe noſſe Sacerdotes Eccleſiarum ſubſtantiam pauperum eſſe non ſuam , nec abutantur in tyrannicæ effuſionis morem creditam ſibi egentium diſpenſationem. Vnde Hieronymus dicit ad Paulinum: [Iam nunc non ſunt tua quæ poſſides, ſed diſpenſatio tibi credita eſt. Memento Ananiæ & Saphyræ; Illi timidè ſua ſeruauerunt , tu conſidera ne Chriſti ſubſtantiam imprudenter effundas , id eſt, ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas non pauperibus , & ſecundum dictum prudentiſſimi viri *, liberalitate liberalitas pereat. ] Debemus quoque conſiderare , quid cui tribuendum ſit, ſicut idem paulò ſuperiùs ad eumdem ſcribit. [Præter victum & veſtimentum, & manifeſtas neceſſitates, nihil vnquam alicui tribuas , ne filiorum panem canes comedant. ] Sicut ergo pium eſt & iuſtum bona Eccleſiæ ſeruare ſolummodò ad opus pauperum & captiuorum , ita ſacrilegum eſt in propriam voluntatem , & in alienos vſus diſtribuere , & à Chriſtiana deuotione ſemotum. Quod ipſe quoque Hieronymus teſtatur in Matthæum: [Omnes qui

Epiſt 13. ſub med.
* Cicero lib. 2. de officiis.

ſtipendia Templi, & his quæ conferuntur ad vſus Eccleſiæ abutuntur in aliis rebus, quibus ſuam expleant voluntatem, ſimiles ſunt Scribarum & Sacerdotum redimentium mendacium & ſanguinem Saluatoris.] Scire debet itaque pia ſollicitudo Paſtorum, quia nihil omninò agere debent de rebus Eccleſiarum ſine conſilio & conſenſu ſubditorum, quoniam prudentiæ eorum commiſſum eſt miniſtrandi officium, non diſpergendi arbitrium.

His prælibatis, ad vaſa Eccleſiæ veniamus, de quibus potiſſimùm interrogas: Cùm enim dicatur ſacrilegium incurrere qui aliquid de bonis Eccleſiæ in expletionem voluntatis ſuæ contraxit, perpendere potes, quantùm delinquit qui vaſa ſacris dicata myſteriis abſtulerit. Sicut qui res Eccleſię pro arbitrio impēdit ſacrilegium contrahit; ita qui vaſa ſacrà aufert.

Primùm, ſi tanta pauperum & captiuorum neceſſitas incumbit: tribuenda ſunt cætera quæ in theſauris Eccleſiæ repoſita ſunt; deinde ipſa vaſa fruſtratim comminuenda ſunt, & in operibus miſericordiæ eroganda. Vnde dicit Ambroſius in libro de Officiis. [Aurum Eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt cuſtodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri & argenti de Templo Domini Aſſyrij ſuſtulerunt? Nonne meliùs conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quàm ſacrilegus contaminet, & aſportet hoſtis?] Et poſt pauca: [Nunquid dictum eſt ſancto Laurentio: Non debuiſti erogare theſauros Eccleſiæ, vaſa Sacramentorum vendere? Opus eſt, vt quis fide ſincera & perſpicaci prouidentia munus hoc impleat. Sanè ſi in ſuum aliquis deriuet emolumentum, crimen eſt; ſin verò pauperi eroget, captiuum redimat, * humandis fidelium reliquiis ſpatia amplificet, miſericordia eſt. In his tribus generibus vaſa Eccleſiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet.] Breuiter mihi depinxiſſe videtur quid agendum ſit de rebus Eccleſiæ. Sed neque licitum eſt de Eccleſiæ tutela vaſa ſacra abſtrahere, & aliquorum manibus loco vadimonij tradere, ſicut idem quoque teſtatur: [Opus eſt vt de Eccleſia myſtici populi forma non exeat, ne ad vſus nefarios ſacri calicis miniſterium transferatur. Ideò intra Eccleſiam primùm quæſita ſunt vaſa quæ initiata non eſſent: deinde

Lib. 2. cap. 28. ſub init.

Ibid. ſub med.

* *deſunt hæc in edit.*

Ibid. paucis interiectis.

comminuta, poſtremò conflata, per minutas erogationes diſpenſata egentibus, captiuorum pretiis profecerunt. Quòd ſi deſint noua, & quæ nondum initiata videantur, in huiuſmodi, quos ſupradixi, vſus omnia arbitror piè poſſe conuerti. Priùs ergo vſuale argentum in ſupradictis neceſſitatibus diſtribui debet, ſicut Beatus Gregorius dicit Domino Epiſcopo Meſſanæ: [Fraternitas veſtra multùm debet eſſe ſollicita, vt ſiquidem in Eccleſia veſtra vſuale argentum eſt, priùs illud erogetur in redemptione captiuorum: alioquin de ſacratis vos vaſis præbere neceſſe eſt. Nam ſicut omninò graue eſt fruſtrà Eccleſiaſtica venundare miniſteria, ſic iterum culpa eſt imminente huiuſmodi neceſſitate res etiam deſolatæ Eccleſiæ captiuis ſuis præponere, & in eorum redemptione ceſſare.] Item idem Fortunato Epiſcopo Phanenſi: [Sicut reprehenſibile, & vltione dignum eſt, ſacrata* quemquam vaſa, præter in his quæ lex & ſacri Canones præcipiunt, venundare; ita nulla eſt obiurgatione vel vindicta plectendum, ſi pietatis causâ pro captiuorum fuerint redemptione diſtracta.] Notandum quòd Beatus Gregorius dicit, quia omninò graue eſt fruſtrà Eccleſiaſtica miniſteria, id eſt, candelabra, thuribula, & cætera huiuſmodi venundare; niſi præter illa tantùm, quæ lex & ſacri Canones præcipiunt, ſcilicet pro redemptione captiuorum, & eleemoſynis nihil penitus habentium. Qui ergo in alia expendit, contra Canones facit. Vnde etiam ſacerdotali dignitate quiſquis ille eſt, nouerit ſe indignum, iuxta eiuſdem Papæ ſententiam ſcribentis Ioanni Epiſcopo Lariſſæo: [Conſona ſanctis Patribus diffinitione ſancimus, vt qui ſanctis neſcit obedire Canonibus, nec ſacris amminiſtrare, vel communionem capere, ſit dignus altaribus.

*Lib. 6. epiſt. 35. Varia eſt lectio in edit.*

*Ibid. epiſt. 13.*

*al. * quæpiam.*

*Lib. 2. epiſt. 7. ante fin.*

Ex ſuperioribus itaque, quantum conijcio, perpendere potes quia ſi omninò graue eſt, vendi ea ſcilicet, quę minora ſunt Eccleſiæ miniſteria ſine certa neceſſitate, ſacrilegium eſt, & omninò grauiſſimum abſque maxima pauperum indigentia, excellentiora illa videlicet vaſa ſacrata & cruces venundare. Quapropter nouerint omnes miniſtri Eccleſiæ, quia gregi cui præſunt, vt putà his qui ſunt pauperes Chriſti, ſcilicet Monachis, & Canonicis Regularibus, vel Religioſis

quibuſque communiter viuentibus, priùs omnia neceſſaria miniſtrare moderata diſtributione debent: id ſummopere præcauentes, ne nimiùm prodiga ſuperfluitate talis neceſſitas proueniat, quæ theſauros Eccleſiæ expendi compellat. Si enim immoderatè effundunt, peccant; quia inconſiderata effuſio totius domus ruina eſt. Enimuerò cæteris in operibus miſericordiæ diſtributis, ſi tanta neceſſitas obuenerit, vt aliquod vas Eccleſiæ capiendum ſit, ad hoc tantummodò alteri Eccleſię venundari poteſt, vt in ipſo idem officium quod anteà celebretur, & ex ipſa pecuniæ diſtractione aliud in loco eius reſtituatur, vel pauperibus erogetur. Ita ergo, vt prædiximus, vendi poteſt, aut ſecundum ſupradicta Sanctorum Patrum teſtimonia in fruſta comminui; ſed incongruum eſt, vt in vadimonium ponatur. Etenim ſæculares perſonę debitam reuerentiam ſacris myſteriis neſciunt impendere, quoniam hic vſus non eſt eis commiſſus. Fortaſſe autem contingere poteſt, vt prope arcam, vel in ea domo in qua vaſa abſcondita ſunt, committantur adulteria, & fornicationes, & ea crimina quæ iram Dei prouocent. Nam cùm in hiſtoria Regum legimus Ozam, eo quòd calcitrantibus bobus Archam Domini tetigerit, illicò interiſſe. Et in Leuitico præceptum ſit Aaron & filijs eius, ne permitterent filiis Chaat vaſa ſanctuarij ferre, vel tangere, ne fortè perirent de medio Leuitarum; quomodò audet quiſpiam extra Eccleſiam ſuam cuicunque perſonæ, ſiue Clerico, ſiue Laïco aram Chriſti, vel ſepulchrũ eius, in vadimonium dare? Quid enim Crux eſt, niſi ara Chriſti? Et quid Calix, niſi ſepulchrum eiuſdem Domini noſtri? Qui ergo aram, & ſepulchrum, in vadimonium ponit, cum Iuda Chriſtum vendit: & qui in vadimonium accipit, cum militibus ne Chriſti reſurrectionem & gloriam, quam ad ſepulchrum Domini viderant, prædicarent, pecuniam à ſceleratis Iudæis ſuſcipit. Legimus quoque in Daniele Regem Gentilem Balthaſar, eo quòd in vaſis, quæ de templo Domini pater eius ſuſtulerat, concubinis ſuis potum miniſtrauerit, ſubitò manum ſcriptitantem vidiſſe, & de ſcripturæ interpretatione cognouiſſe mortem ſibi inſtare, & diuiſionem Regni ſui.

Ego ipſe, vt de præſentibus interim loquar, vnum tibi

breuiter exempli cauſa proferam quod nuper audiui, neſcio an ad te quoque fama peruenerit. Accidit in Britannia minori quoddam miraculum. Nam quidam nummularius vaſa Eccleſię ſibi loco vadimonij in archa repoſita ſeruabat; caſu pueri paruuli ſuper eandem archam aſcenderunt, qui illicò in amentiam verſi ſunt; ſed & canes fortè aſcenderant, & in rabiem efferati fuerunt. Senſit dominus vltionem diuinam eſſe, eo quòd vaſa ſacrata non his deputanda locis, vel pactis, pro accommodata pecunia accepiſſet, nimiúmque perterritus fugit ad Eccleſiam, quid factum fuerat omnibus intimauit, & ſacra vaſa quantocyùs à ſe emiſit, non minori formidine, quàm olim Philiſtij Archam fœderis Domini propter imminentem cladem à ſe expulerunt. Quę res adeò terrę incolas exterruit, vt ſceleratiorem quolibet Idolatra prædicent, qui ſacra vaſa deinceps in vadimonium poſuerit, vel acceperit. Perpende ergo quanta culpa ſit vaſa de ſinu Eccleſiæ rapere, & ſecularium manibus committere.

Caueant itaque Prælati Eccleſię, ne res ſibi commiſſas, & ſuſceptam pauperum diſpenſationem negligenter tractantes, incurrant detrimentum animæ ſuæ. Audiui enim de quibuſdam Epiſcopis, ſicut in quadam epiſtola me ſcripſiſſe tibi meminí, quia ſæcularia arma complectuntur, & militares copias pretio conducunt, & alia ſimilia nequaquam eis conuenientia ſequuntur. De quibus non ego ſed Propheta: *Principes,* inquit, *veſtri ſocij ſurum*, qui ſibi creditam Eccleſiarum ſubſtantiam in ſupradictos vſus nefariè effundunt. Spreto quippe Epiſcopali officio, ea appetunt quæ omnimodò fugere oporteret. Vnde conſilio meo Prælati quique in quantum præualent, omnes à ſe occaſiones abſcidant, quibus innumera damna filiis ſuis & rebus Eccleſiaſticis prouenire ſolent, vt bene miniſtrantes ab eo mercedem recipiant, cuius & locum tenent, & veſtigia ſequi deberent. Vale.

*Iſai.1.23.*

*FINIS.*

INDEX

# INDEX RERVM ET VERBORVM.


ABbates vt obedientiā præſtent vult Hugo Rotomag. 457
Qua de re conqueritur literis ad Papam datis Rex Angl. ibid.
Abbates exempti à iure Epiſcopi coërceant Hæreticos, 621. Abbas S. Medardi Renaldus Abbatia pellitur, quia ſine Regis aſſenſu Romam iuerat. 786
Abbo Niuernenſ. Epiſc. 714
Abſtinentia, V. *Ieiunium*, 307
Acainradus Epiſc. Pariſ. 583
SS. Acei & Acheoli Eccleſia confertur Canonicis Regg. 601
Multa conferuntur eiſdem. 602. & ſeq. Illius Eccleſiæ origo, ibid.
Adalbertus Trecenſ. Epiſc. 587
Adalelinus Catalau. Epiſc. 583
Adalgarius Eduenſ. Epiſc. 734
Adulatorum mendacium eſt peſſimum, 293
Addolenus Albienſ. Epiſc. 734
Adulter. V. *Coniugium*,
Æneas Epiſcop. Pariſ. 714
Agilbertus Bituric. Epiſc. 714
Agius Aurelian. Epiſc. 591
Albigenſes Hæretici. Aduerſus eos varia Concilia, 609. & ſeqq. Excommunicatione ſoluti, 794.
Iterum inſurgunt, & bellum mouent, 797
Albricus Remenſ. Archiep. 792
Albricus Archiep. præſidet Concilio Senonenſi, 579
Aldricus Cenoman. Epiſc. 583
Alduicus Virdunenſ. Epiſc. ibid.
Alexandri Papæ 3. partes tuetur Philippus de Eleemoſyna, 454
Alfredus Hildeiſm. Epiſc. 592
Aletum. V. *Daletum*.
Altaria Antiochiæ verſus Occidentem, 111. Quæ altaribus imponenda, 261
Altadus Geneuenſ. Epiſc. 583
Alteus Auguſtodu. Epiſc. 587
Amalricus de Rupe, 554
S. Amandus Traiectenſ. Epiſc. 706
S. Ambroſius omnium ſplendore virtutum decoratus, 35
Amicitiæ definitio, 217
Andreæ primi Abbatis Caſalis Benedicti geſta narrantur. 518
Auſterè & ſanctè vixit, ibid.
Anſegiſus Trecarum Epiſc. expellitur à Comite, 725
Anthropomorphitarum hæreſis, 294
Hanc confutat Ratherius, ibid.
Apoſtolica auctoritas omni ſcientiæ & rationi anteponenda, 411
Arefaſtus vir nobilis hæreſes Aureliis exortas detegit, 670. & ſeqq.
Argentolium, V. *S. Dionyſij*.
Arnaldus de Faciano, 656
Arnulfus de Curiaferandi, 559
Arnulfus Lexouiēſis agit de Schiſmate Petri Leonis, 336
In Italia Romanarum legum ſtudiis vacat, ibid.
Quantas à Canonicis paſſus fuerit iniurias enarrat, 482
Calumnias ab ipſis impoſitas diluit, ibid. & ſeq.
Ea de re ſcribit ad Luciū Papā, ib.
Eccleſiæ Lexouienſ bona auxiſſe

probat, 483
Iniuſtè condemnatum ſe conqueritur, 484
Media ſubminiſtrat S. Thomæ quibus conſtanter agens poſſit in gratiam Regis redire, 485
Variæ eius epiſtolæ nunc primùm editæ, 482. & ſeqq.
Quantum promeritus fuerit de Rege Angliæ ſcribit, 497
In epiſtolis eius vulgatis quædam manca hîc ſupplentur, 502. & ſeq.
Gratulatur Cæleſtino Papæ de ipſius electione, 505
Arnulfus Remenſis ab Archiepiſcopatu à Rege ſubmouetur, 735
Arnulfus ſiue Anculfus Sueſſion. Epiſc. 788
Arrij hæreſis quæ. 27
Confutatur à Potamio. 366
S. Athanaſij laus, 28. A Potamio commendatur, 366
Atto Nanneteſ. Epiſc. 583
S. Audoenus Rotomag. Archiep. 783
S. Auguſtini Encomium. 61. 63
Auſtindus Archiep. Auſcenſ. 592
Auuricus Dux Burgundiæ. 725
Ayrardus Turon. Archiep. 714

B.

BAltfridus Baiocenſ. Epiſc. 587
Baptiſmum in Pentecoſte & Epiphania celebrant Orientales, 285
Baptiſmi effectus non pendet ab inæqualitate meritorum miniſtri, 459
Bartholomæus Narbon. Archiep. 583
S. Bauo, 783
S. Beda venerab. obiit. ibid.
S. Benedicta Laudunum profecta. 678
S. Benedicti obitus dies, 706. 781
Tranſlatio in Gallias, ibid.
Noua Tranſlatio, 733
Abbas tunc Simon. ibid.
Aderant Ludouicus 7. Rex, & Epiſcopi, 734
Beneficia Eccleſ. quî conferenda. 641
Berengario Archidiac. Andegau. datæ literæ commendatitiæ à Gregorio 7. Papa, 508
Illi ſcribit Frollantus Epiſc. Siluanectenſis, quem & multis commendat, 5[illegible]
Eius epiſtola ad Richardum, 5[illegible]
Suam hæreſim tueri conatur authoritate Fulberti Carnot. ibid.
Prætendit Ioan. Scotum iniuſtiſſimè damnatum, ibid.
De Aſcelino conqueritur, ibid.
Ioan. Erigenam laude extollit, ib.
Catholicus moritur, 747
Eius Epitaphium, ibid.
Bernardus Barrenſis, 745
Bernardus Matiſcon. Epiſc. 592
Bernoinus Carnot. Epiſc. 584
Betho Epiſcop. Autiſſiodor. 721
Biblia ſacra laicis legere interdicitur, 624
Bigami ad Clerum non admittendi, 173
Bona Eccleſiaſtica ab Epiſcopo adminiſtranda, 162. & ſeqq.
Siue per Preſbyteros & Diaconos fideles, 167
Quicquid à fidelibus confertur ad ius Domini pertinet & Sacerdotum, 228
Bona in quatuor partes diuidi debent, ibid. & 264
Anno & die poſſeſſa abſque proclamatione ſynodali, quietè retineat Eccleſia, 594
Laici non ſolùm nil Eccleſiis conferunt, ſed oblata conantur auferre, ibid.
Eccleſiæ ius poſſeſſionis triennalis conſeruetur, ibid. & 595
Decimas & quicquid offerunt laici cum conſenſu Epiſcopi id faciant, 594

BonaEccleſiæ niſi pauperibus non ſunt diſtribuenda, 818. & ſeqq. vaſa ſacra in alimoniam pauperum aliquando comminuenda, 819
Boſo Abbas S. Benedicti Floriac. 583
S. Brioci Canonicis decreta ſtatuit Iuhellus Archiep. Turon. 606
Bulgari ſiue Piſli hæretici. 795

C.

CÆleſtini Papæ virtutes extolluntur ab Arnulfo Lexouienſi, 509
Calicibus argenteis in Eccleſiis vtendum. 638
Calixtus 2. celebrat Concilium Remis. 769
Decreta Concilij, ibid.
Eius Epiſtola. 770
Canonicis locum in ſuis Capitulis dare Epiſcopis præcipitur, 620. Canonici falſi, 234
Canonum contemptores multi, pauci obſeruatores. 170
Quare, ibid.
Qui Canones poſt habet concionari non debet. 178. & ſeq.
Catholicus non eſt, 274
Contemptores acriùs puniendi, 270
Canonici Regulares quid vouent, 525
Quæ paupertas eorum & obedientia, 527
Cautè extra Monaſterium ſe gerere debent, 533
Canonicorum habitus deſcribuntur, 535. 617
Quî diabolum expugnare debent, 546
Illis confertur Eccleſia SS. Acei & Acheoli Ambian. 601
Habitum ſui inſtituti deferant, 616. 640
Aduocatum non agant, nec ſecularia officia exerceant, 639
Veſtibus laïcorum non vtantur, 640
Duo ſaltem in quolibet Prioratu conſtituantur, 641
Canonicorum Regg. Abbatia S. Quintini Beluac. fundatur, 680
Canonici Regg. conſtituuntur in Piperacenſi Monaſterio, 698
Cantuarienſis Archiepiſcopi electio libera fuit à ſeculari poteſtate, 495
Vt ratam habeant petit à Legatis S.R.E. Arnulfus Lexou. 500
Cardinales qui, 272
Careuiltus Baiocenſ. Epiſc. 583
Caritas perfecta, 258
Carlomannus Rex, Monachus, 784
Carolus Siciliæ Rex, 651. 817. eius Regnum vſurpat Manfredus, 654. Obiit, 818
Caroli Magni à genealogia diſiunctum Regnum Francorum, 803
Carolus 7. Rex Franc. prohibetur à Nicolao PP. ne tributum Eccleſiaſtcis imponat, 576
Carthago capta à S. Ludouico, 550. & 554
Carthuſienſes laude attollit Arnulfus Lexouienſ. 365. Quo anno cœpit Ordo, 800
Caſalis-Benedicti 1. Abbas Andreas, 519. Prioratus, ibid.
Caſenſe Monaſterium, *des Chaſes*, 694
Caſtitas, V. *Cælibatus*.
Duplex Caſtitas, 525
Caſtitatis deſcriptio, 526
Quibus mediis ſeruatur, 547
Caſus, vt vocant, reſeruati, 263
Chriſtianis quæ conſideranda & exercenda, 305. & 309
Quomodò gaudere debent, 310
Iuuare pauperes, V. *Eleemoſyna*,
Quare pauci electi, 331

In Chriſtiana Religione nil temerè definiendum, 419
Chriſtianus Autſſiod. Epiſc. 591. 714
Chriſtus eſt Veritas, 6
Lapis, ibid.
Oriens, ibid.
Ciſtercienſes laudantur ab Arnulfo Lexouienſi, 365
Arcta & prudens illorum diſciplina, 448
Quo anno cœpit Ordo. 800
Clarius Monachus S. Benedicti Floriac. pòſt S. Petri Viui, Auctor Chronici huius Monaſterij, 705. 754. 775
Narrat quæ vidit & audiuit, 753
Intereſt Concilio Bellouacenſi Archiepiſcopi Senon. & Abbatis S. Petri Viui nomine, 771
Clerici in Oriente ducunt vxores, at ſecus in Occidente, 110
De barbæ & capitis tonſione, 127
Variè id obſeruatum à Clericis, ibid. & ſeq.
Coronas quare deferant, 129. & ſeq.
Cœlibatus Clericorum propugnatur, 131. & ſeq.
Ipſis mulieres ſubintroducere non licet. 169
Bigami ad Clerum non admittendi, 173
Qui arceri debent à Clericatu, 180
Documenta ipſis vtiliſſima, 256. & ſeqq.
Veſtimentis laicorum non vtantur, 262
Quid addiſcere tenentur, 263
A quibus prohibentur, 646
Tonſuram deferant, ibid.
De iis qui graue ſcelus perpetrauerint quid agendum, 648
Dignus ſit Clericus per pœnitentiam, 279
Clericorum coronas benedicere nullus præſumat præter Epiſcop. vel Abbat. 594
Habitum Clericalem deferant, 616. 646
Aduocati officium non exerceant, 617. 659
A tributis ſint immunes, 625. Et eorum famuli, ibid.
Criminis rei à ſolo Epiſcopo puniendi, 625
De Clericis multa, 658. & ſeq.
Coram Iudicibus ſecularibus lites non moueant, 659
Officia ſecularia non exerceant, ibid.
Aleis non ludant nec taxillis, ibid.
Forma Coronæ præſcribitur, ibid.
Venatio illis interdicitur, 659
Clodoueus I. Rex, 705. 781
Clotarius I. Rex, ibid. & ſeq.
Cluniacenſium religio celebris, 346
Laudibus eos proſequitur Arnulfus, ibid. & 365
Confratres Imperatoris nominantur, 400
Ab illis libros ſibi neceſſarios petunt Patres Concilij Baſilienſis, 577
S. Columbæ Abbatia Senon. confertur Hieremiæ Archiep. 710
Anſegiſo Archiep. ſucceſſit Eurardus qui Præpoſitus nuncupatur, 719. Betho Præpoſitus ædificat muros Cœnobij, 720. Autiſſiodorenſis Epiſcop. eligitur, 721
Tranſlatio corporis S. Columbæ, 726. Bona diripiuntur à Comite Rainardo, 737. Arnulfus Abbas, 746. Eccleſia dedicatur ab Alexandro Papa tertio. 778
Compendienſis Abbatia, V. *SS. Cornelij & Cypriani*,
Concilij Nicæni Symbolo additum

ex Concilio Conſtantinop. *Spiritum Sanctum cum Patre & Filio*, &c. 26
Concilia. In Synodis ſiue Conciliis quid agendum, 270. Ad quid celebrantur, 344. In Chriſtiana Religione nil temerè definiendum, 429. Decreta ſubinde abrogata probatur exemplis, 436. Concilij Baſilienſis Patres petunt libros ſibi neceſſarios à Cluniacenſibus Monachis, 577
Concilia varia. Albienſe, 630. Auinion. 609 Aurelianenſe, 670. Auſcenſe, 592. Beluacenſe, 594. 765. 770. In Pręfatione. Briocenſe, 666. Compendienſe, 598. 601. Catalaunenſe, 765. Floriacenſe, 763. In Eccleſia S. Genouefæ, 818. Lateranenſe, 759. Monſpelienſe, 645. Pariſienſe, 604 818. Pictauenſe, 750. 751. Pontigonenſe, 715. Remenſe, 735. 769. 788. Senonenſe, 579. 706. Toloſanum, 621. Trecenſe, 751. Turonenſe, 777. Vide *Synodus*, & *Conuentus*.
Confeſſio peccatorum feria 4. ante Quadrageſimam facienda, 262.
Quæ optima confeſſio, 324
Ter in anno, 623. 636
Confirmationis Sacramentũ à Presbyteris poſſe conferri contendunt Græci, 141
Contrà Latini. ibid.
Coniugij inceſtu adulterati quæſtio, 410
Quam ob cauſam coniux relinqui poteſt, ibid. & ſeq.
Adulteri quàm grauiter puniendi, 415
Inceſtuoſus ab Epiſcopis ſeparandus, ibid. & ſeq.
Arguuntur contendentes in coniugio lapſos nõ eſſe ſeparãdos, 419
Vxor quæ commiſit adulterium poteſt dimitti, 421
Plura de hac materia vide, ibid. & ſeq.
Quare vir aut vxor adulteri dimittendi, 420. 421
Hac de re quid decreuit Lanfrancus innoteſcit, 430
Cono Epiſc. Præneſt. & Legatus præeſt Conciliis diuerſis in Gallia, 765. Eius Epiſtola, 768
Conſcientia bona ex veraſciẽtia, 538
Rebus omnibus anteferri debet, ibid. & ſeq.
Conſilium quid, 499
Conſtantia Regina oculum eruit hæretico qui à Confeſſionibus ſibi fuerat, 675
Conſuetudines variç in Eccleſia, 103. & ſeq.
Mutantur ſubinde, 104
Quid vniformiter tenendum, ib.
Conſuetudo Eccleſiæ ſeruanda, 417
Qui eam violat, grauiter peccat, ibid.
Conuentus apud Piſtas, 588. 712
Corbeiæ Ab. Eurardus exauctoratus in Concil. Compend. 603
Monaſterium combuſtum, 788
SS. Cornelij & Cypriani Compend. libertates confirmantur in Concil. Compend. 599
Eas infringere tentat Epiſcopus Sueſſ. ibid.
Nulli ſubeſt Epiſcopo idem Cœnobium, ibid.
Dedicata olim Eccleſia ab Ioanne Papa, ibid.
Bona confirmari petit Philippus Rex in Concilio Pariſ. 604
Eccleſiæ ab eadem Abbatia dependentes, ibid.
Corona ſpinea Saluatoris in Sacram

Ædem Pariſiis infertur, 797
Corona, V. *Clerici.*
Corpus Chriſti, V. *Eucharistia.*
Credere in Eccleſia quid debeant fideles, 104
Crucis Saluatoris pars maxima in Æde ſacra Pariſiis collocatur, 798

D.

Daletum Monaſterium, 69
Decimas ſuas offerant laici cum conſenſu Epiſcopi, 594
ſoluendæ Decimæ, 612. 624
Decreta Pontificum ſubinde abrogari probatur exemplis, 436
Delricus Baſilienſ. Epiſc. 583
Deus ſpiritus eſt omnia viuificans, & incorporeus, 296
De Trinitatis myſterio fusè tractat Guimundus, 377. & ſeq.
Diaboli calliditas multiplex, 531
Quibus modis bonum inficit, 532
Quomodò expugnari poſſit, 546
Didymus Alexandrinus, 43
S. Dionyſii lib. de Hierarch. interpretatus eſt Herueus Burgidolenſis, 515
S. Dionyſij Eccleſia eſt ſepultura Regum, non aliorum, 559
A Sandionyſianis Monachis vt pro patre votiuas preces Deo offerant orat Philippus Rex, 567
Argentolium reſtitutum Abbatiæ S. Dionyſij, 809. Dedicata noua Eccleſia, ibid. Corpora Sanctorum 23. continentur in eadem Eccleſia, ibid. Pontificalia conceſſa Vvillelmo Abbat. 811. Abbas S. Dionyſij miniſter coronationis Philippi Regis, ſuſcipit coronam, camiſiam, & cætera regalia, ibid. Sepelitur Rex Philippus, 812. Conceditur Abbati vſus tunicæ, &c. 813. Odo Abbas recipit à Rege regalia, ibid. Intereſt Senonis coronationi Reginæ, 814. Priorem locum obtinent Monachi in ſupplicatione in Eccleſia Pariſienſi, ibid.
Abbates S. DionyſijRobertus, 808. Viuianus, ibid. Iuo, 809. Adam, ibid. Sugerius, ibid. & ſeq. Odo, 810. Iuo, 811. Vvillelmus, ibid. Hugo, ibid. Hugo Foucaut, 812. Hugo Mediolanenſis, ibid. Henricus, ibid. Petrus de Autolio, ibid. & ſeq. Odo, 813. Fit Archiepiſc. Rotomag. 815. Guillelmus, ibid. Mathæus Vindocinenſis, 816. & ſeq. Reginaldus Giſardi, 818
Diues aut iniquus, aut iniqui eſt hæres, 287
Melius eſt nulli dare, quàm alicui tollere, ibid.
Doctores quæ docent, opere compleant, 321
Dominica dies quare ſic vocatur, 256.
Quàm religiosè obſeruanda, 257. & ſeq.
Corpus Chriſti hac die ſumendum, 259.
Dominicis diebus laici cogantur intereſſe diuinis officiis, 626

E.

Eccleſiæ conſuetudines variæ, 103
Mutantur ſubinde, 104
Quid vniformiter ab omnibus tenendum, ibid.
Eccleſia Romana dignitate omnes alias præcellit, 145
Et doctrinâ, 267. & 533
Res Eccleſiæ quanti faciendæ, & quî adminiſtrandæ, 580. 828
Eccleſiæ propugnaculis non muniendæ, 631
In Eccleſiarum viſitationibus quid obſeruandum ab Epiſcopis, 641
Iurium & libertatum Eccleſiæ inuaſores excommunicantur, 645.

Eccleſia Romana caput Eccleſiarum ſtatuit Phocas Imperator, 782
Immunitates Eccleſiæ illibatas Reges debent conſeruare, 824 & ſeq.
Eccleſiaſticis tributum imponi ab Rege renuit Nicolaus Papa, 175
Vectigalia ab ipſis non ſoluenda, 612
Edacius Bituric. Archiep. 734
Electi ad vitam quare pauci. 331
Electionibus ſacris laici non ſe immiſceant, 613
Eleemoſyna & oratione ieiuniũ euehitur in cœlum, 285
Eleemoſyna quæ recta, 286. & ſeq. & 312
Melius eſt nulli dare quàm alicui tollere, 287
Sine caritate dona nil proſunt, 288
Pauperes ſunt ſubleuandi, 312
S. Eligius Nouiomenſ. Epiſc. 706
Elinandus Laud Epiſc. 599. 605
Elpo Saxonum Dux occiditur, 725
S Emmo, V. *Senonenſes Archiep.*
Epiſcopus quî differt à Sacerdote, 142
Epiſcopo cura negotiorum ac bonorum Eccleſ. incumbit, 162. & ſeq.
Quare Paſtor vocitetur, 164
Clericis prouidere debet neceſſaria, 165
Quis verus vel falſus Paſtor, 168
Aleator, ebrioſus non eſſe debet, nec habere canes ad venandum, neque aues ad aucupium, 172. 639
Improbus concionari non debet, 178
Prauos Epiſcopos inſectatur Ratherius, 187
Epiſcopi ad alias ſedes tranſlati recenſentur, 198. Epiſcopi quibus impēdere debent bona quæ ad illos attinent, 229
Epiſcopus iudicari debet priuſquam Epiſcopatu pellatur, 251 253
Epiſcopatus inuaſor pœnitet, 278
Mendacia ab Epiſcopis longè abeſſe debent, 293
Verba Sacerdotis aut vera, aut ſacrilega, ibid.
Quod Epiſcoporum ſtudium & officium, 579
Res Eccleſiæ quî ab ipſis adminiſtrandæ, 580. Erogandæ pauperibus, 828
Quid à Monachis exigere debent, 582. Frequentiùs fidem orthodoxam edoceri curent, 610 633
Coronæ Epiſc. forma præſcribitur. 639
Quid ab eis obſeruandum in Eccleſiarum viſitationibus, 641. Epiſcopo priuſquam in iudicium aduocetur reſtituenda bona, 820. 821. 822
Erchenraus Catalau. Epiſc. 592
Ernulfus Roffenſis Epiſcop. agit de inceſtis coniugiis, 410
Eſſeni qui, 112
Euangelica veritas omni Scripturæ, ſcientiæ, & rationi præferenda, 411
Euchariſtia variè ſumenda ſecundum locorum conſuetudines, 110
Indignè percipit eo tempore quo debet quis pœnitentiam agere, 177
Quid recipit qui indignè corpus Chriſti ſumit, 181. 314. 322
Quibus verbis conficitur, 183
Dominica die percipienda, 259
Quater in anno, 262
Quomodò ſumendum corpus Chriſti, 311. & 313. 330
Corpus Chriſti intinctum ſanguine cur porrigendi conſuetudo inoleuit, 432. & 434
Quare ſic olim offerebatur, 435

Quarta pars hoſtiæ cur in calice deponitur, 437
Et in tres partes diuiditur, ibid.
Sub vna ſpecie ſumitur corpus & ſanguis, 439
An corpus Chriſti cum anima ſuſcipitur, ibid.
Dei omnipotentiâ corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia, 440
Vnde myſterium fidei appellatur, 441
Panis ſubſtantia in corpus Chriſti mutatur, ibid.
Ter in anno ſumi iubetur, 623.636
De Sacramento iſto peruerſa ſentientes hæretici comburuntur, 672 675
Eugenius Papa tertius claret miraculis, 776
Eumenius Niuern. Epiſc. 734
Euſtachius Vicedominus Ambian. nonnulla erogat Canonicis SS. Acei & Acheoli, 603
Excommunicatis quæ pœna infligenda, 636
Exempti à iure Epiſc. coërceant Hæreticos, 621

F.

FAcona Epiſc. 583
S. Faræ Monaſterium diripitur à Rainardo Comite, 737
Leothericus Archiep. Senon. conſecratus ibi, 738
S. Faro Meldenſ. Epiſc. 706
Feſtis diebus Laici intereſſe cogantur diuinis officiis, 626
Feſta quæ celebrari debeant, præſcribuntur, ibid.
Filquelgardis vxor Gaufridi de Meduana, 507
Folchricus Trecenſ. Epiſc. 591
Fontis-EbrardiOrdo, 800
Fornicatio variè ſumitur, 424
Foua Cabilonenſ. Epiſc. 584
Francorum Rex primus Regum Catholicus, 355
Regum proſapia ſiue ſeries vſque ad Dagobertum iuniorem, 800.& ſeq. 805. Quomodò diſiunctum ſit Regnum à genealogia Caroli Magni, 805
Freculſus Lexoui. Epiſc. 587
Friculfus Sancton. Epiſc. 592
Friderici 2. Imperat. epiſtola, quâ Ducis Auſtriæ Friderici nefanda crimina recenſet, 572. Profectus in Terram ſanctam Ieroſolymorum ciuitatem capit. 794. Vexat Eccleſiaſticos viros & bona ipſorum aufert, 796
Hoſtis inſenſiſſimus Eccleſiæ Romanæ. 649
In Concilio Lugdu. ſpoliatur imperio, ibid.
Frotmundus Trecenſ. Epiſc. 744
Fulbertus Carnot. Epiſc. 741
Fulcarius Trecenſ. Epiſc. 714
Fulcuinus Vvormatienſ. Epiſc. 583
S. Fulgentius laudatus, 92

G.

GAudium quodnam vtile, 310
Gaufridi Canonici Gebennenſ. interfectores excommunicantur, 617
Gaufridus Carnot. Epiſcop Romanę Eccleſiæ Legatus, 336
Laudes ipſius perſtringit Arnulfus Lexouienſ. 337
Gaufridus Collum-cerui Epiſc. Catalau. 787
Gaufridus de Meduana confert multa Monachis SS. Sergij & Bacchi Andegau. 507
Et Filquelgardis eius vxor, ibid.
S. Gaugericus Epiſc. 782.783
Generationem inter & proceſſionem quid intereſt in Deo, 83
Gennadius Conſtant. laudatur. 91

Gerardus Camerac. Epiſc. 599
Geraldi Cadurcenſ. epiſtola ad Imperatorem, 403
Gerbertus Remenſ. Archiep. pòſt Rauennat. ac tandem ſummus Pontifex. 735. & ſeq.
Magiſter fuit Roberti Regis, ibid.
Gerfredus Niuernenſ. Epiſc. 583
S. Germani Autiſſiodor. Abbatiæ bona confirmantur in Conuentu Piſtenſi, 588
S. Germanus Pariſ. Epiſc. 706. 782
S. Gertrudis, 783
Geruaſius Remenſ. Archiep. 680
Glimerius Carnot. Epiſc. 734
Girardi Engoliſmenſis Epiſcopi geſta deſcribuntur, 339
Nefanda crimina, 341
Legatus Romani Pontif. factus, 343
Nefariè ſe geſſit, ibid. & ſeq.
Petri Leonis prauos mores oſtendit, 355
Aſſenſit electioni Innocentij, 356
Sed pòſt ſententiam mutauit, & quare, 357
Plura aduerſus Innocentium patrauit, 358. & ſeq.
Reges Franc. & Angl. ad partes Petri Leonis allicere conatur, 355. 358
Repulſam patitur, ibid.
Girbaldus Cabilon. Epiſc. 591
Giſlebertus Burgund. Dux, 724
Goellus dominus Galardonis, 686. & ſeq.
Goiffridus Autiſſiodor. Epiſc. 605
Goiffridus Pariſ. Epiſc. 599
Archicancellarius Regis, 600. 605
Gratiâ a Deo poſtulatur velle, poſſe, & perficere, 280
Græci Eccleſiæ Romanæ hoſtes, 1
Quæ ipſi obijciunt, ibid.
Blaſphemiæ in Spiritū S. ib. & ſeq.
Refelluntur à Ratramno Corbeienſi Monacho, ibid. & ſeq.
Græci libri in Gallias allati, 811
Grandimontis Ordo, 800
S. Gregorij I. Papæ caput in Eccleſia S. Petri Viui, 716. Papa ordinatur, 782. Liber Paſtoralis mirè extollitur, 369
Gualterus Aurelian. Epiſc. 714. 734
Gualterus Epiſcop. Laudunenſis ſcribit de Baptiſmo, 459
Myſterium Incarnationis explicat, 462. & ſeq.
Petrum Abaëlardum qui nonnulla haud fidei conſona docuerat, ſugillat, 473
Gualterus Meldenſ. Epiſc. 599. 681. 747
Gualterus Trecenſ. Epiſc. 605
Guarinus Beluac. Epiſc. hæreticos in Synodo Aurelian confutat. 675
Guarinus Cauriac. Epiſc. 734
Guido Ambian. Epiſc. 681
Guido Beluac. Epiſc. 605
Decanus fuerat S. Quintini Viromand. 680
Archidiaconus Laudunenſ. ibid.
Quo anno electus Epiſcop. ibid.
Fundat Abbatiam S. Quintini Beluac. ibid.
Quam ob rem. 680
Multa bona contulit eidem Cœnobio, ibid. & ſeq.
Dedicatio Eccleſiæ S. Quintini Beluac. ab ipſo facta, 681
Pulſus Guido Epiſcopatu à Rege, 682
Guillelmus Epiſc. S. Brioci. 606
Guillelmi Regis Aug. mors infauſta, 402
Guillelmus Cenomanenſ. Epiſcopus, 501
Guimundus Auerſanus Archiep. fusè

Quarta pars hoſtiæ cur in calice deponitur, 437
Et in tres partes diuiditur, ibid.
Sub vna ſpecie ſumitur corpus & ſanguis, 439
An corpus Chriſti cum anima ſuſcipitur, ibid.
Dei omnipotentiâ corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia, 440
Vnde myſterium fidei appellatur, 441
Panis ſubſtantia in corpus Chriſti mutatur, ibid.
Ter in anno ſumi iubetur, 623.636
De Sacramento iſto peruerſa ſentientes hæretici comburuntur, 672 675
Eugenius Papa tertius claret miraculis, 776
Eumenius Niuern. Epiſc. 734
Euſtachius Vicedominus Ambian. nonnulla erogat Canonicis SS. Acei & Acheoli, 603
Excommunicatis quæ pœna infligenda, 636
Exempti à iure Epiſc. coërceant Hæreticos, 621

F.

FAcona Epiſc. 583
S. Faræ Monaſterium diripitur à Rainardo Comite, 737
Leothericus Archiep. Senon. conſecratus ibi, 738
S. Faro Meldenſ. Epiſc. 706
Feſtis diebus Laici intereſſe cogantur diuinis officiis, 626
Feſta quæ celebrari debeant. præſcribuntur, ibid.
Filquelgardis vxor Gaufridi de Meduana, 507
Folchricus Trecenſ. Epiſc. 591
Fontis-Ebrardi Ordo, 802
Fornicatio variè ſumitur, 424
Foua Cabilonenſ. Epiſc. 584
Francorum Rex primus Regum Catholicus, 355
Regum proſapia ſiue ſeries vſque ad Dagobertum iuniorem, 800. & ſeq. 805. Quomodò diſiunctum ſit Regnum à genealogia Caroli Magni, 805
Freculſus Lexoui. Epiſc. 587
Friculfus Sancton. Epiſc. 592
Friderici 2. Imperat. epiſtola, quâ Ducis Auſtriæ Friderici nefanda crimina recenſet, 572. Profectus in Terram ſanctam Ieroſolymorum ciuitatem capit. 794. Vexat Eccleſiaſticos viros & bona ipſorum aufert, 796
Hoſtis infenſiſſimus Eccleſiæ Romanæ. 649
In Concilio Lugdu. ſpoliatur imperio, ibid.
Frotmundus Trecenſ. Epiſc. 744
Fulbertus Carnot. Epiſc. 741
Fulcarius Trecenſ. Epiſc. 714
Fulcuinus Vvormatienſ. Epiſc. 585
S. Fulgentius laudatus, 92

G.

GAudium quodnam vtile, 310
Gaufridi Canonici Gebennenſ. interfectores excommunicantur, 617
Gaufridus Carnot. Epiſcop Romanę Eccleſiæ Legatus, 336
Laudes ipſius perſtringit Arnulfus Lexouienſ. 337
Gaufridus Collum-cerui Epiſc. Catalau. 787
Gaufridus de Meduana confert multa Monachis SS. Sergij & Bacchi Andegau. 507
Et Filquelgardis eius vxor, ibid.
S. Gaugericus Epiſc. 782.783
Generationem inter & proceſſionem quid intereſt in Deo, 83
Gennadius Conſtant. laudatur. 91

Gerardus Camerac. Epiſc. 599
Geraldi Cadurcenſ. epiſtola ad Imperatorem, 403
Gerbertus Remenſ. Archiep. pòſt Rauennat. ac tandem ſummus Pontifex. 735. & ſeq.
Magiſter fuit Roberti Regis, ibid.
Gerfredus Niuernenſ. Epiſc. 583
S. Germani Autiſſiodor. Abbatiæ bona confirmantur in Conuentu Piſtenſi, 588
S. Germanus Pariſ. Epiſc. 706. 782
S. Gertrudis, 783
Geruaſius Remenſ. Archiep. 680
Glimerius Carnot. Epiſc. 734
Girardi Engoliſmenſis Epiſcopi geſta deſcribuntur, 339
Nefanda crimina, 341
Legatus Romani Pontif. factus, 343
Nefariè ſe geſſit, ibid. & ſeq.
Petri Leonis prauos mores oſtendit, 355
Aſſenſit electioni Innocentij, 356
Sed pòſt ſententiam mutauit, & quare, 357
Plura aduerſus Innocentium patrauit, 358. & ſeq.
Reges Franc. & Angl. ad partes Petri Leonis allicere conatur, 355. 358
Repulſam patitur, ibid.
Girbaldus Cabilon. Epiſc. 591
Giſlebertus Burgund. Dux, 724
Goellus dominus Galardonis, 686. & ſeq.
Goiffridus Autiſſiodor. Epiſc. 605
Goiffridus Pariſ. Epiſc. 599
Archicancellarius Regis, 600. 605
Gratiâ a Deo poſtulatur velle, poſſe, & perficere, 280
Græci Eccleſiæ Romanæ hoſtes, 1
Quæ ipſi obijciunt, ibid.
Blaſphemiæ in Spiritũ S. ib. & ſeq.
Refelluntur à Ratramno Corbeienſi Monacho, ibid. & ſeq.
Græci libri in Gallias allati, 811
Grandimontis Ordo, 800
S. Gregorij I. Papæ caput in Eccleſia S. Petri Viui, 716. Papa ordinatur, 782. Liber Paſtoralis mirè extollitur, 369
Gualterus Aurelian. Epiſc. 714. 734
Gualterus Epiſcop. Laudunenſis ſcribit de Baptiſmo, 459
Myſterium Incarnationis explicat, 462. & ſeq.
Petrum Abaëlardum qui nonnulla haud fidei conſona docuerat, ſugillat, 473
Gualterus Meldenſ Epiſc. 599. 681. 747
Gualterus Trecenſ. Epiſc. 605
Guarinus Beluac. Epiſc. hæreticos in Synodo Aurelian confutat. 675
Guarinus Cauriac. Epiſc. 734
Guido Ambian. Epiſc. 681
Guido Beluac. Epiſc. 605
Decanus fuerat S. Quintini Viromand. 680
Archidiaconus Laudunenſ. ibid.
Quo anno electus Epiſcop. ibid.
Fundat Abbatiam S. Quintini Beluac. ibid.
Quam ob rem. 680
Multa bona contulit eidem Cœnobio, ibid. & ſeq,
Dedicatio Eccleſiæ S. Quintini Beluac. ab ipſo facta, 681
Pulſus Guido Epiſcopatu à Rege 682
Guillelmus Epiſc. S. Brioci. 606
Guillelmi Regis Ang. mors infauſta, 402
Guillelmus Cenomanenſ. Epiſcopus, 501
Guimundus Auerſanus Archiep. fusè

in Epiſtola tractat de myſterio Trinitatis. 377

H.

HEbernus Turon. Archiep. 734
Hæretici ſolent confutari, vinci minimè, 299
Sunt coërcendi ac puniendi, 610. 619. 621. 630
Quomodò in Eccleſia recipiătur, 621. 632
Nulla officia exerceant, 624. 633
Diebus Dominicis excommunicentur, 633
Aureliis hæretici ignis ſupplicio puniuntur, 740
Hæretici Pariſiis condemnati, 812
Helias Patriarcha Gallos hortatur vt pecunias erogent ad inſtaurandas Eccleſ. & pauperes ſubleuandos. 372
Helias Trecenſ. Epiſc. 583
Henricus I. Rex Angl. ſtat ab Innocentio Papa 2. 358
Virtutes eius Arnulfus Lexouienſ. extollit, 359
Henrici 2. Regis Anglo. indolem deſcribit Arnulfus Lexou. 489
Henricus Beluac. Epiſc. deinde Remenſ. Archiep. 776
Henricus Dux Burgund. 808
Henricus Imperat. epiſtolâ ad S. Hugonem Cluniac. conqueritur de filio qui in illum inſurrexerat, 390
Rogat Hugonem vt arbiter eſſe velit illum inter & Papam, 395
Oratione Hugonis reſtituta ipſi eſt ſanitas, 396
Petit vt è ſacro fonte filium ſuſcipiat, ibid.
Vt illum inuiſat, quò pacem cum Papa inire poſſit, 397
Herefredus Claromont. Epiſc. 734
Herfridus Autiſſiod. Epiſc. 734
Herpuinus Siluanect. Epiſc. 591
Herueus caſtri Galardonis dominus 686
Fit Monachus Becci, 987
Heruei Burgidolenſis (*Bourgdieus.* Monachi vita compendio narratur, 514. & ſeq.
Elucubrationes eius enumerantur, 515
Quotidie ſacrum faciebat, 517
S. Hilarius Libros 6. Origenis in Iob è Græco in Latinum vertit, 371
Hildeburgis caſtri Galardonis dominæ vita, 686
Prope Monaſterium S. Martini Pontiſaræ morabatur, 688
Multa confert eidem Monaſterio, 689
Hildegarius Meldenſ. Epiſc. 714
Hilduinus Abbas Laubienſis fit Archiep. Mediolani, 247
Hilgotus Sueſſion. Epiſc. 599
Hincmarus Remenſ. 591. 714 Carolum Caluum admonet vt Eccleſiæ immunitates illibatas conſeruet, 822
Hincmarus Laudunenſ. Epiſc. rebus Eccleſ. reueſtitus antequam eius cauſam audirent Iudices, 822
Hoſpitalis Militiæ S. Ioannis Ordo, 800
Huberto Parmenſi Epiſcopo dicat Ratherius Opus de Contemptu Canonum, 161
Dignus præfici Apoſtolicæ Sedi, 175
Quid Ratherio conſulit, 216
Hubertus Meldenſ. Epiſc. 583. 587
Hugo cognomento Albus præſidet Concilio Auſcenſi, 592
Humbaldus Autiſſiod. Epiſc. 754
Hugo de Baucio, 656
Hugonem Cluniac. Abbatem quanti faciat Henricus Imperator innuit epiſtolâ ad eumdem, 390
Rogat Hugonem vt arbiter eſſe

velit illum inter & Papam, 395
Vt filium è ſacro fonte ſuſcipiat, 396
Illum precatur Imperator vt ſe inuiſat, quò pacem cum ſummo Pontif. ineat, 397
Conqueritur Hugo de expulſione Monachorum à Balmenſi Monaſterio, 400
Epiſtolæ Hugonis, ibid. & ſeq.
Regem Philippum adhortatur vt abdicato regno monaſticam vitam arripiat, 401
Multa Hugoni falsò impoſita ab Hugone Lugdu. Archiep. 406
Hugo Lugdunenſ. Archiep. ſibi impoſita ob quæ excommunicatus fuerat, diluere conatur, 405
Hugo primus Abbas Pontiniac. dein Autiſſiodor. Epiſc. 776
Hugo Princeps Francorum Abbas S. Martini Turonenſ. à Leone Papa 7. dilaudatur, 375
Hugo Rex, 755. 786. 808
Hugo Rotomag. Archiepiſc. obedientiam exigit ab Abbatibus, 457
Hac de re literis ad Papam conqueritur Rex Anglorum, ibid.
Hugonem hortatur Papa vt nonnihil iuris Eccleſiaſtici deferat Regi, 458
Quòd Rex Eccleſiam bonis ſpoliauerit, iubet deponi imagines B. Virg. & in naui Eccleſiæ collocari, 521
Eas iubet ſpinis circumdari, ibid.
Interdicto eam ob rem ferit vniuerſam diœceſim, 522. Suſpendit interdictum ſi Rex vel Regina adſint in Eccleſiis, ibid. Iteratur interdictum, 524
Hugo Trecenſ. Epiſc. 681
Hungari in Franciam graſſantur, 785

L.

IAcobus Epiſc. Sueſſion. Regem Ludouicum inaugurat, 813
Ieiunium Quadrageſimæ olim diuerſimodè celebratum, 108. & ſeq.
Sabbato ieiunium obſeruatur in Eccleſia Latina, 114
Quare, ibid.
Quod improbant Græci, 115
Ieiunium pro more Eccleſiarum obſeruandum, ibid. & ſeq.
Quartâ & 6. feriâ quare ieiunium, 118. & ſeq.
Quam ob cauſam quadraginta dierum ieiunium ante Paſcha, 123
Variè hebdomadarum numerus ſeruabatur, ibid.
In quibus feſtis diebus ieiunium eſt ſoluendum, 265
Malè ieiunant qui quod corpori ſubtrahunt, pauperibus non erogant, 282
Itẽ qui à peccatis nõ abſtinent, ib.
Fusè de ieiunio, 281. & ſeq. 306.
quibus abſtinendum, 305
Ieroſolymitani itineris expeditiones, à S. Ludouico & Philippo eius filio, 558. & ſeq. necnon Theobaldo Rege Nauarræ, 796
Imperatoribus quid muneris incumbit, 3
Incarnationis myſterium explicat; Gualterus Epiſc. Laudu. 464. & ſeq.
Ingelnonus Sagienſ. Epiſc. 584
Ingelramus Comes Ambian. nonnulla erogat Canonicis SS. Acei & Acheoli, 603
Ingenaldus Pictau. Epiſc. 591
Innocentij Papæ II. actus recenſentur, 349
Parentes, ibid. Mores probatiſſimi, 350
Reluctatur ne ad Summ. Pontifica-

tum euehatur, 351. Lotharium Imperatorem jnaugurauit, 360
Innocentio ſcribit Rex Anglorum conquerens de Hugone Archiepiſcopo Rotomag. 457. Hugonem hortatur vt nonnihil iuris Eccleſiaſtici deferat Regi, 458
Votiuas preces à Cluniacenſibus expoſtulat, 481
Inquiſitorum munia, 634
Interdicto ferit totam dioceſim Hugo Rotomag. ob bona Eccleſiæ ſuæ ab Rege ſublata, 522. Suſpendit interdictum ſi Rex vel Regina adſint in Eccleſiis, ibid.
Inueſtitura de honoribus Eccleſ. Regibus, & Principibus interdicitur, 394
Inueſtitura beneficiorum non fiat dum viuunt poſſeſſores, 597
Ioannes Aurelian. Epiſc. 754
Ioannes de Auteul Abbas S. Audoeni, 818
Ioannes Comes Niuernenſis commendatur à Philippo Rege, 567
Ioannes Cholet Apoſt. Sedis Legatus, 818
Ioannes Papa 12. laudatur, 267
Ioannes de Pontiſara Abbas Ferratienſ. 817
Ioannes Scotus ſiue Erigena laudibus attollitur à Berengario, 510
Ionas Aurelian. Epiſcopus, 583
Ioſſenus Sueſſion. Epiſc. 788
Iſaac Lingon. Epiſc. 591. 714
Iſabella Regina vxor Philippi Audacis moritur, 566
Ab eodem Rege commendatur, 568
Italorum mores deſcribuntur, 188
Vilipenſores Clericorum, ibid.
Iudæorum ſectæ, 111
de Iudæis plura, 644. 647
Iudicium quis non facit, 268
In extremo iudicio ordines quatuor, 289
Iuhelli Archiep. Turon. Decreta pro Eccleſia S. Brioci, 606
Iurſmarus, V. *Vrſmarus.*
Iuſtitiam non facit qui legem canonicam non ſeruat, 268

L.

LAndramnus Turon. Archiep. 583
Lanfrancus quid de inceſtus coniugiis decreuerit, 430
Latiniacenſe Cœnobium combuſtum, 780
Laudunenſis ciuitas incenſa, & Primates interfecti, 787
S. Leoberia S. Benedictæ collactanea, 678
Leothericus Laudu. Epiſc. 743
S. Leodegarius Auguſtodu. Epiſc. 783
Leodegarij Bituric. Archiep. epiſtola, 760. 763
S. Leonis Monaſterium, 716
Leo Papa 9. Lingones venit, 744
Leo Papa 7. epiſtolâ ad Hugonem Franc. Principem mirè extollit S. Martinum Turon. 375
S. Leonis Papæ I. brachium in Eccleſia S. Petri Viui, 716
Licinianus gratias agit S. Gregorio de Libro Paſtorali, 368. 370
Leiſoij Aurelianenſ. Clerici hæreſes nefandæ, 670. Damnatur, ac morte afficitur ignis ſupplicio, 675
Luitbertus Mogunt. Epiſc. 592
Lotharius Burdegalenſ. Archiep. 591
Lotharius Rex, & Imperator ab Innocentio Papa 2. inauguratur, 360. Innocentij canonicam fuiſſe electionem ſcribit, 480. Quid Romæ ea de cauſa egerit, ibid.
Lotharius Regis filius Abbas S. Germani Autiſſiodor. 588

Ludouicus 7. Rex,& Regina ab Hugone Archiep. inaugurantur, 777 Comitatum Aquitan. adeptus eſt, 788

Ludouicus Burgundiæ Rex inauguratur à Venilone Archiep. Senon. 711

Ludouicus 6. Rex inungitur à Daimberto Archiep. Senon. 752. De Ludouico plura, 753.& ſeq.

S. Ludouicus vult blaſphemiã cæteráque nefanda crimina è regno exterminari, 548
Iuſtitiam vnicuique reddi, 549
Eius Epiſtolæ, ibid.& ſeq.
Narrat quid primum in expeditione Hieroſolymit. geſſerit, 550.
Quæ in eius morte acta fuerint, ſcribit Petrus de Condeto, 558
Laudes S. Ludouici deſcribunt Matthæus Ab. & Simon de Nigella, 569. Obiit, 793. 816. Hieroſolymam proficiſcitur, 810. 815. Accipit licentiam à Monachis S. Dionyſij, 816

Ludouicus 8. Rex, 813

Luido Niuernenſ. Epiſc. 591

Lupus Catalau. Epiſc. 587

S. Lupi Senon. corporis tranſlatio, 726

M.

MAcedonij hereſis, 27

Mainerius, V. *Meginerius.*

S. Maïolus Abbas Cluniac. 808

Manaſſes Aurelian. Epiſc. 733

Manaſſedus ſiue Manaſſes Remenſ. Archiep. 605. Anteà Clericus Beluac, 681

Manfredi Tarent. Principis geſta, 650 Principatu priuatur ab Alexandro Papa, ibid.

S. MARIÆ Virg. imagines quare deponi iubet Archiep. Rotomag. & ſpinis circumdari, 521

S. MARIÆ Monaſterium Senon. 715. Deſtruitur à Comite Rainardo, 737
Monachi de Caritate in eo conſtituuntur, 746

S. Martini Turonenſ. gloriam vniuerſalis Chriſtianitas atteſtatur, 375. Quàm celebre eius ſepulchrum, ibid.
Mulieres eius Baſilicam prohibentur intrare, 376

Martinum Ferrarienſ. Epiſc. culpat Ratherius quòd ordinibus quoſdam illicitè initiauerit, 242

Matrimonium, V. *Coniugium.*

Matthæo Vindocinenſi Abbati S. Dionyſij ſcribunt S. Ludouicus, 548. 550. Et Philippus Audax, 555. Qui approbat ſummam poteſtatem Matthæo delegatam à patre ibid. & 556. Iterum vt vices agat Regis, mandat, 557. Eius & Simonis de Nigella Epiſtola, 569. Obiit, 818

Mauriacenſe Cœnobium fundatur ab Hieremia Archiep. Senon. 710
Pendet à S. Petri Viui Abbatia, ib.
Vbi ſitum illud Cœnobium, 753
Decanus renuit ſubijci Abbati S. Petri Viui, 755. Hac de re prolixa narratio, ibid. & ſeq. Cœnobium Mauriacenſe Capella Regum Frãcorum, 761

Mauritij Rotomag. Archiep. Epiſtolæ, 510. & ſeq. Rotomagenſ. diœceſim interdicto ſupponit, & quare, ibid. & 821. Archiepiſc. electus, 820 Electionem Abbatiſſæ infringit, ibid. Moritur apud Salicoſam. 821

Meginerius ſiue Mainerius Comes multa confert Monaſterio S. Remigii Senon. 580. 584. 711

S. Medardus floret, 781. Obiit, 782

S. Medardi Sueſſion. Monaſterium condit Clotarius Rex, 782. Childericus Rex in hoc Monaſt. retruſus, 784. Pipinus Rex inibi à S. Bonifacio inauguratus, 784. Caſtrum Vicum confertur, ibid. Corpora SS. Marcellini & Petri collocatur in Eccleſia S. Medardi, ib. Et SS. Medardi, Sebaſtiani, & Gregorii Papæ, 785. Priuilegium donat Odo Rex, ibid. Eximitur Monaſterium à poteſtate Comitis Sueſſion. 786. Et à vexatione domini Coriciacenſ. ibid. Eccleſia dedicatur ab Innocentio Papa, 787. Monachi nobiles, 789. Domus è Monaſterio pendentes vaſtant milites, 795. Galterus de Couſſiaco Magnus Prior, ibid. Sueſſionenſes in Eccleſia S. Medardi inſultum fecerunt, ib. Auctor Chronici S. Medardi anno 1240. ſcribebat, 798

Abbates S. Medardi Sueſſion. Renaldus Abbas eſſe deſiit, quòd ſine Regis aſſenſu Romam iuerit, 786. Gaufridus Collum cerui, 787 Fit Epiſcopus Catalau. ibid. Odo, ibid. Abbatem ipſum benedixit Aureliis Innocent. Papa contradicente Epiſcopo Sueſſion. 788. Galterius, ibid. Ingrannus, ibid. Gaufridus, 789. Galcherus, ibid. Bertrannus. ibid. Galterus de Balena, 790. Rogerius, ibid. Albricus de Brana, ibid. Milo de Balochiis, 792. Radulfus de Bria. ſiue de Brana, 792. 795. Reginaldus de Nantolio, 796. Ioannes de Merincourt, 799. Hieronymus de Couſſiaco, ibid.

Mendaciorum quatuor genera, 293

Michaël Grecorum Imperator, 1

Michael Paleologus mulctatur à Summo Pontifice, 661

Quam ob rem, ibid.

Milo Trecenſ. Epiſc. 733

Miſſa quî celebranda, 260. & ſeq.

Moliſmenſis Abbatia in quo loco fundata, 745. Et quo anno, 746

Quamdam villam quæ pendet à Monaſterio S. Petri Viui vſurpat Abbas, 764. & ſeq.

Monachorum antiquorum diſciplina, 105

Monacho locorum mutationes, & inconſtantia admodum noxia, 447. 450. Quæ vera eorum paupertas, & obedientia, 527

Cautè extra Monaſterium ſe gerere debent, 533. Quî diabolum Monachus expugnare debet, 546. A Monachis quid Epiſcopi exigere debent, 582. Habitum monaſticum deferant, 606

Aduocati nec alia ſecularia officia exerceant, 639. Auro vel argento equos non ornent, 639. Veſtibus laicorum non vtantur. 640. Tres Monachi in quolibet Prioratu conſtituantur, ibid.

Monſpelienſium Conſulum iuramenti forma, 618.

Mortuorum, quorum meminit Euangelium, tres ſuſcitauit Chriſtus, quartum renuit, 292

Quid hoc innuit, ibid.

Mundi amatores qui, 276

Quomodo contemnitur, ibid.

N.

Neuelo Epiſc. Sueſſion. 789

Nicolaus Papa V. renuit tributum Eccleſiaſticis ab Rege imponi, 576

Norbertus Magdeburgenſis Archiep. & Cancellarius Imperatoris, 481

Normanniæ Ducum genealogia, 806

O.

OBedientia quando vera, 527
Quàm præſtans virtus, 530
Quæ obedienti obſeruanda, 531
Odo Beluac. Epiſc. 591
Odo Carnot. Epiſc. 733
Odo Rex inauguratur à Vvalterio Archiep. Senon. 720. 733
Obiit, 734. 785
Odo Rotomagenſ. Archiep. 815
S. Odilonis Abbat. Cluniac. Epiſtolæ, 386. & ſeq. Eum obiurgat Papa quòd Archiepiſcopatum Lugdunenſem recuſarit, 387. Petit à Garſia Rege vt Monachorum Cluniac. inopiam ſubleuet, 388
Oratione & eleemoſyna euehitur ieiunium in cælum, 285
Optima oratio quæ, ibid.
Ordinum ſacrorum gradus ſeruandi, 144
Contra illos qui illicitè ordines ſuſcipiunt, 243
Ordines qui tranſiliunt ab officio ſuſpenduntur, 594. Ordines & tonſuram nulli alterius diœceſis conferat Epiſcopus, 646
S Orienti Abbatiæ ſiue Eccleſię eximuntur à 4. parte decimarum in Concilio Auſcenſi, 592. Raymũdus Abbas, ibid.
Archidiaconi vices gerit ſuper Eccleſias & Clericos, 593. Libertates confirmantur, ibid.
Eccleſiæ ſiue Prioratus ab eodem Monaſterio pendentes, 593
Otto Burgund. Dux, 724

P.

PApa, V. *Summus Pontifex.*
Paraſceue moraliter explicatur. 258
Parochi quid docere debent, 256. & ſeq. Vide *Sacerdos.*
Paſchæ feſtiuitas quomodo celebranda, 308. & ſeq. 313
Paſchaſius Diaconus & Doctor. 54
Librum ſcripſit de Spiritu S. ibid.
S. Paternus Monachus & Mart. 708
Patientiæ vtilitas in tentationibus æquo animo ſufferendis, 545
Patriarcha Conſtantinopol. Romano ſubditus eſſe comprobatur, 145. & ſeq.
S. Pauli epiſtolarum ordo. 107
Pauperes qui ſubleuandi, 226. & ſeq.
Quomodò ſubleuandi, 312
Paupertas quæ vera, 527. V, *Eleemoſyna.*
Petengenſium Canonicorum epiſtola, 443
Petrum Abaelardum, qui fidei haud conſona docuerat, ſugillat Gualterus Epiſc. Laudu. 473
Eius Epitaphium, 775
Petrus Aragoniæ Rex, 649. Proceſſus habitus contra eum à Martino Papa, ibid.
Regni Siciliæ vſurpator, 654
Priuatum omni iure in toto Siciliæ regno declarat Martinus, 660
Petri de Caſtro-nouo interfectores excommunicantur, 617
S. Petri de Chauanon fundatoris ac primi Præpoſiti Eccleſiæ de Piperaco vita, 691. Nobilis Aruernus, 692. Fit Archipreſbyter Langeac. 693. Prædicat verbum Dei, ibid. Impudicam mulierem ſtrenuè à ſe expellit, 694. Piperacenſe Monaſterium fundat, 698. Vitam cum ſociis inſtituit iuxta Regulam S. Auguſtini, ibid.
Petrus Claromont. Epiſc. 760. & ſeq.
Petrus de Condeto diuerſis Epiſtolis

narrat quæ geſta ſunt in Oriente tempore S. Ludouici, & Philippi Audacis, 551. 558. 561. 564
De pace agit inita cum Rege Tunicenſi, 561

Petri Leonis geſta deſcribuntur, 345
Parentes, ibid. Ex Monacho Cardinalis, 347
Legationis officio fungitur, ibid.
Lautè ac luxurioſè viuit, ibid.
Schiſmaticum declarat Lotharius Imperat. 480

S. Petri Miledunenſis Monaſterium inſtauratur à Seuino Archiep. Senon. 736, Abbas Vvalterius, ibid.

S. Petri Viui Senonenſ. Abbatia fundatur à Theodechilde, 705. 727. Chronicon eiuſdem Abbatiæ, ib. Priuilegia eidem Monaſterio conceſſa, 706. 710. 731. 744. 745. 751. 755. 776. S. Paternus Monachus & Mart. 708. Mauriacenſe Cœnobium pendet ab Abbatia S. Petri, 710. Alſonis Villa & Eccleſia tribuitur ab Egilone Archiep. & à Seuino, 712. 731 Inceditur Monaſterium, 722. Suſdeque habentur omnia Monaſterii bona, 725. Archembaldus vaſtat Monaſterium, 726. Monachi 12. vna nocte interierunt, ibid. Frodo Miles Theſaurum & cartas ſeruat, 727. S. Petri Viui Eccleſia eſt ſepultura Senonenſ. Archiepiſcoporum, 730. Cœnobium inſtauratur à Seuino Archiep. ibid. Dat Priuilegium de electione Abbatis, 733. Abbas in Conuentu Abbatum & Clericorum primas tenet, 736. Multa bona conferuntur à Seuino Archiep. 735. Theodericus Epiſcop. Aurelian. fit Monachus. 740. Et Ludouicus Comes Alemannorum, ibid. Incenſum Cœnobium, 748. In Concilio Trecenſi lecta & confirmata Priuilegia eiuſdē Monaſterii, 751. Decanus Mauriacenſ. ſubiici renuit Abbati S. Petri, 755. & ſeq. Pauliacum Villam eiuſdem Abbatiæ vſurpat Moliſmenſ. Abbas. 764. & ſeq. Alexander Presbyter ſacras Reliquias & alia confert Monaſterio, 771. Catalogus librorum recenſetur, 773. Abbas Herbertus interfectus à Communia Senonenſi, 776. Vvarinus Vicecomes ſepultus in Capitulo, 778

Abbates S. Petri Viui Aigilenus, 706 S. Ebbo, pòſt Archiep. Senon. 707 Chrodolinus, 708. Viraibodus, ib. Bertemarius, 709. Frodobertus, ibid. Albertus, ibid. Anaſtaſius, ibid. Rauidus, 712. Anaſtaſius II. ibid. Dido, ibid. Aquila, 714. Franco. 718. Aiglo, 720. Samſon, 721. S. Odo Cluniac. aliquandiu regit Monaſterium. 723. Arigaudus, ib. Dochelmus, 724. Archengerius ibid. Otbertus, ib. Notrannus, 725 Rainardus, 730. & ſeq. Ingo, 739. Ermenaldus, 741. Gerbertus, 743. Aimo, 746. Herminus, ibid. Arnaldus, 749. & ſeq. 753. & ſeq. 773. Herbertus, 775. Odo, 780. Gauterius de Naudo. ibid.

Phariſæorum exercitia, 111

Philippus Audax Rex Franc. approbat ſummam poteſtatem Matthæo Abbati, & Simoni de Nigella, 555. 556. Vt Regis vices agant, mandat, 557. Epiſtolæ, 555. 556. 557. 561. 571. Vt quantocyùs in Franciam redeat, orant Matthæus Abbas & Simon Nigellenſis, 569. Viterbii Cardinales compellat vt citiſſimè Papam eligant, 571. Inauguratur Pariſij,

Pariſiis, 816
Philippus Boloniæ Comes, 794. 813
Philippus Ebroicenſis, 552
Philippus de Eleemoſyna Abbas partes tuetur Alexandri Papę, 453
Philippus de Monte-forti, 559
Philippum I. Regem Franc. adhortatur Hugo Cluniac. Abbas, vt vitam monaſticam arripiat, 401. Petit à Patribus Concilii Compend. confirmari libertates Eccleſiæ SS. Cornelii & Cyp. 599. Et bona in Concilio Pariſ. 604
Philippus II. Rex Franc. obiit: ſepultus in S. Dionyſii, 812. Quos ſibi acquiſiuit Comitatus, 813. Commendatur, 812
Piſli ſiue Bulgari hæretici, 795
Pipinus Rex inunctus à S. Bonifacio, 784. Confirmatur à Stephano Papa, ibid.
Pontius Abbas Piperacenſis, 691
Piperacenſe Monaſterium conditur à S. Petro de Chauanon, 698. 703. Canonici Regg. ſecundum Regulam S. Auguſtini conſtituuntur, ibid. Eccleſiæ ab eodem Monaſterio pendentes, 704
Piſtenſis Conuentus A.C. DCCCLXIV. 583
Item An. DCCCLXIX. 712
Pœnitentiarum modos præſcribit Eccleſia, 418
Pontifex, V. *Summus*.
Potamij Epiſcopi Epiſtola ad S. Athanaſium, 366
Præcepta moralia Vet. Teſtamenti quæ obligant, 426
Præmonſtratenſis Ordo, 800
Præſcriptio nulla vbi interuenit hoſtilitas, 195
Preſbyter. V. *Sacerdos*.
Proceſſio & generatio in Deo quî differunt, 83
Publicanus quis, 218
Purgatorii pœnæ, 290

Q.

QVadrageſima, V. *Ieiunium*.
Quadraginta dierum numerus myſticè explicatur, 126
Quadrageſima quare inſtituta, 281. 313
Superſtitioſi in obſeruanda quadrageſima, ibid. Violatores, ibid. & ſeq.
Quadrageſimæ variæ obſeruationes, 282. & ſeq. Feriâ quintâ maioris hebdomadæ ieiunium non eſt ſoluendum, ibid. Quî hac die obſeruandum, ibid.
Orientales longiorem & auſteriorem faciunt Quadrageſimam, 283
S. Quintinus in Gallias profectus, 678
S. Quintini Beluac. Eccleſia & Abbatia fundantur, 680. Quibus annis incepta ac perfecta, ibid. Dedicatio Eccleſiæ celebris, 681. Ad eam aduectũ Corpus S. Quintini ab vrbe Viromando. ibid.
S. Quintini in Inſula Abbatiam Monachi incolunt, 786

R.

RAdulfus Lexouienſ. Epiſc. 583
Radulphus, V. *Rodulphus*.
Radulphus Turon. Archiep. 763
Ragenelinus Tornac. Epiſc. 592
Ragnerius Ambian. Epiſc. 583
Raginarius Ambian. Epiſc. 587
Raimundus de Digons, 704
Rainaldus Comes Senon. nequiſſimè ſe gerit. 739
Ratbodus Nouiom. Epiſc. 599. 605
Ratherius in Clericos inuehitur qui ſacros Canones contemnunt, 162. & ſeq. Pulſus propria ſede adiit

Cæſarem, ac Concilium Præſu-
lum, 171
Clericorum prauos mores deſcri-
bit, 162. & ſeq. 183. Et Epiſcopo-
rum, 187
Refert quæ ipſi obiiciebant aduer-
ſarij, 199. & ſeq.
Quantis calumniis laceſſitus, ibid.
Deplorat corruptos mores ſui
temporis, 219. & ſeq.
Renuit Epiſcopatum pretio ſibi
oblato relinquere, 216
Quas perſecutiones fuerit perpeſ-
ſus recenſet, ibid. 231
Diſcordia ipſum inter & Clericos,
217. 233
Eos perperá ſtuduit corrigere, 222
De bonis affatim prouidit ipſis,
224
Apologeticum pro ſe edidit, 225
Culpatur quod reditus ſuos inſtau-
randis Eccleſiis impenderit, 229
Ex Abbatiola Monachis amanda-
tis ſubrogat Clericos, 236
Inuehit in Clericum qui nuptu
ſe fœdauit illicito 238
Calamitatibus oppreſſum ſe dicit
per annos viginti, 245
Quomodò ad ſedem Veronenſem
fuit euectus, 247
Perſecutiones quas Epiſcopus per-
tulit, narrat, ibid. & 269. 316
Carceri mancipatus à Rege, 248
Milo Epiſcopatum Veronenſem
inuadit, 248. & ſeq. 269
Summi Pontif. petit iudicium, 246
& ſeq.
Auxilium poſtulat ab Epiſcopis,
255
Synodica ad Preſbyteros, 265
Quare hanc protulerit, 271
Quid Romæ acturus ſuis Cleri-
cis aperit, 265. Ter exulat. 269.
Contra Reprehenſores ſui Sermo-
nis de Quadrageſima agit, 304.
Quanta eius manſuetudo, 317
Regem licet contumeliis affectus
reueretur, ibid.
Raynoldus ſiue Raynaldus Pariſ. E-
piſc. 733
Raynaldus Remenſ. Archiep. 599
Raynardus Rotomag. Archiep. 583
Reginaldus de Priſcenniaco, 552
Religioſus, V, *Monachus*, & *Cano-
nicus Regularis*.
Religioſo locorum mutatio, & in-
conſtantia animi noxia, 447
S. Remigii feſtum vt celebrent Frá-
cos adhortatur Leo Papa IX. 456
S. Remigii Senonenſ. Abbatia apud
Vallilias transfertur, 579. 710.
Hac de re Priuilegium, ibid.
Bona confirmantur, ibid.
De Abbatis electione, 581
Corpora Sanctorũ quæ diuerſis in
locis iacebant, in hoc Monaſte-
rium transferri iubent Epiſcopi,
582
Vvenilo Archiep. confirmat Pri-
uilegium ab Aldrico datũ, 586. 710
Cœnobium ab Aldrico inceptum
perficit Venilo, 711. Dedicat. 712
Suauus Abbas, 719. Transfertur
Monaſterium ad muros Senon.
Vrbis, 720. Abbates Vvillelmus,
& Vvillermus, 752
Regibus & Imperat. quid muneris
incumbit, 3
Cor Regis quare in manu Dei, 250.
Regibus honor exhibendus, 317.
Quantam rationem Rex de ſua di-
gnitate eſt Deo redditurus, 499.
Regibus cur Deus potentiam, glo-
riam, diuitias &c. confert, ibid.
Non aliis ſe præferre debent, 500
Richardus Alban. Epiſc. Cõcilium ce-

lebrat Trecis.750. Eius Epiſtolæ, 756. 761. & ſeq.
S. Richarii Abbatiæ Reliquias in SenonenſemEccleſiam transfert Hieremias ex Monacho eiuſdem loci Archiep.Senon. 709
Richardus Bituric. Archiep. 605
Robertus de Couciaco Monachos S. Medardi Sueſſion. vexat, 787
Robertus I. Rex,786. Quoſdam hæreticos Aurelianis damnari imperat, 670. & ſeq.
Robertus Flandriæ Comes, 794
Rodulphus Bituric. Epiſc. 591
Rodulphus Remenſ. Archiep. 763
Rodulphus Rex inauguratus à Vvalterio Archiep. Senon. 721
Rogerius Catalau Epiſc, 599. 605
Romana Sedes. V. *Eccleſia*.
S. Romanæ vita ſeu Martyrium,677. Tranſlatio corporis in S.Quintini Eccleſiã Beluac. 681. Reliquiæ per diuerſas Galliæ prouincias circumferuntur, 683
Rorico Ambian. Epiſc. 599 Confert Canonicis Regg. Eccleſiã SS. Acei & Acheoli. 601
Rottanus Arelat Epiſc. 5?2
Rotlaus ſiue Rothildis Comitiſſa multa confert Abbatiæ S Remigii Senon. 580,584,711
Rotualdus Sueſſion. Epiſc. 583

S.

SAbbatum quid denotat, 258 Ab eſu carnium abſtinendum hac die, 594
Sacerdos quî differt ab Epiſcopo, 142 Non debet in nuptiis bigami prandere,171. Nec aleator eſſe,nec ebrioſus, 172 Canes ad venandum, & accipitres ad aucupium prohibentur, ib. A Sacerdotio qui arceri debẽt, 180
Sacerdotes mali ruinæ populi, 185
Sacerdos ſtomachus Eccleſiæ, 220
Quid populum docere debet, 256
Documenta Sacerdoti vtiliſſima, ibid. & ſeq. Quid addiſcere tenetur, 263
Verba Sacerdotis vera aut ſacrilega,293. Quàm religioſè ſe gerere debet, 302
Pauci Sacerdotio digni, 371
Sacramentorum cõferendorum modum, ordinandi poteſtatem Eccleſiæ Chriſtus reliquit, 433
Diuerſimodè conferuntur, ibid.
Effectus ab inæqualitatem eritorum miniſtri non pendent, 459
Saducæorum exercitia, 112
Saluator Chriſtus eſt veritas, 6
S. Saluatoris Monaſterium propè Brayam, 725
Sancius Arelat. Archiep. 656
Santius Hiſpanus abdicato Epiſcopatu receſſit in Cluniacenſe Monaſterium, 387
SS. Sauiniani & Potentiani corporum tranſlatio. 712
Saxbodus Sagienſ. Epiſc. 587
Scientia quid in bonis & malis operatur, 537
Ex vera ſcientia bona conſcientia, 538
Senonenſis ciuitatis Eccleſiæ deſtruũtur à Normannis, 719. Vvarnerius Senon. Vicedominus, 722. Vrbem obſidet Rainaldus Vicecomes Remenſis, 723. Frotmundus Vicecomes, ibid. Rainaldus, 724. Senonenſes Elponem Ducem Saxonum vincunt, & occidunt, 725. & ſeq. Senonenſium Archiep. ſepultura in S. Petri Viui, 730. Eccleſia ſancti Stephani reſtaurata dedicatur à Seuino Archiep. 735. Archiep. Senonenſis

Primas Galliæ & Germaniæ. 715. 737. Rainaldus Comes nequiſſimè ſe gerit, 739. Communia facta à Rege, 776. Deſtructa ab Eugenio Papa, ibid. Abbas S. Petri interfectus ab eadem Communia, ibid. Incenſa ciuitas, 776. Alexander Papa diu commoratur apud Senones. 777. Ciuitas incendio vaſtata, 780

Senonenſes Archiepiſcop. S. Heraclius, 725. S. Emmo Priuilegium dat Abbatiæ S. Petri Viui, 706. S. Vvlfrannus relicto Epiſcopatu fit Monachus, 706. In Friſiam profectus prædicandi gratiâ, Ibid. Obiit, 708

S. Ebbonis geſta compendio narrantur, 707. & ſeq. 735 Gericus, 707. Rambertus. 709. S. Magnus, ibid. Hieremias ex Monacho S. Richarij, ibid. 710. Aldricus. 716. Venilo, 711. & ſeq. Egilus, ſiue Egilo, 712. & ſeq. Otradus Coëpiſcopus, 712. Anſegiſus, 714. Primas Galliæ & Germaniæ conſtituitur, 715. De Anſegiſo plura, 716. 717. & ſeq. 719. Eurardus, ibid. Vvalterius, 720. Regem Odonem inaugurat, ibid. & Rodulphum, 721. 722. 734. Vvalterius alter, 722. Adaldus, ibid. Guillelmus, ibid. Gerlannus, 723. Hildemannus, 724. Archembaldus peſſimè ſe gerit, 725. & ſeqq. Miſera & repentina mors, 728. Anaſtaſius, ibid. & ſeq. 734. Eius feſtiuitas annua inſtituitur, & quare, 730. Seuinus, ibid. & ſeq. 734. Leothericus, 737, & ſeq. 739. 742 Gelduinus ſedem vſurpat, ibid. exauctoratus, 743. Mainardus, ibid. Richerius, 745. & ſeq. Dainbertus, 749. Ludouicum 7. Regem inungit, 752. Intereſt Concilio Floriacenſi. 763. Obiit, 772. Henricus, 776. Hugo, ibid. 778, Vvillelmus, ibid.

Siciliæ regnum vſurpat Petrus Aragoniæ Rex, 654. Regnum iſtud competit Eccleſiæ Romanæ ex cōceſſione Petri Aragon. 655. & ſeq.

Simeon Laudunenſ. Epiſc. 587

Simoni de Nigella ſcribunt S. Ludouicus, 548. Philippus Audax, 555. Approbat idem Rex ſummam poteſtatem ipſi delegatam à patre, 555. 556. Vt vices Regis agat, 557. Eius & Matthæi Abb. Epiſtola, 569

Spinea corona, V. *Corona*.

Spiritus S. à Patre & Filio procedit 4 Multa de Spiritu S. ibid. & ſeq. Eſt Spiritus veritatis, i. Chriſti, 6. Caritas dicitur, ibid. Proceſſio & generatio quî differūt, 83

Stephani Aurelianenſ. Clerici hæreſes nefandæ, 670 Damnatur ac incendij ſupplicio moritur, 675

Stephanus Bituric. Archiep. 583

Stephanus Canonic. Regul. Auctor vitæ S. Petri de Chauano, 691

Summus Pontifex omnes alios Epiſcopos præcellit, 145. & ſeq. Summum ius habet in omnes tum Prælatos, tum cæteros fideles, ibid. & ſeq. Ante ordinationem monetur ab Electoribus, &c. 174 A nemine debet reprehendi, 250 Quibus virtutibus præditus eſſe debet qui eligitur, 352 Decreta Pontificum ſubinde abrogantur, 436

Synodus, V. *Concilium*.

In Synodis quid agendum, 270. Ad quid celebrantur, 344

Synodus Monſpelienſis, 645
Aurelianenſis, 670
Senonenſis, 706.731
Pontigonenſis, 715
Magdunenſis, 733
In Airiaca Villa, 741
Claromontana, 762

T.

TEntationes pro Deo patienter tolerandæ, 545. Tentationum vtilitas, ibid.
Teſtamento in conficiendo quæ requiruntur, 624.637
Theobaldus Campaniæ Comes, 795
S. Theobaldus S. Martini Pontiſaræ Abbas, 688
Theobaldus Rex Nauarræ moritur, 566. Commendatur à Philippo Rege, 567. In terram ſanctam pergit cum exercitu, 796.814
Theobaldus Rotomagenſis Archiep. ſuis rebus ſpoliatus à Rege, 819. Quamobrem, ibid. & ſeq. Interdicto ferit Regis caſtella, 820. Bona illi reſtituuntur antequam eius cauſam diſcuteret Legatus Sedis Apoſt. ibid.
Theodardus Narbon. Archiep. 734
Theodechildis filia Clodouei I. Regis Franc. condit Monaſterium S. Petri Viui, 705
Theodericus Aurelian. Epiſc. fit Monachus S. Petri Viui, 740
Teugrinus Albienſ. Epiſc. 583
S. Thomæ media ſubminiſtrat Arnulfus Lexouienſ. quibus conſtanter agens poſſit in Regis gratiam redire, 485. & ſeqq. Quæ S. Thomæ imponebantur, ibid. Conſtantiam eius extollit idem Arnulfus, 486. Multi ſtant à partibus eius in Anglia, ſed occultè, 490 Proceres ei ſunt aduerſarij, ibid. Si quid de pace tractandum occurrat, non anxiè ſubtiliúſue diſcutere oportet, 493 Quòd electio Cantuarienſis Archiep. ſecluſa ſeculari poteſtate fuerit, meritis illius aſcribit Arnulfus. 495 Conſecratur, 777. Exulat, 778 Martyrio coronatus, ibid. Albo Sanctorum inſcriptus, ibid.
Thomas de Marla perſecutor Eccleſiæ, 787
Tributa Clericis & Nobilibus non imponenda, 625. Non recipienda, 644
S Trinitatis Ordo, 80
Turonenſes Canonici ad maximam inopiam redacti, 513

V.

VAllis-Lucentis Abbatiæ Ord. Ciſt. Fundatio, 775. Primus Abbas Heraldus, ibid.
Vectigal, V. *Tributum.*
S. Vedaſtus, 782
Venilonis Archiep. Senon. Priuilegium pro Abbatia S. Remigij Senonenſis, 586 Subſcribit Priuilegio apud Piſtas dato pro Abbatia S. Germani Autiſſiod. 591 Vide *Senonenſes Archiep.*
Viennenſis Vrbs terræmotu concuſſa, 781
Voluntatem bonam quis poſſidet, 311
Vrbanus Papa 2. habet Concil. Trecis, 751
Vrſio Beluac. Epiſc. 599
Vrſio Syluanect. Epiſc. 599
Vrſmarus Turon. Archiep. 587
Vſuræ abolendæ, 611. 643
Vvalterus, V. *Gualterus.*
Vvalterius Vicedominus Senon. 722
Vvenilo, V. *Venilo.*
Vvido, V. *Guido.*
Vvillelmus, V. *Guillelmus.*

*FINIS.*

## *Errata.*

PAg.181. Iudicium, pòſt dele punctum interrog. pag.246. l.31. ſed, l. ſe. pag.280.lin 8. l. coniugia, pag. 286. lin.4. l.exodibiles. pag.399. in marg. l.inuiſat. pag.482. in marg. *moueant*, l. *mouerant*. pag.485. lin. vlt. in marg. *imponabantur*, l. imponebantur. pag.558. in marg. lege, & quæ. pag. 628. in marg. *à latina*, l. *à lacina*. pag.631. in marg. *eius*, l. eis. pag. 745. in marg. l. Mainardus, pag.784. *in Bertha*, &c. l. Vici confertur.

*Alia, fateor, Typographi lapſu ſubrepſerunt errata, quæ erudito Lectori, & oculato expungenda reliqui.*

# SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate ſancitum eſt, ne quis in Regno ſuo, aliiſque locis ſuæ ditioni ſubiectis, Librum cui titulus, *Veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis, maxime Benedictinorum, latuerant*, SPICILEGIVM: Videlicet, RATRAMNI *Corbeienſis Monachi contra Græcorum oppoſita lib.* IV. RATHERII *Veronenſis Epiſcopi Opera*. ARNVLFI *Lexouienſis Epiſc. Tractatus in Girardum Engoliſm.* MISCELLANEA *Epiſtolarum, &c.* CHRONICA *S. Petri Viui Auctore Clario Monacho; S. Medardi Sueſſionenſis, & S. Dionyſij*. Et aliorum in Diplomate contentorum, abſque D. Lucæ Dacherij conſenſu, aut eorum quibus permiſerit, intra viginti annos imprimat aut diuendat. Siquis ſecus fecerit, mulcta indicta, prout ampliùs in ipſo Diplomate continetur. Lutetiæ Pariſiorum 19. Iunij 1654.

*Sic Signatum,*

De Mandato Regis.
LE COQ.

## *Conceſſio indulti Priuilegij.*

PRæfatus Lucas Dacherius conceſſit Carolo Savreux Bibliopolæ Pariſienſi, vti indulto Priuilegio. Pariſiis in Abbatia S. Germani à Pratis die 22. Iulii 1654.

*Sic ſignatum,* F. LVCAS D'ACHERY.

## *FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS GENERALIS.*

EGo infra ſcriptus humilis Superior Generalis Congregationis S. Mauri, Ordinis S. Benedicti, facultatem concedo Domno Lucæ Dacherio Monacho Presbytero eiuſdem Congregationis, typis mandandi Librum, cui titulus eſt: *Veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum, latuerant, Spicilegij Tomus II.* In cuius rei fidem has ei literas manu mea ſubſcriptas dedi. Pariſiis in Abbatia S. Germani à Pratis die 15. Aprilis 1656.

Fr. Ioannes Harel.

Digitized by Google

Digitized by Google